





IOANNIS GERSONII,

DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS, OPERA;

Multò quàm antehac auctiora & castigatiora; Inque partes quatuor distributa.


Huic editioni, accessit vita GERSONII; *ex eius operibus fideliter collecta; cum Indice rerum & Verborum, & aliquot Opusculis* PETRI DE ALLIACO *Cardinalis*; IACOBI ALMAINI, *&* IOANNIS MAIORIS *Doctorum Parisiensium*; SVPER ECCLESIÆ ET CONCILII AVCTORITATE, *pro Gersonij, & placitorum scholæ Parisiensis propugnatione.*



PARISIIS.

M. DC. VI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.



QVID SORBONA POTEST, MONSTRAS DOCTISSIME GERSO,
GERSO SACROSANCTI LVXQVE DECVSQVE CHORI.



VITA
IOANNIS GERSONII,
DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS,
EX EIVSDEM OPERIBVS COLLECTA.
ANNO, M. DC. VI.

scripsit Edm. Richer.



OANNES CHARLIERVS, patrem Arnulphum optimum & Catholicum virum, habuit Gersonij, quod pagus est agri Rhemensis, non longè à Rhetelio: illum Elizabeta pientissima mater, post lachrymas & assiduas orationes Deo fusas, die XIV. Decembris, anno M. CCC. LXIII. à Domino impetrauit, omnémq; operam cum marito, vt piè & liberaliter filius erudiretur, vsqueadeo certè impendit; vt ne quidem anilibus fabellis aut ludicris (quibus puerilis ætas ineptè solet adlactari) illum vnquam recreari passa sit. Vtérque verò parens, nihil quotidie filio tantopere frequentabant, quàm *Omne datum optimum, & omne donum perfectum à patre luminum descendere*: vnde quoties Charlierus, poma, ficus, nuces, aut crepundia aliqua habere desiderabat, eà prius orando Deum, ab optimis parentibus emerere cogebatur, qui interim filiolo (ipso orationis æstu abrepto) de fenestra aliqua, solario, vel camino, quæ petebat, abundé largiri atque effundere, hísque insuper verbis illum magis ac magis ad pietatem incendere solebant: *Vides dilecte fili! quàm bonum sit orare Dominum Deum, qui talia confert orantibus.*

Quamprimùm adolescentiam attigit, Lutetiam Parisiorum profectus, liberalibus artibus, Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit in Collegio Campaniæ, seu Nauarræ; vbi Petrum de Alliaco, virum & doctissimum & illustrissimum (nam ex nobilissima Alliacorum familia Picardiæ oriundus erat) præceptorem habuit; qui tum magnus erat Collegij Nauarræ moderator, Academiæ Parisiens. Cancellarius, & postmodum Caroli V. Regis Francorum Confessarius; sacrosancti sacelli Parisiensis Thesaurarius; Cameracensis Episcopus, & demum Sanctæ R. E. Cardinalis fuit. Sed vbi ex scholæ Parisiensis consuetudine, nomen & patriam suam in acta Academiæ referre procurauit Charlierus, ei ex natali solo agnomen (sicut antè Roberto de Sorbona, Henrico de Gandauo, & multis alijs viris illustribus) inditum fuit à contribulibus; qui deinceps illum *Ioannem de. Gerson*, aut *de Gersonio*, semper vocitarunt. At quàm la-

boris, frigoris, & inediæ patiens; tam somni impatientissimus fuit: adeò vt, sine valetudinis & mentis periculo, vix insomnem noctem transire posset, quod ad capitis & cerebri illius amplitudinem referri nec-ne debeat, medici viderint: nunquam porrò minus solus, quàm cum solus; neque magis actuosus, quàm cum otiosus erat, vt ipse testatur. Stylum neglectum potiùs, quàm horridum aut asperum habuisse, eius opera & carmina monstrant: siquidem humanioribus literis, plusquam seculi in quo viuebat infantia pateretur, studuerat; & se inter scribendum, ornatum omnem contempsisse, plusque prodesse quàm delectare voluisse narrat; prudenter quidem meo iudicio, quia si aliter rigido illo seculo scripsisset, à paucis, imò à nullis fuisset intellectus. Cæterùm, facilè ex sequenti poëmatio, quod diebus aliquot antequam mortem obiret conscripsit (iusta autem est apologia, quam pro defensione carminum, quæ in extrema vitæ periodo vberrimè & pijssimè cecinit) lector conijciet, quid ampliùs potuerit Gersonius.

Vidit liuor edax, vt mea carmina,
Despexit, nitida veste carent, ait;
Nec pulchris facies picta coloribus,
Vox est rauca, sonans parum.
Ornatus varios si meretricula
Nil virtutis habens, nec solidum bonum
Quærit, quis stupor est? sat sibi perplacet
Fallax, alliciens procos;
Fucatos oculos hæc stibio gerit,
Comit Cæsariem, lubrica conspici,
Assuescit placidis, blanda, procax, vaga,
Et quos prostituit necat.
Ast matrona grauis, casta, pudicaque;
Cui natiuus adest, & color, & decus,
Vt prosit satagit, seria moribus,
Sponso quod placeat studet,
Totam composuit cincta modestia;
Cultum net proprium, nent famulæ simul,
Non linum neque lanas petit hæc extra,
Solers artifica manu:
Non nequam, petulans, subdola, fractáque
Vox, sed suaue sonat, cui rigidus tonus:
Viuax ex oculis cælica lux micat,
Sancta prole beatior:
Frugi mensa sibi splendida, sobria,
In qua psalterio rex Dauid insonat
Hymnos, imparibus quos numeris ligat
Metris, carmen amiciùs:
Carmen tale cano, sit procul ethnica
Mendax musa, strepat his quibus est Venus,
Aut Mars deliciæ, variaque numina:
Noster solus amor Iesus.

Tanta

TANTA autem prudentiæ, virtutis, grauitatis, atque eruditionis Gersonij opinio, Academiam vniuersam persuaserat, vt vix dum, in secundis ordinibus Biccalaureorum Theologiæ consistens, nonnullis cum doctoribus, à Rege Christianissimo, & Academiâ Parisiensi, ad vnionem & pacem Ecclesiæ promouendam, Romam legatus fuerit. Et post nauatam egregiè operam Theologiæ, primum licentiæ suæ gradum adeptus, laureâ doctorali M. CCC. XCIIII. circa XXXI. ætatis, cohonestatus; & paulò post, ad Academiæ Cancellariatum, & Ecclesiæ Parisiensis canonicatum, fauorabili eiuratione Petri de Alliaco, præceptoris sui, euectus fuit; tum demum in Ecclesiæ Brugensis decanatum, duce Burgundiæ auctore, adoptatus est.

VERVM, in munere Cancellariatus, *ab omnibus vinculis mundanæ necessitudinis liber esse voluit*; *quatenus pro veritate*, vt ait, *præparato animo ampliùs certamen habere posset*: vnde nihil reliqui fecit, quo priuatim & publicè scholæ Parisiensis disciplinam meliùs regeret, & omnem ἐθελοθρησκείαν, errorumque & nouitatum monstra, quasi in horto irriguo succrescentia, debellaret: qua de re priusquam dicere aggredior, venit mihi in mentem mirari, quonam auctore vir doctissimus, fol. 184. sacri sui apparatus, isthæc scripserit, *Ioannes Gerson dictus Carlerius, Gallus, monachus ordinis Cælestinorum, & deinceps eorumdem Lugdunensis Monasterij Prior; demum verò Parisiensis Academiæ Cancellarius, &c.* Nam præterquam Ecclesiæ, & scholæ Parisiensis consuetudo, indispensabili lege, omnes regulares, decanatu & Cancellariatu Academiæ (*quæ clerica non regularis est*) semper exclusit, ipsemet Gersonius, passim vitæ suæ institutum satis declarat, præsertim in fratris Nicolai (monachi ordinis Cælestinorum) Epicedio, quod fratri Ioanni, eiusdem ordinis monacho, misit,

Monice quem mihi dat fratrem natura sequendum,
Nostri sunt generis quæ monumenta vides.
Arnulpho Charlier, cui nupsit Elizabeth olim,
Gerson origo fuit, aduena voce sonans:
Dotauit Deus hos bissena prole, puellæ
Septenæ numero; quinque fuere mares;
Primus Theologus, Monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupsit filia sola viro.
Frater Petre rapit te mors, & te soror Agnes
Infantes; viuit purus vterque Deo:
Ægra Iabina soror viuens, mala sustinuisti
Iugiter; hinc moriens reddita dona capis.
Chara soror Raulina vale, quæ commeruisti
Consors esse Iesu, cuius eras famula.
Hospita pauperibus & mystica Martha fuisti,
Te vocat inde Iesus, tu Benedicta veni.
Tempora complesti consummatus citò multa,
Frater cordis amor tu Nicolae mei:
Cælos credo equidem tu Cælestinus adisti,
Cælica semper amans, dum peregrinus eras.
Sors lugenda manet nobis, quos vita superstes
Septem seruat adhuc, torquet & exilio.

Hos versus, habes in 2. parte operum Gersonij, quibus docemur, Cancellarium fuisse maximum natu, & septem sorores, cum quatuor fratribus habuisse; quorum vnus in cunis obijt, tres reliqui monachi, Ioannes quidem & Nicolaus Cælestini fuerunt, tertius Rhemis professus est, vt ex quadam Gersonis Epistola innotescit, quiquidem omnibus sororibus, vt cœlibem vitam agerent, auctor fuit: hoc porrò carmine, quinq; sorores tantùm de nomine compellat, Agnetem, Iabinam, Raulinam, Martham, Benedictam, duarum autem aliarum nomina silentio obruit.

Vt autem ad eius Cancellariatum reuertamur, sæpe de illo abdicando cogitauit, tum quod indignos atque ineptos promouere, tum quod prouinciâ hac implicatissimâ, orationem, meditationem, & studia, sæpe deserere cogeretur: veruntamen, quò minùs id faceret, Burgundiæ dux (cui se quadam in Epistola omnia post Deum Optim. Max. debere profitetur) semper impedimento fuit.

Qvam salutis, atque eruditionis omnium, & præsertim scholasticorum, sitiens fuerit, varia eius opera moralia, & præsertim libellus *de paruulis ad Christum trahendis, de arte audiendi confessiones, de arte moriendi, condendi testamentum, de methodo consolandi eos qui sunt in agonia*, & plures alij tractatus, *de absolutione & reseruatione casuum* demonstrant; qui Richardo Hallo, doctori Louaniensi, incentiuum fuerunt, vt opus perutile *de quinque partita, recta, erronea, dubia, opinabili, & scrupulosa conscientia*, edendum curaret; quodquidem, se ex Gersonij opusculis excerpsisse ingenuè fatetur, doletq; maximè, tanti viri lucubrationes, magno piorum & Religionis Catholicæ detrimento, tamdiu in tenebris exolescere. Frequens autem habebat in ore Gersonius, Theologum, *neq; monoculum neque morosum nimis, aut scrupulosum esse debere*, quia cum magistri in Theologia, lux & regula aliorum habeantur, non populari, sed iuris præsertim diuini & naturalis trutina, (cui lex canonica famulatur) examinare debent, vt ille reuera omnia ad hanc incudem reuocare consueuerat; cuius rei, varias lucubratiunculas, de omnium hominum statu & officio, obsides habemus; in quibus, tanquam omnium debitor factus, omnibus opitulari conatur, & id quidem benignè, constanter, absque assentatione, spe, aut desiderio lucri, imò absque cuiusquam doctoris aut hominis contemptu: quæque morosè nimis, obscurè, aut vniuersim ab alijs scripta sunt, hic facilè, planè, & compendiosè perstringit; & axiomata vniuersalia, ad casus particulares ita deducit, vt ex hominum animis omnes scrupulos & aculeos euellat: neque enim hominibus facilè cœlos claudit, neque cæcam nutrit arrogantiam, sed vbique mediâ viâ, quæ tutior & certior est, incedit. Nam

Pueros affectu paterno amplectitur.
Adolescentes sanctioribus præceptis imbuit.
Gymnasiorum moderatores, & pædagogos omnes erudit.
Principes, nobiles, & filios regum, melioribus documentis instruit.
Triplicem statum, Ecclesiasticum, Ciuilem, & Militarem, Reipublicæ pernecessarium esse monstrat.
Census & vectigalia moderatur.
De legitima Pontificis, Prælatorum, & Principum potestate disputat.
Christianam & Ecclesiasticam libertatem, sanctissimè propugnat.

Parrochorum & priuilegiatorum iura temperat.
Canonum & legum fontes reserat.
Conciliorum celebrandorum necessitatem declarat.
Modum optimum Ecclesiæ regendæ monstrat.
Hæreses & schismata debellat.
Religiosos pio zelo inflammat.
Confessionum secretarum arbitris, optima tradit præcepta.
Modum doctrinæ & spirituum probandorum designat.
Theologiam scholasticam ex disputationum tricis, ad vsum salutarem & mysticum primus erexit.
Quid cuique ætati, sexui, & vitæ instituto conducat, explanauit.
Dominicanorum ordinem Academiæ Parisiensi probauit, & reconciliauit.
Artem bene moriendi aperuit.

ITAQVE, qui vitæ humanæ finem cum Gersonij operibus compararit (nunquam enim studia sua à pietate & bene viuendi ratione, quód caput est artis, segregabat) valde addubitabit, an cuiquam veterum aut recentiorum sit hac in parte posthabendus; maximè verò, quod *Christi iugum leuissimum atque mitissimum; & Euangelium, regalem & perfectæ libertatis legem esse* pronunciet: vnde etiam institutionum & traditionum humanarum impedimentis (quàm minimè fieri potest) Christianos grauandos esse publicat, ne constitutionum diuersitas, pro decipula sit: quia vt patrisfamilias, sic etiam sapientis est legislatoris, id omne vitare, quod suis ad peccandū occasionem aliquā prębere potest. *Nam si Adam vir talis & tantus* inquit, *vnicum disciplinæ præceptum habens, in illo corruit, nos inter innumerabilia positi, qualiter euademus? Vix potest imbecillitas nostra diuinas leges, ad numerum paruum, gratuita Dei benignitate reductas, implere; viam igitur obsitam tot spinis constitutionum semet inuoluentium & obumbrantium, quis inoffenso pede transiliet? Scimus quod dixerit Petrus Apostolus Actuum 15. Quid tentatis Deum? imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Hoc animaduertens, & pia compassione deplorans egregius doctor Augustinus, ad inquisitionem Ianuarij, ipsam* inquit, *religionem nostram, quàm manifestissimis & paucissimis celebrationum sacramentis, Dei voluit misericordia esse liberam; seruilibus nos premunt oneribus, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine, quid nostra tempestate dixisses! vbi pro varietate & motu capitum, incredibilis est varietas, & dissona multiplicitas onerum huiusmodi seruilium, & humanarum, prout loqueris, præsumptionum. Hæc est querela, qualem olim apud deuotum Bernardum, detulerunt quidam ex monachis, & propter quam compescendam, sicut modo nitimur agere, scripsit volumen pulcherrimum, de præcepto & dispensatione, qui liber, huic operi nostro pro fundamento supponatur.* Hactenus Gersonius, lectione 4. libri de vita spirituali: cuius ratio docendi effecit, vt apud omnes doctos sui seculi, nomen Euangelici, & Christianissimi Doctoris propterea mereretur, quod Christianos, humanis institutis quàmminimè premendos esse doceret.

QVOTIES autem de re aliqua consulebatur, scriptò quàm verbo, & meditatò quàm ex tempore respondere malebat; atque vbi diuinam, naturalem, Canonicam legem, aut patres antiquos auctores & vindices desiderabat, *non tam determinatiuè*, vt ait, *quàm inquisitiuè & dubitatiuè* respondebat. Totisque

insuper animi & corporis neruis in id studium incumbebat, vt Theologiæ studiosos, pruritu nouitatis ad praua & inutilia abreptos, ad auctorum veterum lectionem reuocaret: quia Patres antiqui, quò propiùs à Christi & Apostolorum seculo distant, eò perturbationum animi magis sunt expertes, déque veritate, acrius & candidius quàm nos, motibus animi præpediti, sentiunt atque iudicant.

At virtutis & patriæ acerrimum fuisse propugnatorem, hoc vnum demonstrabit exemplum, siquidem Burgundiæ ducem Mœcenatem suum, tum iustissimè deseruit, quamprimum nouis rebus studere, & Galliam factionibus conturbare perspexit. Ioannes Iuuenalis Vrsinus refert, anno M. CCCC. XIII. quo fex plebeculæ Parisiensis sæuiebat in Armeniacos (sic enim perditi, bonos ciues vocitabant) Ioannem Gersonium (qui propter vitæ sanctimoniam, & crebras conciones, quas frequenter habebat Lutetiæ, magnæ erat auctoritatis apud populum) inter concionandum valde ingemuisse; dixisséque, istiusmodi scelera, quibus se multi certatim nobilitare studebant, hominis etiam in extrema barbaria educati esse indignissima; & tandem aliquando, illorum auctores, seuerissimam & iustissimam Dei manum, publico exemplo experturos. Quæ Cancellarij concio, statim atque ad seditiosorum aures peruenit, concilio habito, siccarios ad virum sanctissimum ablegant, qui in carcerem teterrimum illum compingerent: cuius incœpti nefarij certior à nonnullis factus Gersonius, vitæ suæ fugâ consulere, & (domo cum tota suppellectile, prędæ & expilationibus latronum relictâ) sese intra superiores ædis beatæ Mariæ fornices, per aliquot dies abdere, coactus est: & dehinc, Carolo VI. delirij inducias patiente, vitam exilio mandare, quàm inter Anglos & Burgundiones, Parisijs viuere maluit.

De zelo & pietate, nihil, quàm pauca dicere præstat, quippe cum germanis omnibus, vt religionem Monasticam profiterentur; sororibus verò vt cœlibem vitam ducerent persuaserit: nullaque re alia tantopere lætaretur, quàm si ab aliquo fraternè, & vt ait *charitatiuè* redargueretur: id enim lucro, & mendicitati spirituali deputare, proque assiduo docendi, concionandi, & secretas confessiones audiendi labore, præter spiritualem fructum, & orationes populi atque scholasticorum, nihil quicquam aliud stipendij aut quæstus exposcebat. Hercle quidem, *tota eius conuersatio in cœlis esse videbatur, quia instar Angeli alicuius, nec benedictione nec maledictione mouebatur, neque ex ministerio occupationis suæ inferioris, superna vnquam deseruit, aut sordes pestiferas contraxit, non enim formis corporum alliciebatur aut stimulabatur, sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate, perpetuò versabatur, & sicut prauis suspicionibus non inquietabatur, aut minis terrebatur, sic neque gloria turgescere, neque infamiâ vllâ contrahi aut deprimi solebat*: quæ hominis verè mystici & spiritualis signa esse monstrat, diuino illo in opere *de paruulis ad Christum trahendis.* Quid hic mysticam commemorem theologiam, quam qui attentè reuoluerit, certè, Gersonium viris Apostolicis, diuo præsertim Bernardo (quem vnum sibi priuatim ad imitandum delegisse videtur) conferendum existimabit: Enimuerò, quemadmodum diligens paterfamilias, obuia quæque ad certos vsus colligit & seponit; itidem Cancellarius, sic vitam instituerat suam, vt quicquid etiam inter deambulandum haberet obuium, ad meditandum, & animum meliùs erudiendum abriperet: Cuius diligentiæ exempla, passim in eius operibus, & nominatim *in Donato de*

octo

octo partibus orationis, occurrunt; quem libellum puerilem, ad mysticam scholasticorum institutionem, quam depingebat, in sensum transformauit moralem. Quâ porrò methodo singulos hebdomadæ dies, orando & meditando, ad pensum vitæ spiritualis exigeret, vna epistola ad sorores, Deus immortalis, omni genere pietatis refertissima! abundè & planè demonstrat: quiq; varia eius operâ mystica, ad amussim examinarit; recentiorum molitiones, de vita spirituali, non valde desiderabit: Imò doctissimis & sanctissimis Gersonij libris, ideò postponendas duxerit; quod præ istis, illæ omnino inanes & vacuæ sint: siquidem scholasticam Theologiam, mysticæ subseruire voluit, & nihil non grauibus sententijs, & axiomatis theologicis, vndequaque egregiè munitum protulit; idque in causa fuit, vt Laurentius Surius, & cæteri, qui Rusbroëchij defensionem susceperunt, summam eruditionem Cancellarij, contra quem faciunt, semper impensè laudare & admirari conentur.

SED hic mihi aliquos videor subaudire & obijcere, libros *de potestate Ecclesiastica*, non leuem maculam Gersonij pietati inurere: bona verba obsecro, certè qui auctoris institutum non malignè detorserit, vel oscitanter perpenderit, contrarium facilè reputabit. An rogo, pontificiæ auctoritati infestus est, qui sanctam S. A. monarchicam, & ita quidem monarchicam esse asserit, vt neque ab Ecclesia vnquam tolli, neque in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari possit? atque insuper, Pontificem maximum (tanquam doctrinæ atque vnitatis fidei symbolum) sic à Christo domino institutum probat, vt Ecclesiam, solo principatu monarchico, ab hæreticorum conuenticulis, & synagogis Sathanæ, dignosci & secerni; atque solùm Pontificem, Conciliorum generalium conuocandorum & comprobandorum, auctoritatem habere demonstret?

AT inquies, librum *de Auferibilitate Papæ* edidit: verum id quidem est, sed attende ad schisma quo bacchante lucubratum fuit, tum omnia bene concordabis. Enimuerò Parisiensis Academia, cum duos antipapas de Ecclesiæ auctoritate sic inter sese colludentes cerneret, vt neque actu neque habitu, vniendæ & concordandæ Ecclesiæ rationem retinerent; postquam ex vsitata scholæ consuetudine, multas supplicationes, & sacra de Spiritu sancto, pro Ecclesiæ pace, & schismatum extirpatione, solemniter habuit, duce Gersonio, frequentia coëgit comitia, quibus primò disputatum fuit,

OMNEM *politiam, rebus necessarijs ad sui conseruationem, fuisse à Deo instructam: & Christum Dominum Ecclesiæ sponsæ charissimæ, non minùs bene, quàm Ciuili politiæ consultum; diuumque Petrum, quamquam Ecclesiæ principem, Concilio œcumenico, & fraternæ correctioni, propterea subijci voluisse* (*Matth.* 18.) *quòd iuri diuino & naturali repugnet, aliquem propriâ in causa, testem esse aut iudicem: vnde Galatarum* 2. *Petrus à Paulo redarguitur, eo quòd ad veritatem Euangelij non ambulet; hoc est, decretum Concilij Hierosolymitani super legalium abrogatione, minimè obseruet.*

SECVNDO *conclusum fuit, auctoritatem, sanctitatem, & vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, isthoc symboli articulo obsignatam*, CREDO VNAM SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, *&c. non penes Antipapas* (*qui manibus atque pedibus Ecclesiæ vnitatem & concordiam impedire conabantur*) *sed tantùm penes eos, qui consilio, re, & operâ, pacem atq; vnionem procurarent, residere: & proinde, istis inuitis atque reclamantibus, Concilium vnius obedientiæ, vt Gersonius appellat, indici & cogi posse*

(Vt reuera habitum fuit) quò & vnitas sarciretur, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, in pristinam libertatem assereretur: quia alioquin, Christum Ecclesiæ defuisse in necessariis, & Antipapas, statum Monarchicum Ecclesiæ à Christo institutum, posse destruere oporteret, quod impossibile est.

Cæterùm, qui libellum *de auferibilitate*, cum titulo compararit, omniaque benignè examinarit, animaduertet, tractatum hunc eruditissimum, non id velle, quod hæretici cauillantur, aut inuidiosum illud lemma præ se fert: quoniam Ecclesiæ auctoritatem, *non absolutè & formaliter*; *sed casualiter tantùm, quo ad abusum, & exercitium*, auctoritati, Pontificiæ antecellere demonstrat Gersonius.

At forsan dicet aliquis, Pontificem nihilo magis ab Ecclesia, quàm patremfamilias à familia propria, suam mutuari facultatem; & proinde Papam nec coërceri nec abdicari posse ab Ecclesia, vt Petrus de Luna causabatur. Sed quis nescit patremfamilias, moribus & institutis patrijs obsequi debere, & si furiosus sit, rectè ad agnatos deduci; imò verò à propria quoque familia vinciri, & exarmari posse? Haud certè aliter, quàm caput & oculus meus (quæ non à me sed à natura & à parente meo sunt) si fortè fini & instituto naturæ aduersentur, à me aut per me vri, vinciri, ferroque secari possunt. Nam Pontifex Max. caput est ministeriale & analogicum, cui in ordine ad regimen Aristocraticum, facultas pascendi commissa est; & iccirco, nihil sua priuata, sed communi Ecclesiæ vtilitate statuere, Ecclesiámque inauditam, inconsultam, inuitam, aut repugnantem obligare potest: quoniam vt ait Apostolus, potestas *data est ei in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia*: qua de re videndus est libellus articulorum theologicorum contra Petrum de Luna.

Martinus Azpilcueta Nauarrus, tractatu de potestate laica & Ecclesiastica, refert Thomam à Vio Caietanum, omnium doctissimè & sublimissimè contra Gersonium & scholam Parisiensem scripsisse, cuius verba hîc lubet adscribere. *Non est*, ait, *consilium in præsentia definire, cui principaliùs potestas Ecclesiæ fuerit à Christo collata, An Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro, propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium: illi enim tenent Petro & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideò Papam, Concilio esse superiorem: Ij verò quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per vnum, atque adeò in aliquot saltem casibus Concilium esse suprà Papam: quarum illa, scilicet Romanorum, videtur placuisse sancto Thomæ, & Thomæ à Vio, vbi altiùs omnibus & profundiùs hoc demonstrare conatur. Altera verò, placuit Panormitano, qui pro Parisiensibus est, quem frequentiùs nostri sequuntur, vt tradit Decius Consilio 151. quàm mordicus tuetur Iacobus Almainus è Sorbona Theologus, qui respondit Thomæ à Vio, libello iusto; & Ioannes Maior capite 18. in Matthæum, qui idem facit, aiens Romæ neminem permitti tenere Parisiensium & Panormitani sententiam; nec rursus Academiam illam Parisiensem, pati vt contraria opinio asseratur in ea: quorum vtrique videtur replicasse prædictus Thomas à Vio in dicta Apologia.* Hæc Nauarrus cap. nouit de iudicijs, vbi non obscurè designat, se Parisiensium placita, velut probabiliora, amplecti: quod fuit in causa, vt iustum (breuissimum tamen) Almaini libellum, & Ioannis Maioris disputationem *de Ecclesiæ auctoritate*, cum Gersonij operibus edendum curaremus, vt lector videre posset, iustè nec ne Caietanus, Constantiense & Basileense Concilium criminetur, & decreta scholæ Parisiensis, *pura puta somnia, & imaginationes Gersonij*

vocitet,

vocitet, cum diuina, naturali, & canonicâ lege (quæ veteris Ecclesiæ praxim indicat) ita nitantur, vt nullis Caietani argutijs conuelli vnquam possint.

SED vt vnde digressa est eò redeat nostra oratio, cum Cancellarius Parisien. antipapas, mutuam sponsionem quam de eiuranda auctoritate Pontificia (pro pace & concordia Ecclesiæ) horribilibus sacramentis firmauerant, nolle implere videret; tantùm apud regem Christianissimum effecit atque profecit, vt Imperatorem, omnésque alios principes Catholicos, ad schisma communi studio opprimendum, solicitaret: cuius rei testem Froissardum, cum innumeris Gersonij actionibus, pro Concilio vnius obedientiæ, & synodi Constantiensis celebratione, laudare, & sine vlla ostentatione prædicare possumus, vnionem Ecclesiæ, post Deum Optim. Maxim. Academiæ Parisiensi, duce Cancellario, potissimùm deberi, vt hac Gersonis icone adumbratur;

Quid Sorbona potest, monstras doctissime Gerso,
Gerso sacro-sancti luxque decúsque chori.

Enimuerò, quàm egregium est ac laudabile facinus, mundum vniuersum, diuturna schismatum consuetudine infatuatum, palámque & publicè docentem, *nihil de vnico Pontifice in terris curandum esse* (*modo vnus Papa in cœlo Iesus Christus crederetur*) ad vnionem & salutarem concordiam reuocasse?

MITTO insuper labores ab Hercule Gallico exantlatos, pro formidabilis hydræ fratris Ioannis Parui expugnatione, quem ducis Burgundiæ beneficijs corruptum, voce & scriptis publicare non puduit, ô perditos hominum mores, tyrannum quemcumque, per nocturnas insidias, etiam à quocumque priuato homine, iustè & laudabiliter trucidari posse: qua scelerata & furiosa assertione, ille nequitiæ magister (cum ducis Aurelianensis necem, à duce Burgundiæ patratam, excusare moliretur) *quæque hominum retrimenta, in sacrosanctos principes armabat: regum omnium vitam, sicariorum libidini impunè prostituebat; & vnà, totum ordinem politicum (in quo bonum & totius Reipublicæ tranquillitas consistit) funditus conuellebat.* Hanc pestiferam opinionem, omnium doctorum secularium scholæ Parisiensis hortatu, Episcopus Parisinus (quamquam inuitis mendicantibus) *velut hæreticam, & politiæ omnis turbatricem damnauit*: & dehinc Gersonius (qui pro rege Christianissimo, Academia Parisiensi, & Senonensi prouincia, in Concilio Constantiensi legationem obiuit) vt ab vniuersali Synodo XV. sessione condemnaretur, non sine vitæ discrimine effecit; qua de re, legendus est dialogus apologeticus, quem pro actis Constantiensis Concilij composuit.

SCIO quidem non deesse aliquos, qui huius constitutionis fidem ideò eneruare moliantur; quia decretum illud (inquiunt) *Romano Pontifici Martino V. probatum non inueniant, non Eugenio aut successoribus, quorum consensu, Conciliorum Ecclesiasticorum sanctitas stat, præsertim quod non sine Ecclesiæ motu triplici Pontificum, de summo Pontificatu contendentium, Concilium Constantiense celebratum fuerit, & cæt.* Quibus verbis designare volunt, decretum memorabile *de Tyrannis minimè tollendis*, solummodo sancitum fuisse à prælatis, qui Ioanni XXIII. fauebant, & Pisano interfuerant Concilio; & propterea vim œcumenici decreti non posse obtinere, cum Benedictus XIII. & Gregorius XII. manibus atque pedibus Constantiensi semper obstiterint Concilio.

SED homines docti non vident, auctoritatem & vnitatem Ecclesiæ, nihilo magis apud duos Antipapas, quàm hodie apud Lutheranos aut Caluinistas,

habitare potuisse; quia illi Antipapæ, præter regulos Apuliæ, Arragoniæ, Scotiæ, & Comitem Armeniaci, nullos erroris sui fautores habuerunt, & à proprijs etiam Cardinalibus, tanquam perfidi & infames, tandem derelicti sunt, vt historiæ omnes, & Platina ipse testatur in Gregorio XII. Vnde si quinquepartito vniuersalem Ecclesiam distribuerimus, vix quintam partem duobus illis Antipapis hærere, & reliquas quatuor partes Ecclesiæ Catholicæ, Pisanum & Constantiense Concilium, omni ope atque studio auctorasse comperiemus: quod ad vniuersalis synodi constitutionem plus satis esse, diuina, naturalis, & canonica lex comprobat.

PRÆTEREA, quo paralogismo primas sessiones Synodi Constantiensis labefactare, eodem quoque, & hæresim Ioannis Vvicleff, 8. sessione damnatam, rediuiuam ab inferis excitare, & Martini V. electionem confutare conantur: quia, vt de priore priùs dicamus, nebulo ille, multos errores ab Lutheri, Caluini, & Ioannis Hus erroribus differentes, fouebat, qui alibi damnati non leguntur. Deinde, nihil Ecclesia ampliùs iuris habuit, quo Martinum V. eligeret, quàm vt sessiones, & de Tyrannis non tollendis; & de Ecclesiæ auctoritate suprà Pontificem maximum erigenda, sanciret: maximè autem, quod lex diuina & naturalis ostendant, Monarchiam Ecclesiæ, Concilio œcumenico, velut quodam temperamento & regimine Aristocratico, moderari: quod in causa fuit, vt D. Iacobus, de omnibus Apostolis, non de solo Petro, ita loqueretur, Actuum 15. *Visum est Spiritui-sancto & nobis:* ex quo fit, vt Martinus V. nisi inito, subducto, & ponderato suffragiorum numero, *synodicè & conciliariter concludere non potuerit:* quoniam solus Papa, nihilo magis decretum synodale; quàm solus dux Venetiarum, Senatusconsultum, euertere, aut constituere potest.

ADDAMVS insuper, ante argutissimam Caietani scriptionem, nullum extitisse, ne Eugenium quidem IIII. Pium aut Iulium II. qui Constantiensis & Basileensis Concilij auctoritati derogare auderet; vt ex Bulla Iulij, super synodi Lateranensis conuocatione edita, apertè colligi potest.

VERVM, vt ad incredibiles Cancellarij labores redeamus, condemnatio propositionum fratris Ioannis Parui, tantùm Gersonio, à duce Burgundiæ odium, & periculum creauit, vt Synodo Constantiensi exacta, instar alterius Athanasij aut Chrysostomi, in spontaneum exilium secedere, & vitam potiùs mendicitate sustentare, quàm veritati deesse, aut Lutetiam Parisiorum, cruentis Anglorum & Burgundionum molitionibus discerptam, redire elegerit: cuius suæ peregrinationis picturam, quam prosâ & versibus adumbrare voluit, hîc tibi exhibendam curauimus.



ICON PEREGRINI.



IOANNES CANCELLARIVS

PARISIENS. GERMANO SVO CHARISSIMO, ORDINIS CÆLESTINORVM MONACHO.



NCLINAVIT *cor meum vel curiositas, vel vanitas, vel vt piè confido, charitas illius, cui dixit, Cor meum Deus, cordis mei & pars mea Deus in æternũ, vt mihi describerem arma scutum, & cordis & fidei, qualẽ militiam mihi necessariam & accommodam figuraret pro præsenti vita, quæ teste Iob, est militia hominis super terram. Meditatus sum cum corde meo plurima, tandem ascendit mens in hunc affectum cordis, vt sibi ipsi cor alatum & ignitum, signatum signo Thau aureo, poneret in ætheris saphyrini medio, radiantibus illic, aureo colore, Sole, Luna, & Stellis; quatenus ego peregrinus & aduena (sic enim Gerson interpretatum significat) aßidua meditatione recordarer verbi cælestis peregrini Pauli, nostra conuersatio in cælis est. Nec me prorsus fefellit hæc meditatio cordis, dum illud tu domine dilatasti, dum libero sibi volatu per amplißimos sacræ scripturæ cælestes campos, spatiari donatum est, vbi totiens de corde fit sermo viuus & efficax, quæ ad sensus nunc allegoricos, nunc morales, nunc anagogicos fructuosißima iocunditate trahi potest; vt iugiter insonet illud Ecclesiæ,* SVRSVM CORDA. *Hoc tibi Germane significare volui, qui consors es peregrinationis meæ; tibi mecum & mihi tecum debet esse cor vnum, & anima vna, quatenus ædificationis huius non ingratæ particeps esse velis; quia scies, & poteris, cooperante illo, qui cor regis & hominum inclinat, quocumque voluerit, quia finxit sigillatim corda eorum: In quo bene vale feliciter, & euola, Scriptum Constantiæ, 1. Ianuarij* M. CCCC. XVI.

Dic precor iste quis est, qui carmina condidit ista?
Gratia nomen ei, cognomen & aduena fecit.
Esse peregrinus signis erat cognitus aptis,
Caßidulum dextro fartum dependet ab armo,
Ad latus oppositum: celsum caput orbicularis
Pileus obnubit, soles quo pellat & imbres
A vultu infestos: baculus teres regit artus,
Ferrea cui cuspis: munitur sura cothurno:
Scutum læua gerit, saphyro, cælóue sereno
Concolor; hîc auro septem radiare planetas
Inspiceres; medio cor pennatum velut ignis
Emicat, & Thau rutilo sibi signat in auro.
Ægide theosophus hac, hostica tela retundit:
Nec caret angelico duce, sed caro visibus obstat:
Sedulus hunc catulus, vt Thobiam, comitatur:
Gerson origo fuit, dat Cancellarius almo
Lustris quinque gradus studio tibi Parisiorum.

VERVM, quod hoc carmine, se ex gratia nomen, & ex peregrinatione agnomen traxisse indicat, ad hæbreas voces referendum videtur, quia יוחנן Ioannes, gratiosum vel gratum; & גרשון Gerson, aduenam aut peregrinum Hæbreis significat

significat: hos autem versus, in procemio Iosephinæ suæ, ad verbum inseruit, & cum præcedenti epistola editi sunt, anno M. ID. XXCIX. quoquidem, opera Gersonij, Argentorati arbitror, prelo secundùm commissa fuerunt.

PRIMO autem exilij sui vestibulo, ad montana Bauariæ, in oppido Rhatembergensi diuertit, vbi ad imitationem Boëtij, quatuor libros *de Consolatione Theologiæ, cum dialogo Apologetico*, actorum à se in synodo Constantiensi, egens, angustiatus, & afflictus composuit; anno M. CCCC. XVIII. Nec multò post (nam pater misericordiarum diuinam illius virtutem diutiùs latere noluit) in ducis Austriæ notitiam venit, qui omnia necessaria humaniter Cancellario suppeditauit. Sed post aliquod temporis interuallum, Lugdunum (quod domino Delphino contra Burgundionum factiones fauebat) sese (vt Fratris Ioannis Monachi ordinis Cælestinorum consuetudine vteretur) contulit; vbi omne suum tempus, orando, meditando, concionando, componendo, & præsertim paruulos in fidei Christianæ rudimentis quotidie informando, impendit: quorum salutem atque eruditionem, qua arte moderaretur, libellus ille *de paruulis ad Christum trahendis*, nunquam satis laudatus, apprimè indicat, cuius Epilogum hic adscribere lubet.

VSQVEQVO *paruuli diligitis infantiam, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Venite fidenter, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba: communicabimus mutuò bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro, Ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis; imò orabimus pro inuicem vt saluemur: sic angelos nostros vicissim lætificabimus, in quorum solemnitate hæc scribo: sic fortè, nec iam fortè, sed certa spe, misericordiam inueniemus apud Patrem nostrum, dum obediemus voci suæ, in accessu nostro ad eum, ego prouocando, vos exequendo: nec deerunt piæ gratiæ, & deuotionis amplexus in præsenti miseria consolatorij; postmodum gloriæ consummatæ perpetua vnitas subsequetur: Ad quam nos omnes, qui spiritu paruuli esse debemus, inuitat ipse Iesus, spirituali collocutione & afflatu iugiter inspirans, & dicens, sinite paruulos venire ad me.*

HÆC pia & religiosa consuetudo, quam cum paruulis toto vitæ suæ decursu habuit Cancellarius, effecit, vt cum sibi mortem imminere præsentisceret, omnes paruulos, quos de more in ædem diui Pauli Lugdunensis quotidie ad catechizandum cogere solebat, Deum Optimum Max. pro se in hæc verba orare, & coram sacro-sancto altaris sacramento, sæpius iterare & exclamare induxerit, *Mon Dieu mon Createur, ayez pitié de vostre pauure seruiteur Iean Gerson!* quod Latinè redditur, *Deus meus, Creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Ioannis Gersonij!* Hoc ipso quoque tempore, sibi anniuersarium fundari & institui procurauit, in æde diui Pauli Lugdunensis.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti primitus inuocato: notum sit omnibus quorum interesse poterit, quod anno Domini M. ID. XXVIII. *die* XXI. *Octobris, Nos P. Camerarius. & capitulum Ecclesiæ sancti & gloriosissimi Pauli Lugdunens. concessimus & concedimus per præsentes, ex certis & legitimis causis, venerabili Magistro & domino Ioanni de Gerson, sacræ Theologiæ Professori, & Cancellario Parisiens. & sacerdoti Rhemensis diœcesis, Anniuersarium panis & vini perpetuum, more solito, per nos annuatim in dicta Ecclesia faciendum & celebrandum, die* XIV. *Decembris, in crastina sanctæ Luciæ: qua die, festum est celebre sancti Nicasij Rhemens. Episcopi: & in tali natus est mundo, & renatus Christo prædictus Ioannes, vt dicit,*

anno M. CCC. LXIII. *Concessimus præterea eidem Ioanni liberaliter locum sepulturæ (in nostris locis ad hoc deputatis, nec iam occupatis) eligendi pro se facultatem: in cuius rei testimonium, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum, anno & die quibus suprà,* BENEDICTVS DEVS, *fiat fiat.*

IN HOC etiam tempus, Gersonij testamentum (perpetuum pietatis Cancellarij monimentum) incidit.

TESTAMENTVM QVOTIDIANVM PEREGRINI.

DISPONE *domui tuæ, quia morieris tu, & non viues, Esai. 38. Sicut homo peregrè profecturus in longinquam regionem, solet condere testamentum, & copiam secum ferre, sic agere nos conuenit, qui non habemus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus: sit igitur sub orationis typo quotidianum peregrini testamentum.*

PATER, *Ecce positus sum hîc & nunc, velut in articulo mortis, quoniam media vita in morte sumus: Compareo coram curia misericordiæ tuæ, cui me submitto iugiter, & adeo cum fiducia thronum gratiæ, vt misericordiam consequar, & gratiam inueniam in auxilio opportuno, dum tempus est miserendi, & hora comparendi.*

DA *continuè mentem sanam, da pœnitentiam veram, da saltem in affectu communionem sacram, da similiter vnctionem sanctam, da remissionem plenam: da sanctorum, contra potestates contrarias, consolationem; da in exitu vitam æternam.*

ET *quoniam nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc, temporalia temporalibus relinquo, prout specificauero: & reuertatur puluis in terram suam vnde erat, precor ad Ecclesiasticam sepulturam: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* DOMINE IESV SVSCIPE SPIRITVM MEVM.

Isthuc quoque sequens referri debet epistola super librorum suorum testamento, quam ad Cælestinos Auinionenses misit.

VENERABILIB. PATRIB. ET FRATRIBVS CÆLESTINIS, IOANNES DE GERSON SACERDOS, SACRÆ Theologiæ professor, gratia & pax.

THESAVRIZATE *vobis thesauros in cælo, dicit cælestis noster Doctor Christus: est autem sapientia thesaurus infinitus hominibus, quo qui vsi sunt, participes effecti sunt amicitiæ illius: repræsentant hanc sapientiam, & docent instrumentaliter libri sacri.*

PROPTEREA, *disposui in senectute mea thesaurizare, iuxta paupertaculam meam de libris salutaribus. Visum est autem mihi commodiùs in Cælestinis, velut in quibusdam cælis, aut cælestibus habitaculis, thesaurum hunc reponere: maximè, quia duos in illa religione germanos habui professos.*

SVSCIPIAT *igitur propositum meum cum bona gratia, deuotio vestra (patres & fratres charissimi, re vocéque cælestes): Sit thesaurus iste perexiguus (dum venerit ad manus vestras) custodiendus in sacro conuentu vestro apud Auinionem, non quidem alienandus, sed nec prorsus abscondendus, imò communicandus hinc & inde, prout superioris industria iudicabit: Ita tamen quod semper tandem recolligatur sub propria claue, vel armariolo, ad hoc ipsum specialiter instituto.*

DENIQVE, *nomina librorum & tractatuum, tam ab aliis quàm à me compositorum*

rum

rum dispoſui colligere in ſpeciali ſchedula, domino concedente, ad quem effundite preces pro mea finali ſalute, in gratia & gloria ſempiterna.

SCRIPTVM *Lugduni, anno gratiæ*, M. ID. XXVIII. *in Nouembri, anno ætatis dierum vitæ peregrinationis meæ (qui parui ſunt & mali*, LXV. *& incipiet* LXVI. *annus, die* XIV. *Decembris, in feſto ſancti Nicaſij Rhemenſ. qua natus ſum, & renatus in Domino Ieſu Chriſto, in quo det idem ipſe nos omnes bene mori. Amen.*

HÆC epiſtola, duo nos ſigillatim docet: primum, antè typographiam inuentam, bibliothecas fidei & integritati veterum monachorum commendatas fuiſſe, qui ſumma Dei prouidẽtia, libros omnes antiquos, integros, intemeratos & minimè caſtratos ad hæc tempora tranſmiſerunt: qua de re, legendus eſt erudiriſſimus liber *de laude ſcriptorum*, quem, velut ſeruum atrienſem, cæteris operibus Gerſonii, veteres meritò præmittendum cenſuerunt. Secundum eſt, D Gerſonem, diem ſui exitus certò præſenſiſſe, vt ſequentia apertiùs adhuc declarant: Nam paulò antequam è viuis excederet Carthuſianis, quibuſcum maximam ſemper habuit neceſſitudinem, ſcripſit, vt quæ illi ſuffragia poſt obitum ſuum pollicebantur, ſe adhuc in viuis agente, ſic anticiparent, quatenus (vt in gratia Dei moreretur) à Deo impetrare valeret.

FACITE *vobis amicos, docet hoc amator hominum Ieſus, ſubdens cauſam finalem, vt inquit recipiant vos in æterna tabernacula: Cauſam verò materialem tangit, eſſe mammona iniquitatis, non quin illa cauſa ſit potior, quæ de materia venit æquitatis, qualis eſt charitas gratuita, qualem vos, honorandi Patres & Domini, concedere placuit pridem mihi villico inutili, qui fodere non valeo, ſed certè mendicare non erubeſco, cum illo qui dicit, Ego autem mendicus ſum & pauper. Eſt itaque mihi pro copia, pro diuitijs, & opibus, ſpiritualis mendicitas, prout dudum ſororibus ſcribens latè ſatis expoſui. Et quoniam poſuit in mendicitatis meæ ſacculo, imò ſacco permaximo, & inani, largitionem liberalem, & grandem (de participatione bonorum ſpiritualium precioſi perdiuitiſque ordinis veſtri) beneuolentiſſima charitas veſtra; venit in cor meum fiducia petendi qualemcumque accelerationem, me viuente, ſuffragiorum illorum, quæ poſt obitum ſunt oblata.*

MOVET *me conſideratio præcipua, quatenus impetrent ſpirituales amici, viuere & mori me in gratia Dei, non quin oretur Deus, vt tranſeat à me calix purgatoriæ pœnalitatis (ſi poſſibile eſt ſecundum ordinem diuinæ voluntatis) ſed quod planè mihi gratia Dei adſit, & comitetur vitam, & obitum meum, qua deficiente, nulla eſſet vlteriùs redemptio.*

MOVET *altera conſideratio, quia videtur facilior pro patribus & dominis, paulatiua quaſi per tempus & tempora diſtributio ſuffragiorum, quàm ſtatim poſt obitum continuata ſolutio. Denique iuſtorum aſſidua deprecatio, proderit ſpero mihi ad meritum proprium cumulandum in via, qualiter eſſe non poterit extra viam, quæ meriti nullius ſtatum habet.*

ROGO *igitur patres in Chriſto, & fratres chariſſimi, vt charitas veſtra in me magis ac magis abundet, vt in æterna tabernacula vobiſcum recipiar. fiat fiat. Scriptum Lugd. veſter alumnus in Chriſto, Ioannes de Gerſon Theologiæ profeſſor indignus, & Pariſienſ. Cancellarius.*

CÆTERVM die XII. Iulij, anno M. ID. XXIX. ætatis LXVI. tribus diebus, poſtquam manum extremam commentarijs in Cantica Canticorum impoſuit (quod ipſum etiam Bernardo, Thomæ Aquinati, & multis alijs viris ſanctiſſimis antè contigerat) viam vniuerſæ carnis, inter orandum, ingreſſus eſt,

ídque, cum aliquot ante mensibus innumera Cantica & carmina spiritualia, instar diuini alicuius vatis, sanctissimè cecinisset.

SEPVLTVS fuit in æde diui Pauli Lugdunensis, hócque diuinum Christi proloquium, *pœnitemini & credite Euangelio*, quod inter concionandum frequenter in ore habebat (summam enim omnium quæ sunt ad salutem necessaria complectitur) eius tumulo, cum sequenti epigrammate inscriptum est.

EPITAPHIVM IN CIRCVMFERENTIA SEPVLCHRI, ET IN TABVLA MVRO APPENSA, IVXTA arma Gersonij, exsculptum.

Magnum parua tenet virtutibus vrna Ioannem,
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum,
Parisijs sacræ professor Theologiæ:
Claruit Ecclesiæ, qui Cancellarius; anno
Milleno Domini, centum quater atque vigeno
Nono; luce petit superos Iulij duodena.

AB eo autem die quo mortem obijt, pro diuo semper & cultus & habitus est ab omnibus, vtì epistolæ sequentes declarant.

VENERABILI PATRI, FRATRI IOANNI DE GERSON, PRIORI CÆLESTINORVM LVGDVNENSIVM, in omnibus singularissimo.

VENERABILIS *pater, recommendatione præmissa, in eo qui abstergit omnem lacrymam ab oculis suorum: margaritam hìc nuper in Ecclesia eminentiùs rutilantem, in vigilia Margaretæ virginis, eius gloriosæ hospitis, describitis migrasse: Margareta esse concupierat, dum adhuc tenera & iuuenili carne tegeretur: & margaretam inueniens, vendidit omnia quæ in carnis desiderijs habuit, vel habere potuit, vt emeret agrum illum, cuius iam piè credimus eum beatum esse possessorem. Altera, si non fallor, repromißio Patriarchæ nostro Abrahæ facta à Deo (venerabilis Pater) vobis concessa est; ille namque Deo patri carnem suam in vnico filio immolans, Angelum, ne iugulare filium admitteret, inuenit; Vos verò, Deo similiter patri omnipotenti carnem propriam in vnico germano* * *(committo te, inquit, omnipotenti Deo charißime frater) ne iugulum Sathanæ inueniret, angelum, vt piè credo, Dei inuenit. Et cum altera Margareta virgine, eius patrona & hospita, lucidas sedes accepit: Conueniebat namque mens eius deuota, Margaretæ virginis votis: illa draconem vicit, & crepuit victus; iste similiter vicit tortuosum serpentem, & ab eo superatus remansit confusus: illa crudelitatem Olibrij superauit; iste Olibrias vestes, vt legalem sequar sapientiam, omnino despexit: nouerat enim plenè noster pius pater, quod qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, dixisséque libeat, post tantos seculi huius honores, vbi primus pater almæ Vniuersitatis Parisiensis, re & nomine ac merito existebat (quæ inter cæteras vniuersitates sicut sydus radiat matutinum) vbi tantis rerum copijs, & beneficiorum valoribus abundabat, pro veritate longum passus exilium, etiam interdum in lingua quam non nouerat: apostolica fretus doctrina, sciuit simul abundare & indigere, vicisséque vitia, & seruasse virtutes, confutasse hæreses, & exaltasse veritates, in Christique gloriosa confeßione; & sua peregrinatione*

* aliqua hìc desunt.

regrinatione deuotè obijsse; martyrio non carere videtur: multos namque sanctos legimus, & in catalogo martyrum describimus, qui soli passi sunt exilia. Quod si lucidas sedes accipiens, concius cælestis effectus est (quia gaudium est Angelis de loco præuaricationum animas ex carne assumi suæ ciuitatis consortes) vos pater venerande, qui re & nomine Cælestinus estis, & cuius conuersatio in cælis est, non dicam gaudij panem, quod corroborat & confirmat cor hominis, cum fletu miscere, sed fletus in gaudia & risus omnino commutare debetis. Nec illud vos moueat, semper colende pater, quod nodosas dissoluebat quæstiones, & in hoc vobiscum conueniam, quod post se non reliquit similem sibi, sed in agro semper proficiens dominico, incessabili calamo scribens, posteris ambiguitates plurimas submouit, & scripta sua reuoluentium mentes eleuauit, & per acumen sui eminentis ingenij, tenebras fugauit: suus vtique eram, & quo ad viuam vobis placebo, ipso auctore, qui omnium est salus, in quo bene diu vos valere peropto. scriptum Ternandi, die XVII. *Iulij.*

A. ARCHIEPISCOPVS LVGDVNENSIS.

CHRISTOPHORVS, DEI GRATIA BASILEENSIS EPISCOPVS, VENERABILIBVS ET CIRCVMSPECTIS dominis, Decano, totíque Capitulo insignis Ecclesiæ Lugdunensis, amicis nobis plurimùm dilectis.

AMICABILI *salutatione præmissa, Venerandi viri, Amicíque charißimi, quoniam à multis annis, doctrinæ & scriptis Magistri Ioannis Gerson, singulariter affecti fuimus; in eisdémque legendis, vsque hodie plurimùm delectamur (quod nobis solidus, Ecclesiæ vtilis, & omni statui consolatorius visus est) desideramus vehementer certiores reddi, de quodam rumore, qui apud nos pridem, haud ex futili auctore, personuit; eundem Ioannem Gerson, apud vos, in Ecclesia diui Pauli Lugdunensis sepultum, multis & magnis clarescere miraculis, populíque concursu cum celebritate frequentari: Rogamus in Domino, vt quicquid de hac re vestris humanitatibus certò constat, id ad nos fideliter rescribatis, vt cum ad famam ipsam, vestræ quoque fidei & auctoritatis testimonium accesserit, non solùm nos ipsi, ingenti gaudio repleri, sed & cæteris multis huius sapientißimi & integerrimi patris amatoribus, solatium & voluptatem afferre poßimus, qui & vnà nobiscum Dominum Deum glorificaturi sunt, quod vitam & doctrinam tanti támque digni viri, signis & miraculis illustrare tandem dignatus est. Facietis nobis rem gratißimam, nostris obsequijs, oblata opportunitate, compensandam. Relatum est etiam ad nos, quemdam doctorem ordinis Carmelitarum, Confessorem Regis Franciæ, carmina in laudem Ioannis Gerson edidisse, & ea ad eius sepulchrum appensa esse, eundémque Carmelitam, antea huius Ioannis Gerson contemptorem, quadam quasi miraculosa muli (cui insedit) rebellione, in crure & lateribus attritum, diuinam sensisse vindictam. Item quod depingatur imago Ioannis Gerson, instar Alberti Magni, cum radijs solaribus in capite, sine tamen diademate, in cappa doctorali, & corde in manu sinistra, quódque dexteram leuet dicens,* SVRSVM CORDA. *De his certificemur, & metra nobis rescribantur, atque ipsa imago depingatur. Valete in Domino, ex ciuitate nostra Basileensi, Anno* M. D. IIII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO CHRISTOPHORO, DEI GRATIA BASILEENSI Episcopo, vestræ paternitatis seruitores, quanti sunt Canonici & Capitulum Ecclesiæ Lugdunensis, reuerentiam & debitam, & deuotam, cum salute plurima dicunt & optant.

REVERENDISSIMÆ *Dominationis vestræ epistolam, magna deuotione, & tersa facundia refertam accepimus: vidimus & legimus quod Diui Ioannis Gerson doctrinam, solidam, omni statui consentaneam, affectu maximo complectimini, in eáque hactenus legenda, sancta voluptate tenemini, dignißimi & optimi Antistitis (& qui de literaria doctoris sancti sapientia bene sentiat) officium habetis: Est profectò eius doctrina, sana, clara, salubris, & deuota, & inter cæteras, ad pellendos animi morbos aptißima, vsque adeò, vt iam Christianißimus doctor Diuus Gerson paßim nominetur. Erectum est in Ecclesia sancti Pauli Lugdunensis, in Diui Ioannis Gerson decus & laudem, deuotum sacellum, vbi super altare eius, imago depicta est, magnúsque populi concursus, pro obtinenda ope diuina affluit, & plurimi se adiuuari beati Ioannis Gerson precibus prædicant & fatentur. Ista est quæ apud nos vulgatur de Diuo Gerson clara & celebris fama. Scribit insuper Reuerendißima dominatio vestra, quod frater Laurentius Theologus doctor Parisiensis, ordinis Carmelitarum, aliqua carmina in beati Ioannis Gerson laudem scripsit, quæ altari suo iuncta sunt: hoc habete, dignißime Pontifex, quod præfatus frater, nunc Episcopus Sistariensis, Regis Confessor, per sex quadragesimas, & annos plurimos, coram regibus, & clero, & populo, Lugduni prædicauit; noménque & virtutum præstantiam dotes, & doctrinam olim Ioannis Gerson semper commendauit; & Regem Carolum, vt Capellam ædificaret, suo suasu impulit, nec doctrinæ nec vita illius contemptor fuit vnquam: quinimò, omni ingenio, studio, industria, & labore, apud Christianißimum Regem dat operam, vt habita sufficienti formatione de vita, moribus, patientia, & doctrina, inter diuos canonizatus ascribatur. Is ad vestram Reuerendißimam dominationem, literas cum suis carminibus, humilis & deuotus, & vestræ Reuerendißimæ dominationi deditißimus, destinabit: nec ceruice, nec latere attritus est, sed è mulo lapsus, illæsus permansit, inuocato prius diui Ioannis Gerson auxilio: imaginem eius, & cætera, quæ vestræ Reuerendißimæ dominationi deuotionem augeant, mittimus, facturi ea omnia, quæ vestra Reuerendißima dominatio iusserit, auspice Iesu Christo, qui ad vtilitatem Ecclesiæ, vestram Reuerendißimam dominationem conseruet, tueatur, augeat, & protegat. Amen. Ex Lugduno* XXII. *Februarij, Anno Christi*, M. D. IIII.

QVANTVM ad Gersonij opera attinet, magnam profectò gratiam habere debemus Germaniæ, quæ typographia nascente, in perquirendis, recognoscendis, colligendis, & quinquies aut sexies edendis operibus Cancellarij, suam prima impendit operam: effecítque, vt conciones, quas vir sanctissimus Gallicè habuerat, Latinè verterentur. Verùm, qui in primam partem operum, illa quæ ad fidem spectant; in secundam, quæ ad mores; in tertiam, quæ ad Theologiam mysticam; in quartam demum, conciones se coniecisse arbitrantur, non parùm, si quid in me est iudicij falluntur: qui enim istanc diuisionem, cum tribus tomis operum Gersonij (vt hodie compacta sunt) contulerit, hæc instar foliorum Sybillæ, confusa & dissipata esse, atque isti tripartitæ distributioni nullomodo quadrare comperiet. Mihi autem, si posthac vnquam prelis committantur,

tantur, in ſex partes commodiùs ita poſſe diuidi videntur, in Miſcellanea, Hierarchica, Moralia, Myſtica; Dogmatica in ſacram ſcripturam; & Concionalia ad populum.

MISCELLANEA opera, epiſtolas, poëmatia, & quædam alia opuſcula complectentur, quæ ad nullum reliquorum quinque membrorum, appoſitè reuocari queunt.

HIERARCHICA, omnia continebunt, quæ pro extinguendis ſchiſmatibus, hierarchia Eccleſiæ ſarcienda & vindicanda, bonus ſcripſit Gerſonius; qua in collectione, ſeruandus erit ordo temporum: enimuerò illa ſic hodie conturbata atque diſſipata ſunt, vt id ſæpe præponatur quod ſequi debet: iſtis autem, opuſcula Petri de Alliaco Cardinalis & Gerſonij magiſtri; Iacobi Almaini, Ioannis Maioris doctorum Pariſienſium, adglutinanda erunt; & hierarchica cum miſcellaneis, primum, iuſtúmque volumen operum Gerſonij component.


MORALIA, omnes comprehendent tractactus de officio & ſtatu hominum, & cætera quæ ad mores meliùs, & ſanctiùs informandos pertinent: quamquam verò plurima eiuſmodi, in ſecundam partem operum Cancellarij, hodie congeſta ſint; attamen, plura per alis partes huc & illuc, quaſi in rutuba obruuntur.

MYSTICA autem, morales ſequentur quæſtiones, vt finis media (vt vocant) ſubſequi ſolet: vnde hæc illis adſuta, ſecundum efficient volumen.

DOGMATICA, harmoniam in quatuor Euangelia, cum alijs tractatibus in ſacram ſcripturam, capient.

CONCIONALIA demum, omnes conciones ad populum complectentur, quæ iuxta tempus & feſta Eccleſiæ, in certum ordinem & methodum ſic erunt digerenda, vt legentibus ſtatim ad manum occurrant.

PRÆTER iſthæc, quædam hodie ſeruantur in bibliotheca ſancti Victoris, quæ per otium exſcribere, & recognóſcere non licuit, vt hac editione prelis committerentur.



IOANNIS DE GERSON,

CANCELLARII PARISIENSIS COMPENDIOSA LAVS, A PETRO SCHOTTO ARGENTORACENSI, hortatu Ioannis Geileri Keiſerſpergij, illic concionatoris elucubrata, anno M. ID. XXCIX.



IOANNEM de Gerſon, Pariſienſis quondam ſtudij Cancellarium, ſi quis *Doctorem Chriſtianiſsimum* vocet, is certè videbitur eius merito ac dignitati, non impertinens nomen, indecentémve titulum attribuiſſe. Si enim author Chriſtiani nominis Chriſtus, finem & conſummationem legis ſuæ, dilectionem conſtituit; ſi lene, & ſacramentis paucis aſtrictum iugum, poſteris ſuis impoſuit, ſi Phariſaicum illud paternarum traditionum onus, à ſuorum humeris excuſſit; quis obſecro inter doctores legis huius, Chriſtiani agnominationem iuſtiùs ſortietur Ioanne de Gerſon? qui operoſa & pia induſtria, per omnem ætatem in literis ſacris verſatus, omne ſtudium in id contulit, ei ſoli operam impendit, vt Chriſtianis (qui ſuccedentibus ſubinde, multiplicatíſque præceptis hominum, ac innumera viuendi varietate propoſita, inextricabili ferme conſcientiæ labyrintho circumerrare viderentur) egredièdi ex hoc, callem, nutumq; faceret, & planam, ſecuram, ac regiam dilectionis Chriſtianæ viam luculentiſſimè demonſtraret? Planè ſi quis fortè dubitantior de hoc fuerit, huic nulla probatio certiùs perſuadebit, vt quæ præmiſſa ſunt credat, quàm ſi ſæpe & attentè legat, quæ plurima poſt ſe reliquit Cancellarius ingenij ac doctrinæ ſuæ monimenta: inueniet etenim non hærentem in curioſis ambagibus, non vanâ ſubtilium oſtentatione ſolicitum, neque affectatione exquiſitæ nouitatis turgentem, ſed his inſiſtentem tantummodo, quæ cognitu neceſſaria, & opere ſalubria in priſcis doctoribus deprehendebat. Quæ profectò ad vſum noſtrorum temporum, & ad mores, in quibus Chriſtiana verſatur reſpublica, tam ſcitè applicuit & accommodauit, vt nihil clarius, nihil certius homines noſtri legere poſſint, per quod ab hac miſera perplexitate, tum in multis alijs, tum præſertim in varietate legum humanarum (quæ nunc obligantes, nunc abolitæ aſſeruntur, nonnunquam vertuntur in dubium) ſeſe tutò queant euoluere. Vnde factum eſt, vt qui ſoli vtilitati proximi ſcribendo ſtuderet, nulla affectione priuata alicuius è doctoribus, qui eum præceſſerant, ſingulariter duceretur. Quamuis enim ex his qui celebres erant, neminem ignorauerit, eorum tamen quos non reſpuit Eccleſia, nec aliquem vſquequaque refutauit, nec cuiquam ſeſe vbilibet obnoxium conſtituit imitatorem; ſed velut apis argumentoſa, ſingulorum depaſtus dulcorem, ex eo potiſſimè ſapiebat, qui naturalem aut diuinam legem ſynceriùs redoleret, & fauum perſpicuum, ornatiſſimum, ſuauiſſimúmque inde contexebat. Longè profectò alienus ab eorum ſenſu, qui doctorem fauore probant, & quibus non tam perſpecta veritas, quàm eiuſdem profeſſionis coniunctio, ſectandi alicuius neceſſitatem imponit; hæc quidem in ſcholaſtica Theologia: in myſtica verò, quæ ita eſt Chriſtianorum, vt (auctore Dionyſio) ſolis ſit Chriſtianis conceſſa, quantus fuerit Ioannes de Gerſon, quàm clarus, quàm copioſus, quàm iuſtè Chri-

ſtiani

stiani agnomen promeruerit, ex scriptis suis aduerti manifestissimè potest: Studiosè siquidem curauit, quemadmodum de seipso pluribus in locis testatur, Theologiam mysticam cum scholastica concordare. vel quod ostenderet scholasticis doctrinis illam non esse aduersam. vel quod omnes qui crudis solummodo speculationibus Deum inuestigant, ad experimentalem eius gustum inuitaret, ad quem scilicet, tanquam ad margaritam pretiosam, & futuræ beatitudinis prælibationem, omnes Christianæ perfectionis auidos anhelare docebat; eò certè efficaciùs, quo & ipse non modo doctus verbo, sed & vsu peritus in ea re fuerat. Nisi enim gustasset quàm suauis est Dominus, nunquam tale aliquid, (quod meliùs percipi quàm dici potest) tam dilucidè, tam signatè, támque copiosè, declarare potuisset. Nec mirum sanè. Nam vt de vita quoque sua nonnihil afferatur, ab ineunte ætate per parentes ad Dei amorem allectus extitit, quos ipsos, pietate in Deum non mediocri arsisse indicio sunt liberi ferè omnes Deo dicati. Mox traditus bonis artibus, in Parisiensi Gymnasio, ita se exercuit, vt proficiente cum tempore peritia & integritate, omnium illic Theologiam profitentium, tempore suo longè eminentissimus haberetur & esset. Singularis profectò gloria, vicisse Parisienses in eo, in quo ipsi cæteris studijs omnibus semper præstitissent. Verùm multò laus amplior, & immensum ferè præconium eius, ab his consurgit, quorum adhuc ne meminimus quidem: quæ quia illustriorem dicendi ornatum deposcunt, alijs, & alij loco duximus reseruanda. Quis enim breuibus complecti posset accuratissimam prudentiam, laborem fortissimum, modestissima consilia, feruentissimum zelum, quem indefessus adhibuit, pro sedando & vniendo illo turbulentissimo schismate, quo ætas illa quatiebatur? Quis legationes suas, mira grauitate & peritia obitas, satis dignè commemorare posset, quas pro Francorum Rege, Ecclesia Gallicana, & Vniuersitate Parisiensi, tum plerúmque aliàs, tum præcipuè apud celeberrimum illud Christiani populi generale Concilium Constantiense, grauiter administrauit? Illic etenim diligentia incredibili, sanissima doctrina, & vehementissima vi dicendi, quibus patres mouit, confirmauit, & quid facto opus esset, apertissimè monstrauit: tantùm effecit pro communi pacis (quæ à tota Christiana republica exulabat) reconciliatione, vt non minùs necessarius fuisse videatur, illi suæ calamitosæ tempestati, quàm olim gloriosissimus doctor Augustinus ætati suæ, Pelagianorum hæresi contaminatæ. Extant & tractatus, & orationes eius in eam rem plurimæ, quo minùs necesse sit adducere multa ad hæc comprobanda: Quare silentio prætereantur reliqua, si vno verbo persuasum fuerit, Ioannem de Gerson, euidentissimo intuitu veritatem perspexisse, & non minori constantiâ ac fortitudine perspectam, tutatum fuisse. Ad eam siquidem sensuum puritatem, & simplificationem cordis deuenerat, vt velut è sereno pacatóq; aëre, despicere & contueri valeret omnia, quæ sub se turbida passionibus, & ignorantiæ nube obducta, in cæteris agebantur. Itaque expeditissimus & resolutissimus erat in vero cognoscendo; in defendendo autẽ quàm firmus, quàm imperterritus fuerit, vel hoc vnum argumento nobis sit, quod post grauissimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum fidei, & præceptorum Dei, coram sacro-sancto Concilio certauerat, principis etiam potentissimi odium non veritus, velut alter Chrysostomus, aut Athanasius, ipsum tandem exilium molestissimum perpeti non detrectauit. O virum verè Christianum!

O temporum noſtrorum perditiſſimorum ſingulare ſydus? Tu eam quam à ſe pellunt cæteri veritatem, etiam in exilio perquiris! Tu teipſum iniuriâ & contemptu mauis affici, quàm veritatem exulare! Tu verè ſecundum nomen tuum, laudem tibi paras! Gerſon enim aduenam ſignificat: Tu ipſius Chriſti, qui vt veritati teſtimonium daret, nullum tormentorum genus expauit, cum re & facto fueris imitator, cur non meritò tuo maximo, eius cognominationem adipiſcaris? Quamobrem honorentur doctores alij quiſque epitheto ſuo: dicatur hic ſanctus, ille Seraphicus, magnus iſte, irrefragabilis alter, ſubtilis, ſolemnis, illuminatus, vel quicquid tale pro merito ſuo quiſque vocitetur. Iuſtè quidem & bene, ſunt etenim: liceat obſecro Ioannem quoque de Gerſon non fraudari laude ſua, liceat Chriſtianus doctor appelletur, is cuius primo doctrina ad Chriſti meras traditiones, omnem noſtram aſſertionem contendit metiri. Cuius deinde ſtudium, primariæ Chriſti operationi (propter quam in mundum venerat, teſtimonio ſcilicet veritatis) intentiſſimè fuit addictum. Cuius poſtrema vitæ concluſio, tanta Anagogicæ, & veræ Chriſtianæ contemplationis dulcedine, & amore flagrauit, vt velut Cygnus, modulato canticorum carmine, mortem ſuſcipiens, in fœlicem familiam Chriſti (quem docuerat, pro quo certauerat, & quem totis viſceribus deſiderauerat) non immeritò, in æterna beatitudine receptus eſſe credatur.

PLVRA poſſent alia in laudem huius Chriſtiani doctoris annecti, quorum aliqua ex epiſtolis Archiepiſcopi Lugdunenſis, & fratris ſui Prioris Cæleſtinorum concipi poſſunt, quæ ad finem huius operis habentur. Verùm paſſim plurima ſeſe obijcient, laude & honore digna, ſtudioſis ſcriptorum eius, è quibus & hæc pauca quæ præmiſſa ſunt, clariùs intelligi poſſunt. Huius itaque vtiliſſimi doctoris tractatus & opera, quotquot colligi potuerunt, etiam non ſine ſingulari labore, in hoc volumine caſtigatè admodum impreſſa fuerunt. Quod tribus ſanè partibus, ſi cui libuerit, poterit ſecerni: Earum prima, continet ea quæ & fidem & Eccleſiæ regimen, & errores circa illa concernunt. Secunda, complectitur ea quæ ad morales traditiones pertinent. Tertia, myſticæ Theologiæ accommodata ſubiungit. Hunc autem partium ordinem, non eſſe incongruum, ſed ſcripturæ ſacræ prorſus conuenientem, apertè intelliget, ſi quis Bonauenturam, in libello de reductione artium ad Theologiam, in quarto volumine, leget. Inter hæc autem opera, licet nonnulla ſint, quæ Ioannis de Gerſon non eſſe veriſimilius ſit, vt eſt tractatus contra proprietarios ſancti Auguſtini, Compendium Theologiæ, Sermo de Conceptione, & ſi qui plures reperiantur, tamen quia author alius non patebat, ideo loco ſuo perſtiterunt. Alij autem tractatus, qui Gerſonio nonnunquam tribuuntur, & tamen auctorem certum habent (vt eſt libellus de contemptu mundi, quem conſtat à quodam Thoma, Canonico regulari, editum, & alij plures) non his ſunt operibus inſerti: Verùm, nonnulli ad finem operis, propter conformitatem materiarum ſubiuncti.

EPITOMA




EPITOMA VITÆ IOANNIS GERSON.

ANNO salutis M. CCC. LXIII. natus est Ioannes Gerson, in pago eiusdem nominis, diœcesis Rhemensis, ex honestissimis deuotissimísque parentibus, patre Arnulpho Charlier, & matre Elizabeth, qui ab ineunte ætate, ad Dei amorem illum solicitè induxerunt, móxque tradiderunt bonis artibus in Parisiensi Gymnasio instituendum. Deinde, ipse conuolauit ad studium legis diuinæ sacrarúmque literarum, in quibus ita seipsum exercuit, vt breui tempore, omnes illic Theologiam profitentes, longè superaret, seruata semper morum integritate: in laboribus enim fortis, in consilio prudens & modestus, in zelo feruentissimus erat: quotiens legationis munus in causis fidei & Christianæ legis obibat, mira peritia vsus est & grauitate. Incrementum & decorem regni Franciæ, sicut alter Leodegarius, apprimè dilexit. Contra schisma periculosissimum, vtilissima multa non solùm scripsit, sed etiam diligentia incredibili & vehementissima vi dicendi, ad communem Ecclesiæ pacem reuerendissimos & amplissimos patres in Concilio Constantiensi mouit & induxit. In cognoscendo verò expeditissimus erat, in defendendo firmus & imperterritus, adeout, pro ipsa sanctâ & Christiana veritate tutanda, potentissimum principem non metuerit: tandémque in Germaniam pulsus, exilium, velut alter Chrysostomus aut Athanasius, patientissimè perpessus sit. Et quia sciebat iugum domini suaue esse, onúsque eius leue, conatus est omnia præcepta, omnésque constitutiones humanas, quantumuis graues & numerosas (quo tolerabiliores essent) ad Christi legem referre, vnde & non indignè Christianissimi doctoris meruit habere cognomen. Neque enim inhærebat curiosis speculationum ambagibus, nec circa vanam subtilitatum ostentationem solicitus, nec in nouitatibus adinueniendis turgidus fuit. Versabatur autem in his studijs, quæ ad Dei laudem, ad fidei robur, ad plantandam Ecclesiam, ad conscientiæ pacem, ad consolandos pusillanimes, ad morum ædificationem, ad animarum salutem, vtilia & necessaria esse videbantur: & quia vtilitati proximorum, ex toto corde inseruiebat, nullius priuati commodi affectione ductus, absque assentatione, & absque contemptu cuiuscumque doctoris, qui eum præcesserat, veritatem docuit, verum non adulterans verbum Dei, sed ex synceritate prædicauit, & in monumentis post se plurima reliquit, quæ omnium statuum hominibus, quæ confessoribus, quæ seminiuerbijs, quæ Ecclesiarum Curatis, quæ viris quoque contemplatiuis, vehementer conducunt. Nam & in mysticæ Theologiæ & affectiuæ traditione, clarus fuit & copiosus. Theologos etiam speculatiuos, qui crudis solummodo speculationibus, & clamosis quæstionum disputationibus, vel Deum inuestigant, vel de Deo disceptant, ad experimentalem eius gustum inuitabat, quippe qui, prius gustauerat, quàm suauis sit Dominus. Atque ita in Christianæ contemplationis dulcedine, meditando, &

super Cantica Salomonis scribendo, in vitæ suæ finem persistens, post multos labores Ecclesiæ Dei vtilissimos, post feruentissimum animarum zelum, postque exilium, in fœlicem familiam Christi, quem docuerat, pro quo certauerat, quem totis visceribus desiderauerat, in æterna beatitudine creditur esse receptus. Obijt autem anno Christi M. CCCC. XXIX. die Iulij XII. Sepultus Lugduni in Ecclesia sancti Pauli, inque lapide ipsius membris suprapositio hæc verba leguntur. *Pœnitemini & credite Euangelio.* Vbi hodie magnis miraculorum beneficijs, Dominus noster Iesus Christus suum famulum illustrare, eiúsque sanctitati clementer attestari dignatur, cui sit honor, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Hæc Epitoma vitæ Cancellarij, excerpta est ex bibliotheca Collegij Nauarræ, tomo primo operum Gersonij, Basileæ edito, Anno M. D. XVIII.

EPISTOLA





EPISTOLA FRATRIS IOANNIS DE GERSON, ORDINIS CÆLESTINORVM, DIRECTA FRATRI ANSELMO EIVSDEM ORDINIS, super opusculis Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis.



POSTVLASTI sæpius, amantissime mi frater in Christo, vt ea tibi communicarem opuscula, quæ à germano meo domino Parisiensi Cancellario, compilata cognoscimus, asserens te feruentissimo amoris desiderio illorum studio incumbere. Pareo libens petitioni tuæ, tum quia nihil tibi denegare queo, tum quia mira complacentia, sicuti creberrimè sum expertus, eadem amplecteris, adeò vt tanta importunitate densissimarum occupationum quibus arctaris, non potueris abduci, quin plurima ex his propria manu transcripseris, & auidè ruminando, ventri memoriæ tenaciter commendaueris. Crudele ergo mi frater existimarem, si doctrinam hanc saluberrimam, similagineum panem, quem in diuersis tractatulis, veluti quibusdã cophinis aut sportellis reconditum largiter habeo, esurienti tibi & tam auidè postulanti, non communicarem. Proinde nonne sacrilegij conuincerer, si hunc doctrinæ thesaurum (quem mihi indignissimo eius fratri pro mea eruditione grandi zelo commendauit) humo defossum & absconditum retinerem? Scientia enim inuisa, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrísque? Qua insuper ratione lucernam accensam absconderem sub modio, quæ ponenda potiùs erat suprà candelabrum, vt luceret omnibus qui in domo sunt? Nonne etiam Saluator noster admonuit, *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cælis est?* Addo quod sicut mihi crebrius, absq; vlla palpantis adulationis nota testatus es, & alij quamplurimi, vix aliquid studendo reperis quod non ampliùs secundum subiectam materiam tuum delectet animum, illuminet, perficiátque: hoc idem certissimè confirmarem in memet agi, si non continuò fraternalis amor suspectum reddere testimonium diceretur. Quid ergo? nonne præferre volumus hunc nouissimum vel sui similes, antiquissimis & sanctissimis diuinæ scripturæ doctoribus, qui abyssalis sapientiæ & scientiæ fontes scaturientes, & in maximos fluuios excrescentes, Ecclesiam vniuersam irrigarunt, atque salubriùs verbis docuerunt, vitæ confirmauerunt exemplo, miraculis creberrimis coruscantes. Quorum equidem in elucidatione diuinæ legis tantus fuit labor, vt incredibili studio pene plures ediderint libros, quàm exiguitas ingenij sequentium vel legere vel apprehendere potuerit. Patuit hoc in Augustino, in Ambrosio, in Origene, cuius tot milia voluminum Hieronymus se legisse testatur. Absit hoc, absit, vt hos relinquamus, horum obliuisca-

mur, vt nouis aduenientibus, veteres doctores proijciamus, eos potiùs immensis honoribus attollimus, nouis præferimus. Nam ipsi proculdubio sunt qui laborauerunt, & hi nouissimi in labores eorum introierunt, illi dentium robore masticauerunt, quod in meatus faucium leniter hi transglutiunt, illi acumine naturalis ingenij & toto mentis annisu, cum gratia Dei radiante, veritates altissimas & absconditas valde perscrutantes, acerrimè oretenus eructauerunt; velut si quis ex abysso terræ profundissima (suffossis & egestis ingenti conamine ruderibus) preciosissima auri vel argenti pondera sustollat. Hi autem sua quæuis opuscula, non aliunde quàm ex illorum sententijs sapienter contexentes (quia fortè clariùs seu politiùs locuti sunt) non aliud egisse videntur horum plurimi, quàm si quis rudem, & informem, seu scabram metalli massam nouiter è minera productam, in splendentem & gratiorem diuerso limaturæ genere formam artificialiter educat: nemo ergo nouissimorum, præsumat se prioribus comparare, nemo illos vetustate sua contemnere.

QVEMADMODVM ab hac temeritate longè esse non dubito, frater vnanimis, germanum nostrum de quo loquimur, sicut & dicta & facta eius omnia testimonium perhibent. Qui licet inter cæteros huius infœlicissimi nostri temporis (pace omnium dixerim) veluti vas electissimum, repletus esset spiritu sapientiæ & intellectus, & ob hoc à me, meisque similibus sæpius interpellatus fuerit, vt secundum talentum sibi creditum, de scripturis sanctis ad informationem morum nobis aliqua saltem suo modo disserere vellet, vix tandem ad hoc adduci potuit, vt extra ea quæ vel ex iniuncto cancellariatus officio, vel ratione scholastici exercitij compilare coactus est, pauca opuscula inferiùs annexa, sub nomine proprio voluerit conscribere. Nam mox vt inde sibi sermo fiebat, aut velut obsurdescebat, aut in aliud citius rem ducebat, aut duris sententijs nos increpitans dicebat: nescitis quid petatis, quanta qualiáve suppetunt ad manum pro deuotionis exercitio insignia, probatissimáque sanctorum Doctorum volumina, quæ omnem vitæ perfectionem, salubriter & sufficientissimè perdocent, nec intendimus? Ecce in promptu sunt Augustinus super psalterium, Gregorius super Iob, Cassianus in collationibus & institutionibus patrum, Bernardus super Cantica, Richardus de duodecim Patriarchis, & de arca mystica, Bernardus iterum ad fratres de monte Dei, Hugo de oratione, Anselmus in meditationibus, Augustinus iterum in confessionibus & soliloquijs, auctor præterea summæ de virtutibus & vitijs, auctor de spiritu & anima, & reliqui quamplurimi. quid ampliùs quæritis? quid veteribus nouellos fastidiosi cumulatis? Faciendi plures libros non est finis in his immoremini, in his exerceatur spiritus vester, horum in studio vestrum desudet ingenium, non in curiosis & superuacuis, subtilitatem quandam mentientibus, quæ non implent animum aut satiant, sed potiùs pruritum accendunt auribus, & à veritate tandem abducunt.

Talia nobis dicere solitus erat, ob quod etiam, quasdam lectiones contra studentium curiositatem inferiùs annotatas disseruit, ita semper modestissimi fuit ingenij, maioribus cedens, non sua quæuis procaciter ingerens, quemadmodum de simia turpi refert fabula, quam non puduit præ cæteris terræ bestijs, fœtum proprium veluti pulchriorem, ante conspectum Iouis inferre. Ad hoc argumentatur, quod plurima per eum dictata ita neglexit, vt nisi pia quorumdam cura fuissent diligentiùs recollecta & transcripta, nescio si vsque modo comparerent.

Patuit

Patuit hoc in illis primis opusculis exercitij sui scholastici, in studio theologiæ Parisiensi, de nuptijs sapientiæ, quæ miro iucundóque artificio quantum ex aliquibus concipi potest, studio florenti peregit sumpto themate, *Quæsiui sponsam mihi eam assumere*, quæ tamen vel mala, vt aiunt, custodia, vel quorumdam auidá rapina, perdita fuit omnia. Sic nihil est in humanis operibus stabile, nihil durratiuum, *itaque debemus morti nos nostráque*, ait Horatius. Sed nec mirandum, vt ait Augustinus, si caduca cadunt, & mortalia moriuntur. Et quod dixisse, quod scripsisse credendus est. Apostolus Paulus cælestium conscius secretorum, qui ab Hierusalem vsque Illiricum mare, totum repleuit euangelio; & tamen ex omnibus vix supersunt quatuordecim epistolæ: Sileo reliquos, quorum non est numerus. Defleant alij ruinas palatiorum, laqueatas domos erutas, depopulationes ciuitatum, abrupta castra fortissima, mortes si vis hominum, ego summè plangendam duco iacturam vel modicam ciuitatis nouæ Hierusalem deperditæ, videlicet præclarissimorum virorum commentaria, continentia verba vitæ, doctrinæque saluberrimæ, quibus fides Catholica gigni poterat & nutriri, quibus insuper roborari velut arx firmissima, ædificata, cum propugnaculis contra quælibet inimici sæuientis machinamenta, & ex talibus viuacissimis efficacissimísq; sententijs, penetrabilioribus omni gladio ancipiti, confodi valebat hostis, & enecari: quapropter non absque illius subdola procuratione hoc aliquando contigisse credendum est, sicut è contrario librorum inutilium & curiosorum atque perniciosorum multiplicatio, quæquidem, contra fidei nostræ traditionem, tanta semper prorupit inuidia, vt per se suósq; satellites eam funditùs de terra tollere, aut saltem diuersarum hæreseum, velut zizaniorum super seminatione cõfundere voluerit: sed ô plene omni dolo & nequitia, nequaquam ita erit vt existimasti, nunquam obturare poteris *fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam*, si illam interdum turbidam reddideris. Nam licet *caduca sint omnia quæ sunt sub sole*, vt ait Ecclesiastes, *verbum tamen Domini*, quod super solem est, *manet in æternum*, quod assiduè perspicuas atque suauissimas emanat aquas sapientiæ salutaris, quarum impetus lætificat ciuitatem Dei.

Quod si quis interroget, quid prodest tanta librorum ad libros accumulatio, & nouellorum conscriptio, cùm iam totus orbis plenus esse videatur? Patet responsio, primùm quidem honesta occupatio est: Scriptura quippe diuina puteus altus est, cuius nunquam deficiunt aquæ, & quò plus exhauseris, inde scaturiendo continuè largius tibi refluet. Est insuper velut ager vberrimus, à quo quantumuis extrahas, eò feracior redibit. Regiones, (vt ait Effrem) vno tempore habent vindemiam, scriptura autem sacra semper affluit doctrina viuificante. Regio quando metitur, amittit gaudium, & vinea postquam vindemiata fuerit, humiliatur: Scriptura sacra quotidie metitur, & spicæ interpretationum non deficiunt, quotidie vindemiatur, & botrorum spes non desinit: ergo in hac vinea Domini laborandum est assiduè, proposita spe mercedis immensæ: *nam qui elucidant me*, ait Sapientia, *vitam æternam possidebunt*. Demùm, ponenda est veritas præcipuè legis diuinæ in medio, tanquam pulchrum aliquid, tanquam videlicet præfulgidum quoddam lumen, bonis amicum & delectabile, malis autem odiosum semper, quo radiante, si quid in domo Dei decorum probatúmque est, manifestum fiat, si quid autem turpe venenosúmque, velut

in angulo delitescit, palam fiat & arguatur: *Omnia enim à luce manifestantur*, ait Saluator.

AMPLIVS sicut in hominum corporibus, videre est innumeras & diuersissimas complexiones aut conditiones, sic in animabus prospicere est. Ecce in corporali refectione (vt de cæteris ad præsens sileam conueniens sumatur exemplum) Cernere est aliquos, quos rusticos & aggrestes vocamus, cibis grossissimis vti continuè, & in his delicias computare, qui tamen ætatem prouectissimam trahunt: Videbis alios tanta accuratione delicatiora quæque perquirere, & in diuersa curiosè ferri, vt vix inueniatur qui desiderium illorum, vel semel libitum, explere perficereque valeat: Sunt rursus alij cunctis onerosissimi, qui veluti mortifera peste languentes, ad omne quod apponitur nauseant, & omnia reprobantes, (vt dici assolet) nesciunt quid volunt: At alij temperiem bonam vbique retinentes, & si alternationibus interdum gaudeant, omnia tamen apposita cum gratiarum actione recipientes, de omnibus edunt, & dum esuriem fugent & ventrem (vt aiunt) impleant, qualibus non curant. Simile aliquid reperire est in alimento spirituali verbi Dei, quod non æqualiter omnibus conuenit, nec vno modo pascit omnes & viuificat. Ea propter summus paterfamilias, mensam sacræ scripturæ omnis generis dapibus refertissimam nobis apposuit, in qua sic cælestium deliciarum copia salutaris exuberat, vt ibi sit quod perfectus comedat, ibi quod paruulus sugat, ibi lacteus potus, quo tenera adhuc fidelium nutriatur infantia; ibi solidus cibus, quo robustorum perfecta iuuentus, spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa.

POSTREMÒ non ignorantur astutiæ diaboli, cui mille nocendi artes insunt, qui in huius ætatis senio delirare multos cogit, & vbi palam sæuire non valeat, insidiatur interdum perniciosiùs in abscondito, quasi leo in spelunca sua, inde raptor attrahit pauperem, & adeò à laqueo suo humiliat & inuoluit, vt vix inueniatur quantumuis eruditus & ingeniosus, qui sciat euoluere, propterea, sicut nouis morborum generibus nouis remedijs occurrendum est: Ita peruersis adinuentionibus inimici, salutaribus assiduè doctrinarum studijs obuiandum.

HAC pia consideratione permoti sunt nouissimè nonnulli, inter quos germanum hunc numero, quosdam tractatus nouellos cudere, in quibus materias aliquas ab alijs etiam ventilatas, particularius vel enucleatius pro circunstantiarum varietate dilucidare conati sunt. Non enim omnia à prioribus, modis omnibus tradi vel determinari potuerunt, propter immensum chaos circunstantiarum particularium, quas multiplicari super numerum, & diuersissimè variari nullus ignorat. Et quemadmodum non omnibus ægris æqualiter complacet in medicis, sicut nec inest omnibus æqualis gratia curationum, sed illi præcipuè pro sanitate capescenda consulendi sunt, qui morborum qualitates vndecumq; perscrutantes, longa artis experientia bene de omnibus norunt iudicare. Ita apud medicos spirituales proportionabiliter reperire est, vt aliquorum etiam nouellorum traditio vel doctrina, plerisque placidior, securior, & pro circunstantiarum qualitate accommodatior inueniatur. Hinc apparet cur hac ætate nostra plusquam antea, veritates aliquæ clariùs & iocundiùs elucescunt: vt verificetur Danielis sententia, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Dum

enim

enim conferuntur antiquorum dicta cum ſequentibus, & applicantur inuicem ordine congruo, tunc velut in quodam ſuffuſorio, per feruens & acutum ingenium conflatur & erumpit veritas puriſſima, eliquanda in cordibus piorum.

NEMO ergo paruipendendo dicat, nihil à modernis recipio, quorum auctoritas non præponderat, qui dictis facta non compenſant, nec moribus, ſuæ profeſſioni congruis adornantur, vel miraculis clarent, ſcilicet in pluribus vita ſordet & horrida eſt. Nam licet proh dolor! multos lugeat Eccleſia tales, tanquam degeneres & perditionis filios: ſunt nihilominus alij *potentes opere & ſermone*, quos aliquibus donis gratiæ ſuæ dotauit Deus, *vt luceant* in domo Dei, *ſicut ſplendor firmamenti, & ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* In quorum numero & ordine, ſi germanum de quo loquimur deputauero, nulli iniurioſus ero. Eius traditio & doctrina (fidenter affirmo) luculentiſſima atque probatiſſima ſemper extitit, nec vllius erroris aſpergine fœdata, quam gratiorem & efficaciorem reddit morum ſemper experta probitas, & honeſtiſsima vitæ conuerſatio. Aſſecutus doctrinam & moribus pijs adornatus, bonos iure coluit, tolerauit malos, veritatem promouit, errores eſt perſecutus, & bonum commune grandi zelo proſecutus, quæ pacis ſunt requirens, pacem in principio & in fine ſemper optans, patuit hoc nouiſsimè in ſacro Conſtantienſi Concilio, in quo quidem tum nomine Caroli Francorum regis illuſtriſsimi, & Vniuerſitatis Pariſienſis, quorum ſolennis ambaſiator erat, tum nomine proprio, totis viribus laborauit, ne idipſum concilium (quod pro pacis adeptione & hæreſeum extirpatione adunatum erat) ſubdola hoſtis malicia diſſolutum iri contingeret, & infructuoſum abiret; fuiſſétque nouiſsimus error peior priore. De hoc exſtant egregia ipſius opuſcula, illic palam concionata. Poſtremò aduerſus peſtiferas hæreſes, quantos latratus more fideliſsimi & vigilantiſsimi canis ediderit, vel hæc ſola res indicium eſt; quod veritatis tuendæ cauſâ, domo, patria, ciuitate, cognatis, amicis, dignitatibus, rebúſq; proprijs priuatus eſt, & ex illis propulſus, ac innumeris inſidijs expetitus. Propterea refugium aliquod ad tempus ſibi coaptauit in hac præclara Lugdunenſi ciuitate, in qua iam ferè per quadriennium demoratus eſt, vitam quietiſsimam ducens, & tam ſolitariam, vt vnum ex heremicolis crederes, niſi quod deſerti receſſus nondum petijt, ſed habitat in medio populi ſui, mirantibus multis & inquirentibus. quid hic agit tam ſolitarius? cur ad publicum non procedit? cur non it ſedatum hominum iurgia, quæ tam acriter vbique debacchantur; vt quid perditio hæc? Sed quid agit, inquiunt, multum aio per omnem modum. Primò quidem intranti ad ſe in domum ſuam, præoccurrit illico læta decoráque facie ſapientia, quam à iuuentute quæſiuit ſibi ſponſam aſſumere, ibi cum ea requieſcit & ſermocinatur tota die, quę ſi viderit eum, vel ad modicum triſtem & anxium, non ceſſat blandicijs delinire, donec conſolatum relinquat. Non enim habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Dehinc ne putes ipſum ita parietibus anguſtæ cellæ coarctari, vt foras egredi non liceat, extendit ſæpius dum licet, affectiones in omnes fines terræ & in mari longè, & peragratis tantis regionibus, ac conſpectis oculo rationis varijs hominum ſtatibus, nunc proſperis, nunc aduerſis, coaptat animum vnicuique, prout exiguitas valet, omnibus omnia factus, modò per gratiarum actiones, illis applaudendo, modò pijs orationibus illos adiuuando, hos exhortando, illis compatiendo.

INTER hæc non crederes quantis lachrymarum profluuijs ab intimo cordis proruentibus, deflet miserabilem cladem nunquam dignis planctibus adæquandam, præclarissimi Franciæ regni, quod intestinis & ciuilibus bellis disrumpitur, atrociter & vastatur, & præda hostibus patet, quod quidem inuictissimum perdurasset, si concordiæ fœdus in eo mansisset illibatum. Ibi proh dolor tumultuatur, puer contra senem, & ignobilis contra nobilem; illic vulgus indoctum varios rectores sequens, miseram in vertiginem rotatur assiduè. Gemit insuper amarissimè vt alter Hieremias, videns contritionem populi sui, & laborem & contradictionem in regali Parisiensi ciuitate, quæ nuper erat vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ. Talibus suspirijs & singultibus tumidum cor exonerans, sedet solitarius, & tacet, quoniam dies mali sunt, & præstolatur cum silentio salutare Dei, si fortè sit spes, si veniat tempus miserendi eius, & pulchra pax, longiùs effugata, redeat aliquando iocundior. Ob hoc iuge sacrificium nostræ redemptionis in altari non cessat offerre, rogans in spiritu humilitatis & animo contrito, vt in seruis suis iterum propicietur Dominus, & populum suis continuis tribulationibus laborantem, benignus respirare concedat. Amplius dum libero mentis volatu, in superiora domus placet ascendere, leuat se supra se, vnde conspicit eminus latè patentes ætheris plagas, arctúmque terrarum situm, ibi videt cælos cælorum opera digitorum Dei, lunam & stellas quæ fundauit sapientia, pulchrum equidem spectaculum. Quod si persenserit auram vel tenuem humanæ vanitatis alicumde perflare, & ruinam minari, mox ab alto desiliens, sese in ima recipit & in tuto locat, aut si moliente sæuissimi hostis nequitia, contra se quicquam aduersi viderit intentari, illico more spiritualis erinacij, totum se in se curuando recolligit, & ponit petram refugium suum, ibi absconditur in abscondito faciei Dei, à turbatione hominum & tempestate, securo munitus vallo, quo grassanti stultitiæ, aspirare fas non sit. Tunc sobria mentis lætitia decantare cum propheta licet: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et iterum: *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adiutor meus & redemptor meus.* Non igitur putes illum datam quietem malè exequi, & inerti otio tota die torpescere: quandoquidem nec ipsius diei decursus interdum sufficit ad explenda quæ salubriter suggerit animus, etiam nocti sæpius detrahendum est, & intempesta noctis hora, nunc prima, nunc secunda aut tertia vigilia noctis, nonnunquam media nocte surgendum ad confitendum nomini Domini. Inter hæc, necesse est edulium corpori ministrare, deinde somno moderanter indulgere, artus solutos, vt quies reddat laboris vsui, mentémque fessam alleuet.

NVM tibi videtur sapienter vitam instituisse? I nunc, & ipsum maris huius procellosi periculis rursum expone. Nonne consultius est delectari in Domino, & vacare bonæ menti, totísque conatibus adipiscendæ vitæ perpetuæ operam dare, quam quotidie frustra niti, & nitendo nisi odium quærere, quando *peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus?* Addo quod sicut ipse mihi sæpius testatus est, nunquam, quantum meminit, tanta pace & cordis alacritate perfruitus est, quàm hoc aliquãto temporis interuallo quo plus acriter in eum iam sexagenarium desæuit inimicus, & varijs tribulationibus est ventilatus. Sic veraciter enunciauit qui ait: Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt: Et propheta testatur in tribulatione sibi multipliciter à Deo dilatatum

esse

eſſe cor. Hoc modo exilium, perſecutiones, ingenſq; furia mundi hunc longius propellentes, & (vt ſic dicam) intra ſe reſtringentes, quadam antiperiſtaſi ſpirituali, feruentiùs eum in amorem Dei & odium ſeculi intenderunt, & vice cotis, pulchriorem & ſplendidiorem reddiderunt. Quapropter etiam gloriabundus in Domino mihi dixit aliquando, ſentire ingenium clarius & viuacius ineſſe nunc ſibi quam vnquam antea. Nec mirum, cum dicit Sapiens, *Scribe ſapientiam in tempore otij, & qui minoratur actu, percipiet eam.* Ob hoc etiam egregia ſcripſit opuſcula, quæ dum mihi nuper communicauit tam auidè perlegi, vt illorum doctrina veluti vino meraciſsimo ebriatus fuerim. Optóque ſæpius amantiſsime mi frater Anſelme, tibi quaſi amico meo riuali, poculum ex his tribuere. Sed longa regionum diſtantia, qua corpore non animo ſeparamur, hoc ad tempus vetat. Propterea annui tibi, vt hæc ipſa quæ nouiſſimè vel antea compoſuit idem germanus, in tabula quadam annotare curarem, per quam, poſsis vel quæ iam acceperis, vel quæ tibi adhuc deſunt agnoſcere. Simul & in hoc obſequi cordialiter volens veneralibus ac deuotiſsimis patribus meis, fratribus maioris Carthuſiæ, annotationem hanc affectu grandi poſtulantibus, quibus propoſitum mihi ſemper eſt totis viribus complacere; ſperans illorum ſuffragijs apud Deum non modicè ſubleuari. Non autem eo tempore vel ordine quo peracta ſunt, ordinaui omnia, ſed prout occurrerunt memoriæ. Cæterùm qualitas materiarũ, poterit vel ex themate, vel ex tenore rubricæ, & maximè opus ipſum ſi affuerit, legendo cognoſci. Vale in Chriſto Ieſu frater vnanimis mei memor. Et circumuagantes maris huius tempeſtuoſi procellas aſpiciens, æquanimi mente cum patientia ſuſtine, in qua ſola poſsidemus animas. Scriptum Lugduni in monaſterio noſtro Cæleſtinorum. Anno Domini, M. CCCC. XXIII. menſis Maij, &c.

ANNOTATIO OPVSCVLORVM IOANNIS GERSONIS CANCELLARII PARISIENSIS, QVORVM MVLTA deperierunt, de multis incertum eſt, ſi & vbi ſuperſint, &c.

COLLATIO in primo curſu theologiæ Pariſijs in regali collegio Nauarræ, & conſequenter in ſecundo, ac deinceps in quadripartito libro ſententiarum, & tandem in magiſterio, anno ætatis eius circiter. XXXII. ſumpto ſuper hoc themate: *Quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere*, ſub metaphora nuptiarum theologi cum ſapientia, in modum dialogi, per proſas & metra, more Boëtij de conſolatione, mixtim procedendo.

Lectiones magiſtrales ſuper euangelium ſecundum Marcum: *Egrediebantur ad eum Hieroſolymitæ vniuerſi.*

Lectio vna de duplici logica, quarum vna eſt pro ſpeculatiuis ſcientijs, alia pro moralibus, quæ rethorica nominatur, vbi de duplici vi locutionis agitur: *Et erat Ioannes veſtitus de pilis camelorum.*

Duæ lectiones, vna de non eſu carnium, quam ad fratres Carthuſienſes deſtinauit, & incipit: *Egregio viro Ioanni.* Altera de diſtinctione verarum reuelationum à falſis, quàm fratribus Cæleſtinis tranſmiſit, & incipit: *Nuper vnam.*

Item, poſt conuenienter annecti huic lectioni opuſculum aliud ab eodem

compilatum, de probatione ſpirituum, & incipit: *Probate ſpiritus.*

Multæ lectiones, ſpecialiter ſex, quæ redactæ ſunt in modum tractatus, cuius titulus eſt de vita ſpirituali animæ: Reuerendo in Chriſto patri, &c. *Ego vos baptizaui.*

Multæ lectiones de varijs materijs, inter quas vna eſt de theologia myſtica ſpeculatiuè tradita, & incipit: *Pœnitemini & credite*: Altera de theologia practicè tradita, incipit, *Tractantes.*

Item, ſi his duabus lectionibus addatur vnus tractatus de paſsionibus quem poſtea edidit, & incipit: *Paſsionum origines, prodeſt*, erit opus completum, & vnus libellus de tribus.

Item, ſuper eadem particula, *Pœnitemini*, duæ lectiones contra curioſitatem ſtudentium.

Item, quædam epiſtolæ de hac materia ad magiſtros ſtudentes in theologia in Collegio Nauarræ.

Opuſculum de perfectione & moderamine religionis ad Carthuſienſes: *Gratia vobis & pax.*

Ad fratres Cæleſtinos opuſculum de ſollicitudine Eccleſiaſticorum: *Nolite ſolliciti eſſe.*

Opuſculum ad fratres Cæleſtinos & Carthuſienſes, de laude ſcriptorum: *Scrutamini ſcripturas.*

Libellus de corde, continens plures partes, de meditatione cordis, de ſimplificatione cordis, de directione cordis, & de perfectione cordis. *Meditatio cordis mei.*

Libellus de tenore noſtræ legis, vel de decem præceptis, tranſlatus in Latinum: *Reuerende in Chriſto Pater.*

Item, regulæ mandatorum: *Agamus nunc interim.*

Opuſculum ad rectores puerorum: *Sinite paruulos venire ad me.*

Item, liber qui dicitur Monoteſſeron, quaſi vnum ex quatuor, in quo egregiè fit adunatio & concordia quatuor Euangeliorum, & incipit: *Vnum ex quatuor componere.*

Libellus qui dicitur Ioſephina, metricè compilatus, in quo etiam continetur opuſculum de virginali coniugio iuſti Ioſeph & Mariæ, in proſa: *Fontem ſueuerunt.*

Opuſculum de præparatione ad Miſſam: *Dubitaui frequenter.*

Item, aliud de cognitione caſtitatis, qui poteſt cõuenienter prædicto annecti: *Scripſi ſuper &c.*

Item, libellus de gradibus veritatum ſacræ ſcripturæ *declaratio compendioſa.*

Item, de probatione doctrinarum.

Item, egregius liber de conſolatione theologiæ per modum dialogi, metro & proſa conſtans. *Quæcumque ſcripta ſunt.*

Item, dialogus apologeticus, eius collocutores ſunt Volucer & Monicus, prout in præcedenti ſeruatum eſt, & conuenienter adiungi poteſt prædicto libro vt ſit vnus: *Rem inquiris.*

Item, triloquium aſtrologiæ theologizatæ: *Sapientia à Domino Deo eſt.*

Item, opuſculum ad confeſſorem regis pro inſtructione eius: *Charo & erudito viro.*

Item

Item, opusculum de quibusdam scrupulis tempore scismatis Ecclesiæ: *Ad tollendum quorumdam.*

Item, trilogus in materia Ecclesiæ: *Sæpenumero.*

Item, propositio facta coram Petro de Luna ex parte Vniuersitatis Parisiensis pro restrictione obedientiæ: *Benedic hæreditati tuæ.*

Sermo coram eo, in die Circuncisionis: *Apparuit gratia Dei.*

Opusculum de vnitate Ecclesiæ, compositum tempore quo celebrandum erat concilium Pisanum: *Vnitatis Ecclesiasticæ tractatoribus.*

Propositio coram Anglicis ex parte Vniuersitatis Parisiensis, instanti prædicto concilio Pisano: *Congregabuntur filij Israël & Iuda pariter.*

Egregius liber de potestate Ecclesiastica.

Libellus de auferibilitate sponsi ab Ecclesia: *Venient autem dies cum auferetur sponsus.*

Item, de statu Papæ & minorum prælatorum: *Pax quam omnes.*

Opusculum de concupiscendo prælaturam, cui annectitur aliud contra statum pompaticum prælatorum.

Epistola ad magistrum Vincentium ordinis prædicatorum, contra sectam flagellantium. *Tanta de virtutibus tuis.*

Determinatio rationis, an liceat à Papa appellare, vbi ponuntur etiam articuli theologicè compositi contra Petrum de Luna. *Quæritur vtrum hæc assertio sit Catholica.*

Volumen, in quo continentur plures sermones eius in concilio Constantiensi: *Ambulate dum lucem habetis.*

Volumen, in quo continentur multa scripta eius contra propositionem magistri Ioannis Parui, occasione erroris contra illud præceptum: *Non occides.*

Opusculum contra errorem de communicando laicos sub vtraque specie: *Oblaturus iuxta.*

Libellus qui dicitur de Canticis: *Beati qui audiunt.*

Item, tractatus vtilis de contractibus.

Volumen, in quo continentur multi sermones eius ad clerum, specialiter in Vniuersitate Parisiensi.

Volumen, in quo recolliguntur multa breuia per ipsum edita de diuersis materijs, vt patet in tabula, & potest intitulari, *multa breuia & vtilia à Cancellario Parisiensi.*

Opusculum, quod dicitur cantica peregrini, in metro, incipit. *E heu purgent,* in quo continetur breue testamentum peregrini in prosa, incipiens: *Sicut homo qui.*

Item, dialogus de quolibet.

Sequitur annotatio opusculorum eius in Gallico.

VOLVMEN, in quo continentur sermones eius ad populum.

Tractatus de monte contemplationis, ad quinque sorores eius, in cœlibatu conuiuentes apud Rhemos metropolim Galliæ.

Item, de decem præceptis.

Alius tractatus de mendicitate spirituali, sub duplici tractatu, & in mon[illegible]

dialogi, secundum speculatiuam & practicam, cuius initium est: *Ma pauure ame miserable.*

Item, ad easdem sorores, de tentationibus.


Item ad easdem, de distinctione peccatorum mortalium à venialibus: *Qui bien considere.*

Sermo de Passione Domini: *Ad Deum vadit.*

Opusculum contra Romantium de rosa.

Propositio coram rege: *Viuat Rex*, & alia. *Venit pax.*

Libellus, in quo recollecta sunt multa breuia & vtilia ab eodem composita, vt patet in tabula.



PROLOGVS IACOBI VYMPFELENGII, IN OPERA IOANNIS GERSON.



IOANNIS GERSON consolatorij Christianissimique Doctoris lucubratiunculas, puras, solidas, veraces, deuotas, & animi penetratiuas esse, nemo inficiabitur, qui obseruatè, & syncerè, absque cæco ac effœminato alterius viæ aut disciplinæ affectu, illas lectitauerit. Inuenerit enim pientissimum dominum Ioannem, ea quæ ad charitatem Dei & proximi, ad Ecclesiasticam reformationem, & ad animarum salutem attinent, nonmodo suaui & non abijciendo stylo, sed etiam feruenti affectu, ex obscuris & inuolutis quorumdam scholasticorum scriptis (tanquam nucleum ex testa, & granum ex paleis decerpere, & ansam ad manum porrigere conaretur) salubriter collegisse. Verùm, vsu euenire potest; vt dæmon nostræ salutis aduersarius, quibusdam (sicut libidinoso amore captis, qui ranam quam diligunt; vel Dianæ præferunt) suggerat, vt à lectione tam pij, támque deuoti patris (qui sempiternâ Parisiensium gloriâ Constantiensis Concilij columna fuit) abhorreant, magis quàm Verpi & Hæbrei, Christi, matrísque eius conuictum & conuersationem execrantur. Quid verò mirum, si impellente Sathana, Gerson à stolidis contemnitur, aut calumnias patitur? cum vel in primæua Ecclesia, indocti quidam & instabiles, scripta sanctisimi Pauli deprauauerint, sicut D. Petrus conqueritur: & Aquila Ioannes in epistola III. narrat, quod Diotrepes, verbis malignis in sese garriat? cum deniq; aduersus inexpugnabilia illustrisimi principis Augustini scripta (præsertim contra primos quinque de ciuitate Dei libros) nonnulli factiosi responsionem scribendo præpararint? At quid est loquacius vanitate? quæ non ideo potest quod veritas, & si noluerit tacere, etiam plus potest clamare quàm veritas. Sed considerent æmuli diligenter, (sine studio partium, sectarum, aut viarum, nec dicam factionum, iudicantes) & si esse talia in Gersone perspexerint, quæ conuelli non posint; ab impudentisima garrulitate, & quasi satyrica vel mimica leuitate abstineant, & cohibeant

cohibeant suas nugas: Tum si libertate iudicij abuti cessauerint, discent & assuescent, honestè, grauiter, liberè (quod prius Euangelicus magister comportauit) legere, & audire: neque tamen præualebit Pluto aut Cerberus vsque adeò, quin propediem (disseminatis Parisiensis Cancellarij doctrinis, purissimáque veritate perspecta) facilè contingat, omnibus sapientiæ & Christianæ theologiæ studiosis, persuasum iri, nihil esse prorsus in operibus eius, quod non vel Christianam pietatem, vel sanctissimam priscorum patrum, & ipsius Ecclesiæ columnarum vestigia, redolere videatur: indignè profectò ferent à quibusdam, etiam religiosis fratribus, lacerari doctrinam tanti magistri, quorum propria conscientia, id iniquum esse iudicabit, si vnquam lecturi sunt, quàm fideliter, quàm strenuè pro suo ordine (iampridem à facultate theologica Parisiensi excluso) ad eandem perscripserit, obsecrans & vehementer obtestans, vt (posito forsitan non iniusto rigore) in gratiam & veniam clementer reassumerentur: sicque, vix tandem studiosum ordinem, exasperatæ vniuersitati, fideliter reconciliauit. Quare impium esse videtur, si dulcissimus Ioannes Gerson, pro charitate odium, pro beneficio maledictum, pro defensione detractionem, ab ijs qui singularem religionem præ se ferunt, sacrísque literis inuigilant, sustinere videatur.

Fuere iampridem plurima nostri Ioannnis Gerson monumenta, in tres partes ordinatissimè diuisa, impressioni tradita: His verò diebus, nouissimâ & multâ solicitudine atque impensis eius, qui opera priora trifariam distinxit, imprimíque fecit, alia quædam in intimis Parisiensis gymnasij penetralibus, ac diuersis Galliæ locis quæsita, & nutu summæ maiestatis inuenta sunt, quorum nonnulla, cum Gerson Gallica lingua scripsisset, aut in concionibus popularibus disseminasset, operæprecium fuit, in Latinam, vtcumque interpretari, atq; transferre. Ea itaque magno labore à Germano quodam (qui apud Parisios philosophiam & sacras literas audiens, Gallicum quoque sermonem didicerat) si non eleganter, tamen fideliter traducta sunt: melius enim visum est, optimas Christianissimi doctoris sententias, vel barbarè aut inconcinnè translatas, in manus venire studiosorum, quàm prorsus eas obliterari, perpetuóque manere sepultas. Vide Lector, quid hæc contineant, fructum ex eis percipies, & profectò lætabere. Ex heremitorio diui Gulielmi, in suburbano Argentinensi.

IACOBVS VYMPFELINGIVS, AD LECTOREM CHRISTIANVM EXHORTATIO.



Vos omnes Christi cultores, veræque sapientiæ studiosi, legitote Gersonem, qui obscura & impensa per alios quosdam, scripta planè & breuiter perstrinxit, qui vniuersales aliorum veritates ad particulares casus exactissimè resoluit, qui conscientiam tranquillam & pacificam reddit: Neque enim claudit hominibus facilè cœlos, neque cæcam nutrit præsumptionem, at media via, quæ tutior est incedit.

Iugum Domini leue esse contendit.

Papæ & prælatorum potestatem ostendit.


Ecclesiæ reformandæ modum demonstrat.

Canonum & legum fontem, necessitatémque aperit.
Religiosos pium zelum docet.
Adolescentes instruit.
Pueros paterno affectu complectitur.
Præceptores gymnasiorum particularium, & priuilegiatorum informat.
Orationes ad clerum, & in laudem quatuor facultatum sententiosissimas excudit.
Sermones optimos fecit.
Theologos speculatiuos ad materias vtiles excitat.
Hæreses eliminat.
Schisma persequitur.
Regum & principum filijs præcepta tradit.
Triplicem statum, scilicet Ecclesiasticum, militarem, & ciuilem, in repub. necessarium esse demonstrat.
Censuum & reddituum benignus est moderator & iudex.
Curatorum iura defendit.
Religiosis contemplatiuis, dulcissimas doctrinas infundit.
Prædicatorum ordinem Vniuersitati Parisiensi reconciliauit.
Confessoribus bona præcepta largitur.
Astantes agonizantibus salubriter erudit.

Legant ergo eum Episcopi, & Cardinales.
Legant Iurisconsulti.
Legant Religiosi.
Legant adolescentes.
Legant vel audiant pueri.
Legant gymnosophistæ & præceptores.
Legant ad clerum oraturi, & vniuersitatum vice-Cancellarij.
Legant populo prædicaturi.
Legant Theologi scholastici.
Legant hæreticæ prauitatis inquisitores.
Legant Bohemi.
Legant filiorum magnatum & principum pædagogi.
Legant vel audiant cleri, & ciuium persecutores.
Legant qui censibus fruuntur.
Legant curati.
Legant contemplatiui.
Legant fratres prædicatores, pro quibus se murum opposuit.
Legant Confessores.
Legant hi qui ex hoc seculo migrantes admonent.

Quisque inuenturus est, quod officio suo, ætati suæ, statui & affectioni conducet. Ipse enim Gerson, tanquam omnium debitor factus, omni homini, omni sexui, omni statui (vt saluus fiat) opem ferre conatur, & id quidem benignè, constanter, absque assentatione, absque omni spe quæstus, absque contemptu cuiuscumque doctoris.

CATALOGVS



CATALOGVS OPERVM GERSONII, IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTORVM.


NOMENCLATVRA EORVM, QVÆ in prima parte continentur.

CATALOGVS EORVM, QVÆ IN SECVNDA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.

CATALOGVS EORVM QVÆ IN TERTIA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.

CATALOGVS EORVM QVÆ IN QVARTA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.

IOANNIS





IOANNIS GERSONII
DE LAVDE SCRIPTORVM,
AD FRATRES CÆLESTINOS ET CARTHVSIENSES.

VTRVM LICEAT DIEBVS FESTIS ſcribere libros deuotionis gratis.



SCRVTAMINI ſcripturas, exhortabatur olim Iudæos Chriſtus. Ioan.5. *Scripturas* videlicet *in quibus putabant ſe vitam æternam habere*, de qualibus loquitur Apoſtolus, 2. ad Tim. 3. *quod omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus:* & ad Roman. 14. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Verùm quomodo ſcrutabuntur ſcripturæ ſi non habeantur? Qualiter habebuntur ſi non ſcribantur? Qua ratione ſcribentur ſine ſcriptoribus? Sunt igitur neceſſarij ſcriptores. Et hoc eſt, quod hîc & nunc intendimus ſuadere, compellente nos ad hoc multiplici circa ſcriptores librorum vtilium defectu, quem patitur ætas noſtra.

Et in primis concluſionem certam ſtatuamus dicentes: Scriptor idoneus & frequens librorũ doctrinæ ſalubris, agit opus bonum de genere. Et opus hoc ſi proueniat ex charitate eſt meritorium vitæ æternæ, nec ſeruile dicendum eſt. Vnde protinus habetur deciſio dubij, cuius occaſione cuditur præſens opuſculum, quod quæſiuit quidã de Monachis domus Carthuſiæ: *Si liceat diebus feſtiuis ſcribere deuotionis libros gratis.* Sed aduertendum in primis, quod nomen *ſcriptoris*, notat peritiam ſcribendi cum vſu aſſiduo vel frequenti: *Scriba* verò dicit magiſtrum in eis, quæ ſunt diuinæ legis, eruditum, qui & ſcrutator vel conquiſitor dici poteſt aut etiam dictator: Quales erant Scribæ Iudæorum, qualis Eſdras ſcriba velox & ingenioſus in lege, quales apud Chriſtianos theologi doctores ſeu theologiæ profeſſores, de quibus non erit principaliter ſermo præſens, ſed de ſcriptoribus quaſi mechanicis & manualibus librorum. Et hi ſunt in multiplici differẽtia penes eruditionem maiorem vel minorem circa ſcripturam, quam transferunt ex inſpecto exemplari libro, vel quam de pronunciantis ore ſuſcipiunt, ſicut Baruch de ore Hieremiæ ſcripſit omnes ſermones eius. *Hierem. 36.* Sunt qui ſimul ſunt dictatores, & ſcribæ, & ſcriptores, talis laudatur fuiſſe diuus Ambroſius, libros ſcribens quos dictabat. Sunt alij gradus infimi nullum penitus habentes intellectum eorum quæ tranſcribunt, quos quaſi pictores appellamus. Sunt nonnulli tanquam medij gradus, quibus apertus eſt ſatis ſenſus eorum quæ ſcribunt, ſaltem grãmaticaliter ſeu literaliter, quales olim fuerunt, & adhuc eſſe feruntur in religionibus approbatis, atque in vniuerſitatibus & ſtudijs rationabiliter inſtitutis. Et de talibus loqui præcipua nunc eſt intentio, nequaquam alios ſecludendo, qui vel ſunt magis aliquid quam ſcriptores, vt primi, vel vt ſecundi, qui parum ſunt ad fructum ſpiritualem ſuæ ſcripturæ capeſcendum idonei.

Quibus prænotatis, vt lucidior & bre-

uior esset ordo dicendorum, patet statim hæc nostra conclusio scientibus, quid est opus bonum de genere, quid opus meritorium vitæ æternæ, quid opus seruile. Veruntamen placet eam per comparationes aliquas in subsequentibus duodecim considerationibus ampliando monstrare, quas metrum triplex comprehendit.

Prædicat, atque studet scriptor, largitur & orat,
Affligitur, sal dat, fontem, lucémque futuris,
Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.

Consideratio prima quod scriptor prædicat.

SCRIPTOR idoneus & frequens librorum doctrinæ salubris (sic enim semper infrà loqui volumus & intelligi) prædicare dici potest. Certè si lingua silet, manus prædicat, & fructuosius aliquando, quanto scriptura venit ad plures vberior, quàm transiens sermo. Nec obuiamus dicto Hieronymi, quod habet nescio quid latentis energiæ viuæ vocis actus, & in aurē discipuli ex doctoris ore transfusa fortius sonat. Sed inuenies aliquos eruditissimos, fatentes se plura didicisse, scripta studendo, ruminandóque secum, quàm per doctoris auditum (qualem se fuisse, videtur Bernardus gloriari, *dicens magistros suos fuisse quercus & fagos*): Proculdubio non sine præuia vel comite lectura librorum. Adde quod inter prædicatores sunt multi, tanquam nudi pronunciatores eorum, quæ sumunt formaliter in scriptis: qui si mereri possint aureolam prædicatoribus debitam, cur non similiter scriptor noster, cui potest adesse & adest, vt supponitur, non impar animarum saluificans zelus scribendo, sicut alteri loquendo?

Consideratio secunda, quod scriptor studet, legenti & dictanti similis.

SCRIPTOR huiusmodi, scrutanti studiosè vel legenti doctrinaliter, vel etiam dictanti, non est vsquequaque dissimilis: Colligitur ex præcedenti, deductio præsentis considerationis, quoad legere vel dictare, quia nedum pro morula temporis exigua, sed in annos decem, centum, mille, scripturam durare continget in se, vel per multiplicationem exemplarium ab eo scriptorum legentibus autem atque dictantibus, si defuerint auxilia scriptorum, cum memoria sit labilis, obrepet protinus obliteratio dictatis, aut de lectis obliuio. Adde quod salubriora sunt plerumque scripta veterum, qualia scriptor noster eligit, quàm dictamina nouellorum. Non quod improbemus nouos dictatores, quales assiduè cogūtur assurgere, tum propter alterationem variam gustus spiritualis, cupientis nunc hanc nunc illam escam verbi cælestis, nunc omnem penitus abominantis, tum verò propter dubitationes nouiter emergentes, iuxta qualitates personarum, temporum, aliarúmque circunstantiarum, quæ nunquam plenè totas se præbebunt, cum sint absq; numero variabiles. Exemplum de medicis & morbis, Non enim sufficiunt eis libri quantumlibet ex arte compositi, sed oportet variare receptas, quales velle simul omnes tradere, esset (prout Auicenna notat) inexplebile. Prodest nihilominus apud rempublicam nō mediocriter reseruatio talium particulariter dictatorum, sicut contra morbos corporum, sic aduersus pestes animorum, quod vtique facit scriptor. Porrò scrutationem studiosam non omni scribenti tradere possumus, sed scientifico, cuius memoria firmius retinet ea, quæ scribit, quàm alia si vult intendere, tum propter immorationem, tum quia

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus,

ait Flaccus. Accipit ex hac radice suæ traditionis originem, ars memoriæ, cuius meminit Cicero. Redditur insuper ratio cur expediat studiosis abbreuiationes sibi conscribere, certísque notulis insignire puncta memoratu digniora.

Consideratio tertia, quod scriptor noster largitur, miseretur, & commodat.

SCRIPTOR noster largitur, miseretur, & commodat. Tres esse partes satisfactionis theologi tradunt: vna est eleemosyna, de qua pręsens est consideratio, altera est oratio, tertia ieiunium, de quibus erit consideratio sequens. Quis oro dubitauerit, quin scriptor de quo loquimur sit largitor eleemosynæ multiplicis, nedum temporalis, ad sustentationem sui, suorúmque fratrum seu domesticorum. Est enim lucrosa non parum ista ars. Tenebit insuper locum eleemosynæ spiritualis ad opitulationem animarum, nunc aduersus errores & scrupulos per eruditionem doctrinalem atque consilij, nunc ad consolationem salutarem. Fallor si non ita misericordiam receperunt Ionathas cum cæteris Iudæis, 1. Machab. 12. dicentes *se habere solatio sanctos libros, ideo nullo indigere:*

Consonat

Conſonat Apoſtolus, vbi ſupra ad Rom. Sunt adhuc, vt accepi, nõnulli profeſſores regulæ beatiſſimi Auguſtini (quos canonicos regulares appellamus) apud Hollandiã, quorum labor ſcribendi, paſcit eos temporalibus ſubſidijs de precio librorum, remanentibus apud ſe plurimis ad ſpirituale ſolatium. Tales iure dixerimus beatificatos à propheta. *Labores* (inquit) *manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, hic in ſpe, *& bene tibi* tandem *erit* in re. *Vxor tua* myſticè diuina ſapientia, vel religio tua, vel cæleſtis gratia, *ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*, quæ eſt Eccleſia vel conſciẽtia. *Filij tui* literaliter profeſſores & ſcriptura, moraliter opera tua, *ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ Domini*: *quæ paratur aduerſus eos dæmones, & homines qui tribulant nos*. Compara nunc ſi potes, aliorum quorundam Eccleſiaſticorũ multiplicata ſuper numerum inſtituta, ſint in orationibus vocalibus, ſint in eleemoſynis corporalibus, iſtorum pauperi, nec iã pauperi, ſed diuiti ſimplicitati. Fuerint, an adhuc ſint neſcio ſanctimoniales in hoc opus dedicatæ, ſicut olim Origeni, pro tranſcribendis operibus ſuis, nedũ notarios perdiuites ſeculares, ſed puellas ſex in ſcribẽdo peritas, datas eſſe. Vnde quæſo tot genera bibliorum, tot doctorum volumina, quę modò ſuperſunt in Eccleſia, ſi non ex ſcriptoribus in religione degentibus, quorum ad præſens vix vllum ſupereſt veſtigium?

Pſal. 127.

Quarta conſideratio, quod ſcriptor orat.

SCRIPTOR noſter orat, habet oculus nuncius cordis, orandi materiam ſibi miniſtrare. Quamuis nihil obſit, quin vocalis quandoq; poſſit inſeri oratio, vel canticum ſuaue, dum ſcribitur. At verò ſatis eſt implere ſcriptorem noſtrum monitionem Apoſtolicam, quod pſallamus & cantemus in cordibus noſtris Domino: quod frequenter eò liberiùs implere valet, quò ſolitudine quadam vberius fruitur. Puto palam mihi fieri, quod ſcriptio vel ſcriptura eſt opus Dei, opus religioſum, non minùs ſæpe quàm vocis exaltatio in canticis Eccleſiæ. Poteſt ſubinde vnum compenſari per alterum, quandoque ſalubrius, quàm temporalis adminiſtratio ab Eccleſiaſticorum officiorum frequentatione ſaluat & abſoluit. Crediderit proinde ſcriptor noſter, & pietate iugi recogitauerit, totiens Deum, ſanctóſque Angelos ſecum eſſe, totiens ſcriptores ſacros ipſum alloqui, totiens Chriſtum ſibi blanda quędam oſcula conſolationis dare, quotiens eorum dicta ſalubria conſcribit, quę mediatè vel immediatè diſpenſarunt. Cui dignitati, quæ poteſt merces alia temporalis æquari? Quis prohibet talem aliquem contemplatiuum & eſſe ſimul & dici? Contemplationem itaque lectio, quæ ſcribendo fit, non impedit, ſed paſcit.

Quinta conſideratio, quod ſcriptor affligitur.

SCRIPTOR noſter affligitur, in quo ieiunij vicem tenet: Ieiunium prout eſt tertia pars ſatisfactionis, extenſo nomine, dicitur à doctoribus omnis afflictio corporalis, aſſumpta voluntariè pro domatione carnis, vel vice ſatisfactionis, quæ fit per dolorem. Quemadmodum pars altera, quæ dicitur oratio, cõcludit omnem mentis eleuationem in Deum, cum humili ſubiectione & obedientia. Eleemoſynã verò protendunt, ad omne ſubſidium proximo miſericorditer impenſum. Conſonat votum paupertatis eleemoſynæ; votum obedientiæ orationi; votum caſtitatis ieiunio ſeu corporis edomationi: Quæ taliter elucidata, mox perſpicuam faciunt hanc conſiderationem cum duplici præcedente. Nullus itaque negauerit laborioſum eſſe ſcribentis exercitium, acceptet igitur illud in pœnitentiam ſeu ſatisfactionem pro ſuis alieníſque delictis: ſic enim directio ſpiritualis oculi reddit laborem ſuum, nedum vno hoc modo laudabilem & meritorium, ſed tot modis, quot intentiones bonas adducet ad decorationem actus ſui, nominatim iuxta conſiderationes duodecim, quas ſub ſcripturæ præconijs aperimus. Iunge quod in foro pœnitentiæ poteſt iſte labor ad ſatisfactionem ſacramentalem imponi: quem laborẽ, ſi nullus imponit hominum, impoſuit ſanè Deus ab initio cum dixit Adæ & poſteris, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Porrò qui *in labore hominum non ſunt, nec cum hominibus flagellantur*, non intumeſcant, ſed timeant ne cum dæmonibus affligãtur. Scripſit egregium volumen Auguſtinus de opere monachorum, quod totum potuerat ad rem quæ nunc agitur traduci: quoniam ſi monachos oportet operari, quale dabitur opus aliud ſuæ profeſſioni, nedum minus aduerſum, ſed amplius promotiuum, attento quod non omnes idonæi ſunt ad difficiliora, qualia ſunt prædicatio vel lectio doctrinalis? Sed neque miſſarum obſtant celebratio, quam finit hora breuis. Neque præterea valet excuſatio deſidiæ nonnullorum, dicentium, imò quaſi gloriantium, neſcio ſcribere. diſcant, diſcant, neque verecundentur vel

Gen. 3.

desperent, quoniam *labor omnia vincit,*

Improbus, & duris vrgens in rebus egestas,

ait Virgilius. Gallicè, *Besoin faict vielles trotter.* id est Latinè, necessitas facit vetulas currere. Qui se dicit egere cum sibi possit (faciendo quod in se est prouidere) si mendax, si fictus est, lector dijudicet.

Sexta consideratio, quod scriptor sal sapientiæ tribuit.

SCRIPTOR noster posteris sal sapientię administrat. Iubet Apostolus *esse nostrũ rationabile obsequium*, conformiter ad figuram legis, præcipientis *in omni sacrificio sal apponi.* Videat autem scriptor ne suum sal infatuet, vel sibi, si ei non sapuerit, vel alijs si corruptum per ineptias scribendi reddiderit. Quales verè protulit ætas nostra plurimos, quorum mendosa fuerunt adeò volumina, vt consultius fuisset, nulla quam talia ministrari cum literis inconditis, sine lege, sine sensu vel ordine: adeó quidem, vt auctori proprio seu dictatori non intelligibilia redderentur quantũlibet introspecta. Hanc existimant aliqui non minimam tribuisse iacturam studijs ac vniuersitatibus nostræ tempestatis, dum quilibet admittebatur ad scribendum, non probatus, non cognitus. Exemplaria quoque dabantur incorrecta: quidni multiplicior corruptio sequeretur, iuncta transscribentium vel inertia vel ignorantia?

Sed dantur visitatores in artibus mechanicis, ne fraus committatur in operationibus, vt in pannis, vel in pane, vel cutellis, & cæteris. Quis dignè tulerit opus preciosissimũ, expers esse visitationis, ne corruptio sua serpat iugiter in deterius? Sic olim apud sanctos patres habebatur electio super scriptorib⁹, nec passim admittebatur indoctus vt doctus, sed vsque ad punctorum formationem, qui lucem dant magnam legentibus, examen habebatur. Prisci doctores, nominatim Ireneus (si non fallit memoria) subiungebant in opusculorum suorum fine, terribilem diuini nominis obtestationem, vt scripta sua correctè trãscriberētur, & per posteros ita fieri suaderent: alioquin iuxta Hieronymum, quis vel scripsisse, vel emendasse fructus esset?

Septima consideratio, quod scriptor fontem ministrat.

SCRIPTOR noster posteris *aperit fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Intelligatur hoc, non vt auctor principalis, qui solus Deus est, sed vt ministrator. Nam fons vitæ, verbum Dei in excelsis. Nonne libri salubres, quales intendimus, sunt, non *cisternæ quidem veteres & dissipatæ, sed fons hortorum, puteus aquarũ viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, qui cãdidatio nũcupatur? Cui sapientiæ fonti, quantò proximiores sunt riuuli scientiarum, tantò pauciores saluberioresq; crediderіs illos. Quo contra, dum per terras in longinquum riui scientiarum dilabuntur, non retinentes virtutem & gustum fontis originalis, scito quod hoc de facili limum viscúmq; contrahunt, vnde vermes pestilentes, vt ranę, buffones, colubri geniti repunt, & potantes inficiunt aut perimunt. Bibe igitur, ô scriptor, de de aquis tuis viuentibus, venientibus de Libano prior, & ne dixeris cum hæreticis, *aquæ furtiuæ dulciores sunt*, sed omnia palam & in luce clarescant, pro quo sit sequens consideratio.

Octaua consideratio, quod scriptor lucem dat.

SCRIPTOR noster lucem sequitur, & eam posteris administrat. Lex Dei *lux est & lucerna. Lucerna pedibus meis verbum tuum* (ait Psalm. Domino.) *& lumen semitis meis.* Sed oportet ipsi gaudium sit, qui delectabile lumen oculis inspicit quotidie. Neque habet vt Tobias conqueri, *Quale mihi gaudium erit qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Videt planè lumen cæli scriptor noster, quod est verbum Dei descendens à patre luminum, dum alij accumulant super se terram, instar talparum, defossi tenebris secularium vel literarum vel operationum. Gaudeant pueri tales habuisse parentes vel magistros, qui talibus eos artibus salubria scribendi voluerunt instruere. Gaudeant qui talentum artis huiusmodi susceptum non ignauiter infodere, sed vt lucernam & lucem, strenuitate diligenti conantur pręsentibus & futuris ostendere. Vide homo homini, & ars arti quantum præstat & præfertur: deditus scilicet ad salutaria spiritualiáque, præ delictis aut impulsis ad noxia, (quæ vel auaritiam nutriant, vel ad flagitia pertrahant) non distrahunt à peccatis. Demum collige tecum scriptor noster, quale sit tibi donum Dei, posse frequenter emergere de tenebris mundanorum hominum cum actib⁹ suis teterrimis, in seditionibus, in bellis, in contradictionibus: emergere dixerim per obligationē animi, dũ lucidis & tranquillis actionibus, mens occupat se. Nam vbi locus esset in corde tuo tenebris, quod lux scripturarũ attētione sua cõplet?

Psal. 119.

Tob. 5.

Qua

Qua in re, non paruum accipit fructum scriptor, quamuis illiteratus, non minùs crebrò quàm homo non intelligens Ecclesiæ canticis occupatus. Sensit hanc lucem Augustinus, dum obediēs cælesti oraculo, *tolle lege, tolle lege,* côiectis in scriptura Apostoli oculis, mox depulsæ sunt ab eo dubitationis tenebrę, luce securitatis infusa. Itaque dici non potest, quàm multiplex olim & quotidie lucis splendidæ fulgor irradiet legētes in scripturis, quas haberi non posse sine scriptoribus quis nesciat? Præsto sunt vbilibet scripta tibi, si volueris, verba non æquè. Vides in illis defectus tuos, tanquam in speculo, sine verecundia vel pudore cuiusquam inspicientis vel culpantis. Potes pro variatione palati spiritualis, nunc istis nunc illis scriptorum refici saporibus. Propterea superuacuam ipsorum multiplicationem quis esse culpauerit? Nonne lautissimā esse conuenit sapientiæ mensam, multáque ferculorū varietate refertam? Sumat vnusquisque quid & quantum satis erit, vel vsque ad sobriam ebrietatem spiritus, ad quam spōsus inuitat charissimos. *Comedite,* inquit, *amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Qualis ebrietas nòn tenebrositatem, obtusitatémque, sed luminositatem affert insolitam, & verè diuinam. Cantic. 5.

Nona consideratio, quod scriptor Ecclesiam ditat.

SCRIPTOR noster Ecclesiam ditat: Refertur Augustinus moriens, fratribus inculcasse, quod Ecclesiticā bibliothecam magno studio, quia magnum sciebat esse thesaurum, custodirent. Quo contrà non habent tyranni depopulatores regionum seu religionum efficacius machinamētum, quàm si libris ipsas in primis spoliauerint atq; priuauerint. Patuit in regibus Assyriorum respectu Hierusalē & Iudæorum. Hoc pridem animaduersum est incommodum cœpisse circa regnum Franciæ Christianissimū, à quo libri distracti sunt assiduè, & si non aperta, tamē occulta & palliata deprędatione, propter lucrū ad exteras nationes colligendū, quanquā neq; defuerint apertissimi violētissimiq; direptores. Dicitur in prouerbio vulgari: *Les bons liures sont les bōs clercs,* id est boni libri faciūt bonos clericos. HOC & aliud prouerbiū verū est, *Mutatis quoque libris, vt politia mutetur vno modo vel altero necesse est.* Hæc ad laudē scriptorū spectant, quorum studiū est ad oppositum librorum depauperationē cōtrarium, ditare scilicet, & populare libris sanctis. Admirabilis fuit ardor habendi libros sanctos apud Ptolomeum regem, qui precio ingenti cōparauit sibi per 70. interpretes translationem eorum. Quo vtinam prouocarentur infidelis regis exēplo, fideles pontifices, & principes Christiani: Fertur huiꝰ regis libraria, quinquaginta milia libros habuisse. Cæterū diuitias hic non accipimus solum in decore librorum, qui tamen additus si fuerit valori spirituali, precium duplex accrescit, sicut in ornamētis Ecclesiasticis ista laudamus. Sit scriptura laudabilis pro thesauro, qualis nō est in papyris illicò exeūtibus, vbi dicuntur simul labor rectè papyreus deperire cum opera & impensa. Pergamenū durabilius est, quæ cōditio caritatem eius super papyrum compensat abūdāter. Sed neq; quispiam excusauerit suam in scribendo segniciem, si nesciuerit literas artificiosè multum formare: litera sit legibilis, sit pūctuata, sit purgata, qualis est Lombardorū, nō inuoluens se tractibus superfluis: sit demū sine mēdis falsitatis cum ortographia vera. Illā sufficit in Ecclesiæ thesauro reponi, quāuis parum fucati decoris obtineat, nec tantum precij temporalis. Non autem oportet ad extremum vnumquemq; similes ad scribēdum libros assumere, quemadmodum non est par in legentibus studium. Captat hic amplius deuotionem vel gignere vel nutrire, cui parua satisfaciūt opuscula: vult alius in altum eruditionis intellectualis ascendere, tali, grandia doctorum habenda sunt volumina, quorū traditiones ordine doctrinali scrutetur, alioquin rectum in addiscendo deserens ordinē, lætos iuxta Boëtium exitus non haberet. Primum simplicitati claustralium religiosorum: alterum magis appropriatum est studiositati, sapientiā, cum prædicationis officio profiteri quærenti: Tu denique si non potueris amplos librorum manipulos ad aream Ecclesiæ reportare, vel paruulos & paucos, imò si Gregorio credis, vel vnum afferre stude, vt in tabernaculo Domini non vacuus appareas, si solus etiam caprarum pilos habueris, vel minuta duo.

Decima consideratio, quod scriptor Ecclesiam armat.

SCRIPTOR noster Ecclesiam armat. Comparat Salomon in canticis Ecclesiam turri Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Et Apostolus nominat verbum Dei nūc *clypeum ignitum,* nunc *gladium ancipitem & penetrantem,* nunc Cantic. 4. Ephes. 6.

Pſal. 119 *gladium ſpiritus.* Et Pſalm. *Sagittas potentis acutas.* Quiſquis igitur habet zelum legis (& habere debet ſummus pontifex, præcipuè cum prælatis & clero) vigilet, oportet, hanc armaturam libris miniſtratam, augere Philip. 2. *aduerſus omnem ſcientiam, extollẽtem ſeſe* contra Chriſtianam religionem. Sed heu quid dicit Apoſtolus! *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* qui nec opponunt ſe murum, nec armis ſpiritualibus induũtur, nec ſcriptis (quibus alij ſe, fidémque dilatent) abundare procurant. Vide ſi non charior eſt hodie cõſcriptor citationum, quàm euãgeliorum: mentior ſi non pluris emuntur, ſi non ſedulius apud quoſdam Chriſtianos comparentur ſcripturæ fabuloſæ, quàm religioſæ; & prophanæ, quàm ſacræ; & lubricæ, quàm caſtæ. I nunc & Eccleſiã inter has manus proſperari confide. Si non erat animus ad ſcrutandum, iuxta Chriſti iuſſionem ſcripturas illas, tamen multiplicare reſeruaréque pro neceſſitatibus & oportunitatibus æquũ erat. Non quod ipſi etiam theologi memoriter omnes incorporent, hoc enim nequaquam factibile eſt, vel tentandum, cum ſit conſultius paucis ritè digerendis immorari. Verum expedit reponere, repoſitáſque cogitare ſcripturas velut in ſumma quadã, quatenus pro loco & tempore poſſint haberi confeſtim, vt ita loquamur, ad manum, pro infidelibus vel conuertendis vel reuincendis, ad erudiendum etiam nunc hoc modo, nunc illo fideles. Talis ſit oportet *omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis homini patri-familias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Cui parabolicæ ſimilitudini, nonne videtur alludere ſponſa blandiens ſponſo: Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi?*

Offert hoc loco ſe conſilium, quid per comparationem ad armaturam Dei, quam eſſe dicimus libros legis, ſit de armis diaboli, libris reprobis, faciendum. Legat qui neſcit illud de Actibus ca. 19. *multi ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerũt libros & combuſſerunt coram omnibus. Et computatis precijs eorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium, ita fortiter creſcebat verbum Dei & confirmabatur.* Simile factum nuper accepimus de libro magico, æſtimationis mille aureorum, qui vt palmes inutilis aruit & arſit: ſic olim Pariſijs in Grauia, & nuper in atrio maioris Eccleſiæ. Vtrum verò ſit expediens apud prælatos & inquiſitores, tales aliquos reſeruari propter exemplar condemnationis ſimilium, ipſi cõſiderent.

De bonis quidẽ, nulla ſit dubitatio, quando videmus præcepto Domini tabulas legis in arca cuſtoditas fuiſſe & repoſitas, quę cuſtodia cum honore ſignata eſt in exemplari vita Chriſti; qui librum legis poſtquã acceperat & legerat, arma pro ſe contra perfidos ex Eſaia proferens, plicuit librum, reuerenter miniſtro reddẽs illum, vt habetur, Luc. 4. c. Morẽ rurſus eſſe Iudæis ſcribit Nicolaus de Lyra, nõ ita ſedere altè, quàm altè poſiti ſunt libri legis. Scitur inſuper de Chriſtianis aliquibus, quod ipſis par eſt deuotio ad aliquem librum ſanctum, ſicut ad ſanctorum reliquias, quem vt ſignaculum ſupra cor vel pectus ſuum ponunt, oſculantur & ſtringunt: nec parum credunt opitulari, dum in ſe verſant, quod de Euãgelio Matthæi ſuper ægros impoſito, tradunt hiſtoriæ cum cæteris.

Vndecima conſideratio, quod ſcriptor cuſtodit Eccleſiam.

SCRIPTOR noſter Eccleſiam cuſtodit. Opitulatio ſcripturarum duplex eſt aduerſus hæreticos. Vna vt vincantur, & ſic armat; altera ne vincant, & ſic cuſtodit. Sed nobis talia diſſerentibus, mox occurrere videtur animalis homo, & opponere primò illud Eccleſiaſtis in fine, *quod ſcribendi plures libros nullus eſt finis.* Deinde, quod deſunt ſcrutatores ſcripturarum, præſertim deuotarum. Amplius quod ex lectura librorum multi ſuſceperunt occaſionem errandi, imò & inſaniendi: ſicut oppoſuit Paulo Feſtus: *Multæ litteræ faciunt te inſanire Paule.* Act. 26. Rurſus, oporteret libros ipſos etiam laicis & mulierculis propinare, vt docerentur per ſe, legendo eos, facta trãſlatione ad vulgare ſuum, ſi non aliter conciperent. At verò primum non impedit, vel obliterat laudem ſcriptoris noſtri: nõ enim progreditur immenſum ſine fine, ſed finem conſtituit cum Eccleſiaſte, timorẽ Dei, cum ſuorum obſeruatione mandatorum: quo fine retento nihil nimis. Nec iam erit pluralitas librorum, ſed vnitas. Fatemur & plãgimus caritatem eſſe nimiã in ſcrutatoribus ſcripturarum deuotarum: ſed maior adhuc inueniretur, occaſione ſublata librorũ, quos ingerere per ſcriptores expedit. Potens eſt Deus affectibus flãmam inurere, cũ intellectus allectione, vt perfectionem ſuã in veri cognitione poſitam, aliquando ſcrutetur. Cæterùm nihil eſt, tam ſanctum & ſalubre vel pium, quo non contingat abuti, ſic de libris euenit, quorum non eſt culpa neque ſcribentium, ſed ſcelus eſt in abuſu. Poſtremùm

mùm magis vrgere videtur, si non habeat zelus instructionis, sanctam scientiam, si contempserit obseruare non violandam Ecclesiæ hierarchiam, quæ habet, vt inferiores laici per superiores clericos, in lege Dei peritos, instructionem accipiant: nec docere habet publicè, nisi missus.

Non enim esse dicimus omnium vel habere vel scrutari libros sanctos, illos maximè, qui suam difficultatem petunt explanari per alios passus & glossas doctorum. Qualiter agere nec facultas est ingenij, nec eruditionis cōmoditas apud vulgus, *quos ab ore sacerdotum oportet legē exquirere:* Neq; tamen arcendi videntur ab opusculis moralibus & deuotis, nullam in se difficultatem, nec ambiguitatem, nec absurditatem in translatione gerentibus, cuiusmodi sunt historiæ, vel vitæ, vel legendæ sanctorum, necnon meditationes sanctæ. Translationes in reliquis, iure culpantur, plus erroris arrogantis, quàm deuotionis, humilis aut eruditionis salubris, materiam propinātes.

Duodecima consideratio, scriptor honorat Ecclesiam.

SCRIPTOR noster honorat Ecclesiam. Deducunt hanc honorificentiam præmissæ cōsiderationes, quæ simul ostendunt non medioerem latriæ venerationem scribendo libros constitui. Vnde consurgit ratio meriti ad Deum, *qui honorificat honorātes se*: qui legem quoq; matris Ecclesiæ sponsæ suæ non dimittunt, sed augere, sed dilatare, sed elucidare contēdunt: quod si fortè dixerit æmulus aduersus laudem scriptoris nostri: cur laudetur ille, qui mercenarius est, cuius ad lucrum respicit oculus? Accipiat lucrum, quod suum est & vadat. Respondebimus per Euangelicam & Apostolicam sententiam, *quod dignus est operarius cibo suo, & mercede sua.* Tantummodo principalis & finalis eius intētio in honore Dei & Ecclesiæ, *in charitate non ficta*, in sua demum aliorúmque perpetua salute figatur, *vt sit finis lucri, sub fine cælesti*, quatenus non iam duo fines aduersi, sed vnus vtrobique censeatur. Nonne scriptor noster prætereа venit honorādus ab omnibus, qui diligunt Ecclesiam, præcipuè qui regimini suo præsunt? Sed honor ipse in beneficijs, sit honor in aliquo insigni titulo, sit in largitione indulgentiarum non minùs quàm pro peregrinatione, vel Ecclesię materialis constructione, sit in priuilegijs aliquibus. Quoniā *si duplici honore dignos dicit Apostolus, qui laborāt in verbo*, nūquid de scripto silebimus? Nunquid Euāgelistæ, nunquid Prophetæ, nūquid Paulus ipse profuerūt nihil scripto? Nonne plurimi quotidie scriptis ædificantur, qui verba non audiunt? Hoc vnum iniungendum pręmisimus, vt scriptor omnis idoneum se præbeat, quatenus ab institutis vel instituendis principalibus scribis, exemplaria, quæ & qualia sint irreprehensibilia, suscipiat. Sic enim iubet Dominus (Deuter. 17.) *vt rex sibi descripturus Deuteronomium legis, exemplar à sacerdotibus accipiat.* Et Moysi dicitur, *Fac omnia secūdum exēplar, quod vidisti in monte*, quod & Angeli ministrantes obseruant.

Ecce quanta sterilitas per Ecclesiasticos, præsertim plebanos, rectores Ecclesiarum, & alios otiosos de Ecclesia, proh dolor inuenitur! Apud quos, nec breuissimus tenor vnus habetur diuinorū præceptorum, nec sacramentorum nominatio, nec numerus articulorum! Compelluntur habere synodalia quædā instituta, bene quidē, sed illud oportuit facere, non tamen aliud omittere.

Denique nihil impedit (vt ad principium finis se referat) libros seu tractaculos vel codicillos deuotionis scribere festiuis diebus, habito moderamine, quale sapiēs iudicabit in hoc opere, quod vtique non seruile censendum est, sed in honorem Ecclesiæ plus aliquādo vergens, quàm multiplicatio vocalis orationis, imò quàm insolens in aliquibus missarum inculcatio.

Si quid ad extremum vobis est vel fidei vel consilij, prouideāt superiores in vniuersitatibus studiorum, in cœnobijs seu monasterijs religionum, in collegijs Ecclesiarum, maximè cathedralium, nedum librarias habere, sed scriptores de suppositis suis instituere, cum relaxationibus onerum cæterorum congruis, aut cum stipēdijs opportunis, quæ vbi deessent, agat nihilominus scriptor noster pro causa non infima, quatenus otium vitet, quod omnia vitia docet, quod eorum sentina est abominabilis & horrenda. Speret præmiū, speret quoniam merces sua magna nimis erit Deus, iubens *scrutari scripturas*, ac proinde scribi, *quibus habetur æterna vita*, cuius esse participes (tanquam in libro suo scriptos) largiatur ipse nobis Dominus noster Iesus Christus, liber vitæ speciosissimus Deus, benedictus in secula. Amen.

Finit tractatus de laude scriptorum editus à Christianissimo doctore Ioanne de Gerson. Cancellario Parisiensi, Lugduni. Anno Domini, M. CCCCXXIII. Aprili.

PROOEMIVM IN CONcordantias Euangeliſtarum, collectas per venerabilem Magiſtrum Ioannem de Gerſon Cancellarium Pariſienſem, quas intitulauit Monoteſſaron, aut vnum ex quatuor.



VANGELIVM latum eſſe & magnum, & rurſus conciſum, diuinus Bartholomæus dixit, Dionyſio in de myſtica theologia teſte. Cuius ratio multiplex noſtræ congruens intentioni poteſt elici, dum aliquid proloqui volumus ſuper vnum ex quatuor nuper edita compilatione. Verbum quidem quod in principio erat apud Deum, eſt vnum & multiplex, prout de ſpiritu ſapientiæ tradit ſapiens, vnum in eſſentia, multiplex in effectu. Eſt vnum rurſus apud nos, progrediendo per viam negationis reſolutorię, omnimodum verò per viam attributoriæ poſitionis. Eſt præterea vnum & efficax cuilibet accommodè ſe coaptans, & loquens verbum euangelicum, & *penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ*, vt ſpiritus, à quadam animalitatis concretione ſolutus, liber & expeditus, fas habeat circumquaq; in circuitu leuare oculos ſuos, vbi videt & affluit, & miratur, & dilatatur cor ſuum. Vbi rurſus eſt iuxta philoſophicum dictum intellectus adeptus quidam. Inſuper habetur innocentiæ ſtatus, vbi viſus fuiſſet Deus in libro creaturæ totius, claro contemplationis intuitu Denique verbum quod erat in principio immenſum, fecit Deus abbreuiatum, dum verbum caro factum eſt. Imò ſi profundè ſpeculamur, verbum iſtud vnum *quod erat in principio apud Deum*, dici poteſt, tam in creatione rerum, quàm in incarnatione, quodammodo multiplicatum, iuxta metaphyſicalem de creatis intellectibus conſiderationem, qui quantò ſunt imperfectiores, & à prima verbi luce diſtantiores, tantò magis verificantur pluribus egẽtes ſpeciebus & actibus, quàm perfecti. Et certè ſic experimur in humanis intellectibus, quod præſtantiores, tam ingenio naturali, quàm exercitio doctrinali, ſub paucioribus conceptibus, plura, maioráque ſub vniuerſalitate cognoſcunt. Sunt qui ad paucula verba, puta ad orationem Dominicam, conſiderationes velut innumerabiles, per multa ſeptenaria petitionum, donorum, virtutum, beatitudinum, ſacramentorum, dotum, & ſimilium, ſub omni facultate reſoluunt: & tanquam in libro legentes, & in ſerena mente conſtituti, collectam rerum magnitudinem, quaſi ſub vno ſolis radio, contemplantur.

Cur iſta dicimus? Nimirum quia dignum eſt & ſalubre, Chriſtianis præſertim ſtudioſis in theologia, quæ multa eſt ſecundum præfatum Bartholomæum & minima, vt ponant ſibi reſolutionem & ordinem ad pauca, quoniam habet omnis varietas ad vnum vel pauca reduci. Quid erit illud vnum vel paucum conuenientius accipiendum, quàm euangelium? Ita enim narratum eſt de theologizante Cecilia, quod ſemper euangelium Chriſti gerebat in pectore ſuo: cuius exemplo nunquid non eſt vtile ſapientiæ ſectatoribus, vt ſuum omne ſtudium referant ad euangelicam vnitatem? Prorſus erit hoc ad memoriam vtile, & ad pietatem proficiens, cum in eo reconditus ſit cultus Dei præcipuus: cum ſit præterea in auctoritatis arce locatum. Proinde talis reductio habebitur faciliter, ſi verbis ſingulis, ſi propoſitionibus, ſi ſententijs pondus ſuum detur, cum inquiſitionibus & ſolutionibus dubiorum, ſicut edocent theologici tractatores: & hoc ſiue fuerit doctrinis practicis, ſiue ſpeculatiuis intendendum. Vide totam materiam de Trinitate, locum inuenies congruum, vbi dicitur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:* Materiam de creatione rerum ibi, *omnia per ipſum facta ſunt:* Materiam de incarnatione, ibi, *verbum caro factum eſt:* Materiã de gratia, *& habitauit in nobis*: Poſtremò de gratia ſacramenti, ibi, *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*.

Quiſque igitur voluerit, vel legere vel ſtudere, quaſi ſaluberrimũ & ſolidiſſimum diuinæ legis fundamentum, oſtenſa eſt ibi via latiſſima, qua progrediatur, & omnia quæ alibi vel audierit vel ſtuduerit, velut in vnum principium reducat, colligat & reponat. Ita enim theologiam egregius doctor Bonauentura in ſuo breuiloquio totam inchoauit, mediauit, & finiuit à primo principio, quod ſine dubio eſt illud *quod in principio erat apud Deum. Ego* (inquit Ieſus) *principium, qui & loquor vobis*. Et in Apocal. *Ego ſum alpha & ω, principium & finis*. Quis dignè laudabit Aureolum, qui totam ſub paucis concluſionibus bibliam, præcipuè Ioan.8. Apoc.1.

quatuor

quatuor Euangelia, mira subtilitate compegit. Nonne sanctus Thomas, totam penè theologiæ practicam (prolixioribus licet verbis) in secũda secundę conclusit? Quam summam, si tantò quęreret impendio theologicorum sobria studiositas, quantò conteritur in superuacuis multorum, heu vana curiositas! haberẽt profectò theologi, vnde quorumdam sapientium in oculis suis insultatio (phãtasticos appellans theologos) retusa cessaret.

Conatus est nostrum vnus ex theologiæ professoribus, notare semitam per quam nouus theologiæ discipulus haberet pergere. Sed dum etiam atque etiam recogitauit, tot inuenit ingeniorum varietates, tot præterea pro diuersitate finium multiplicitates mediorum, pro loco, pro tempore, & societate, denique pro occurrentibus exercitijs, nunc in istis doctoribus, nunc in illis, vt vix aut nusquam valeat vniformis regula constitui. Veniebat rursus in animum cudere quædam noua opuscula super vnum ex quatuor, sed repressit modestior consideratio, & pauculis annotationibus voluit esse contenta. Prospice quot & quanta pateant à summis ingenijs elaborata super euangelia, per glossas ordinarias interlineares, per margines, per homilias, per postillas, per determinationes, per concordantias magistrales, per sermones, & themata, per compilationes, nunc summatim, nunc cum ingenti coaceruatione ex aliorum dictis, quis cuncta dinumeret? Consultius idcirco visum est relinquere proprium cuilibet studiũ, laborem, ordinémq; quærendi, quàm glossas iterum super glossas addere, quæ nec sufficerent curiosis, & negligentes vel onerarent, vel non satis instruerent. Vescendus est panis, nedum materialis, sed doctrinæ in sudore vultus nostri. Mos iste non virorum est, sed infantium, non posse vel nolle cibum recipere, nisi aut præmasticatum, aut minutatim discissum. Vanitas quoq; nonnullorum ex scriptoribus, mysticè notatur ab Ecclesiaste, quoniã diebus ac noctibus non cessant, & sua summo labore quæsita dimittunt homini extraneo & otioso, qui vel non vtitur, vel in superbia abutitur derelictis. Quid proderit, oro, cæcis vel auersis oculis, si digito (vt aiunt) lux ipsa monstretur. Cæterũ, si non inspicitur Augustinus in suo de doctrina Christiana, si Hugo in didascalico, si documenta summatim notata ab auctore de virtutibus & vitijs, super modo docilitatis, tam in doctore, quàm in discipulo: quid habet exiguitas pręsentium sperare scriptorũ, vt legi modo digna putetur, ne dixerimus imitari (quamquam minùs inutile sit noua, quàm nulla sectari) dum optima quęque vetera per negligentiam intereunt? Nunquid non hæc est causa nõ infinita, cur opiniones totiens, & secundum Aristotelem infinities, repetuntur & reuoluuntur, quia nimis est fastidiosum cor humanum, quodam insatiabili pruritu noua semper appetens, & vetera, seu quæ ab alijs dicta scriptáque cognouerit (etiam meliora) fastidiens. Cur aliunde, si nõ ex hoc, tot lecturarũ super sententias, & alibi prægrandes sarcinæ? Nonne ideo, quia quod in vna parte alter tractauit, idem mox in alterã ab illo retorquet, dum tritam alterius semitam pudet sequi, & placet contentionibus intendere? Nihilominus, quisquis exercitationis gratia voluerit in hac cõpilatione noua, quæ dicitur vnũ ex quatuor, nouam expositionis semitã inuenire, vel progredi, vel ostendere, non culpamus. Neq; enim paucior est spiritualium, quàm corporalium gustuum varietas, *& suus cuiq; mos est, nec voto viuitur vno*. Alterius postremò natura gaudet, donec venerimus ad illud vnicum *verbum, quod erat in principio apud Deum*.

PROLOGVS.

EVANGELICOS canones composuit Eusebius Cæsariensis in Græco, quos Hieronymus Damasi rogatu Latinis tradidit, referens de Ammonio Alexandrino, quod ediderit vnum ex quatuor: & ipsum se dicit Eusebius imitatum. Sed vitio scriptorum & propter varias translationes euangeliorum, contextus illius Ammonij (Hieronymo teste) falsò fœdéque laceratus inueniebatur. Vt igitur maneret euangeliorum integritas, nihilominus notum fieret studiosis in quibus Euangelistæ conueniebant, & in quibus non, inuẽta est canonum prædicta compositio, quæ iam penè recessit ab vsu: fortè propter nouam in euangelijs (prout & in alijs sacræ scripturę libris) per capitula quotationem. Vt autem labor veterum tantus non ex toto periret, placuit tradere modum, quo posset quilibet studiosus vti præfatis canonibus, in libris etiã non habentibus eos, vel ipsos nouiter inscribere fas haberet. Procedunt autem ca-

ſiones Euangeliorum per concordantias, nedum reales vel hiſtoricas, ſed quandoq; per vocales, vbi conſtat non eſſe eandem doctrinæ vel hiſtoriæ narrationẽ, ſicut de Paſcha, ſicut de filio reguli, & de ſeruo cẽtu rionis, ſicut de cæco ſanato in ingreſſu Hierico, & de cæcis in egreſſu ſanatis; & apertiſſimè in piſcatione Petri, quando fuit vocatus ad ſequelã, & de piſcatione quã exercuit poſt reſurrectionẽ, quãdo *manifeſtauit ſe iterum Ieſus.* Ioan. 21. Conſtat enim non eandem, ſed diuerſam piſcationem fuiſſe, & ita de plurimis, quod expedit cognoſcere, ne diſſonantia difficilis & impoſſibilis ad concordandum textualiter oriri videatur.

Vtrum verò liber Ammonij vnum ex quatuor, reperiatur vſquam apud Latinos, ignoro. Egregius autem doctor Auguſtinus, librum edidit præclariſſimum de conſenſu Euangeliſtarũ, in quo modum exorſus eſt componendi vnum ex quatuor; cui nuper exordio datum eſſe credimus in reliquis auctore Domino complementum: quod opus eo facilius poterit incorruptum ſeruari, quàm in principio naſcentis Eccleſiæ, quo ſuſcepta multiplicatáque eſt vnica euangeliorum Hieronymi tranſlatio. Sed heu noſtra hac ętate miſera! quis leget hæc? quis ſtudebit? quis tranſcribet? Cernis & ſentis, frater Chriſtianiſſime, quãtus modo bellorum pluſquam ciuilium horror circumtonat, quanta ſuccreſcit hæreſeum infœlix pullulatio, quantum inſuper præualente iniquitate refriguit charitas; quemadmodum rurſus, ſacræ legis ſtudium intermiſſum ne dicamus irriſum. Verùm, conſolatur nos pollicitatio Chriſti dicentis. *In mundo preſſuram* imò pacem *habebitis*, de qua loquitur ad Dominum propheta, dicens: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et iterum: *Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.* Vt quid ita? *vt mitiges ei à diebus malis, &c.et.* Hinc de ſapientia gloriatur alius, quod erit allocutio tædij ſui, quia non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Hanc amplectamur frater chariſſime, vt tanquam altera Sunamitis, ſuo calore viuido caſtóque noſtram refoueat in miſericordia vberi ſenectutem. Denique iuxta verbum Hieronymi ſe conſolantis & inducentis hymenæum, canamus nobis & muſis, imò Deo & Angelis, ſi aures ſurdæ fuerint cæterorũ. Siue vt Epicurus amico loquitur, *duo nos, magnum ſatis theatrum ſumus.* Aut certè ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe: nunquam minùs ſolus, quàm cum ſolus, nec magis actuoſus, quàm cum otioſus. Siquidem regnum Dei intra nos eſt, quod prorſus eſſe quis dubitet ampliſſimum, compellens ibi rationes & canones omnium ſeculorum? Vbi Deus omnia in omnibus, in quo hîc, & nunc, & iugiter deambulemus animo. Vale Frater.

Ioan. 16. Pſal. 118. Pſal. 93.

PROOEMIVM SVPER VNVM de quatuor, cuius titulus eſſe poteſt tetramonum, vel Monoteſſaron.

VNVM ex quatuor Euangelijs componere, diuinus aperuit Auguſtinus, qui libro ſuo de cõſenſu Euangeliſtarum ſubtiliſſimo quidem & operoſiſſimo, cõpingit ſub vna ſerie, narrationis euangeliorum verba, vſque ad tempus, quo prædicare & baptizare Ioãnes exorſus eſt, quatenus hoc exemplo, ſiue vt à me factum eſt, inquit, ſiue alio modo commodiùs fieri poſſit, videat vnuſquiſq; & in talibus locis fieri poſſe, quod hic factũ eſſe fieri perſpexerit. Tentamus ergo continuare prout inchoauerat: viſus eſt protinus labor vix explebilis maximè propter ordinis rerũ geſtarũ incertitudinẽ. Marcus enim (teſte Hieronymo) non ordinem rerum geſtarum, ſed ordinem Leuiticæ electionis complexus eſt: Lucas ſimiliter in multis: Ioannes verò ſeorſum plura poſuit ab alijs prætermiſſa, pauca iterans quæ tradiderant. Cum igitur triplex ſit ordo narrationis literalis, vnus rei geſtæ, alter anticipationis, tertius remunerationis, prout Spiritus-ſanctus voluit, nunc ad hunc, nunc ad illum ordinem mouere ſcriptores. (non enim refert iuxta traditionem Auguſtini, quibus verbis vel ordine, eadẽ ſententia vel veritas nota fiat) Sufficiat probabilis collatio, facta ſine præiudicio aliter vel ſentientiũ vel ſcribentium: non etiam tali auſu temerario, quin intemeratum velimus manere quadruplicis euãgeliſtæ narrationis ſacramentum. Quis enim neſciat ſpiritum Chriſti, potuiſſe ſub vno eodémq; penitus verborum ſententiarúmque contextu, tradidiſſe geſtorum ſuorum verborúmque ſalutarem hiſtoriam? Sed cum magno ſacramenti myſterio, ſibi placuit ſub quadam cõcordiſſima (ſi ita dici poſſit) diſſonantia, mentes fidelium commouere ad humiliorem, vigilantiorémque, nec non

non multipliciorem inuestigationem veritatis, palámq; fieret, quatuor Euangelistas, non mutua conspiratione, sed diuina inspiratione fuisse locutos. Nec offendat (petimus) aliquem, si cõtextus quatuor Euangeliorum in vnum compactus, non potuit sonoritatem suam custodire, ab omni prorsus specie nugationis, & cuiusdam apparentis dissonantiæ alienam, quia sola textus verba ponere, miscendóque custodire cura fuit. Denique, dabũt illustrationem glossæ doctorum, præsertim Augustinus libro prætacto, quãuis pauculas annotare, quasi marginales glossulas studium fuit, obtestatione præmissa, ne scriptores eas textui misceant, neque quotationes capitulorum, & euangeliorum annotationes omittant vel confundant. Sit ipsa merces increata Dei sapientia, pollicens & dicens; *Qui me elucidant vitam æternam habebunt.* Eccles. 24.

Diuiditur autem præsens opus in tres partitiones, & quælibet in suas rubricas & historias, iuxta variam materiæ qualitatem. Partitio prima, continet originem & ingressum Christi vsque ad progressum suæ prædicationis, ibi: *Anno decimoquinto, &c.* vbi est secunda partitio, vsque ad egressum suæ passionis & resurrectionis, ibi: *Prima autem die azymorum*: vbi ponitur tertia & finalis partitio. Sequitur tabula continens centum & quinquaginta rubricas, quæ tabula, etiam per se vtilis erit ad cognoscendum in quibus conueniant, & in quibus Euangelistæ non conueniant. Denique superaddũtur rubricellæ sub quatuor principalibus rubricis, ne lectoris memoriam sua magnitudine confunderet. Qui lector aduertat plures quàm hîc concordantias in canonibus euangeliorum reperiri, quarum plurimæ sunt tantummodo vocales, videat si cor habeat ad illa.

Circa lecturam istarum concordantiarum considerandum, quod littera M. posita inter duo puncta, significat quod Matthæus illam dictionem ponat sequentem: M. similiter quando R. ponitur, intelligendum est de Marco: vbi L. Lucam significamus: eodem modo vbi I ponitur, intelligendum est de Ioanne. Vnde si aliquando de literis prædictis duæ vel tres vel quatuor conueniunt, considerandum quod literæ illorum euangelistarum in scriptis concordant. Ex quo eliciuntur duo; primum, quod literæ adiunctæ dictionibus inter duo puncta, computantur ad dictionem præcedentem, & ad illud quod tali dictioni adiungitur: Secundum, quod lector continuè debet istas concordantias legere, & in legendo nihil attendere dictiones positas inter puncta, & sic habebit vnum continuum euangelium omnium euangelistarum.

Augustinus, inter omnes diuinas auctoritates quæ sacris literis continentur, meritò euangelium præcellit. Hieronymus, Euangelia legis impletio sunt, & in his præcepta & exempla viuendi plenissimè sunt digesta. Chrysostomus, Sicut enim in domum vbicumque fuerit positum Euangelium, non audebat accedere diabolus, multo magis animam intelligentias habentem tales & circumferentem, non tanget vnquam, neque superueniet ei dæmon, neque peccati natura. Attendamus igitur dilecti scripturis, & si nullum aliud, euangelica saltem nobis circunstudiosa fiant, & hæc præ manibus habeamus. Confestim enim expandens librum, si permanseris vsque ad finem, omnia respues mundana, omnia deridebis quæ hic sunt: Et si diues fueris, nihil reputabis diuitias; si inops, non confunderis in inopia, non rapies, non auarus eris, sed concupitor eris magis inopiæ, & despicies diuitias: si verò hoc fiet, omnia exterminabis mala. Et iterum, quid vnquam Euangelijs æquale fiet? Vtique Deus conuersatur in terra, homo ascendet in cælum, & facta est omnium vna permixtio: Angeli cum hominibus chorum faciebant, homines Angelis communicabant, & alijs cælestibus supernísque virtutibus. Et erat videre antiquum repente prælium dissolutum, Deum hominibus reconciliatum, diabolum confusum, dæmones fugientes, mortem peremptam, paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio sublatum, errorem lapsum, veritatem reuersam, pietatis sermonem vbique seminatum & vegetatum, cælestem conuersationem in terræ regione plantatam, supernas virtutes familiariter nobiscum loquentes, & ad terras sæpe Angelos ventitantes, ex hisque omnibus spem firmari certissimam futurorum: hæc ille.



TABVLA, CONTINENS CENTVM QVINQVAGINTA RVBRICAS.

RVBRICÆ PARTITIONIS PRIMÆ.

RVBRICÆ PARTITIONIS SEcundæ principalis, de prædicatione Ioannis seu progressu præconis.

PRÆAMBVLA PASSIONIS DOMINI.

RVBRICÆ TERTIÆ PARTIS, de egressu Passionis, & Resurrectione Christi.

RVBRICELLÆ VIGINTI, sub magna rubrica trigesima, de sermone Domini in monte, supra annotata.

RVBRICELLÆ DVODECIM, (sub magna rubrica 141. de sermone Domini post cœnam) sumptæ iuxta diuisionem euangeliorum, quæ leguntur in Ecclesia, ex quatuor capitulis, scilicet 14. 15. 16. & 17.

RVBRICELLÆ VNDECIM, sub magna rubrica, 146. de Passione Domini.

RVBRICELLÆ DVODECIM, (sub rubrica magna 150. de Resurrectione Domini) sumptæ iuxta diuisionem euangeliorum, quæ leguntur in Ecclesia, paucis immutatis.

FINIS.



PRIMA PARS PRINCIPALIS DE ORIGINE ET INGRESSV CHRISTI. ET PRIMO DE ÆTERNA CHRISTI GENERATIONE.

IOAN. I. CAP. I.



N PRINCIPIO erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat: & vita erat lux hominũ: & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimoniũ vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eũ non receperunt. Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri: sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre: plenum gratiæ & veritatis.

Fit hic præoccupatio de missione Ioãnis: quæ postmodũ latius explicatur.

Hic præoccupatio fit de incarnatione verbi, q̃ postmodum latius explicatur.

PROOEMIVM LVCÆ.

QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare rerum narrationem quæ in nobis cõpletæ sunt, sicut tradiderũt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter tibi ex ordine conscribere optime Theophile: vt cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.

Secundo de Annunciatione Ioannis Baptistæ & Conceptione eiusdem. Luc. 1. Cap. 2.

FVIT in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: & vxor illi de filiabus Aaron: & nomen eius Elizabet: Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine quærela. Et nõ erat illis filius, eo quod esset Elizabet sterilis: & ambo processissẽt in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum se-

Tres fuerũt Herodes. Vnde vers. Ascalonita necat pueros Antipa Ioannem. percutit Agrippa Iacobum, dat carceri Petrum.

A cundum consuetudinem sacerdotij: sorte exijt vt incensum poneret ingressus in templum domini. Et erat omnis multitudo populi foris orans hora incensi. Apparuit autem illi angelus domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus. Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabet pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram domino: & vinum & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et multos filiorũ Israel conuertet ad dominũ Deum

B ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum: parare domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelũ: Et vnde hoc sciam? Ego enim sum senex: & vxor mea processit in diebus suis. Et respõdens angelus Dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fient: pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: &

C mirabãtur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et cognouerũt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factum est vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domũ suam. Post hos autem dies cõcepit Elizabeth vxor eius: & occultabat se mensibus quinque dicens: Quia sic fecit mihi dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

De annunciatione Christi ad Mariam per Gabrielem. Luca 1. Cap. 3.

D IN mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset turbata est in sermone eius: & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: inuenisti enim

gratiam apud dominum: Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. A Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus super veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua: & ipsa concepit filium in B senectute sua, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit angelus ab illa.

Hic patet quod Maria fuit de genere sacerdotali & regali. Vide qualiter in Postilla.

De visitatione Elizabeth per Mariam, & Canticum Magnificat. Luca 1. Cap. 4.

EXVRGENS autem Maria abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ, & in- C trauit in domum Zachariæ: & salutauit Elizabet. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth: exultauit infans in vtero eius & repleta est Spiritu sancto Elizabeth & exclamauit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ D dicta sunt tibi à domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum. Et exultauit &c. vsque Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Probabile est ꝙ prius Maria & Ioseph conuenerũt celebri cultu nuptiarũ & quod de licentia Ioseph vel forte ipso ducẽte Maria iuerit ad mõtana, reuelato prius ipsi Ioseph incarnationis mysterio, quãuis Origen. & eius sequaces secus dicãt.

De ortu Ioannis & circuncisione ipsius, & Canticum Zachariæ: Benedictus dominus Deus Israel. Luc. 1. Cap. 5.

ELIZABET autem impletum est tempus pa- E riendi & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa: & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. F Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem ilico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit. Etenim manus domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus dominus Deus Israel, & cet. vsque ad, in viam pacis.

Hic fit præoccupatio iuxta cõmuniorẽ opinionẽ quæ ponit Mariam fuisse in circuncisione Ioãnis in die octauo.

De genealogia Christi & apparitione Angeli ipsi Ioseph. Matth. 1. Cap. 6.

LIBER generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares genuit Esrom. Esrom genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naason. Naason genuit Salmon. Salmon genuit Booz de Raab. Booz genuit Obeth ex Ruth. Obeth genuit Iesse. Iesse genuit Dauid regem. Dauid rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon genuit Roboam. Roboam genuit Abiam. Abia genuit Aza. Aza genuit Iosaphat. Iosaphat genuit Ioram. Ioram genuit Oziam. Ozias genuit Ioatham. Ioatham genuit Acham. Acham genuit Ezechiam. Ezechias genuit Manassen. Manasses genuit Amon. Amon genuit Iosiam. Iosias genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis: Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Abiud. Abiud autem genuit Elyachim. Elyachim genuit Azor. Azor genuit Sadoch. Sadoch genuit Achym. Achym genuit Eliud. Eliud genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Omnes ergo generationes ab Abraham vsque ad Dauid. xiiij. Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. xiiij. Et à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes xiiij. Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet traducere eam: voluit occulte dimittere eam. Hæc autem cogitante eo, ecce angelus domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à domino per prophetam dicentem. Ecce virgo in vtero habebit & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno: fecit sicut præcepit ei angelus domini, & accepit coniugem suam: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.

Tres hic omittuntur reges.

Conuentio hæc recipitur pro celebri cultu nuptiarum qui factus est postquã Ioseph inuenit Mariã concepisse de Spiritu sancto: & per angeli præceptum accepit eã coniugem priusquam appareret prægnãs, & vtero tumescente post reditum de montanis, quia tũc nõ fuisset honorabiliter facta celebritas coniugij.

De edicto Augusti, natiuitate Christi, annunciatione per angelum ad pastores. Luca 2. Cap. 7.

FACTVM est autem in diebus illis: Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur

Hic fuit præoccupatio quę postmodum explicabitur loco suo, cũ de circuncisione dicetur.

cum

cum Maria desponsata sibi vxorem prægnante. Factum est autem cum essent ibi: impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum: & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit angelus illis: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator qui est Christus dominus in ciuitate Dauid: & hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicem, transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificãtes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

De Circuncisione Christi. Lucæ 2. & aduentu magorum. Matth. 2. Cap. 8.

ET postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer: vocatũ est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo prius quàm in vtero conciperetur. Cum natus esset Iesus in Bethleẽ Iudæ in diebus Herodis regis: ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorũ? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi: sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam es minima in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis magis: diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem dixit. Ite & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt, gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

De oblatione Christi in templo. Luc. 2. Cap. 9.

A ET postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi: tulerunt Iesum in Hierusalem vt sisterent eum domino: sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum domino vocabitur: & vt darent hostias domino secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Symeon: & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem
B Israel: & Spiritus sanctus erat in eo Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini: & venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace, &c. vsque plebis tuæ Israel. Et erant pater eius & mater mirantes super his quæ dice-
C bantur de illo, & benedixit illis Symeon: & dixit ad Mariam matrẽ eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, & tuã ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Azer, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat vsque ad annos lxxxiiij. quæ non discedebat de templo, ieiunijs &
D obsecrationibus seruiens Deo nocte ac die, & hæc ipsa hora superueniens confitebatur domino, & loquebatur de eo omnibus qui expectabãt redemptionem Israel. Et vt perfecerũt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.

De fuga in Ægyptum, occisione innocentum, & de regressu ex Ægypto. Matth. 2. Cap. 10.

E CVM magi recessissent: Ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerũ & matrem eius, & fuge in Ægyptum & esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum illum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictũ est à domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quo-
F niam illusus esset à magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant Bethleem & in omnibus finib⁹ eius à bimatu & infra, secũdum tempus quod exquisierat à magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in rama audita est ploratus & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos & noluit consolari: quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce apparuit angelus domini in somnis Ioseph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius

Probabile est quod angelus iste fuerit Gabriel: & ꝙ in omnibus mysteriũ incarnationis concernentibus: quoties introducitur angelus apparuisse, ipse fuerit: sicut fuit apud Danielẽ, & ad pastores, & ad magos & qualiter ad Ioseph & in agonia Christi, & resurrectione & in Ascensione.

& venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per prophetam: Quoniam Nazareus vocabitur.

De inuentione Christi pueri in templo à parentibus eius: Luca 2. Et de habitatione Ioannis in deserto. Luca 1. Cap. 11.

ET ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset Iesus annorum duodecim: ascendentibus illis hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. Consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem: & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu: venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem requirentes eum. Et factum post triduum: inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsione eius: & videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum. Fili, quid fecisti nobis sic? pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? an nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba conferens in suo: & Iesus proficiebat sapiētia & ætate & gratia apud Deum & homines. Puer autem Ioannes crescebat & confortabatur spiritu & gratia: & erat in deserto, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Prius positum est hoc à Luca: sed hic repetitur pro cōtinuatione sequētium.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS HVIVS LIBRI DE PROGRESSV prædicationis Christi.

Rubrica duodecima de prædicatione & baptismo Ioannis in deserto. M. 3. R. 1. L. 3. Cap. 12.

Hic fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.



ANNO autem quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: Tetrarcha autem Galilææ Herode: Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræ & Traconitidis regionis, & Lysania Abiline tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha. Factum est verbum domini super Ioannem filium Zachariæ in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans L. R. baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut L. scriptum. R. M. est in libro sermonū Esaiæ Prophetæ: Initium R. euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Esaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te. Vox. M. R. clamantis L. R. in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius: Omnis L. M. vallis implebitur, & omnis mons & collis A humiliabitur: & erunt praua indirecta, & aspera in vias planas. Et L. videbit omnis caro salutare Dei. In. M. diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ & dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ipse M. R. autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonā pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat locustæ & mel siluestre. Tunc exibant ad eum R. Hierosolymitæ vniuersi, & M. omnis R. Iudæa, & M. B omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane flumine R. confitentes M. R. peccata sua. Videns M. autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, & turbas qui exibant vt baptizaretur ab ipso, dixit M. eis Progenies genimina L. viperarum M. L. quis ostendit L. vobis fugere à ventura ira: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne ceperitis L. velitis M. dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidib⁹ istis suscitare filios Abrahæ. Iam C enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittetur. Et L. interrogabant eum turbæ dicentes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quàm quod constitutum est vobis faciatis. Interroga-D bant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. Existimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus. Respondit Ioannes dicens omnibus: Ego M. quidem L. R. aqua baptizo vos in pœnitentiam M. Qui autem post me venturus est, fortior me est: cuius non sum dignus calciamenta portare, & procumbens soluere R. L. corrigam calciamentorum eius. Ipse M. vos R. E L. baptizabit in Spiritu sancto, & R. igne L. cuius M. L. ventilabrum in manu eius: & permundabit & purgabit. L. aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili. Multa L. quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Et factum R. est in diebus illis: venit Iesus à Nazareth Galilææ in Iordanem M. ad Ioannem vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venias ad me? Respondens F autem Iesus dixit ei. L. Sine modo: Sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Factum L. est autem dum baptizaretur omnis populus: & Iesu baptizato à Ioanne in Iordane. R. confestim. M, ascendit de aqua. Et L. eo orante, ecce M. aperti sunt cœli: & vidit R. cœlos apertos, & Spiritum sanctum Dei M. corporali L. specie descendentem M. sicut columbam, & venientem super se & manentem R. in ipso: & M. ecce vox de cœlis facta R. L. est dicens. M. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Tu R. L. es filius meus dilectus: in te L. complacuit mihi.

De genealogia

De genealogia Christi: Secundum Lucam. L.3. Cap.13.

Quomodo Ioseph duos habet patres scilicet Heli legalē, & Iacob carnalē: quære in postillis.

ET ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Matathie, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Matathie, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salatiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thosan, qui fuit Elmedan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Heliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Elyachim, qui fuit Melcha, qui fuit Mēna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathā, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aran, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragan, qui fuit Phalech, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Caynam, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Matusalem, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Caynan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

De ieiunio Christi & tentatione. M.4. R.1. Luc.4. Cap.14.

Secundum narrationē Lucæ Matthæus hic præoccupat: & incertum est quis fuerit ordo rei gestæ: vide in postillis.

IESVS autem plenus Spiritu sancto, egressus est à Iordane: & statim R. spiritus expulit eum in desertum: ductus M. à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo. Et agebatur L. à spiritu in desertum. Et erat R. in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à sathana: & L. nihil manducauit in illis diebus. Eratque R. cum bestijs. Et M. cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, consummatis illis postea M. esurijt. L. Et accedens M. tentator diabolus L. dixit M. illi: Si filius Dei es, dic M. vt lapides isti panes fiant. Dic L. lapidi huic vt panis fiat: Et M. respondit ad illum Iesus. Scriptum est enim, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei L. quod procedit M. de ore Dei. Tunc assumpsit illū diabolus in sanctam ciuitatem: & duxit L. illum in Hierusalem: & M. statuit L. illum supra pinnaculum templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te, vt conseruent L. te: & quia in manibus M. tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: Ait illi Iesus: rursum scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Et reduxit L. eum diabolus. Et M. iterum assumpsit eum in montem excelsum valde & ostendit ei omnia regna mundi orbis L. terræ in momento tēporis, & gloriam. M. eorum, & ait L. M. ei: tibi L. potestatem dabo hanc vniuersam & gloriam M. eorū quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Hæc omnia tibi dabo, & erunt tua omnia, si M. cadens L. adoraueris me. Tunc dixit illi Iesus. Vade M. sathana. Scriptum M. L. est enim, dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et consummata R. omni tentatione diabolus recessit ab eo vsq; ad tempus. Et reliquit M. eum: & ecce angeli accesserunt & ministrabant M. R. illi. Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam.

Gerson. Prima pars.

De testimonijs Ioannis de Christo. Ioan.1. Cap.15.

Pluries ibi venit.

IOANNES testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: qui prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christū facta est. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Dei filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. Et hoc est testimoniū Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarēt eum: Tu quis es? Et confessus est & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum quid ergo? Helias es tu? Et dixit, non sum: Propheta es tu? Et respondit, non. Et interrogauerunt eum: Quis es vt responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? ait: Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam domini, sicut dixit Esaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt & dixerunt ei: Quid ergo baptizas si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta? Respondit Ioannes dicens eis: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calciamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizās. Altera die vidit Ioannes Iesum ad se venientem, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat & ego nesciebam eum: sed vt manifestaretur in Israel. Propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimoniū perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi colūbam de cœlo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me in aqua baptizare ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

De vocatione Andreæ, Petri, Philippi & Nathanael. Ioan.1. Cap.16.

ALTERA autem die stabat iterum Ioannes & ex discipulis eius duo. Et respiciēs Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentē, & secuti sunt Iesum: conuersus autē Iesus videns eos sequentes se, dixit eis: Quem quæritis? Qui dixerunt: Rabbi, quod dicitur interpretatum magister: vbi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt vbi maneret. Et apud eum manserunt illo die. Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierat à Ioanne: & secuti fuerant eū. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit. Tu es Simon filius Ioanna: tu vocaberis

Cephas: quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael & dicit: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetę, inuenimus Iesum filiũ Ioseph à Nazareth. Et dicit Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo. Ecce verè Israëlita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respõdit Iesus & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret cum esses sub ficu vidi te. Respondit ei Nathanael & dixit: Rabbi, tu es filius Dei: tu es rex Israel. Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit eis. Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.

De mutatione aquæ in vinum. Ioan. 2. Cap. 17.

ET tertia die nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dixit mater Iesu ad eum. Vinum nõ habent. Et dixit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nõdum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel trinas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nũc, & ferte Architriclino: & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factum, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est, tu autem seruasti vinum bonum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galilææ, & manifestauit gloriam suam & crediderunt in eum discipuli eius.

De primo aduentu eius ad Pascha: Et soluite templum hoc. Ioan. 2. Cap. 18.

Colligitur ex euãgelio Ioãnis quod Christ⁹ fuit ad minus ad triplex pascha: licet alij Euangelistæ de vnico solũ faciunt mentionem & inde venit apud aliquos naturaliter rationis cõfusio, ponẽtes hoc pascha cum vltimo.

POST hoc descendit in Capharnaum ipse & mater eius & fratres eius & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus, & prope erat pascha Iudæorum. Et ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in tẽplo vendẽtes boues & oues & columbas & nummularios sedentes: & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Oues quoque & boues & nummulariorum effudit æs: & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc: & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati vero sunt discipuli eius quia scriptum est. Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo ei Iudęi: Quadraginta & sex annis ædificatũ est templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo surrexisset à mortuis: recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat: Et crediderunt scripturæ & sermoni quem dixerat Iesus. Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo: multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis eo quod ipse nosset omnes. Et quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

De Nicodemo. Ioan. 3. Cap. 19.

ERAT autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine princeps Iudæorum: hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei: quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo: spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei. Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? Et nemo ascẽdit in cœlũ nisi qui descẽdit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpẽtem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in illo non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicabitur, qui autem non credit, iam iudicatus est: quia nõ credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

De querela quod Iesus baptizat. Ioan. 3. Cap. 20.

POST hoc venit Iesus in Iudæam terram & discipuli eius, & illic demorabatur cum eis & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic: & veniebant multi & baptizabãtur. Nondũ enim fuerat missus Ioannes in carcerem. Facta est ergo quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione: & veniebant ad Ioannem & dixerunt ei: Rabbi qui erat tecum trans Iordanem cui tu testimonium perhibuisti. Ecce hic baptizat & omnes

Non per se sed per discipulos suos vt dicitur infrà.

omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes & dixit: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo: ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim: ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, spōsus est. Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui: qui desursum est, super omnes est: quod terra est, de terra est & de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est: & quod vidit & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. Qui autem acceperit eius testimonium signauit: quia Deus verax est: quē enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.

De incarnatione Ioannis. M. 14. R. 6. L. 3.
Cap. 21.

HERODES L. autem tetrarcha cum corriperetur à Ioanne de Herodiade vxore Philippi R. fratris sui: quia duxerat eam: & L. de omnibus malis quæ Herodes. Dicebat M. enim illi Ioannes. Non licet tibi habere R. vxorem fratris tui. Adiecit L. & hoc Herodes super omnia tenuit M. Ioannem & alligauit eum & posuit M. L. eum in carcerem propter M. Herodiadem vxorem fratris sui. Herodias M. autem insidiabatur ei & volebat occidere eum: nec poterat. Herodes autem metuebat Ioannem: sciens eum virum sanctum & iustum: & M. volens eum occidere timuit populum: quia sicut prophetam eum habebat: & custodiebat R. eum: & audito eo multa faciebat: & libenter eum audiebat.

De Iudæa relicta à Christo, & de Samaritana.
M. 4. R. 1. L. 4. I. 4. Cap. 22.

CVM autem M. audisset Iesus quod Ioannes traditus esset: & vt I. cognouit quod audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes: quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius: secessit. M. reliquit I. Iudæam & abijt. Et L. regressus est in virtute spiritus: L. R. venit in Galilæam M. R. L. I. Oportebat I. cum autem transire per Samariam. Venit ergo Iesus in ciuitatē Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus quoque fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus. Da mihi bibere. Discipuli autem Iesus abierant in ciuitatem vt cibos emerent. Dicit ergo mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, à me bibere poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dicit ei: Si scires donum Dei & quis est qui dicit tibi da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob qui dedit nobis puteum istum: & ipse ex eo bibit & filij eius & pecora eius. Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam neq; veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade voca virum tuū & veni huc. Respōdit mulier & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virū, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir, hoc verè dixisti. Dicit ei mulier, domine vt video quia propheta es tu. Patres nostri adorauerunt in monte hoc: & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus vbi oportet adorare. Dicit ei Iesus. Mulier crede mihi, quia veniet hora quando nec in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabūt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum: Spiritus est Deus & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius & mirabantur quia loquebatur mulieri. Nemo tamen dixit quid quæris aut quid loqueris cum ea. Reliquit ergo hydriā suam mulier & abijt in ciuitatem & dicit hominibus: Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? Exibant ergo de ciuitate & veniebāt ad eum. Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli eius adinuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit ei Iesus: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis: quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce ego dico vobis leuate oculos vestros & videte regiones: quia albæ sunt iam ad messem, & qui metit, mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat, simul gaudet & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alij laborauerunt & vos in labores eorum introistis. Et ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret: & mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim vidimus & scimus: quia hic est verè saluator mundi. Post duos autem dies exijt inde & abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit: quia propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilæam exceperunt eum Galilæi cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Etenim ipsi venerant ad diem festum.

De filio reguli Ioannis 4.

Cap. 23.

VENERAT ergo iterum in Chana Galilææ vbi fecerat de aqua vinum. Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quod Iesus aduenirect à Iudęa in Galilæam, abijt ad eum & rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autē eo descendente serui occurrerunt ei & nunciauerunt, dicentes: quia filius eius viueret. Interrogabat autem horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerūt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quod illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit: & credidit ipse & domus eius tota. Hoc iterum secundum signū fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.

De libri traditione ipsi Iesu, & eiectione eius extra ciuitatem. Et relicta Nazareth venit Capharnaum. M. 4. Mar. 1. L. 4. Joan. 4.

Cap. 24.

ET fama. L. exijt per vniuersam regionem de illo: & ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus: & venit Nazareth vbi erat nutritus: & intrauit secundum consuetudinem suā die sabbati in synagogā. Et traditus est illi liber Esaiæ prophetæ & vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptū erat. Spiritus domini super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me: sanare contritos corde, & prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionē: prædicare annū domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librū dedit ministro, & sedit & omniū in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autē dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris: & omnes testimoniū illi dabant: & mirabātur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore illius: & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph. Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum: fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Helię in Israël quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex: quando facta est fames magna in omni terra: & ad nullam illarū missus est Helias, nisi in Sareptam Sydoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Heliseo propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naamā Syrus: & repleti sunt omnes in synagoga ira hæc audientes, & surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium mōtis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eū. Ipse autem transiens per medium illorū ibat. Et relicta M. ciuitate Nazareth descendit L. venit M. & habitauit in Capharnaum ciuitate L. Galilææ maritima M. in finibus Zabulon & Neptalim: vt adimpleretur quod dictū est per Esaiā

Colligitur ex hoc iam Christū antea multa fecisse signa quæ Lucas se non narrasse sciebat: fecit enim multa quę nō sunt scripta.

A prophetā: Terra Zabulon & terra Neptalim via maris trans Iordanem Galilææ gentium populus: qui ambulabat in tenebris vidit lucē magnam. Et sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare euangeliū. R. regni, dicens: Quoniam impletū est tempus. Pœnitentiam M. agite & credite. R. euangelio: appropinquabit M. R. enim regnum cœlorum.

De vocatione secunda apostolorum ad familiaritatem. L. 5. Cap. 25.

B FACTVM est autem cum turbæ irruerent in Iesum vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth; & vidit duas naues stantes secus stagnum. Piscatores autem descēderant & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit Simoni: Duc in altum & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus. In verbo autē

C tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rūpebatur autem rete eorū. Et annuerunt socijs eius qui erāt in alia naui vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerūt ambas nauiculas, ita vt pœne mergerentur. Quod cum videret Simō petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator ego sum. Stupor enim circūdederat eum, & omnes qui cū illo erant in captura piscium quam cœperant. Similiter autem & Iacobum & Ioannē filios Zebedæi, qui erant socij

D Simonis & ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens: & subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt illum.

De tertia vocatione ad sequelam. M. 4. R. 1.

Cap. 26.

AMBVLANS M. autem Iesus & R. prætetiens iuxta M. mare R. Galilææ, vidit duos M. fratres Simonem M. R. qui vocatur Petrus & Andream, fratrē eius mittentes rete in mare: erant

E enim piscatores: & R. ait M. illis Iesus: Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum: at M illi continuo relictis retibus & naui secuti sunt eū. Et Marcus. progressus Mat. inde pusillum vidit. M. R. alios duos fratres Iacobū Zebedei, & Ioānem fratrem eius in naui cū Zebedeo patre eorū reficientes: componentes R. retia M. eorum. Et M. statim R. vocauit eos. Illi M. autem R. statim relictis retibus & patre M. R. suo Zebedeo in naui, cum mercenarijs suis secuti. M. R. sunt eum.

Nō est improbabile dicere vocationem istā esse eādē cū præcedēti, licet secūdo modo fiat narratio: non tamen contrario: quāquam sileatur hic de captura piscium Attēdite quod ibi pluries fuit.

F *De expulsione immundi dæmonij & sanatione omnis langoris. M. 4. R. 1. L. 4.*

Cap. 27.

ET ingrediebatur Capharnaum. Et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos & stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ quia L. in potestate erat sermo ipsius. Et in Synagoga R. eorum erat homo L. R. dæmonium habens immundum. Et exclamauit voce magna, dicens: Sine quid nobis & tibi Iesu Nazarene. Venisti L. ante tempus perdere L. R. nos. Scio enim quod

Augustinus dicit libro vltimo ꝙ non nocuit discerpens id est membra nõ debilitauit sicut aliquãdo solet.

quod sis sanctus Dei: Et comminatus R. est eum Iesus, & increpauit eũ dicens: Obmutesce L. R. & exi ab illo, & discerpens illum spiritus immundus: & exclamans voce magna exiuit ab eo. Et L. cum proiecisset illum dæmoniũ in medium, exijt ab illo, nihilque illi nocuit, & factus est, pauor in omnibus. Et R. mirati sunt omnes: ita vt perquirerẽt inter se & colloquebantur L. adinuicem dicentes. Quidnam R. est hoc? quænam doctrina hæc noua? quod est hoc verbum? quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus: & exeunt & obediunt ei. Et processit rumor eius statim, & L. diuulgabatur fama de eo in omnem locum & R. regionem Galilææ. Et circumibat M. Iesus totam Galilæam docens in synagogis eorũ, & prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnẽ infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paraliticos, & curauit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Hierosolymis & de Iudæa, & de trans Iordanem.

De socru Simonis M. 8. R. 1. L. 4.

Cap. 28.

SVRGENS autem Iesus de Synagoga, & protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis Petri M. & Andreæ R. cum Iacobo & Ioanne. Decumbebat autẽ & socrus Simonis, & tenebatur L. magnis febribus. Et M. vidit socrum eius iacentẽ & R. febricitãtem, & statim dicunt & rogauerunt L. eum pro illa. Et stans super illam, imperauit febri: & R. accedens eleuauit eam apprehensa manu eius, & continuò dimisit eam febris, & M. surrexit & ministrabat L. M. R. eis Vespere R. autem facto cum occidisset sol L. omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. Afferebant ad eum omnes malè habentes & multos M. R. dæmonia habentes. Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et ille singulis manus imponens curabat eos multos R. qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat, & spiritus M. immũdos verbo. Et omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictũ est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras ipse portauit. Exibant L. autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es Christus filius Dei. Et increpans, nõ L. R. sinebat ea loqui: quia sciebant eum esse Christum. Et R. diluculo valde facto die surgens egressus abijt in desertum locum, ibique orabat. Et L. turbæ requirebant eum, & R. prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum dixerunt ei: Quia omnes quærunt te, & dixit illis: Eamus [a] in proximos vicos & ciuitates vt & ibi prædicem, ad hoc enim veni. Et L. venerunt turbæ ad Christum, & detinebant eum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et R. erat L. prædicans in Synagogis eorum: & in omni Galilæa & dæmonia eijciens.

a Fuit inter prędicationes istas sermo Domini in mõte.

A

De vocatione Matthæi quæ secundum Aug. facta est ante sermonem Domini in monte. M. 9. R. 2. L. 5. Cap. 29.

ET L. post hoc exijt, & M. dum transiret inde, Egressus R. rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum & docebat eos. Et cũ præteriret vidit L. M. Iesus R. publicanum [b]: nomine Leui Alphei. R. Matthæum M. sedentem. R. L. in teloneo & ait illi: Sequere me. Et L. relictis omnibus surgens. L. M. R. secutus est eum.

b Repetitur postmodũ vocatio Matthæi vt cõmemoretur prandium quod fecit ei.

B

De electione duodecim Apostolorum, & sermone Domini in monte Thabor, qui continet multas rubricellas pro multitudine doctrinarum. M. 5. 6. 7. capitulis per totum. R. 3. L. 6. 11. & 12. Cap. 30.

FACTVM L. est autem in diebus illis exiens ascendit R. in montem orare, & erat L. pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus fuisset, vocauit discipulos quos voluit ipse, & venerũt ad eum & fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates & eijciendi dæmonia, quos L. & Apostolos nominauit Simonem quem cognominauit Petrum & Andream fratrem eius. Et Iacobum Zebedei. R. & Ioannem fratrẽ Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui. Philippum L. R. & Bartholomeũ, Mattheum & Thomam, Iacobum Alphei & Simonẽ qui vocabatur zelotes Chananeum. R. Iudam L. Iacobi Thadeum R. & Iudam. L. qui fuit proditor, qui R. tradidit eum. Et L. descendens Iesus de monte, cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima & Tyri & Sydonis, qui venerant vt audirent eum & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immũdis, curabantur. Et omnis turba quęrebat illum tangere, quia virtus de illo exibat: & sanabat omnes. Videns M. autem Iesus turbas ascendit in monte. Et cum sedisset [d] accesserunt ad eum discipuli eius, & L. ipse eleuatis oculis in discipulos suos, & M. aperiens os suum docebat eos dicens. Beati M. L. pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites M. quoniam ipsi possidebunt terrã. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati [e] mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Beati eritis cum vos oderint homines, & cũ separauerint vos & exprobrauerint & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Beati estis cũ maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete in L. illa die & exultate: M. quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic M. enim L. persecuti sunt & prophetas qui fuerunt ante vos patres L. eorum. Verumtamen væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram. Beati qui nunc esuritis: quoniam saturabimini. Beati qui nunc

c Probabile est ꝙ fuerit idẽ sermo quem Matthæus & Lucas narrant sicut hic cõnectitur. Nihilominus probabilis est altera pars ꝙ fuerint distincti pro diuersis tẽporibus locis & personis non enim mirabile est, si Christus pluries similia fecit, dixit & docuit. Ei hoc per totum huius narrationis cõtextum: vbi similia cõiunguntur: habeatur annotatũ.

d Vel vndẽ prius descẽderat vt dicit Lucas vel imaginandæ sunt duæ partes montis vna bassior altera.

e Si quis voluerit profunditatem & ordinem totius sermonis illis cognoscere recurrat ad postillas.

fletis, quia ridebitis. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. Væ vobis cum benedixerint vos omnes homines. Secundum enim hoc faciebant pseudoprophetæ patres eorũ. Vos estis sal terræ.

1 f Apostolorum commendatio.

f Quòd si sal euacuerit, in quo salietur: ad nihilũ valet vltra nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernã, & ponant eam sub modio: sed super candelabrũ: vt luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrem vestrũ qui in cœlis est.

2 g Legis impletio.

Nolite g putare quoniam veni soluere legẽ aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec trãseat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit de lege donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.

3 Consiliorũ super legẽ additio veterẽ & primo ad illud: Non occides.

Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis: quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarũ & pharisæorum, non intrabit in regnum cœlorũ. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autẽ dixerit fratri suo racha, reus erit cõsilio, qui autem dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & recordatus ibi fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ. Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte aduersarius tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exibis inde donec reddas nouissimũ quadrãtem.

4 Additio super illud: Non mœchaberis.

Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eã: iam mœchatus est eã in corde suo. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnũ membrorum tuorum, quàm totũ corpus tuũ mittatur in gehennã. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eã & proijce abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autẽ: Quicunq; dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.

5 Super additio super illud: Non iurabis.

Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis. Reddes autem domino iuramẽta tua. Ego autem dico vobis, nõ iurare omnino. Neque per cœlum, quia thronus Dei est. Neque per terram, quia scabellum pedum eius est. Neque per Hierosolymam quia ciuitas est magni regis. Neque per caput tuũ iurabis, quia non potes vnũ capillum album facere aut nigrum. Sit autẽ sermo vester, est est, non non: quod autem his abundãtius à malo est.

6 Iudicialiũ euacuatio & moderatio.

Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed M. si quis L. te percusserit in dexteram maxillam præbe illi & alterã. Et qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & M. quicũque te angariauerit mille passus, vade cum eo & A alia duo. Qui M. petit L. à te, da ei, & volenti M. mutuari à te, ne auertaris. Et qui aufert L. quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

7 Inimicorũ dilectio.

Audistis M. quia dictum est. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite M. L. inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis. Et M. orate L. pro persequentibus & calumniantibus vos, vt M. sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos & B malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim M. diligitis L. eos qui vos diligunt: quam M. mercedẽ habebitis? quæ vobis L. est gratia? Nam & peccatores se diligentes diligunt, nonne M. & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum quid amplius faciatis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Si L. bene feceritis his qui vobis benefaciunt, quæ est vobis gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt? Et L. si mutuum dederitis his à quibus speratis accipere: quæ gratia est vo- C bis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur vt recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros & benefacite, & mutuũ date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote M. ergo perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est:

Hypocrisis detestatio.

Attendite ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus [illegible] videamini ab eis. Alioquin mercedem nõ habebitis apud patrem vestrũ qui in cœlis est.

8 Cõmendatio eleemosynæ.

Cum ergo facis eleemosynam, noli ante te tuba canere sicut hypocri- D tæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynã, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt eleemosyna tua sit in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

9 Quomodo sit orandũ.

Et M. cum oratis nõ eritis sicut hypocritæ tristes, qui amant in synagogis & angulis platearum stantes orare vt videãtur ab hominibus. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, E intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim pater vester quid opus sit vobis antequã petatis eum. Sic enim orabitis,

Lucas hanc orationem ponit sub quibuscũq; petitionibus.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, panem nostrum super- F substantialem. M. quotidianum L. da M. nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos malo. Amẽ.

10 Quomodo sit indulgẽdum.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

11 Qualiter ieiunandũ.

Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua, ne videaris homi-

12 Qualiter thesaurizãdum.

hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscõso, & pater tuus qui videt in absconso reddet tibi. A Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Lucerna

13 Qualiter intentio dirigenda.

corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, & totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te B est tenebræ sunt ipse tenebræ quantæ erunt?

14 Qualiter solicitudo nimia tollẽda & spes in Dei prouidẽtia dirigenda.

Nemo M. potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne M. L. solliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis, aut corpori vestro quid induamini. Nonne anima vestra est plusquàm esca: & corpus plusquàm vestimentum? Respicite M. volatilia cœli, quia non serunt neque metunt, neque congregãt in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. C Considerate coruos quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos, quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Si L. ergo neque quod minimum est potestis: quid de vestimentis & de cæteris soliciti estis? Considerate M. lilia R. agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniã nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur: coopertus M. est sicut vnum ex istis. Si autem fenum D agri quod hodie est, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operimur. Et L. nolite in sublime tolli. Hæc M. L. autem gentes mundi L. quærunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei & iustitiam M. eius, & M. hæc L. omnia adijcientur vobis. Nolite M. ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit enim diei malitia sua. E Estote L. ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nolite

15 Qualiter miserendũ nec iudicãdum.

condemnare, & non condemnabimini, dimittite & dimittemini. Date & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem M. quidem. L. mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat. L. autem & illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere, nõne F ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem erit omnis si sit sicut magister eius: Quid M. L. autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo:

Nõ improbe arguendum. Non porcis & canibus sanctũ dandum.

Frater: Sine eijciam festucam de oculo tuo: & ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita eijce primũ trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Nolite M. sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant vos. Petite & dabitur vobis quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, &

16 Qualiter instanter & fiducialiter orandum.

qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si petierit piscem nunquid serpentem porriget ei? Aut si petierit ouum nunquid scorpionem porriget illi? Si ergo vos cum sitis mali noscitis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester qui in cœlis est dabit spiritum bonum petentibus se? Omnia M. ergo quæcunque vultis vt faciant

17 Præceptum vniuersale legis & angustia portæ salutis. Luc. 13. Cõtendite intrare per angustam portã: vide infra capit. 98.

vobis homines ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Intrate per angustam portam: quia lata porta & spaciosa via est quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam, quàm angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus? Non L. est enim arbor bona quæ facit fructus malos. Neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam. Bonus

18 Falsorum prophetarũ notitia scilicet à fructibus.

homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Sic. M. omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quid L. autem vocatis me domine domine & non facitis quæ dico. Nõ

19 Qualiter Deus sit colendus: non ore tantum sed operum efficacia.

M. omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illo die domine domine. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Omnis. L. M. qui venit ad me & audit sermones meos & facit eos, ostendam vobis cui sit similis. Similis est homini ædificanti domum, qui.

20 Qualiter operatio miraculorũ non saluat sed stabilis in petra Christo permanentia.

L. fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram. Et M. descendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim erat supra firmam. L. petram, & M. omnis L. qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis est viro stulto qui ædificauit domum suam super arenam sine. L. fundamento, & M. descendit pluuia & venerũt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domũ illam, in quam L. illisus est fluuius, & continuò cecidit, & L. facta M. est ruina domus illius magna. Et M. factum est cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. M.

De leproso sanato. M. 8. R. 1. L. 5.

Cap. 31.

Colligitur ex hoc loco & alijs pluribus, quod euangelistę nõ semper secuti sunt ordinẽ rei gestæ: sed vsi sunt regula de præoccupatione & rememoratione: videtur autẽ Matthæus sæpius sequi ordinẽ rei gestæ.

CVM R. autem descendisset Iesus de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, & L. Factum est cum esset in vna ciuitatum, & ecce M. leprosus plenus lepra, videns Iesum veniens M. adorabat eum deprecans R. & genu flexo, & procidens L. in faciem, rogabat eum dicens. Domine L. M. R. si vis potes me mundare. Iesus R. autem misertus eius extendens M. R. manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra eius, & R. comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dixit illi. Et præcepit L. ei. Vide L. M. R. nemini dixeris: sed vade ostende te principibus sacerdotum & offer pro emundatione tua munus M. quod præcepit Moyses in testimonium illis. Et R. egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem. Perambulat L. autem magis sermo de illo, & conueniebant turbæ multæ vt audirent illum & curarẽtur ab infirmitatibus suis, ita R. vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem: sed foris in desertis locis esse: ipse L. autem secedebat in desertum & orabat, & R. conueniebant ad eum vndique.

De seruo Centurionis. M. 8. L. 7.

Cap. 32.

Considerãdum est hic quod Centurio fecit vtrumque, misit Iudæos & amicos, & quod ipse secutus est.

CVM L. autem implesset omnia verba sua ad aures plebis, intrauit L. M. Capharnaum. Centurionis L. autem cuiusdam seruus malè habens erat moriturus qui erat illi preciosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum rogans eum vt veniret & sanaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum rogabant eum solicitè dicentes ei: Quia dignus est vt hæc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos. Accessit M. autem ad eum Centurio, & rogans eum dixit. Domine, puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait illi: Domine noli vexari. Non M. L. enim sum dignus vt sub tectum meum intres, propter L. quod & meipsum nõ sum dignum arbitratus vt venirem ad te. Sed M. L. tantũ M. dic M. L. verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, habẽs sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alij, veni & venit, & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens M. autem Iesus miratus est. Et conuersus L. sequentibus M. L. se dixit: Amen M. dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis quod multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade & sicut credidisti fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora. Et reuersi qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum qui languerat sanum.

De filio viduæ suscitato. Lucæ. 7. Cap. 33.

ET factum est deinceps. Ibat Iesus in ciuitate quæ vocatur Naym, & ibat cum illo discipuli eius & turba copiosa. Cum autem appropinquarent portæ ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cũ vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere, & accessit & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illũ matri suæ. Accepit autẽ omnes timor: & magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem.

De duobus volentibus sequi Christum. M. 8. L. 9.

Cap. 34.

VIDENS autem Iesus turbas multas circa se, iussit discipulos ire trans fretum. Factum L. est autem ambulantibus illis in via, accedens M. vnus scriba ait illi: magister M. L. sequar te quocunq; ieris. Et dixit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Ait L. autem ad alterum: Sequere me. Ille autẽ alius M. De discipulis eius ait illi. Domine M. L. permitte me primũ ire & sepelire patrem meum. Iesus M. autẽ ait illi: Sequere me, & dimitte M. L. mortuos sepelire mortuos suos: tu autem vade & annuncia regnũ Dei. Et alter ait: Sequar te domine: sed primum permitte mihi renunciare his qui domi sunt. Ait autem ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.

De quietatione maris ad iussum Christi. M. 8. R. 4. L. 8. Cap. 35.

IN R. illo die cum sero factum esset, ait discipulis suis: Transeamus contra, & dimittentes turbam assumunt eum, ita vt erat in naui, & ipse L. ascendit in nauiculam, & R. aliæ naues erant cum illo, & M. ascendẽte eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et L. ait ad illos: Transeamus trans stagnum & ascenderunt. Nauigantibus autem illis obdormiuit, & M. ecce motus magnus factus est in mari, & L. ascendit. Q. procella venti magni R. in stagnum L. & R. fluctus mittebat in nauim: ita M. R. vt nauicula operiretur fluctibus. Et L. compellebantur fluctibus & periclitabantur, ipse M. verò dormiebat, & R. erat in puppi super ceruical dormiens, & M. accesserũt ad eum discipuli eius & suscitauerunt eum dicentes: Magister R. non ad te pertinet quod perimus domine R. præceptor L. M. salua M. nos perimus. Tũc surgens imperauit ventis & mari, & R. comminatus est vento. Increpauit L. ventum & tempestatem aqua & dixit R. mari: Tace, obmutesce, & cessauit ventus, & M. facta R. est L. tranquillitas magna. Dixit L. autem eis: Vbi est fides vestra? Quid M. R. timidi estis modicæ M. fidei? nec R. dum habetis fidem? Porro M. homines mirati sunt & timuerunt R. timore magno, & dicebant ad alterutrum. Quis putas est iste? Qualis M. est hic? quia L. ventis M. R. & mari imperat & obediunt ei.

De duobus

De duobus dæmoniacis curatis. R. 8. V. 5. L. 8.
Cap. 36.

NAVIGAVERVNT L. autem & R. venerunt trans fretum maris in M. regionem R. L. Gerasenorum quæ est contra Galilæam, & M. tunc cum venisset & cum L. egressus esset ad terram, occurerunt M. ei duo habentes dæmonia, de moumentis exeuntes sæui nimis, ita vt nemo transire posset per viam illam. Statim R. occurrit ei de monumento homo in spiritu immundo, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domibus manebat. Qui R. domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis illum quisquam potuit ligare quin sæpe catenis & cōpedibus vinctus dirupisset cathenas & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis erat, & in montibus clamans & concidens se lapidibus. Videns autem Iesum à longe cucurrit & adorauit eum. Et L. procidit ante illum. Et M. ecce ambo clamauerunt voce L. magna dicentes M. Quid nobis & tibi L. Iesu R. M. filij Dei altissimi? Cur M. venisti huc ante tempus torquere nos? Adiuro R. te per Deum. Obsecro L. te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine, multis enim temporibus arripiebat illū, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus. Et ruptis vinculis agebatur à dæmonio isto in desertum. Dicebat R. enim illi Iesus: Exi spiritus immunde ab homine. Interrogauit L. R. autem illum Iesus dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio R. L. mihi nomen R. est, quia multi sumus, quia L. dæmonia multa intrauerunt in eum. Et R. deprecabatur eum multum ne se depelleret extra regionem. Et R. rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent. Erat M. autem non longè ab eis grex porcorum multorum circa R. montem, pascens in agris in monte L. Dæmones autem rogabant illum dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, vt in eos introeamus, vt L. permitteret eis in illos ingredi, & permisit illis. Et concessit M. eis statim Iesus. Et ait M. illis Iesus: Ite. At illi exeuntes abierunt, & R. introierunt in porcos. Et M. ecce magno impetu abijt totus grex per præceps L. in stagnum. Et R. præcipitatus est in mare ad duo milia, & suffocati L. sunt in mari, & M. mortui sunt in aquis. Quod L. vt viderunt factum pastores M. qui R. pascebant L. eos fugerunt M. R. L. & venientes nunciauerunt M. L. in ciuitatem. R. & in agros & in villas. L. hæc omnia M. & de his qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exijt obuiā Iesu. Exierunt L. autem videre quod factum est, & conuenerunt ad Iesum, & R. vident illum qui à dæmonio vexabatur, à quo L. dæmonia exierunt sedentem L. R. ad pedes L. eius vestitum R. & sanæ mentis & timuerunt. Nunciauerunt L. autem illis & hi qui viderant quomodo sanus factus esset à legione, & de porcis. R. Et viso M. eo rogauerunt L. M. R. eum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt M. transiret R. à finibus eorum, & L. descenderet & ab ipsis quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens in nauim reuersus est. Cumque L. R. ascenderet nauim, cœpit illum deprecari qui à dæmonia vexatus fuerat, vt esset cum illo. Iesus autem non admisit eum, sed ait illi: Vade & redi in domum tuā ad tuos, & nuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & misertus R. sit tui. Et L. abijt per vniuersā ciuitatem, & R. cœpit L. prædicare in Decapoli R. quanta sibi fecisset Iesus, & R. omnes mirabātur. Et cum ascendisset Iesus in nauim & rursum trans fretum conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Factum L. est autem cum redisset Iesus trans fretum, excepit illum turba: erāt enim omnes expectantes eum.

Communiter tenetur quod eadē est historia quamuis Lucas & Mattheus non faciūt mentionē nisi de vno dæmoniaco qui erat famosior. Additur ambo, quia fit reditus ad narrationem Math.

Glos. Idem est hic stagnū & mare.

De paralytico sanato. M. 9. R. 2. L. 5.
Cap. 37.

ET M. ascendens in nauiculam transfretauit & venit in ciuitatem suam, & iterum R. intrauit in Campharnaum post dies octo. Factum L. est autem vna dierū, & ipse sedebat docens, & R. auditum est quod in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperet, neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. Et erant Pharisæi sedētes & legis doctores qui venerant ex omni castello Galileæ & Iudææ & in Hyerusalem. Et virtus domini erat ad sanandum eos. Et M. ecce offerebant paralyticum iacentem in lecto, qui R. à quatuor portabatur. Et L. quærebant eum inferre & ponere ante eum, & non inuenientes qua parte eum inferrent præ turba. Ascenderunt super tectum, & R. nudauerunt tectum vbi erat & patefacientes submiserunt. L. R. eum in lecto in medium ante Iesum. Videns M. R. autem Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Fili homo L. M. confide, remittuntur L. M. R. tibi peccata tua. Et L. cœperunt cogitare scribæ & Pharisæi dicentes intra se M. Quis L. est hic qui loquitur blasphemias? M. R. quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Vt autem cognouit Iesus in spiritu R. sancto cogitationes L. M. eorum, respondens L. dixit ad illos: Vt L. M. R. quid cogitatis mala M. in cordibus vestris? quid est facilius dicere paralytico, R. dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge tolle grabatum R. tuum & ambula? Vt autem sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi L. R. dico surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Et L. confestim coram illis surgēs, tulit lectum suum in quo iacebat, & abijt in domum suam. Et stupor apprehendit omnes & magnificabant deum & glorificauerunt M. qui dedit potestatem talem hominibus, & L. repleti sūt timore magno dicentes, quia vidimus mirabilia, & R. nunquam sic vidimus.

De conuiuio in domo. Matthæi. M. 9. R. 2. L. 5.
Cap. 38.

FECIT L. autem ei conuiuium magnum Leui in domo sua M. Et factum R. est discumbente eo in domo sua, ecce multi publicani & peccatores venietēs discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant R. enim multi qui sequebātur eū. Et M. vidētes Pharisæi R. & scribæ quia mādūcaret cū publicanis & peccatoribus murmurabāt L. dicētes ad discipulos eius. Quare R. M. cum publicanis

& peccatoribus manducat & bibit R. magister vester: & L. vos manducatis & bibitis? Et respõdens Iesus ait illis. Non L. egent R. M. qui sani sunt medico; sed qui malè habent. Euntes. M. autem discite quid est, quia misericordiam volo, & non sacrificium. Non M. enim R. veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam L. Et R. erãt discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes. Tunc M. accesserunt ad eum dicentes: Quare nos & Pharisęi ieiunamus frequenter & L. obsecrationem faciunt discipuli Ioannis similiter & pharisæi eorũ tui autem edunt & bibunt, & non M. ieiunant R. Et M. ait illis Iesus. Nunquid possunt filij sponsi & nuptiarum R. quamdiu cum illis est sponsus ieiunare & lugere? M. R. Quanto L. M. R. tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare. Venient autem dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in diebus illis. Dicebat L. autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à vestimento nouo mittit in vestimentum vetus. Nemo R. enim assumentiũ panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin aufert supplementum nouum & veteri. Tollit M. enim plenitudinem eius à vestimento nouum L. rumpit & peior M. & maior R. scissura fit, & L. veteri non conuenit commissura à nouo, neque M. mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres & vinum effundetur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & R. mitti debet mittendum L. est vt vtraque conseruentur. M. Et L. nemo bibens vetus statim vult nouum, dicit enim vetus melius est.

De suscitatione filiæ archisynagogi & de hæmorroyssa. M. 9. R. 5. L. 8. Cap. 39.

HÆc M. eo, loquente, ecce princeps vnus de archisynagogis R. nomine Iairus, cui L. nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat. Et cecidit ad pedes Iesu rogans eum. Videns R. eum accessit M. procidit R. ad pedes eius & deprecabatur eum multum. Et adorabat M. rogans L. vt intraret domum suam quia vnica filia erat illi ferè annorum. xij. & hæc moriebatur adorabat M. eũ dicens: Domine filia mea modo defuncta est, in extremis R. est, sed M. veni R. impone manum tuam super eam, vt R. salua sit & viuat. Et M. surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius, & R. turba multa. Et contigit L. dum iret à turbis cõprimebatur. Et M. ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur. xij. annis, quæ R. fuerat multũ perpessa cum medicis pluribus & erogauerat L. omnem substantiam suam, omnia R. sua nec quicquam profecerat, nec L. ab vllo potuit curari, sed magis R. deterius habebat. Cum audisset de Iesu venit in turba retro & tetigit M. R. L. fimbriam vestimenti eius. Dicebat M. R. autem intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius salua ero. Et L. cõfestim stetit fluxus, & R. siccatus est fõs sanguinis eius, & sensit corpore quod sanata esset à plaga. Et Iesus statim agnoscens in semetipso virtutẽ quæ exierat de illo, conuersus ad turbam ait: Quis L. me & R. vestimenta mea tetigit? Negantibus L. autem omnibus Petrus & qui cum illo erant dixerunt. Pręceptor turbæ L. R. te comprimunt & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit? Et L. dixit Iesus: Aliquis me tetigit: Nam & ego noui

A virtutem de me exisse. Et R. circunspeciebat videre eam quæ hæc fecisset. Videns L. autem mulier quia non latuit eum, timens R. & tremens sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum & pedes L. eius, & ob quam causam tetigerat eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At M. Iesus conuersus & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Vade L. R. in pace, & esto R. sana à plaga tua. Et salua M. facta est mulier ex illa hora. Adhuc R. eo loquente venerunt

B nuncij ad archisynagogum dicẽtes: Quia filia tua mortua est, quid vltra vexas magistrum? Noli L. vexare illum. Iesus audito hoc verbo respondit patri puellæ: Noli timere, tantummodo R. crede & salua L. erit, & M. cum venisset Iesus in domum principis non M. admisit quemquam se sequi nisi Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. Et vidit tumultum & flentes & eiulantes multum & tibicines M. Flebant L. autem omnes & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere

C quid R. turbamini & ploratis? Recedite M. non est mortua puella, sed dormit, & deridebant eũ. L. scientes quòd mortua est, ipse R. verò eiectis turbis assumit patrem R. L. & matrem puellæ, quæ R. secum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens, & manum puellæ tenens clamauit, & L. ait R. illi: Thabitacumi, quod est interpretatũ puella, tibi dico surge. E. L. reuersus est spiritus eius & surrexit continuo, & R. ambulabat, & L. iussit illi dare manducare, & R. obstupuerunt stu-

D pore magno L. parentes eius, quibus præcepit vehementer R. ne L. cui dicerent, quod factum nemo R. illud sciret. Et M. exijt fama hæc in vniuersam terram, & R. egressus inde abijt in patriã suam. Et sequebantur eum discipuli eius.

De duobus cæcis illuminatis, & de muto dæmoniaco. M. 9. Cap. 40.

ET transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cœci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cum autem venissent domum, acces- *Solus Matheus hæc narrat de cœcis secũdum Augustinum.*

E serunt ad eum cœci, & dixit eis Iesus. Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est eis Iesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt illum per totam terram illam. Egressus autem illis ecce obtulerunt illi hominem mutum, habentem dæmonium, & eiecto dæmonio locu-

F tus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes: Nũquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

De admiratione turbarum super doctrina Christi. M. 13. Consonat L. 4. R. 6. Cap. 41.

ET facto sabbato cœpit in Synagoga docere, & multi videntes admirabantur in doctrina eius dicentes: Vnde huic hæc omnia, quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes quæ per manũ eius efficiuntur? Nõne iste est fabri M. filius? Nõne M. R. mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph Symon & Iudas, & sorores

rores eius nonne omnes apud nos sunt,& scandalizabantur ex eo. Iesus autem dixit illis: Non est A propheta sine honore nisi in patria sua & in domo sua & in cognatione R. sua & non poterat vllam virtutem ibi facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.

De iussione facta discipulis rogare dominum mittere operarios. M. 9. R. 6. Cap. 42.

ET M. circumibat R. Iesus omnes ciuitates & castella in circumitu R. docens M. in Sy- B nagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & curans omnem languorē & omnem infirmitatem. Videns autem turbas misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis: Messis quidē multa operarij autē pauci. Rogate ergo messis vt mittat operarios in messem suam.

De missione duodecim apostolorum. M. 10. & 11. R. 6. L. 3. Cap. 43.

CONVOCATIS L. autem Iesus duodecim C apostolis cœpit R. eos binos mittere, dedit L. illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, vt M. eijcerent & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem apostolorum hæc sunt nomina. Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius: Philippus & Bartholomæus: Iacobus Zebedei & Ioannes frater eius: Thomas & Matthæus publicanus: Iacobus Alphei & Thadæus: Simon Chauanæus & Iudas Iscariothis qui tradidit eum. Hos D duodecim misit Iesus prædicare regnum Dei & sanare infirmos, præcipiens eis & dicens: In viam gentium non abieritis,& in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum neque argentum. Et præcepit R. eis ne quid tollerent in via nisi virgā tantum. Et L. ait ad illos: Nihil tuleritis in via ne- E que virgam neque peram neque panem neque pecuniam neque in zona æs, neque L. duas tuninas habeatis, neque M. calciamenta sed R. calciatos sandalijs. Dignus M. est enim operarius cibo suo. In quamcumque autem ciuitatem aut castellum aut domum L. intraueritis. Interrogate M. quis in ea dignus sit,& ibi manete, & inde L. ne exeatis. Intrantes M. autem domum salutate eam dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna veniet super eam pax vestra. F Si autem non fuerit digna pax vestra, ad vos reuertetur. Et quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros: & exeuntes foras de domo vel ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium L. super illos. Amen M. dico vobis, tolerabilius erit terrę Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij quam illi ciuitati. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporū. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ. Cauete autem ab hominibus tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem & pater filium, & insurgent filij in parentes,& morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis, non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominū suum, sufficit discipulo vt sit sicut magister suus, & seruo sicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius. Ne ergo timueritis eos, nihil enim est opertum quod non reuelabitur, & occultū quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta, & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt & vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terram. Non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim hominem separare aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam,& nurum aduersus socrum suam,& inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem suum aut matrē plus quàm me, non est me dignus: Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me: non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam,& qui perdiderit animam suam propter me, inueniet illam. Qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetę recipiet. Et qui accipit iustum nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque dederit potum vni ex istis minimis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. Amen dico vobis nō perdet mercedem suam. Et M. factum est cum consummasset Iesus verba hæc, præcipiens duodecim discipulis suis, egressi L. circumibant per castella euangelizantes, & curantes vbique prædicabant R. vt pœnitentiam agerent, dæmonia multa eijciebant & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Transijt M. autem Iesus inde vt doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.

Virga sumitur hic à Marc.&Luca diuersimodè Marcus prout significat mysticè potestatem accipiendi necessaria. Matthæus autem & Lucas ad litteram vel mysticè, ne innitantur rei cuilibet vel potestati aut autoritati temporali.

De interrogatione Ioannis: Tu es qui venturus es. M. 11. L. 12. Cap. 44.

ANNVNCIAVERVNT L. autem Ioanni discipuli eius de omnibus his. Ioannes M. verò cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ad Iesum L. dixit: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora curauit multos à languoribus

ſuis & plagis & ſpiritibus malis, & cœcis multis donauit viſum. Et M. reſpondens Ieſus ait illis: A
Euntes renunciate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, & qui L. in precioſa veſte ſunt & in delicijs, in domibus regũ ſunt. Sed M. quid exiſtis videre, prophetã? Etiam dico vobis, & plus quam propheta. Hic eſt enim de quo B
ſcriptum eſt. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierũ maior Ioanne baptiſta. Qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo. A diebus autem Ioannis baptiſtæ vſque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex vſque ad Ioannem baptiſtam prophetauerunt. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias C
qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat. & L. omnis populus audiens & publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis, Phariſæi autem & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerũt in ſemetipſis non baptizati ab eo. Ait autem dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius, & cui ſimiles ſunt? ſimiles ſunt pueris ſedentibus in foro & loquentibus ad inuicem & dicentibus. Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis, lamentauimus & non ploraſtis. Venit enim D
Ioannes baptiſta neque manducans panem: neq; bibens vinum, & dicitis, dæmonem habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis, ecce homo vorax M. & potator vini, publicanorũ & peccatorum amicus, & iuſtificata L. eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis.

De phariſæo qui rogauit Chriſtum manducare cum eo & Maria Magdalena L. 7. Cap. 45.

ROGAVIT autem illum quidam de phariſæis vt manducaret cum illo, & ingreſſus do- E
mum phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt agnouit quod accubuit in domo phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius & vnguento vngebat. Videns autem phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta ſciret vtique quæ & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix F
eſt. Et reſpondens Ieſus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit? Reſpondens Simõ dixit. Æſtimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei. Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierem dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intrauit non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos, propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe. Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.

De occiſione Ioannis. M. 14. R. 6. Cap. 46.

CVM L. autem dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cumque intraſſet filia ipſius Herodiadis & ſaltaſſet in medio M. & placuiſſet R. Herodi, ſimulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quid vis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exiſſet dixit matri ſuæ, quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis baptiſtæ. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem petiuit præmonita M. à matre ſua. Volo R. protinus inquit M. da mihi hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex, & propter iuſiurandum & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri, caput Ioannis in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito diſcipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud ac M. ſepelierunt in monumento R. & M. venientes nunciauerunt Ieſu. Quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſſit in nauiculam in locum deſertum ſeorſum.

De probatica piſcina. Ioan. 5. Cap. 47.

POST hoc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Et autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominãt hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum aridorum expectantium aquæ motũ. Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcẽdebat in piſcinam & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam aquæ motionem, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem ibi quidam homo. xxxviij annos habens in infirmitate ſua, hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem & cognouiſſet quod multum iam tempus haberet, dixit ei. Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus. Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinã, dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula: & ſtatim ſanus factus eſt homo, & ſuſtulit grabatum ſuum & ambulabat. Erat autem ſabbatum in illa die: dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat. Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerunt autem eum, quis eſt ille homo qui dixit, tolle grabatum tuum & ambula? Is autẽ qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus autẽ declinauit à turba conſtituta in loco. Poſtea

inuenit eum Iesus in templo & dixit ei: Ecce iam sanus factus es: iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat: Abijt ille homo & nunciauit Iudæis: quia Iesus esset qui fecit eum sanum, propterea persequebantur Iudæi Iesum: quia hoc faciebat in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modo operatur & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat deum æqualem se faciēs Deo. Respondit itaque Iesus: & dixit eis. Amen amen dico vobis, non potest filius à se quicquam facere nisi quod viderit patrem facientem: quæcūque enim ille fecerit, hęc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demōstrabit ei opera vt vos miremini: sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat, nec enim pater iudicat quēquam sed iudiciū omne dedit filio, vt omnes honorificēt filiū sicut honorificant patrē: qui nō honorificat filiū: non honorificat patrem qui misit illum. Amen amen dico vobis: quia qui verbum meum audit: & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij dei, & qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio vitā habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerūt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Non possum ego à meipso facere quicquam: sed sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me. Si ego testimonium prohibeo de me testimonium meum nō est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est, testimoniū eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: Sed hoc dico vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horā exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne, opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater me misit, & qui misit me pater ipse testimonium perhibet de me. Neque vocem eius vnquam audistis, nequæ speciem eius vidistis: & verbum eius non habetis in vobis manēs: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas quia vos putatis in ipsis vitam æternā habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & nō vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Claritatem hominibus non accipio, sed cognoui vos: quia dilectionem Dei non habebitis in vobis. Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo potestis vos credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriā quæ à solo Deo est nō quæritis? Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud patrē. Est qui accusat vos Moyses in quo speratis. Si enim crederitis Moysi,

Hic primo cœpit dominus Iudeis manifestare diuinitatem suam, quia patrem videlicet haberet deū. Manifestè loquitur hæc dominus de patre & filio, vnde Iudæorum indignatio & odium generatur cōtra ipsum. Et hæc in verbis Christi confunditur error Arrij qui dixit Christū non esse filium naturalē patris neque patri consubstantialem neque coęternum sed minorē patre dicētis, est quoniā non fuit filius quasi qui cœperit ex tēpore.

crederitis forsitan mihi: de me enim ille scripsit: A Si enim illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

De Herode dicente Ioannem surrexisse & miracula facere. Mat. 14. R. 8. L. 9. Cap. 48.

AVDIVIT L. autem Herodes tetrarcha famam M. de Iesu & omnia L. quæ fiebant ab eo, manifestum R. enim factum est nomen eius & hęsitabat L. eo quod diceretur à quibusdam, quod Ioannes surrexit à mortuis. A quibusdam B vero quod Helias apparuit, ab alijs autem quod propheta vnus de antiquis surrexerit, & M. ait Herodes, Ioannem ego decollaui, quis est iste de quo ego talia audio? & quærebat videre eum. Et M. ait pueris suis: Hic est Ioānes baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo, quem R. ego decollaui Ioannem hic à mortuis surrexit.

De reditu apostolorum ad Christum. R. 6. L. 9. Cap. 49.

C ET L. reuersi apostoli conuenientes R. ad Iesum renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant, & ait illis: Venite seorsum in desertum locum & requiescite pusillum, & assumptis L. illis secessit deorsum in locū desertum qui est Bethsaida. Erant R. enim qui veniebant & redibant multi, & nec spacium manducandi habebāt.

De quinque panibus & duobus piscibus. M. 14. R. 6. L. 9. I. 6. Cap. 5.

D ET ascendentes R. in nauim abierunt trans mare I. Galilææ quod est Tyberiadis, in desertum R. locum, quod M. cum L. audissent turbæ, secuti sunt eū. Et Qui viderunt eos abeuntes & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerūt eos. Et exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & excepit L. illos & loquebatur illis de regno Dei, & R. cœpit illos docere E multa, & curauit M. languidos eorum. Sequebatur L. autem illum multitudo magna quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Abijt autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum: Vespere M. autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicētes: Desertus est locus & hora iam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella L. villasque quæ circa sūt diuertant, vt inueniant escas vt emant R. cibos F quos manducent, quia in loco L. deserto sumus. Iesus M. autem dixit eis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Cum L. subleuasset ergo oculos Iesus & vidisset quia multitudo maxima venisset ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt vt vnusquisque modicum quid accipiat. Et R. dixit eis: Quot panes habetis? Ite & videte. Dixit ei vnus ex duodecim Andreas frater Simonis Petri. Est puer vnus hic habēs quinq; panes hordeaceos & duos pi

Videtur hoc esse secundum pascha alterū à primo iam dicto, & ab illo quo fuit occisus.

sces. Sed & hæc quid sunt inter tantos? nisi L. forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. Dicit I. ergo Iesus. Facite homines discumbere per conuiuia L. quinquagenos. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri quasi numero quinque milia in partes R. per centenos & quinquagenos. Accepit I. ergo Iesus panes, & intuens R. in cœlum benedixit & fregit. Et cum gratias I. egisset, dedit R. discipulis suis vt ponerent ante eos. Discipuli M. autem dederunt turbis. Similiter autem & de piscibus distribuit discumbentibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt L. omnes & saturati dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim R. cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus quæ superfuerant his qui manducauerant. Manducãtium M. autem fuit numerus quinque milia virorum: exceptis mulieribus & paruulis: & R. statim coegit discipulos suos ascendere in nauim vt præcederent eum trans fretum à Bethsaida dum ipse dimitteret populum. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum dicebant: Quia hic est verè propheta qui venturus est in mundum. Iesus autem cum cognouisset quod venturi essent vt raperent eum & facerent eum regem: fugit in montem iterum ipse solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

Sicut Augu. hic notat: Si non fieret per eundem euangelistã mentio de secunda refectione septem panũ videretur esse inter euangelistas contra dictio quasi narrarent contrariè vnam & eãdem refectionem & hoc videlicet pro cõcordantia taliũ vt dicantur pluries facta quę non nisi semel videntur esse narrata.

De ambulatione Christi supra mare. Mat. 14. R. 6. & Ioannes. 6. Cap. 51.

VT I. autem sero factum est descẽderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim veniunt trans mare in Capharnaum & tenebræ iam factæ erant, & nõ venerat ad eos Iesus. Mare autem vento magno flante exurgebat. Nauicula M. autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat autem ventus contrarius eis: & vidit eos laborantes in remigando. Cum L. ergo remigassent stadia quasi vigintiquinque aut triginta circa R. quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulãs supra mare: & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem supra mare putauerunt phantasma esse: & clamauerunt præ timore M. Omnes R. enim viderunt eum & conturbati sũt. Statimque M. Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam. Confidite. R. ego sum: Nolite timere. Respondens M. autem Petrus, dixit: Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse dixit: Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas vt venire ad Iesum. Vidẽs autem ventũ validũ timuit. Et cũ cœpisset mergi clamauit dicens. Domine saluum me fac: & cõtinuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti? Voluerũt I. ergo eum recipere in nauim. Et M. cum ascendisset in nauiculam, cessauit ventus: & R. multo magis intra se stupebant non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorũ excæcatum. Qui M. autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es: & I. statim nauis fuit ad terrã ad quam ibant: & M. transfretassent, venerunt in terram Genezareth: & R. applicuerunt. Cumque egressi fuissent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes per

A vniuersam regionem illam cœperunt in grabatis eos qui malè habebant, transferre vbi eum audiebãt esse & quocũque introibat in vicos vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos & deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimentis eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

De prædicatione Eucharistiæ. Io. 6. Cap. 52.

ALTERA autem die turba quæ stabat trans mare vidit: quia nauicula alia non erat ibi

B nisi vna. Et quia non introisset Iesus cum discipulis suis in nauim: sed soli discipuli eius abijssent. Aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locũ vbi manducauerant panem, gratias agentes Deo. Cũ ergo vidissent turbæ: quia Iesus non erat ibi neque discipuli eius ascenderunt nauiculas & venerunt Capharnaum quærẽtes Iesum: & cũ inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi quãdo huc venisti? respondit Iesus & dixit: Amen

C amen dico vobis quęritis me, non quia vidistis signa: sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam quem filius hominis vobis dabit, hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondens Iesus dixit eis: Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus & credamus tibi? Quid operaris. Patres nostri manducauerunt manna in deserto sicut scriptum

D est: Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit ergo Iesus. Amen amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui descendit de cœlo: & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ei: Domine semper da nobis hũc panem. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Sed dixi vobis: quia & vidistis me & non credidistis. Omne quod dat mihi

E pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed, resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est enim voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo: quia dixisset: Ego sum panis qui de cœlo descendi. Et dice-

F bant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem. Quomodo ergo dicit hic quia de cœlo descendi? Respondit ergo Iesus & dixit eis: Nolite murmurare inuicem. Nemo potest venire ad me nisi pater meus qui misit me, traxerit illum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt homines docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit à me: non quia patrem vidit quisquam nisi eis qui est à Deo hic vidit patrem. Amen amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt mãna in deserto & mortui sunt.

Augustinus dicit quod Capharnaũ est iuxta stagnum Genezar, quod dicitur mare.

Hic

Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur: ego sum panis vi- A uus qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo B eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinẽ, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuens pater & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna in deserto & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo ex discipulis audientes, dixerunt. Durus est hic ser- C mo & quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum: quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius. Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui nõ credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui erant credentes & quis traditurus esset eum: & dicebat propterea dixi vobis: quia nemo potest venire ad me nisi ei datum fuerit à patre meo. Ex hoc multi D discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei. Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotis: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim. E

De missione septuaginta duorum discipulorum. L. 10. Cap. 53.

POST hoc autem designauit dominus & alios lxxij. & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus & dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare F sacculum, neque peram, neque calciamenta: & neminem per viam salutaueritis. In quãcumque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra: Sin autem ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite trãsire de domo in domum: & in quãcunque ciuitatem intraueritis & susceperint vos manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos qui in illa sunt: & dicite illis: Appropinquabit in vos regnum Dei. In quãcunque autem ciuitatem intraueritis & non receperint vos exeuntes de plateis eius dicite. Etiam puluerem qui adhæsit pedibus nostris de ciuitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi ciuitati.

De maledictionibus ciuitatum in quibus prædicauerat Christus. M. 11. L. 10. R. 4. Cap. 54.

TVNC M. cœpit exprobare ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius: quia non egissent pœnitentiam. Væ L. tibi. M. Corozaym, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ fuerunt, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterẽt. Veruntamen dico M. vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij quam vobis. Et tu Capharnaum: nunquid vsque ad cœlum exaltaberis? vsque ad infernum descendens, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ in te factę sũt? forte mansissent vsque in hunc diem. Veruntamen dico vobis: quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij quam tibi. Qui vos L. audit me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Et R. veniunt ad domum & conuenit iterum turba: ita vt non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui discipuli exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem versus est.

De dæmonio muto. M. 12. R. 3. L. 11. Cap. 55.

OBLATVS M. est Iesu dæmonium habens cæcus & mutus: & L. erat eijciens dæmonium & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium locutus est mutus. Curauit M. autem eum ita vt loqueretur & videret: & admiratæ L. sunt turbę: & dicebant M. Nunquid hic est filius Dauid? Pharisęi autem & scribæ R. qui ab Hierosolymis descenderent audientes M. dixerunt: quoniam R. Beelzebub habet, & L. in Beelzebub principe dęmoniorum eijcit dæmonia. Alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Et R. conuocatis eis ipse. L. vt vidit cogitationes eorũ in parabolis R. dicebat illis: Quomodo potest sathanas sathanam eijcere? Omne L. regnum in seipsum diuisum, desolabitur: & domus supra domum cadet: & R. non potest stare regnum illud: & omnis M. ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Si L. autem sathanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnum ipsius? Si R. sathanas consurrexerit in seipsum dispertitus est & non poterit stare, sed finem habet: quia dicitis in Beelzebub eijcere me dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei spiritu M. Dei eijcio L. dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Nemo R. potest vasa fortis ingressus in domum diripere; nisi prius fortem alliget. Si L. autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa vasa eius aufert in quibus confidebat, & spolia eius distribuet, & R. tunc domum eius diripiet. Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Amen R. dico

vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemiæ quibus blasphemauerunt, qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant spiritū inmundum habet. Quicumque M. dixerit verbū contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra spiritum sanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum. Aut facite arborem malam & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur: Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de thesauro bono profert bona, & malus homo de thesauro malo profert mala. Dico autem vobis, quoniam de omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Cum M. autem L. immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiē & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui, & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Factum L. est cum hoc diceret: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit & vbera quę suxisti. At ille dixit: Quinimmo Beati qui audiunt verbū Dei & custodiunt illud.

De matre Iesu & fratribus quærentibus loqui ei. M. 12. R. 3. L. 8 Cap. 56.

ADHVC M. eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres eius foris stabant quærentes loqui ei. Non enim poterant adire pre turba, & R. miserunt ad eum vocantes eum: & sedebat circa eum turba. Dixit M. autem ei quidā: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te L. videre. At M. ipse respondens dicenti sibi ait: quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? & R. circumspiciēs eos qui in circuitu eius sedebāt, & M. extendens manus suas in discipulos suos dixit. Ecce mater mea & fratres mei, quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est. Mater L. mea & fratres mei sunt hi qui verbum Dei audiūt & faciunt.

De petentibus signum de cœlo. M. 12. L. 11. Cap. 57.

TVNC M. responderunt ei quidam de scribis & pharisæis: dicentes. Magister volumus à te signum videre. Concurrentibus L. autem turbis cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est. Generatio M. mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ. Nam L. sicut Ionas fuit signum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi isti, sicut M. enim Ioannes fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam quia pœnitentiam egerūt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic. Regina austri surget in die iudicij cum generatione ista & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic. Nemo L. lucernam accendit & in abscondito ponit neque sub modio: sed super candelabrum, vt qui ingrediantur lumē videant. Lucerna corporis tui oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit, vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

De discipulis quibus dæmonia subijciebantur. M. 11. L. 10. Cap. 58.

REVERSI L. sunt autem omnes lxxij. discipuli cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, & ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & super scorpiones, & super omnem potestatem inimici, & nihil vos nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa autem hora exultauit Iesus in spiritu sancto, & M. respondens L. dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Ita pater quia sic placuit ante te, omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et L. nemo M. scit qui sit filius, nisi pater, neque qui sit pater nisi filius & qui voluerit filius reuelare. Et cōuersus ad discipulos ait: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quia multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

De Samaritano curante vulneratum. L. 10. Cap. 59.

ET ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? At ille respōdens dixit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi: Rectè respondisti, hoc fac & viues. Ille autem volens iustificare seipsum dixit ad Iesum, & quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descēderet eadem via & viso illo præteriuit, similiter & leuita, cum esset secus locum & videret eum, pertransijt. Samaritanus

ritanus autem quidam iter faciens, venit secus eũ & videns eum, misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque superogaueris ego cum rediero reddam tibi. Quis horum triũ videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit, qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.

A

De ministerio Marthæ. Lu. 10.

Cap. 60.

Eiecta iam erant. 7. dęmonia à Maria: vel pręoccupatur historiã & ita de remissione peccatorũ in domo Simonis leprosi.

FACTVM est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait. Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus: Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima: Porro vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

De doctrina orationis. Lu. 11.

Cap. 61.

Probabile est quod hoc fuerit repetitum & duæ petitiones tunc pretermissę

ET factum est cum esset in loco quodam orans vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eũ: Domine doce nos orare, sicut & Ioannes docuit discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, siquidem & ipsi dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice accomoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondeat, dicẽs: Noli mihi molestus esse. Iã enim ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseuerauerit pulsans dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem autem eius surget & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis.

De traditionibus pharisæorum reprehensis à Christo. Lu. 11. *Cap.* 62.

ET cum loqueretur, rogauit illũ quidam pharisæus vt pranderet apud se, & ingressus recubuit, pharisęus autem cepit intra se reputans dicere. Quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait dominus ad illum. Nunc vos pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod intus est fecit? Veruntamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

De confricatione granorum sabbatis. M. 12. *R.* 2. *L.* 6.

Cap. 63.

Patet in hac rubrica variam esse tam præoccupationẽ quã rememorationẽ, & hoc ex quotatione capitulorũ nec habetur rei gestæ certus ordo prout refert ad notitiam veritatis vel salutis.

A

FACTVM. L. est autem in illo tempore sabbato eundo: primo cum transiret Iesus per sata, discipuli. M. eius esurientes, cœperunt progredi & euellere spicas & manducabant. R. confricantes manibus. Quidam autem pharisæorum dicebant illis. Quid facitis quod non licet in sabbatis? &. M. videntes dicebant Iesu. Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. Et. R. ait illis. Numquã legistis quid fecerit Dauid quando necessitatem habuit, & esurijt ipse & qui cum

B

eo erant, quoniam intrauit in domum domini sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis sumpsit. L. R. M. & manducauit & dedit eis qui cum ipso erant, quos M. L. non licebat ei comedere, neque his qui cum ipso erant nisi solis sacerdotibus &. R. dedit ei & his qui cum ipso erant. Aut. M. non legistis quod in sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis quid est, misericordiam

C

volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Et dicebat R. eis. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque R. L. M. dominus est filius hominis etiam sabbati.

De sanatione manus aridæ. M. 12. *R.* 3. *L.* 4. *Cap.* 64.

ET. M. cum inde transisset factum est & in alio sabbato vt intraret in Synagogam & doceret: & erat ibi homo & manus eius dextra erat

D

arida. Obseruabant autem eum scribæ & pharisæi si in sabbato curaret, vt inuenirent causam vnde accusarent eum. Ipse enim sciebat cogitationes eorum, & M. interrogabant eum, dicentes. Si licet in sabbatis curare, vt accusarent eum. Et. R. ait homini habenti manum aridam. Surge & sta. L. in medium, & surgens stetit, & ait ad illos Iesus. Interrogo vos, si licet in sabbatis bene agere an male, animam saluare an perdere? At. R. illi tacebant. Ipse. M. autem dixit eis. Quis erit ex vo-

E

bis homo qui habeat vnam ouem, & si ceciderit hæc in sabbatis in foueam, nonne tenebit & leuabit eam. Quantomagis est homo melior oue. Itaque licet sabbatis benefacere, & circumspiciẽs R. eos cum ira contristatus super cœcitatem eorũ dixit homini. Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus illi sanitati. M. sicut altera. Ipsi L. autem repleti sunt insipientia & colloquebantur adinuicem, quidnã facerent de Iesu. Exe-

F

untes. M. autem pharisæi consilium faciebant statim. R. cum Herodianis aduersus eum quomodo eum perderent. Iesus. M. autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi & curauit eos omnes, & præcepit eis ne manifestum eum facerent, vt adimpleretur quod dictum est per Esayam prophetam dicentem. Ecce puer meus electus quem elegi dilectus meus in quo bene cõplacuit animę meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit, neque aliquis in plateis audiet vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet donec eijciat ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes spe-

rabunt. Iesus R. autem cum discipulis suis secessit ad mare, & turba multa à Galilæa & Iudæa se- A
cuta est eū,& ab Hierosolymis & Idumea & trās Iordanem & quæ circa Tyrum & Sydonem multitudo magna audientes quæ faciebat & venerūt ad eum,& dixit Iesus discipulis suis vt in nauicula sibi deseruirent propter turbā ne cōprimerent eū. Multos enim sanabat ita vt irruerent in eū, vt eū tangerent quotquot habebant plagas Et spiritus immundi cum illum videbant procidebant ei & clamabant dicentes. Tu es filius Dei, & vehemēter comminabatur eis ne manifestarent eum.

B

De quatuor parabolis in mari. M. 13. R. 4. L. 8. & 13. Cap. 65.

Quamuis cōnectātur dicta trium euāgelistarum nihilominus possunt intelligi varijs tēporibus fuisse repetita sicut supra de sermone domini in monte notatum est.

ET factum. L. est deinceps & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, predicās & euangelizans regnum Dei & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocabatur Magdalenæ de qua septem dæmonia exibant,& Ioanna vxor Cusæ procuratoris Herodis & Susanna & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultati- C
bus suis. In M. illa die exiens Iesus de domo sedebat secus mare, & cœpit iterum docere ad mare, & M. congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet in mari. R. & omnis turba in littore. M. circa R. mare super terram erant? Cum L. autem plurima turba conuenirent de ciuitatibus properarēt ad eum,locutus. L. est,& docebat. R. eos in parabolis multa & docebat illis in doctrina sua per similitudinem.

a Parabola prima.

D Audite. R. ecce. M. exijt L. qui seminat[a] seminare semen suum seminans. R. ad seminandum & L. dum seminat aliud cecidit secus viam,& cōculcatum est & venerunt. R. volucres cæli & comederunt illud. Et aliud. L. cecidit supra petram, vbi. R. non habuit terram multam & statim exortum est,quoniam non habebat altitudinem terre. Et quando exortus est sol exæstuauit, &. L. natū aruit, quia non habebat humorem, & M. eo. R. quod non habebat radicem,& L. aliud cecidit inter spinas & simul exortæ spinæ ascenderunt. R. E
& creuerunt. M. & suffocauerunt L. illud,& fructum. R. non dedit. Et. L. aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum ascendentem. R. & crescentem. aliud. M. centesimum. R. aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Hæc. L. dicens clamabat. Qui habet aures audiendi audiat, &. R. cum esset singularis accedentes. M. discipuli interrogauerunt eum hi qui cum illo erant duodecim parabolam exponere,quę. L. esset hæc parabola,&. M. dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? Quibus. L. ipse dixit. Quia. M. vobis da- F
tum est nosse mysterium regni Dei. L. cœlorum. M. Cæteris. L. autem qui. R. foris sunt omnia in parabolis fiunt,&. M. illis non est datum. Ideo in parabolis loquor eis, vt. R. videntes videant & non videant & audientes audiant & non intelligant: quia. M. videntes non vident,& audientes non audiunt, neque intelligunt vt adimpleatur in eis prophetia Esayæ dicentis. Auditu audietis & non intelligetis, vt videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum enim est cor populi huius & auribus grauiter audierūt & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis & auribus audiunt & corde intelligant & conuertātur & sanem eos & dimittantur. R. eis peccata. Vestri. M. autē beati oculi qui vident,& aures vestræ quę audiunt. Amē quippe dico vobis,quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Et. R. ait illis. Nescitis parabolam hāc. Et quomodo omnēs parabolas cognoscetis? Vos. M. autem audite parabolam seminantis. Est. L. autem hæc parabola. Semen est verbum Dei, qui R. seminat verbum seminat. Qui L. autem secus viam vbi. R. seminatur verbum, hi. L. sunt qui audiunt, &. R. cum audierint, confestim venit sathanas & tollit. L. verbum de corde eorum ne credentes salui fiāt. Omnis. M. enim qui audit verbum regni Dei & intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde. Nam. L. qui supra petram hi sunt qui cum audierint, statim. R. cum gaudio suscipiunt illud. Et. L. hi radices non habent in. R. se, quia temporales sunt, quia ad tempus credunt, deinde orta tribulatione & persecutione propter verbū confestim scandalizantur,&. L. in tempore tentationis recedunt: Quod autem in spinis cecidit,hi sunt qui audierūt,& à sollicitudinibus seculi. M. istius & fallacia diuitiarū & voluptatibus. L. vitæ euntes,& circa. R. reliqua concupiscētiæ introeuntes suffocantur. L. & non referunt fructū. Qui autem in terram bonā, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum suscipiunt. R. L. & retinent. L. & fructum afferunt in patiētia. Et. M. facit. R. aliud quidem centesimum. Aliud autem sexagesimum,porro aliud tricesimum. Et dicebat. R. illis, Nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur aut sub lecto. Nemo autem accendit lucernam & operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum vt intrantes videant lumē. Non est enim occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod nō cognoscatur & in palam veniat. Si R. quis habet aures audiendi audiat, & dicebat illis. Videte ergo L. quomodo & quid. R. audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis & adijcietur vobis. Qui M. L. R. enim habet, dabitur ei, & abundabit. Qui autem non habet & quod habet & putat. L. se habere, auferetur ab eo.

Parabola secunda.

Aliam parabolam. M. proposuit ei dicens. Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit semen bonum in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius & superseminauit zizania in medio tritici & abijt. Cum autem creuisset herba & fructū fecisset, tūc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei. Domine, nonne bonū semen seminasti in agro tuo vnde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo fecit hoc. Serui autem dixerūt ei. Vis imus & colligimus ea? Et ait. Non, ne forte colligētes zizania, eradicetis simul & triticum eis. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Et in tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem cōgregate in horreum meum, & dicebat. R. eis. Sic est regnum Dei quemadmodum si iaciat homo sementē in terram, & dormiat & exurgat nocte & die & semē germinet & increscat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat primum herbā, deinde spicam, deinde plenum fructum in spica, & cum ex se produxerit

Parabola tertia.

produxerit fructum statim mittit falcem, quoniã adest messis. Aliam M. parabolam proposuit eis & R. dicebat. Cui assimilabimus regnum Dei? aut qui parabolæ cõparabimus illud? & cui. L. simile esse æstimabo. Simile est. M. regnũ cœlorum grano sinapis quod accipiens homo seminauerit in agro, &. L. misit in hortum suum. Quod. R. cum seminatum est in terra minimum. M. quidem est in omnibus seminibus quæ. R. sunt in terra, & cũ natum fuerit, &. M. creuerit maius est omnibus oleribus. Ascendit. R. in arborem magnam. L. & fit. M. arbor, &. R. facit ramos magnos, ita. M. vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius, & R. possint sub vmbra eius habitare, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Aliam. M. parabolam locutus est eis, &. L. iterum dixit. Cui simile regnum Dei æstimabo. Simile. M. L. est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermẽtatum est totum. Hæc. M. omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas. Et talibus. R. multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire verbum. Sine parabola autem non loquebatur eis, vt. M. impleretur quod dictũ est per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meũ & eructabo abscondita à constitutione mundi. Seorsum. R. autem discipulis suis disserebat omnia. Tunc. M. dimissis turbis venit in domum & accesserunt discipuli eius ad eum dicentes. Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait, qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus, bonum vero semen sunt filij regni zizania autem sunt filij nequã. Inimicus autẽ qui seminauit ea, est diabolus, messis vero consummatio seculi est. Messores autem sunt angeli, sicut ergo zizania colliguntur & igni comburuntur. Sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala. i. eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Parabola quarta.

De tribus parabolis in domo. M. 13. Cap. 66.

SIMILE est regnũ cœlorum thesauro abscõdito in agro, quem qui inuenit homo abscondit & prægaudio illius vadit & vendit vniuersa, quæ habet & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas Margaritas. Inuenta autem vna preciosa Margarita abijt & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset educentes & secus littus sedentes elegerũt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorũ similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera. Et factum est cũ consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde & veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum,

A ita vt mirarentur & dicerent. Vnde huic sapientia hæc & virtutes?

De reprehensione traditionis Iudaorum. M. 15. R. 7. & L. consonat supra. c. 11. Cap. 67.

TVNC. M. accesserunt &. R. conuenerunt ad eum ab Hierosolymis. M. scribæ & Pharisæi, &. R. cum vidissent quosdam de discipulis eius communibus manibus & non lotis manducare panem, vituperauerunt. Pharisæi autem & omnes Iudæi nisi crebro lauent manus non manducant, tenentes traditiones seniorum, & à foro redeuntes nisi baptizarentur non comedunt. Et

B alia multa quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum vrceorum & eramentorum & lectorum. Et interrogabant eum Pharisæi & scribæ dicentes. Quare. M. discipuli tui transgrediuntur &. R. nõ ambulant iuxta traditiones seniorum? Non. M. enim lauant manus suas cum panem manducant, sed. R. communibus manibus manducant panẽ. Ipse. M. autem respondens ait illis. Quare & vos mandatum Dei transgredimini propter traditionem vestram. Relinquentes. R. enim mandatum

C Dei tenetis traditiones hominum & baptismata vrceorum & calicũ, & alia similia his facitis multa, & dicebat eis. Bene irritum fecistis mandatum Dei vt seruetis traditionem vestram. Nã. M. Deus dixit, &. R. Moyses. Honora patrem tuum & matrẽ, & qui malè dixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Si dixerit homo patri aut matri corban, hoc est donum quodcumque ex me tibi proderit M. & non honorificabit patrẽ suum aut matrem suam, & R. vltra non dimittitis

D eum quicquam facere patri suo aut matri rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quã tradidistis, & multa similia huiusmodi facitis. Hipocritæ. M. bene prophetauit de vobis Esayas dicens. Scriptum est, populus hic labijs me honorat, cor autem ipsorum longè est à me. In vanum autẽ & sine. M. causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis iterum. R. ad M. se turbis dixit. Audite me omnes. R. & intelligite: Non. M. quod intrat in os coinquinat hominem. Nihil. R. est extra hominem introiens in

E eum, quod possit eum inquinare sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat. Et cũ introisset in domum à turba accedentes. M. discipuli eius interrogabant R. eum parabolam, & M. dixerunt ei. Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt. At ille respondens ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos cœci sunt & duces cœcorum. Cæcus autem si cœco ducatum præ-

F stet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus dixit ei. Edissere nobis parabolam hanc. At ille dixit. Adhuc & vos sine intellectu sic. R. & imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem Omne. M. quod in os intrat non R. potest eum coinquinare, quia non introiuit in cor eius, sed in ventrem vadit & in secessum emittitur purgans omnes escas. Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt illa coinquinant hominem, quæ. M. autem procedũt de ore, de corde, exeunt & ea coinquinant hominem. Ab intus. R. enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt homicidia. M. adulteria,

Vide L. 42 supra tricesimo, rubrica quindecima.

fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ auaritiæ R. nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & hæc. M. sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinant hominem.

A

De Chananæa. M. 15. R. 7. Cap. 68.

ET. M. egressus inde surgens. R. secessit M. & abijt R. in partes M. in fines R. Tyri & Sydonis, & ingressus M. domum neminem voluit scire & non potuit latere. Et M. ecce mulier Chananæa statim R. vt audiuit de eo cuius filia habebat spiritum immundum egressa. M. à finibus illis intrauit & clamauit M. dicens ei. Miserere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum, & accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes. Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondés ait. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa venit & adorauit eum & procidit. R. ad pedes eius. Erat enim mulier gétilis Syrophenissa genere, & rogauit eum vt dæmonium eijceret de filia eius dicens. M. Domine adiuua me. Qui respondens ait. Sine R. M. prius saturari filios. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa respondens dixit illi, etiam M. Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, & comedunt. R. de micis sub mensa puerorum. Tunc M. respondens Iesus ait illi. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, propter R. hunc sermonem vade, exijt dæmonium de filia tua, & sanata M. est filia eius ex illa hora, & R. cum abijsset domum suam inuenit puellam sedétem super lectum & dæmonium exisse.

B

Videtur R. dicere quod Christus sanauerit in domo filiam, sed contextus iste cócordat cum cũ Matthæo.

C

De surdo & muto sanato & multis alijs. Matth. 15. R. 7. Cap. 69.

ET R. iterum exiens de finibus Tyri venit per Sydoné secus. M. mare quod est inter R. medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum & mutum & depræcabantur eũ vt imponat illi manum & imponens illi manum & apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius & expuens tetigit linguam eius. Et suspiciens in cœlum ingemuit & ait. Effeta quod est aperire, & statim loquebatur rectè, & præcepit eis, ne cui dicerent, quanto autem eis præcipiebat tanto magis plus prædicabant, & de eo amplius admirabantur dicentes. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui, & M. ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eũ turbæ multæ habentes secum mutos & claudos, debiles cœcos & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius & curauit eos, ita vt turbæ admirarentur videntes mutos loquentes & claudos ambulantes, cœcos videntes & magnificabant Deũ Israel.

De secunda refectione turbæ ex septem panibus & paucis piscibus. M. 15. R. 8. Cap. 70.

IN diebus R. illis. Cum turba multa esset cum Iesu nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis suis ait illis. Misereor super turbã, quia ecce iam triduo sustinent & perseuerant M. mecum, nec habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo ne deficiant in via, & R. si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via, quidam enim ex eis de longè venerunt, responderunt ei discipuli, vnde illos poterit quis saturare panibus in solitudine? vnde M. nobis panes in deserto tantos vt saturemus turbam tantã? Et R. interrogabat eos, quot panes habetis? Qui dixerunt, septem & paucos M. pisciculos, & præcepit turbæ vt discumberent super terram, & R. accipiens M. septem panes gratias agens fregit & dabat discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbę & dederũt M. populo, & habebant pisciculos paucos & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt omnes M. & saturati sunt. Et sustulerunt R. quod superauerat de fragmentis septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerant R. quasi quatuor milia hominum extra M. paruulos & mulieres & dimisit R. eos, & dimissa M. turba ascendit in nauiculam R. cum discipulis suis, & venit M. in fines Magedon partes R. Dalmanutha.

De Iudæis iterum petentibus signum de cælo & de fermento Pharisæorum cauendo M. 16. R. 8. Cap. 71.

ET ita exierunt R. & accesserunt M. ad eum Pharisæi & Saducæi tentantes vt rogarent eũ & R. cœperunt conquirere cum eo quærentes ab eo vt M. signum de cœlo ostenderet. At ille respondens ait illis. Facto vespere dicitis. Serenum erit, rubicundum est enim cœlum, & mane. Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cæli dijudicare nostis. Signa autem temporum non potestis. Et ingemiscens R. spiritu ait. Quid generatio ista signum quærit. Generatio M. mala & adultera signũm quærit. Amen R. dico vobis. Non dabitur generationi huic nisi M. signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis ascendit in nauim, & abijt trans fretum, & cum venissent discipuli eius trans fretum obliti sunt panes recipere. Et R. nisi vnum panem non habebant secum in naui. Et præcipiebat eis dicens. Intuemini M. R. & cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum, & fermento R. Herodis. At M. illi cogitabant intra se dicentes, quia panes non accepimus. Quo R. cognito, ait illis Iesus, quid M. cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? nondum R. cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes & non videtis, & aures habentes non auditis. Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque milia hominum M. & quot cophinos fragmentorum R. plenos tulistis? Dicunt ei duodecim. Quando & septem panes in quatuor milia hominum M. & quot R. sportas fragmentorum tulistis? Dicunt ei septem & dicebat eis, quomodo nondum intelligitis, quia M. non de pane dixi vobis? Cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento parum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum.

D

E

F

De

De cæco sanato qui videbat homines velut arbores ambulantes. M. 8. Cap. 72.

A

ET veniunt Bethsaida, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret, & apprehensa manu cœci educit eum extra vicum expuēs in oculos eius impositis manibus suis interrogauit eum si quid videret & aspiciens ait. Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est ita vt clarè videret omnia, & misit illum in domum suam, dicens. Vade in domum tuam. Et si in vicum introieris nemini dixeris.

De interrogatione Christi quem me dicunt homines esse M. 16. R. 8. L. 9. Cap. 73.

ET ingressus R. est Iesus & discipuli eius in castella. Venit autem in partes Cæsareæ Philippi. Et factum L. est cum solus esset orans & discipuli eius cum eo, & R. in via M. interrogabat discipulos suos dicens. Quem R. dicunt homines esse filium hominis. Quem : L. me esse dicunt turbæ? Qui responderunt illi dicentes. Alij M. Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij verò Hieremiam, alij R. quasi vnum de prophetis, alij L. quia propheta vnus de prioribus surrexit. Tunc R. dixit illis Iesus. Vos M. autem quem me esse dicitis? Respondens Symon Petrus dixit. Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei. Beatus Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. At L. ille increpans eos comminatus R. est eis & præcepit M. discipulis vt nemini dicerent de R. illo quod ipse esset Christus. Exinde cœpit Iesus docere. R. eos & ostendere M. discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam & multa pati, & R. reprobari L. à. R. summis senioribus, à scribis M. & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere, & R. palam verbum loquebatur, & assumens M. eum Petrus cœpit illum increpare dicens. Absit à te. Non erit tibi hoc qui R. conuersus videns discipulos comminatus est Petro dicēs. Vade retro post. M. me sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

De cruce baiulanda post Christum M. 16. R. 8. Et consonat L. infra 14. & L. 9. Cap. 74.

ET vocata R. turba cum discipulis suis dicebat ad omnes. Si quis vult post me venire, & R. me sequi, abneget M. L. semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui M. enim voluerit L. animam suam saluam facere perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam & inueniet M. eā. Quid enim prodest homini si vniuersum mundū lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, semetipsum L. perdat & detrimentum sui faciat? Aut M. R. quam dabit homo communicationē

pro anima sua. Filius M. enim hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Qui R. enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum cum venerit in gloria patris sui cum Angelis suis. Nam L. qui erubuerit me & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum angelorum. Et R. dicebat L. illis. Amen verè L. dico vobis. Sunt M. quidam R. L.

B

de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum R. Dei venientis in virtute, filium M. hominis venientem in regno patris sui.

De transfiguratione Domini. M. 17. R. 9. L. 9. Cap. 75.

FACTVM L. est autem post hæc verba ferè dies octo post M. dies R. sex. Assumpsit Iesus iterum Petrum Iacobum & Ioannem fratrem eius & duxit illos in montem excelsum seorsum solos R. vt oraret, L. & transfiguratus M. est ante illos. Et L. facta est dum oraret species vultus eius altera, & resplenduit M. facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba & candida, splendida R. nimis velut nix, & qualia fullo non potest candida facere super terram. Et M. ecce duo L. viri apparuerunt M. eis Moyses & Helias cum eo loquentes visi L. in maiestate, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem. Petrus verò & qui cum illo erant grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo, & factum est dum descenderet ab illo. Respondēs M. Petrus dixit ad Iesum. Domine præceptor L. Rabbi R. bonum M. est R. nos L. hic esse, si vis. M. faciamus hic tria tabernacula, tibi vnū, Moysi vnum, & Heliæ vnum. Non R. enim sciebat quid diceret. Erant enim timore exterriti. Adhuc L. autem illo loquente, ecce M. nubes lucida obumbrauit eos & timuerunt L. illis in nubem intrantibus, & M. ecce venit vox R. de nube dicens. Hic est filius meus dilectus M. charissimus R. in quo M. mihi bene placui, ipsum audite. Et audientes discipuli eius ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde, & accessit Iesus & tetigit eos, dixitque eis. Surgite, nolite timere, & L. dum fieret vox leuantes M. oculos & circunspicientes R. neminem. M. viderunt amplius R. nisi Iesum tantum secum & inuentus L. est Iesus solus. Et M. descēdentibus L. illis de monte præcepit illis Iesus dicens. Nemini dixeritis visionem donec filius hominis à morte resurgat, & R. verbū continuerunt apud se conquirentes quid esset cum à mortuis resurrexerit. Et tacuerunt L. ipsi, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex illis quæ viderant, & interrogauerunt M. eū discipuli eius & dicebant. Quid ergo dicunt Scribæ & Pharisæi R. quia Heliam oportet venire primū. Qui respondens ait illis: Helias M. quidem venturus est. Dū venerit R. primò restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiatur & contemnatur. Dico M. autem vobis, quia Helias iam venit & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerūt, sicut R. scriptū est de eo, sic

Regula ticonij de téporibus hic habet locū. marc' enim non nominat primū & vltimum diem quia fuerunt imperfecti.

C

D

E

F

M. & filius hominis passurus est ab eis. Tunc in-
tellexerunt discipuli, quia de Ioanne baptista di- A
xisset eis.

De spiritu muto quem non potuerunt curare discipuli Christi. M. 17. R. 9. L. 9. Cap. 76.

FACTUM L. est autẽ in sequenti die descen-
dentibus illis de monte & veniens R. ad dis-
cipulos suos, occurrit illis turba multa, & R. vidit
turbam magnam circa eos & scribas conquirẽtes
cum illis, & confestim omnis populus videns Ie-
sum stupefactus est & expirauerunt, & M. cum B
venisset ad turbam occurrentes R. salutabant eũ
& interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis?
Et L. ecce respondens R. vir L. vnus R. de turba,
accessit M. ad eum genibus prouolutus ante eum
clamauit L. dicens. Magister R. attuli ad te filium
meum huc habentem spiritũ mutum, qui vbicũ-
que apprehenderit eum illudit eum, & spumat &
stridet dentibus & arescit. Domine M. miserere fi-
lio meo, quia lunaticus est & malè patitur. Nam
sæpe cadit in ignem & crebrò in aquam Magister C
L. obsecro respice filium meũ, quia vnicus mihi
est. Et ecce spiritus apprehendit illũ, & subito cla-
mat & elidit & dissipat eum cũ spumat, & vix dis-
cedit dilanians eum & obtuli M. eum discipulis
tuis, rogaui L. & dixi R. vt eijcerent eum, & non
potuerunt curare M. eũ. Respondens Iesus ait. O
generatio incredula, infidelis L. & peruersa, vsq;
quo ero apud vos & vobiscũ? M. quãdiu vos. R.
patiar? Afferte M. huc illum ad me, adhuc L. huc
filium tuũ. Et R. attulerũt eũ, & L. cum accederet
& vidisset. R. illum statim spiritus turbauit illũ & D
elisit L. eum Dæmonium & dissipauit, & R. elisus
in terrã volutabatur spumans: & interrogauit pa-
trem quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit.
Et ille dixit. Ab infantia, & frequẽter eum in ignẽ
& in aquam misit vt eum perderet, sed & si quid
potes adiuua nos misertus nostri, Iesus autem ait
illi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credẽ-
ti, & continuò exclamans pater pueri cum lachry-
mis aiebat. Credo domine, adiuua incredulita-
tem meam. Et cum vidisset Iesus concurrentem
turbam, comminatus est spiritui immundo & in- E
crepauit M. L. eum Iesus dicens R. Surde & mu-
te spiritus. Ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius
ne introeas in eum, & exclamans & multum dis-
cerpens eum exijt ab eo dæmonium M. & factus
R. est sicut mortuus vt multi dicerent, quia mor-
tuus esset. Iesus autem tenẽs manum eius eleuauit
eum & surrexit, & curatus M. est puer, in illa hora
sanauit L. puerum, & reddidit illũ patri suo. Stu-
pebant autem omnes in magnitudine Dei, omni-
busque mirantibus in omnibus quæ faciebat dixit F
ad discipulos suos. Ponite in cordibus vestris ser-
mones istos. Filius enim hominis futurum est vt
tradatur in manus hominũ, & R. cum introissent
domum discipuli eius accesserunt M. ad eum se-
crèto & dixerunt ei. Quare nos non potuimus
curare eum. Dixit illis Iesus propter incredulitatẽ
vestram. Amen dico vobis, si habueritis fidem si-
cut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc
& transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc
R. autem genus in nullo potest exire, nisi in ora-
tione & ieiunio.

De Scenophagia & prædicatione passionis Christi. C. 17. R. 9. L. 9. I. 7. Cap. 77.

ET R. inde profecti prætergrediebantur, &
I. ambulabat post hoc Iesus in Galilæam, nec
R. volebat quemquam scire. Non. I. enim vole-
bat ambulare in Iudæam, quia quærebant eum
Iudæi interficere. Erat enim in proximo dies fe-
stus Iudæorum Scenophægia. Dixerunt autem ad
eum fratres eius. Transi hinc & vade in Iudæam,
vt & discipuli tui videant opera quæ tu facis. Ne-
mo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse
in palam esse si hoc facis manifesta teipsum mũdo.
Nec enim fratres eius credebant in eum. Dixit
ergo eis Iesus. Tempus meum nondum aduenit,
tempus autem vestrum semper est paratum. Non
potest mundus odisse vos, me autem odit, quia
testimonium perhibeo de illo, quia opera eius
mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc,
ego autem non ascendam ad diem festum istum,
quia tempus meum nondum impletum est. Hæc
cum dixisset ipse mansit in Galilæa. Conuersan-
tibus. S autem eis in Galilæa docebat. R. disci-
pulos suos, &. S. dixit. R. illis Iesus. Filius homi-
nis tradendus est in manus hominum & occidẽt
eũ, & occisus R. Tertia die resurget, at L. illi igno-
rabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt
non sentirent illud, & L. Timebãt R. eũ interroga-
re de hoc verbo, & cõtristati M. sunt vehementer.
Vt. I. autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse
ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi
in occulto. Iudæi ergo quærebãt eum in die festo
& dicebant. Vbi est ille? & murmur multũ erat
de illo in turba. Quidam enim dicebant, quia bo-
nus est. Alij autem dicebant, non, sed seducit tur-
bas. Nemo tamẽ palam loquebatur de eo propter
metum Iudæorum. Iam autem die festo median-
te ascendit Iesus in templum & docebat & mira-
bantur Iudæi, dicentes. Quomodo hic literas scit
cum nõ didicerit? Respõdit eis Iesus & dixit. Mea
doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis
voluerit volũtatem eius facere, cognoscet de do-
ctrina vtrum ex Deo sit: an ego à meipso loquar.
Qui à semetipso loquitur, gloriã propriã quærit.
Qui autem quærit gloriã eius qui misit illum, hic
verax est, & iniustitia in illo non est. Nõne Moy-
ses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit le-
gem? Quid me quæritis interficere? Respondit ei
turba & dixit. Dæmonium habes, quis te quærit
interficere? Respondit Iesus & dixit. Vnum opus
feci & omnes miramini: propterea Moyses dedit
vobis circuncisionẽ, non quia ex Moyse est sed ex
patribus, & in sabbato circũciditis hominem. Si
circuncisionẽ accipit homo in sabbato vt nõ sol-
uatur lex Moysi, mihi cur indignamini? quia totũ
hominem sanũ feci in sabbato. Nolite iudicare se-
cundũ faciem, sed iustum iudiciũ iudicate. Dice-
bant ergo quidã ex Hierosolymis. Nonne hic est
quem quærũt interficere? Ecce palam loquitur, &
nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt prin-
cipes quia hic est Christus: sed nunc scimus vnde
sit: Christ⁹ autẽ cũ venerit nemo scit vnde sit. Cla-
mabat ergo docens in tẽplo Iesus & dicens: Et me
scitis, & vnde sim scitis, & à meipso non veni, sed
est verus qui misit me quem vos nescitis. Ego au-
tem scio eũ, & si dixero quia nescio eũ, ero similis
vobis

vobis mendax, sed scio eũ, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & A nemo misit in illum manus, quia nõdum venerat hora eius. De turba autem multi crediderũt in eũ & dicebant, Christus cũ venerit nunquid plura signa faciet, quã quæ hic facit? Audierunt pharisæi turbam murmurantẽ de illo hæc. Et miserũt pharisæi & principes ministros vt apprehenderẽt eũ. Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum tẽpus vobiscum sum, & vado ad eũ qui misit me, quæretis me & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad seipsos. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eũ? Nunquid B in dispersionẽ gentium iturus est & docturus gẽtes? Quis est hic sermo quem dixit? Quæretis me & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat, dicens. Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondũ fuerat glorificatus. Ex C illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant. Hic est verè propheta. Alij dicebant. Hic est Christus. Quidã autem dicebant. Nũquid à Galilæa Christus venit? Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid & de Bethleem castello vbi erat Dauid venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eũ. Quidam autẽ ex ipsis volebant apprehẽdere eum: sed nemo misit super illũ manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt eis illi. Quare nõ addduxistis eũ? Responderunt isti. Nunquã sic locutus est D homo, sicut hic homo loquitur. Responderũt ergo eis pharisæi. Nunquid & vos seducti estis? Nũquid aliquis ex principibus & pharisæis credit in eũ: sed turba hæc quæ non nouit legem maledicti sunt? Dixit Nichodemus ad eos. Ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis. Nũquid lex nostra iudicat hominẽ: nisi audierit ab ipso prius & cognouerunt quid faciat? Responderunt & dixerunt ei. Nunquid & Galilæus es? Scrutare scripturas & vide quia propheta à Galilęa non surgit. E Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

Nota quod Nichodem' iã venerat.

De muliere deprehensa in adulterio. Io. 8. Cap. 78.

IESVS autem perrexit in mõtem Oliueti & diluculo iterũ venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducũt aut Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eã in medio & dixerunt ei. Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autẽ mandauit nobis Dominus huiusmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Hæc autẽ dicebant tentãtes eũ vt possent accussare eũ. Iesus autẽ inclinãs se deorsum, digito scribebat in terra. Cum autem perseuerarent interrogãtes eum, erexit se & dixit eis? Qui sine peccato vestrum est, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audiẽtes autem hæc, vnus post vnum exibat incipientes à senioribus, & remansit solus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus dixit ei. Mulier vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit. Nemo Domine. Dixit autem Iesus. Nec ego te condemnabo, vade & amplius noli peccare.

De verbis Christi in Gazophilatio. I. 8. Ca. 79.

ITERVM ergo locutus est Iesus dicens. Ego sum lux mundi, qui sequitur me nõ ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respõdit Iesus & dixit eis. Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meũ, quia scio vnde venio & quò vado, vos autem nescitis vnde veni aut quò vado. Vos secundũ carnem iudicatis, ego autem nõ iudico quemquam, & si iudico ego, iudicium meum verũ est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater, & in lege vestra scriptum est, quia duorũ hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Dicebant ergo ei. Vbi est pater tuus? Respondit Iesus. Neque me scitis neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meũ sciretis. Hæc verba locutus est in Gazophylatio docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.

De alio sermone Christi propter quem voluerunt Iudæi eum lapidare. I. 8. Cap. 80.

DIXIT ergo iterum eis. Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, quo ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo, Iudæi. Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego vado, vos non potestis venire. Et dicebat eis. Vos deorsum estis, ego de superius sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de mundo hoc. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dixerunt ergo ei. Tu quis es? Dixit ei Iesus. Principium qui loquor vobis, multa habeo de vobis, loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est, & ego quæ audiui ab eo hæc loquor mundo, & non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis Iesus. Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego ipse sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater hæc loquor: & qui misit me mecum est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderũt ei Iudæos. Si vos mãseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberauit vos. Responderunt ei. Semen Abrahæ sumus, & F nemini seruiuimus vnquã quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus. Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati, seruus autem nõ manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo filius vos liberabit, verè liberi eritis, scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem loquor, & vos quæ vidistis apud patrem vestrũ faciatis. Responderunt & dixerunt ei. Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere hominẽ quũ veritatem vobis locutus

sum, quam audiui à Deo, hoc Abraham nō fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt ergo ei. Nos ex fornicatione nō sumus nati, vnum patrē habemus Deū. Dixit ergo eis Iesus. Si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me. Ego enim ex Deo processi & veni, neque enim à meipso veni, sed ille me misit: quare loquelā meam non cognoscitis, quia nō potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. Ego autem quia veritatem dico nō creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatē dico quare nō creditis mihi. Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos nō auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus? Ego dæmonium nō habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meā, est qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi. Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem meū seruauerit, mortem non gustabit in æternū. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt, quē tu teipsum facis? Respondit Iesus. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus noster est, & non cognouistis eū, ego autem noui eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diē meum, vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti. Dixit ergo eis. Amen amen dico vobis: antequam Abraham fieret ego sum. Tulerūt ergo lapides vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se & exiuit de templo.

De cæco nato. I. 9. *Cap. 81.*

ET præteriens vidit hominem cæcū à natiuitate. Et interrogauerunt eū discipuli sui. Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus. Neque hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari, quamdiu sum in mundo, lux sum mūdi. Hoc cum dixisset expuit in terram, & fecit lutū ex sputo, & liniuit lutū super oculos eius, & dixit ei. Vade & laua in natatoria Syloe, quod interpretatur missus. Abijt ergo & lauit & venit vidēs. Itaque vicini & qui viderant eū prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autē nequaquam: sed similis eius est. Ille vero dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus lutum fecit & vnxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoria Syloe & laua, & abij & laui, & video. Dixerūt ei. Vbi est ille? Ait, nescio.

Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat.
A Erat autem sabbatū quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum pharisæi quomodo vidisset. Ille autē dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos & laui & video. Dicebant ergo ex pharisæis quidam. Non est hic homo à Deo qui sabbatū non custodit. Alij dicebant. Quomodo potest homo peccator hęc signa facere, & schisma erat inter eos. Dicūt ergo cæco iterū. Tu quid dicis de eo qui aperuit tibi oculos tuos. Ille autem dixit, quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset &
B vidisset, donec vocauerunt parētes eius qui viderat, & interrogauerūt eos dicētes. Hic filius vester est quē vos dicitis quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt? Responderunt ergo eis parentes eius & dixerunt. Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autē nunc videat, nescimus, aut quis aperuit oculos eius, nos nescimus, ipsum interrogate, ætatē habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerūt parentes eius quia timebāt Iudæos. Iā enim conspirauerant Iudæi, vt si quis
C cōfiteretur eū esse Christū, extra Synagogā fieret, propterea parentes eius dixerunt, ætatem habet, ipsū interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominē qui cæcus fuerat, & dixerunt ei. Da gloriā Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est, nescio. Vnū scio: quia cū cæcus essem, modò video. Dixerūt ergo illi. Quid fecit tibi: quomodo aperuit tibi oculos? Respōdit eis. Dixi vobis iā & audistis. Quid iterū vultis audire. Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?
D Maledixerūt ei & dixerūt. Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus. Hunc autē nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis. In hoc mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autē quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est & voluntatē eius facit: hunc Deus exaudit. A sæculo nō est auditū quia quis aperuit oculos cæci nati, nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Respōderunt & dixerunt ei. In peccatis natus es totus &
E tu doces nos, & eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eū dixit ei. Tu credis in filium Dei? Respondit & dixit. quis est Domine vt credam in eum. Dixit ei Iesus. Et vidisti eum & qui loquitur tecū, ipse est. At ille ait. Credo Domine, & procidens adorauit eum. Et dixit ei Iesus. In iudiciū ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vidēt cæci fiant, & audierunt ex pharisæis qui cum ipso erant & dixerunt ei. Nūquid & nos cæci sumus?
F Dixit eis Iesus. Si cæci essetis non haberetis peccatum. Nunc verò quia dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.

De sermone Christi, ego sum pastor bonus. I. 10. Cap. 82.

AMEN amen dico vobis, qui non intrat per ostiū in ouile ouium: sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autē intrat per ostium, hic pastor est ouium: huic ostiarius aperit & oues vocē eius audiūt & proprias oues vocat nominatim & educit eas, & cum proprias oues emiserit, vadit ante eas & oues illū sequūtur, quia sciūt vocē eius.

Alie-

Alienum autem non sequuntur, sed fugiût ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbiû dixit eis Iesus. Illi autem nô cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostiû ouiû. Omnes quotquot venerût fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur & egredietur & pascua inueniet. Fur auté non venit nisi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant & abundâtius habeant. Ego sum pastor bonus, bonus pastor dat animâ suam pro ouibus suis; Mercenarius auté & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ videt lupû venienté, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eû de ouibus. Ego sum pastor bonꝰ & cognosco oues meas, & cognoscût me meæ. Sicut nouit me pater & ego cognosco patrem, & animam meâ pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere & vocem meam audiét, & fiet vnum ouile & vnus pastor, propterea me pater diligit: quia ego pono animam meâ, & iterû sumam eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à meipso, potestatem habeo ponendi animâ meam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mâdatum accepi à patre meo. Dissentio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex his: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant, hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

De solutione didragmatis. M. 17. R. 9.
Cap. 83.

ET R. venerunt Capharnaum, accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei. Magister vester non soluit didragma? Et ait. Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simô? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filijs suis an ab alienis? Et ille dixit. Ab alienis. Et dixit ei Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos. Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.

De contentione discipulorum, quis eorum videretur esse maior, & de doctrina Christi. M. 18. R. 9. L. 9.
Cap. 84.

IN illa. M. hora intrauit. L. in eos cogitatio, quis eorum videretur esse maior. At Iesus videns cogitationes cordis eorû, cû. R. domi esset interrogabat eos, quid in via tractabatis. At illi tacebât. Siquidem in via inter se disputarent quis esset illorum maior. Accesserunt. M. discipuli ad Iesum dicentes. Quis putas maior est in regno cœlorum? Et. R. residens vocauit duodecim, & ait illis. Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister. Et. M. aduocans Iesus paruulum accipiens. R. apprehendit. L. & statuit. M. eum secus se in medio. M. eorum. Quem. R. cum complexus esset, ait illis. Amé. M. dico vobis. Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, nô

intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo A humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Et qui susceperit vnum paruulû talem in nomine meo, me suscipit. Et R. quicunque me susceperit, non solum me suscipit, sed eum qui misit me. Nam qui minor. L. est inter vos omnes hic maior est. Qui. M. autem scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis qui in me credunt, expedit bonum. R. est ei magis, vt. M. suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Væ mûdo à scandalis. Necesse est B enim vt veniant scandala: verumtamé væ homini illi per quem scandalum venit. Si. M. autem R. manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te. Bonum. R. est tibi debilem vel claudum. M. introire in vitam, quâ duas manus vel duos. M. pedes habentem mitti & ire in gehennâ, igné. M. æternum inextinguibilem. R. vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te, amputa illû, bonû est tibi claudum intrare in vitam ęternâ, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis; C vbi vermis eorû non moritur: & ignis non extinguitur, &c. M. si oculus tuus scandalizat te erue eû & proijce abs te. Bonum. R. est tibi lusco cû. M. vno oculo vitam intrare, regnû. R. Dei, quâ duos oculos habentem mitti in gehennâ ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim victima igne salietur, & omnis victima sale salietur. Bonum est sal quod si sal insulsum fuerit in quo illud condietis? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos. Videte. M. ne contemnatis vnû ex his pusillis. Dico enim D vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est, venit enim filius hominis saluare quod perierat. Quid vobis videtur. Si fuerint alicui centum oues & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonaginta noué in deserto, & vadit quærere eam quæ errauerat. Et si contigerit vt inueniat eam. Amé dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonagintanoué quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est vt pereat vnus de E pusillis istis.

De correptione fraterna. M. 18. L. 17.
Cap. 85.

ATTENDITE vobis si. M. autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe, increpa. L. illum inter M. te & ipsum solum. Si audierit te & pœnitentiam. L. egerit: dimitte illi, lucratus. M. es fratrem tuum. Et. L. si septies in die peccauerit in te, & septies in die ad te conuersus fuerit dicens, F pœnitet me, dimitte illi. Si. M. autem non te audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum testium vel trium stet omne verbû, quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem & ecclesiam nô audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Iterû dico vobis, quia si duo ex vobis consẽserint super terrâ de omni re quacûq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est, vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad

eum dixit. Domine quotiens peccabit in me frater meus & dimittam illi, vsque septies? Dixit illi Iesus. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagiessepties.

De seruo nequam, cui omne debitum dimissum fuerat M. 18. Cap. 86.

IDEO assimilatum est regnum cœlorũ homini regi, qui voluit rationem ponere cũ seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem milia talenta. Cum autẽ non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, & vxorem eius & filios & omnia quę habebat & reddi. Procidens autem seruus ille rogabat eum dicens. Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eũ dicens: Redde quod debes. Et procidẽs conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiã habe in me & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt & narrauerũt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tũc vocauit illum Dominus suus & ait illi. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri cõserui tui sicut & ego tui misertus sum. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusq; redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

De illo qui eijciebat dæmonia, & non sequebatur Christum. R. 9. L. 9. Cap. 87.

REPONDENS. L. autem illi. M. Ioãnes dixit. Præceptor. L. magister. R. vidimus quendã in nomine tuo eijcientẽ dæmonia & prohibuim⁹ eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos Iesus. Nolite prohibere. Nemo est qui faciat virtutẽ in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui. R. L. enim non est aduersum vos, pro vobis est. Quisquis: R. vobis potum dederit calicẽ aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

De aduentu Christi in fines Iudææ, & quod discipuli non timeant eos qui occidunt corpus, nec vult Christus diuidere hæreditatem. M. 18. & supra 10. R. 10. L. 12. Cap. 88.

ET M. factum. L. est cum consummasset sermones istos Iesus, inde exurgens & migrauit. M. à Galilæa & venit in fines Iudææ trans Iordanem & secutæ sunt eum turbæ multæ. Et conuenerunt. R. iterum turbæ ad eum & curauit. M. eas ibi, & L. sicut consueuerat iterũ docebat eos. Multis autem turbis circunstantibus ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos. Attendite à fermento pharisæorũ: quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est quod non reueletur, neque absconditum quod non sciatur: quoniam quę in tenebris dixistis, in lumine dicẽtur: & quod in aure locuti estis, in cubilibus, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus: & post hoc nõ habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennã. Ita vobis dico, hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt asse. M. dipondio. L. & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo: non. M. cadit. R. in terram sine patris vestri voluntate? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passerib⁹ meliores. M. pluris. L. estis vos. Dico. L. autem. M. vobis, quicunq; me cõfessus fuerit coram hominibus, & filius hominis cõfitebitur eum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: si autẽ in spiritum sanctũ blasphemauerit, non remittetur ei. Cum autẽ inducent vos in synagogas & magistratus & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis, spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Ait autem illi quidam de turba. Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. Et dixit ei, homo quis me constituit iudicem & diuisorem super vos. Dixitque ad illos: Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquã vita eius est ex his quæ possidet.

De diuite habente fructuum abundantiam: & ne discipuli solliciti sint. L. 12. Cap. 89.

DIXIT autẽ similitudinẽ ad illos dicens. Hominis cuiusdã diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens. Quid faciã quod nõ habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciã, destruam horrea mea & maiora faciã, & illuc cõgregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea. Et dicam animæ meæ. Anima mea, habẽs multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus. Stulte hac nocte repetent animam tuã à te: quæ autẽ parasti cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat: & nõ est in Deũ diues. Dixitq; ad discipulos suos. Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ quid mãducetis: neque corpori vestro quid vestiamini, anima enim plus est quam esca, & corpus plus quã vestimentũ. Considerate coruos, quia non seminant neq; metunt, quibus non est cellariũ neque horreũ & Deus pascet illos: quãto magis vos estis pluris illis? Quis autem vestrum cogitans potest ad staturam suam adijcere cubitum vnũ. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: nõ laborant neque nent. Dico autẽ vobis, quia nec Salomõ in omni gloria sua vestiebatur sicut vnũ ex istis. Si autem fœnũ quod hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli. Hæc enim oĩa gẽtes mundi quærũt. Pater autẽ vester scit quoniã his indigetis. Verũtamen primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro vobis dare regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt thesaurũ nõ deficientẽ in cœlis, quo fur nõ appropiat

Multa quæ hic ponuntur posita sunt supra sententialiter vel etiã in verbis in sermone in monte.

piat neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Dicebat autem A ad turbas. Cum videritis nubem Orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit. Et cum austrum flantem dicitis quia aestus erit, & ita fit. Hypocritae faciem coeli & terrae nostis probare. Hoc autem tempus quomodo nō probatis. Quid autem & à vobisinetipsis non iudicatis quod iustum est. Cum autem vadis cum aduersario ad principem in via: da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem. Et iudex tradat te exactori: & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, B quia non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.

De Galilaeis occisis & de ficulnea. Luc. 13.
Cap. 90.

ADERANT autem quidam in illo tempore nunciantes illi de Galilaeis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. Et respondens dixit illis. Pilatus quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerunt, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi poenitentiam C egeritis, similiter omnes peribitis. Sicut & illi xviij. super quos cecidit turris in Syloe & occidit eos. Putatis quia & ipsi debitores fuerunt praeter omnes homines habitātes in Hierusalem? Non, dico vobis, sed si non poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quaerens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorē vineae. Ecce anni tres sunt ex quo veni quaerens fructum in ficulnea D hac & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi. Domine dimitte illum & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illā & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum, bene. Sin autem, in futurum succides eam.

De muliere incuruata. Luc. 13.
Cap. 91.

ERAT autem in synagoga eorum docens sabbatis. Et ecce mulier quae habebat spiritum E infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata: nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Iesus, vocauit ad se & ait illi. Mulier, dimissa es ab infirmitate tua, & imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem Archisynagogus indignans, quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbae. Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die sabbati. Respondit autem ad illum dominus & dixit: Hypocritae vnusquisque F vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à praesepio & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahae, quā alligauit sathanas, ecce decem & octo annis non oportuit solui à vinculo isto in die sabbati? Et cum haec diceret, erubescant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quae gloriosè fiebant ab eo.

De interrogatione Iudaeorum an liceat vxorem dimittere. M. 19. R. 10. L. 16. Cap. 92.

ET. M. accesserunt Pharisei tentantes eum atq; dicentes: Si licet homini dimittere vxorem quacunque ex causa? At. R. ille respondens ait. Quid vobis praecepit Moyses? Qui dixerūt. Moyses permisit libellum repudij scribere & dimittere. Qui. M. respondens ait illis. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio creaturae. R. masculum. M. R. & foeminā fecit eos Deus. Et dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhaerebit vxori suae, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniūxit homo non separet. Dicunt. R. illi. Quid M. ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere? Ait illis: Quoniā. M. R. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, & scripsit vobis praeceptum istud. Ab initio. M. autem non fuit sic. Et. R. in domo iterum discipuli eius interrogauerunt eum. Et ait illis. Dico. M. autem vobis, quia. M. R. quicunq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit, moechatur: &. R. adulterium committit super eam, & R. qui. L. dimissam à. L. viro duxerit, moechatur. Et si vxor dimiserit virū suum & alij nupserit, moechatur. Dicunt. M. ei discipuli eius. Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus. Et facti sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt vel eunuchizauerunt propter regnum coelorum, qui potest capere capiat.

De paruulis oblatis. M. 19. R. 10. L. 18.
Cap. 93.

TVNC. M. oblati. R. sunt ei paruuli infantes L. vt tangeret. L. eos & manus. M. imponeret & oraret. Quod. L. cum viderent discipuli increpabant. L. M. illos, & comminabantur. R. offerētibus. Quos cum vidisset, indignè tulit: Iesus. L. autem conuocans illos, dixit. M. eis. R. Sinite. M. R. L. paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium est enim regnum coelorū & dixit. R. Amen. R. dico. L. vobis, quicunque non acceperit regnum vt puer, non intrabit in illud. Et complexans illos, & imponens manus super eos benedicebat illos, &. M. cum imposuit eis manus, abijt inde.

De filio prodigo. L. 15. Cap. 94.

ERANT autem appropinquātes ei publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Scribae & Pharisaei dicentes. Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam dicens. Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis: nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illā quae perierat donec inueniet illam? Et cum inuenerit illam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meā quae perierat. Dico vobis quod ita erit gaudium in coelo super vno peccatore poenitentiam agente, quam super nonagintanouem iustis qui non indigent poenitentia. Aut quae mulier habens dragmas decem, & si perdiderit dragmam vnam, nonne accendit lucernam & euertit domum & quaerit diligenter donec inueniet eam?

Et cum inuenerit, conuocat amicos & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inueni dragmã quam perdideram. Ita dico vobis gaudium erit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ait autem. Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri. Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, & postquam omnia consumpsisset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, & abijt & adhęsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat ventrem suum implere de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus & ego hic fame pereo, surgã & ibo ad patrem meum & dicam illi. Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis, & surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater suus & misericordia motus est, & occurrẽs cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius. Pater, peccaui in cœlũ & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autẽ pater ad seruos suos. Citò proferte stolam primam & induite illum, & date anulum in manu eius, & calciamẽta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum & occidite & manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat erat & reuixit, perierat & inuentus est, & cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret & appropinquaret domui, & audiuit symphoniam & chorum: & vocauit vnũ de seruis & interrogauit quæ hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit & occidit pater tuus vitulum saginatũ, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens patri suo dixit: ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer, sed postquam hic filius tuus qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum. At ipse dixit illi. Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est.

De adolescente quærente, quid faciendo vitam æternam possideret. M. 19. R. 10. L. 18.

Cap. 95.

ABIIT. M. inde Iesus &. R. cum ingressus esset in via. Et ecce. M. vnus princeps. R. præcurrens. R. & accedens. M. genu. R. flexo ante eum, interrogabat. L. & rogabat. R. illum dicens. Magister M. bone R. quid L. boni M. faciendo L. vitam æternam possidebo? Dixit ei Iesus. Quid M. me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Nemo R. L. bonus nisi solus Deus. Si M. autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Præcepta R. L. nosti? Dixit M. illi. Quæ. Iesus autem dixit illi. Non M. homicidium R. L. facies.

A Non adulterabis. Nõ facies furtum. Non falsum testimonium dices. Ne R. fraudem feceris. Honora M. R. L. patrem tuum, & matrem tuam. Diliges M. proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi adolescens. Hæc M. omnia R. custodiui L. à iuuentute mea. Quid M. adhuc mihi deest? Iesus R. autem intuitus est eum, dilexit eum. Quo L. audito. Iesus ait. Adhuc vnum tibi deest. Si vis M. perfectus esse, vade & M. vende R. L. omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me. Cum M. autem audisset adolescens verbum, contristatus in verbo

B abijt M. R. tristis M. & mœrens. R. Erat M. R. enim habẽs multas possessiones & diues L. valde. Videns autem Iesus tristem factum, ait discipulis M. suis R. quam R. L. difficile qui pecuniam habent, in regnum Dei intrabunt. Amen M. dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Discipuli R. autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli quam difficile est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Et iterum M. dico vobis faci-

C lius M. R. L. est camelum per foramen acus transire quam diuitẽ in regnum cœlorũ. R. in regnum L. Dei. Auditis M. autem his discipuli, mirabantur valde. Quidam R. qui L. hoc audiebant, magis admirabantur dicentes, M. R. L. ad seipsos R. & L. quis M. potest saluus fieri. Et intuens. R. M. illos Iesus ait illis. Apud M. homines hoc impossibile est, sed apud Deum omnia possibilia sunt quæ L. impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

D *De interrogatione Petri. Ecce nos reliquimus omnia quid ergo erit nobis. M. 19. R. 10. L. 18.*

Cap. 96.

TVNC M. respondens Petrus, cœpit R. ei dicere. Ecce M. nos R. reliquimus M. omnia & secuti sumus te, quid M. ergo erit nobis? Respondens R. Iesus ait eis, L. Amen M. dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in generatione cum cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ: sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes

E duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum R. L. vel fratres aut sorores aut matrem aut vxorem aut filios, aut M. agros R. L. propter M. nomẽ meum, propter R. me & propter euangelium & L. propter regnum Dei, centuplum M. accipiet, multo L. plura nunc. R. in hoc L. tempore domos, fratres & sorores, & se & matrem & filios & agros cũ persecutionibus, & R. in seculo futuro vitam æternam possidebit. M. Multi R. M. autem primi erunt primi nouissimi, & nouissimi

F primi.

De operarijs in vineam Missis. M. 20.

Cap. 97.

SIMILE est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierũt. Iterum autem exijt circa horam sextam & nonam, & fecit similiter. Circa

vnde-

vndecimam verò exijt & inuenit alios stantes, & dicit illis. Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cum sero factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsq; ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant: acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt: quod plures essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriã, nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi sunt enim vocati, pauci verò electi.

C

De interrogatione facta Christo si pauci stant salui, & quod Herodes quærebat eum occidere.
Luca 13. Cap. 98.

ET ibat per ciuitates & castella docens & iter faciens in Hierusalem. Ait autem illi quidam: Domine si pauci sunt qui saluantur? Iterum autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærent intrare & non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamilias & clauserit ostiũ, incipietis foris stare & pulsare dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicet vobis? Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere, manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti, & dicet vobis: nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis, ibi erit fletus & stridor dentium, cum videritis Abrahã & Isaac & Iacob & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras, & venient ab Oriente & Occidente & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi. In ipsa autem die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi: Exi & vade hinc. Herodes vult te occidere. Et ait illis. Ite & dicite vulpi illi. Ecce eijcio dęmonia & sanitates perficio hodie & cras & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam per ire extra Hierusalem.

De hydropico sanato & de exhortatione Christi ad humilitatem. L. 14. Cap. 99.

ET factum est cum intraret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respõdens Iesus dixit ad legisperitos & Pharisæos dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum ac dimisit. Et respondens ad illos dixit. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hoc respondere illi. Dicebat autẽ & ad inuitatos parabolam: intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco: ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens qui te & illũ vocauit dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade & recũbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit dicat tibi: Amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

B

De vocandis pauperibus ad conuiuium. & parabola de cœna magna. Luc. 13. Cap. 100.

DICEBAT autem & ei qui se inuitauerat. Cum facis prandium aut cœnã, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuiũ, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hæc cum audisset quidam de simul discumbẽtibus, dixit illi: Beatus qui manducat panem in regno Dei. At ipse dixit. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes se excusare. Primus dixit illi. Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam, rogo habe me excusatũ. Et alter dixit. Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatũ. Et alius dixit. Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo. Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus? Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo. Exi in vias & sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis; quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam.

Si fuerit hæc eadem parabola cũ ista quę ponitur infra Matth. 22. c. Greg. reliquit sub dubio dictum ꝙ mauult alieno intellectui vel sensui credere quam contẽtioni deseruire, & dat modũ concordãdi si dicatur eadẽ vide.

E

De odiendis parentibus propter Christum. Luc. 14. Cap. 101.

ERANT autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem animam suam, & non potest meus esse discipulus, & qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne sedens prius cogitat si possit cum decem milibus occurre ei qui cum viginti milibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal. Si autem euanuerit sal in quo condietur

dietur, neque in terram, neque in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

De villico iniquitatis. Luc. 16.
Cap. 102.

DICEBAT autem & ad discipulos suos. Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocauit illum & ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris vltra villicare. Ait autem villicus intra se, quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis autem singulis debitoribus domini sui dicebat primo quantum debes domino meo? At ille dixit: Centũ cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam & sede citò scribe quinquaginta. Deinde alio dixit. Tu verò quantum debes? Qui ait. Centum choros tritici. Ait illi. Accipe literas tuas & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudẽtiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. Et qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odiet & alterum diliget: aut vni adhærebit & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Audiebant autem omnia hæc Pharisęi qui erant auari & deridebant illum. Et ait illis. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Ex eo regnũ Dei euangelizatur: & omnis in illud vim facit. Facilius est enim cœlum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere. Omnis qui dimittit vxorem suam & ducit alteram, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit mœchatur.

De diuite epulone. Luc. 16.
Cap. 103.

HOMO quidam erat diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis & nemo illi dabat, sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mẽdicus & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos cum esset in tormentis vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarũ vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham. Fili recordare quit recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris, & in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo te ergo pater vt mittas eum in domum patris mei (habeo enim quinque fratres) vt testetur illis ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit credent.

De petitione discipulorum & vt augeatur eis fides.
Luc. 18. Cap. 104.

ET dixerunt Apostoli domino. Adauge nobis fidẽ. Dixit autẽ dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis. Quis autem vestrum habens seruum arantem aut oues pascentem, qui regresso de agro dicit illi statim, transi, recumbe, & dicat ei Para quod cœnem, & præcinge te & ministra mihi donec manducem & bibam, & post tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ sibi imperauerat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

De Encænijs quando voluerunt Iesum lapidare Iudæi.
Joan. 10. Cap. 105.

FACTA sunt autem Encœnia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi & dixerunt ei: Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus: dic nobis palam? Respondit ei Iesus: Loquor vobis & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest eas rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod horum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudęi: Propter bonum opus non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus. Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi dij estis. Si illos dixit deos: ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum: vos dicitis quia blasphemat, quia dixi filius Dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia in me est pater & ego in patre. Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum. Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum vbi erat Ioannes primum & mansit illic, & multi venerunt ad

runt ad eum & dicebant, quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.

Incipiunt præambula passionis Domini de suscitatione Lazari. Ioan. 11. Cap. 106.

ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria domini, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham & sororé eius Mariam & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis, eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli. Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare & iterum vadis illuc? Respódit Iesus. Nonne duodecim horæ sunt diei. Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucé huius mūdi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux nō est in eo. Hoc ait. Et post hoc dicit eis Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno exsuscité illum. Dixerūt ergo discipuli eius. Domine, si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius. Illi autem putabant quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit Iesus manifestè: Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter vos vt credatis, quia non eram ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didimus, ad condiscipulos: Eamus & nos & moriamur cum eo. Venit igitur Iesus & inuenit eum quatuor dies in monumento iam habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs xv. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarētur eas de fratre suo. Martha autem vt audiuit quia Iesus venit, occurrit ei. Maria autem domi sedebat. Dixit autem Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus. Resurget frater tuus. Dicit ei Martha. Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi. Vtique domine, ego credidi quia tu es Christ' filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cum hæc dixisset, abijt & vocauit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest & vocat te. Illa autem vt audiuit, surrexit citò & venit ad eum. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed adhuc erat in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erant cum ea in domo consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius & dixit ei. Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Iesus autem vt vidit eam plorātem, & Iudæos qui venerant cum ea plorātes, fremuit spiritu, & turbauit semetipsum

& dicit: vbi posuistis eum? Dicunt ei. Domine, veni & vide, & lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo
A Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt. Non poterat hic qui oculos cæci nati aperuit, facere vt & hic non moreretur? Iesus ergo fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca & lapis suprapositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui fuerat mortuus, domine iā fœtet, quatriduanus enim est. Dicit ei Iesus: Nōne dixi tibi, si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Iesus autē eleuatis oculis dixit:
B Gratias tibi ago pater quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circūstat, dixi vt credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset voce magna clamabat: Lazare veni foras, & statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis: Et facies illius sudario erat ligata. Dicit eis Iesus. Soluite eum & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & viderāt quæ fecit, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos &
C dixerunt eis quæ fecit Iesus.

De conspiratione facta contra Iesum & eius egressu Effrem. Ioan. 11. Cap. 107.

COLLEGERVNT ergo Pontifices & Pharisæi concilium & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem. Vnus autem ex ipsis Cayphas nomine, cum esset pontifex anni
D illius dixit eis: Vos nescitis quicquā, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cū esset pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantū pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Iesus autem iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem quę dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis
E suis: Et ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante pascha vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum & colloquebantur ad inuicem in templo stantes. Quid putatis quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet vt apprehendant eum.

De ascensu Iesu in Hierusalem. M. 20. R. 10. L. 18. Cap. 108.

F ERANT R. autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebāt & sequentes timebant, & ascendens M. Iesus Hierosolymam assumpsit iterum R. duodecim M. R. discipulos L. suos secreto cœpit R. eis dicere quæ essent ei ventura. Et M. ait R. illis. L. Ecce nos ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur M. L. enim principibus sacerdotum & Scribis & Senioribus R. & condemnabunt M. R. eum morte & tradent M. R. illum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum. Et L. conspuetur R. & postquam

Quãuis sub vno cōtextu ponātur sequētia quasi fuerit vnicus ascēsus Christi in Hierusalem, tamen probabilius est fuisse diuersos cursus & recursus Christi in quibus facta sequūtur vt magister Nicolaus de Lyra notat.

flagellauerint occident eum, & M. tertia R. L. die resurget, & ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

De decem leprosis sanatis in via. Luc. 17. Cap. 109.

ET factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè & leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit dixit. Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi. Surge vade, quia fides tua te saluum fecit.

De non receptione Christi per Samaritanos. Luc. 9. Cap. 110.

FACTVM est autem dum complerentur dies Assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit iret in Hierusalem, & misit nuncios ante conspectum suum. Et euntes intrauerunt in ciuitates Samaritanorum, vt pararent illi & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Cum autem vidissent discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, si vis dicimus vt ignis descendat de cœlo & consumat eos sicut & Helias fecit, & cōuersus increpauit eos dicens. Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere sed saluare, & abierunt in aliud castellum.

De petitione filiorum Zebedæi. M. 20. R. 10. Cap. 111.

TVNC M. accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Et R. accedunt ad eum filij Zebedæi Iacobus & Ioannes dicentes: Magister volumus vt quodcunque petierimus facias nobis. At ille dixit eis. Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis vt vnus ad dexteram & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Ait M. illi mater. Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens M. R. autem Iesus dixit eis. Nescitis quid petatis. Potestis M. R. bibere calicem quem ego bibo R. bibiturus M. sum aut baptismo R. quomodo ego baptizor baptizari. At M. illi R. dixerunt ei. Possumus. Ait illis Iesus. R. M. Calicem quidem meum bibetis, & R. baptismo quo baptizor baptizabimini: sedere M. R. autem ad dexteram vel sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre M. meo. Et audientes M. R. decem, indignati sunt de duobus fratribus Iacobo R. & Ioanne. Iesus M. autem R. vocauit eos ad se, & ait illis. Scitis M. R. quia M. principes gentium hi R. qui videntur principari gentibus dominantur eis, & M. qui maiores sunt po-

Potuit vtrūque fieri ꝙ & mater peteret & filij, vel dicuntur petijsse quia matrē nouerat ad petendum ideo dominus respondit eis.

A testatem exercent in eos. Non ita M. R. erit inter vos: sed M. quicunque R. inter M. vos voluerit maior R. fieri, sit M. vester minister. Et R. quicunque voluerit inter vos primus esse, erit M. R. vestrum M. omnium R. seruus M. R. sicut M. filius R. hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare redemptionem pro multis.

De illuminatione cæci & de Zachæo & decem minis. Luc. 18. & 19. R. 10. Cap. 112.

B FACTVM L. de c. xviij. est autem cum appropinquaret Iesus Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, & cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse vero multomagis clamabat. Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se, & cum appropinquasset, interrogauit illum dicens:
C Quid vis vt faciam tibi? At ille dixit. Domine vt videam. Et Iesus dixit illi. Respice, fides tua te saluū fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo, & veniunt R. Hierico. Et L. de c. xix. ingressus perambulat Hierico, & ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues, & quærebat videre Iesum quis esset & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret illum, quia inde erat transiturus. Et
D cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & suscepit illum gaudens in domum suam. Et cum viderent, omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad dominum. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum. Quia hodie
E domui huic salus facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Hæc illis audientibus, adijciēs parabolam dixit eo quod prope Hierusalem esset, & quia æstimarent quod confestim regnum manifestetur, dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere regnū & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis dedit illis decem mnas, & ait illis: Negociamini dum venio. Ciues autem eius oderant illum, & miserunt legationem post illum dicentes. Nolu-
F mus hunc regnare super nos. Et factum est cum rediret, accepto regno iussit vocari seruos quibus dederat pecuniam, vt sciret quantum quisque negociatus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decē mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue bone quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens supra decem ciuitates, & alter venit dicens: Domine mna tua fecit quinque mnas, & huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit dicens. Domine ecce mna tua quam habui repositam in sudario, timui enim te quia homo austerus es, tollis quod non posuisti & metis quod non seminasti. Dixit ei. De ore tuo te iudico serue nequam.

Consonat ista parabola cum illa de talentis infra M. 24.

nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod nō seminaui. Et quare non dedisti pecuniam meā ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam & date ei qui decem mnas habet, & dixerunt illi: Domine decem mnas habet. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit. Ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite ante me. Et his dictis præcedebat ascendens Hierosolymam.

De duobus cæcis in egressu Hierico sanatis.
Matth. 20. R. 10. *Cap.* 113.

ET egredientibus M. illis ab Hierico & proficiscente R. eo & discipulis eius secuta M. est eum turba multa. Et ecce [a] duo cæci sedentes secus viam audierunt quod Iesus transiret & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Filius R. autem Thymei Barthymeus cæcus sedebat secus viam mendicans. Qui cum audisset quia Iesus est, cœpit clamare & dicere: Iesu fili Dauid miserere mei. Turba M. autem increpabat eos vt vt tacerent, & comminabantur R. multi. At M. illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. Et R. stans M. Iesus vocauit eos, & vocabant R. cæcum dicentes ei. Animæquior esto, surge vocat te. Qui proiecto vestimēto suo exiliens venit ad eum. Et ait M. Iesus. Quid M. vultis vt faciam vobis? Dicūt. Domine Rabboni R. vt M. aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorū Iesus tetigit oculos eorum. Iesus autem dixit. Vade fides tua te saluum fecit, & confestim M. viderunt & secuti sunt eum.

De alabastro vnguenti. M. 26. R. 14. I. 12.
Cap. 114.

IESVS I. ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam vbi fuerat Lazarus [b] mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi in R. domo Simonis leprosi, & Martha I. ministrabat: Lazarus vero erat vnus ex discumbentibus. Et R. cum discūberet veniens M. R. mulier Maria I. accepit libram vnguenti nardi pistici preciosi & vnxit pedes Iesu. Et extersit capillis suis pedes Iesu, & R. fracto alabastro effudit super caput ipsius recumbentis M. & domus repleta est ex odore vnguenti. Erant R. autem quidam indignè ferentes intra semetipsos discipuli M. & dicentes. R. Vt quid perditio hæc vnguenti facta est? Dixit I. ergo vnus ex discipulis suis Iudas Ischariotis, qui eum erat traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Poterat R. enim vnguentum istud venundari multo M. R. plures quam trecentis denarijs & dari pauperibus. Dixit I. autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat, & fremebant R. in eam. Sciens M. autem Iesus ait illis. Sinite R. illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Quid molesti estis M. huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis R. potestis eis benefacere, me M. R. autem I. non

[a] Marcus nominat hunc solū quia formosior erat, vel non esset probabile dicere quod alia est historia Marci, alia Mathæi, sicut diuersis vicibus potuit Iesus egredi de Hierico & sanare nūc duos nunc verò vnum cæcum. Ideo supleat hic intelligentia lectoris modū loquendi, nunc ad vnum: nunc ad duos.

[b] Non est hæc historia de qua Lucas scripsit, c vij. & tres Euangelistæ loquūtur per rememorationem dū hoc referūt primo die azymorū.

[c] Potest saluari hoc quod solus Iudas murmurabat p modū quo dicūtur plures aliquid facere: quādo vnus ex eis malè facit vel quia solus malè mouebatur, alij piè.

[d] Sequūtur

A semper habebitis, quod habuit R. hoc fecit, præuenit vngere corpus meum in sepulturam mittens M. enim hæc, vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen M. dico R. vobis, vbicumque prædicatum fuerit euangelium hoc in toto mundo & quod fecerit, narrabitur in memoriam eius.

De sessione aselli. M. 21. R. 11. L. 19. I. 12.
Cap. 115.

COGNOVIT I. ergo turba multa ex Iudæis B quia illic esset & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes Sacerdotum vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis & credebant in Iesum. In crastinum autem turba multa quæ conuenerat ad diem festum, cum audisset quia Iesus venit Hierosolymam, acceperūt ramos palmarum & processerunt obuiam ei. Et factum L. est cum appropinquasset Iesus ad Betphage & Bethaniam ad montem qui vocatur Oliueti, misit C M. R. duos discipulos dicens illis: Ite in castellum quod contra vos est, in quod L. introeūtes statim inuenietis asinam alligatam & pullum L. R. asinæ alligatum cum ea, cui nemo vnquam hominum sedit, soluite & adducite illum. Et L. si quis vos interrogauerit, quare soluitis? Et dicetis ei, quia dominus operam eius desiderat, & necessarius R. est dominus M. his opus habet, & confestim dimittent eos. Hoc autem factum est vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam R. dicentem. D Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Noli I. timere filia Syon: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerūt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei. Euntes M. autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus, & R. inuenerunt pullum alligatum ante ianuam foris in biuio, & soluerunt eum. Soluentibus L. autem illis pullum dixerūt domini eius ad illos quid soluitis E pullum? At illi dixerunt sicut R. præcepit eis Iesus, quia L. dominus eum necessarium habet R. & dimiserunt eis, & adduxerunt M. asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua & eum desuper sedere fecerunt. Eunte [d] L. autem illo plurima turba strauerunt vestimenta sua in via. alij autem ramos de arboribus cedebant & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes. Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, & R. benedictum quod venit regnum pa- F tris nostri Dauid Osanna in excelsis. Et cum approprinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus dicentes. Benedictus I. qui venit in nomine domini, pax in cœlo & gloria in excelsis. Benedictus qui venit in nomine domini, rex Israel. Testimonium ergo perhibeat turba quæ erat cum eo quando Lazarū vocauit de monumēto, & suscitauit eum à mortuis, propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad

[d] hic euangelistæ diuersas translationes illius quod habetur Zachariæ 9. prout ei voluit Spiritus sanctus trāslationē septuaginta venire ad gentes, ita voluit vt transferret, & hoc videlicet pro satisfactione omnium in quibus lxx. defecerunt ab Hebraica veritate.

semetipsos: Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abijt, & quidam L. Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait. Et si hi tacuerunt, lapides clamabunt.

De fletu Iesu super ciuitatem & eiectione vendentium. M. 21. R. 11. L. 19. Cap. 116.

ET L. vt appropinquaret videns ciuitatem, fleuit super illam dicens. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternēt te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et R. introiuit Hierosolymam. Et cum M. intrasset commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in illo L. de templo M. & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, & non R. sinebat vt quisque transferret vas per templum. Et docebat eos dicens. Nonne R. M. scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis R. gentibus? Vos M. autem R. fecistis eam speluncam latronum. Et accesserunt M. ad eum cæci & claudi in templo & sanauit eos. Vidētes autem principes Sacerdotum mirabilia quæ fecit, & pueros clamātes in templo & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis. Vtique nunquam legistis? Ex ore infantium Deus & lactentium perfecisti laudem. Et L. erat quotidie docens in templo. Principes autem Sacerdotum & Scribæ & principes plebis quærebant illum perdere & non inueniebāt quid facerent ei. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Hæc fuit eiectio secūda, licet historia scholastica videatur cum hac miscere primā de qua scribit I. 2. miscet historiam de Nicodemo.

Di Gentibus quærentibus videre Iesum & de prædicatione eius. I. 12. Et egressu eius in Bethaniam. M. 21. & R. 11. Cap. 117.

ERANT I. autem gentiles quidam ex his qui ascenderant vt adorarēt in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat de Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus & dixit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis dicens: Venit hora vt clarificetur filius hominis. Amen amē dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis. Nunc anima mea turbata est & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora, sed propterea veni in hāc horam. Pater clarifica nomen tuum, aliàs filium tuum. Venit ergo vox de cœlo, & clarificaui & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum factum esse, alij dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Iesus & dixit: Non propter me vox hæc venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significās qua morte erat moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Quis est filius hominis? Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadit. Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & abijt & abscondit se ab eis. Relictis M. illis & circumspectis R. omnibus cum iam vespera esset hora exijt in Bethaniā cum duodecim foras M. extra ciuitatem, ibique mansit & docebat eos de regno Dei.

De ficulnea arefacta. M. 21. R. 11. Cap. 118.

ET alia M. die R. cum exiret de Bethania mane M. reuertens in ciuitatem esurijt. Cumque R. vidisset à longè ficum secus M. viam habentem R. folia, venit ad eam M. si quid R. fortè in ea inueniret. Et cum venisset, nihil inuenit nisi folia, non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit illi? Nunquam M. ex te fructus nascatur in æternum. Non R. amplius in æternum ex te quisque fructus manducet. Et arefacta M. est continuò ficulnea. Et videntes discipuli ficum N. aridam factam à radicibus, mirati M. sunt dicentes: Quomodo continuò aruit? Et recordatus Petrus dixit ei. Rabbi. Ecce ficus cui maledixisti aruit. Respondens autem Iesus ait. Habete fidem Dei. Amen M. dico R. vobis, si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: tollle te & iacta te in mare, ita fiet. Propterea R. dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra.

Dicit Augu. quod tertia die mirati sunt, ita q secunda die scilicet lunæ ficulnea fuit arefacta & nō dominica, sicut aliquid dicunt. Et ly continuò, refertur ad diem præcedentem.

De quæstione baptismi Ioannis. M. 21, R. 11. L. 20. Cap. 119.

ET M. cum venisset in templum, factum est vna dierum, docente illo populum in templo & euangelizante conuenerunt & accesserunt M. ad eum docentem principes Sacerdotum & Scribæ L. cum senioribus populi M. dicentes: In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem vt ita R. facias? Dic L. nobis. Respondens M. Iesus R. dixit. L. Interrogo vos & ego vnum sermonem siquidem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat? de cœlo an ex hominibus? Respondete R. mihi. At M. illi R. cogitabant L. intra se dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habent Ioannem sicut prophetam. Et respondentes Iesu dixerunt? Nescimus. Ait illis

illis & ipse. Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. A

De duobus filijs quorum vnus facit voluntatem patris. Matth. 21. Cap. 120.

QVID autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens, Nolo. Postea autem pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo domine, & non iuit. Quis ex duobus istis fecit voluntatem patris? Dicunt, Primus. Dicit eis Iesus. Amen B dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit autem ad vos Ioannes in via iustitiæ & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea vt crederitis ei.

De iudice iniquitatis & de Pharisæo & Publicano. Luc. 18. Cap. 121.

DICEBAT autem & parabolam ad illos, quo- C niam oportet semper orare & non deficere dicens: Iudex quidam erat in ciuitate quadam qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo nec hominem, reuereor tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo eam ne in nouissimo veniens sigillet me. Ait autem Dominus. Audite D quid iudex iniquitatis dixit. Deus autem nõ faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Dico vobis quia cito faciet vindictã illorum. Veruntamen filius hominis veniens putas inueniet fidem super terram? Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolã istam dicens. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus gratias tibi ago, quia nõ sum sicut cæteri E hominum, raptores, iniusti, publicani, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propicius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

F

De parabola locata vinea agricolis. M. 21. R. 12. Luca 20. Cap. 122.

ALIAM M. parabolam audite. Cœpit R. autem ad plebem dicere parabolam hanc: Homo M. quidã R. L. erat M. paterfamilias qui plantauit vineam, & R. sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular: lacum R. fodit & ædificauit M. turrim, & locauit eam agricolis colonis L. & profectus est peregrè M. R. multis L. tẽporibus. Cum M. autem tempus fructuum appropinquasset in L. tempore vindemiæ, misit M. R. L. seruos suos ad agricolas cultores L. vt de fructu vineæ darent illi: & M. acciperent ab agricolis R. fructus M. eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius alium cæciderunt & dimiserunt R. L. vacuum & inanem L. alium M. occiderunt, alium verò lapidauerunt: Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt eis similiter, in capite R. cædentes L. vulnerauerunt R. & contumelijs affecerunt & addidit alterum mittere, qui & illum vulnerantes eiecerunt. Nouissimè M. autem adhuc R. habens vnum filium charissimum dixit L. dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum, & illum M. R. misit ad eos, nouissimè dicens, quia forte verebuntur L. filium meum, cum hunc viderint. Quem L. cum M. vidissent coloni, cogitauerunt intra se & dixerunt R. adinuicẽ: Hic M. est L. hæres R. venite occidamus eum & habebimus hæreditatem, vt L. nostra sit hæreditas. Et M. apprehensum R. L. eum eiecerunt extra vineam & occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Veniet R. L. & perdet colonos. Malos M. malè perdet & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Quo L. audito dixerunt illi. Absit. Ille autem respiciens eos dixit: Quid ergo est hoc quod scriptum est R. nec M. scripturam hanc legistis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris. Ideo M. dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus L. eius. Omnis M. qui ceciderit super lapidem istum, cõquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet & conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, & cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, & L. mittere in illum manus, in illa hora timuerunt populum, quia M. sicut prophetam illum habebant; & relicto eo abierunt.

Hoc est intelligẽdum dixisse Christum vel aliquis de Iudæis, illud autẽ quod sequitur, abijt dixerũt alij, vel ipsi omnes intellecta parabola Christi.

De veste nuptiali. M. 22. Consonat. L. supra 14. cum glossa 3. Cap. 123.

ET respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt alius in villam, alius ad negociationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis. Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias. Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerũt malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominẽ non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor

dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

De tributo reddendo Cæsari. M. 22. R. 12. L. 20. Cap. 124.

TVNC M. abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent eum in sermone, & L. obseruantes miserunt insidiatores quosdam R. ex Pharisæis discipulos M. suos cum Herodianis L. qui se iustos simularent, vt eum caperent in verbo, & traderent principatui & potestatui præsidis. Qui R. venientes interrogauerunt L. illum dicentes: Magister M. R. scimus quia verax es & rectè L. dicis & doces, & non M. est tibi curæ de aliquo, & R. non curas quemquam. Non M. enim L. respicis aliàs recipis personam hominis, neque R. vides in faciem: sed L. in veritate M. viam Dei doces. Licet L. M. nobis R. dare tributum Cæsari an non dabimus? R. Considerans L. autem dolum illorum, sciens versutiam eorum, & cognita M. Iesus nequitia eorum ait. Quid R. me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Afferte R. mihi denarium L. vt videam. At M. illi R. obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius M. est imago hæc & superscriptio eius? Cuius L. habet imaginem & superscriptionem? Et respondentes L. dixerunt ei: Cæsaris. M. R. Tunc M. R. ait L. illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & L. non potuerunt reprehendere verbum eius coram plebe. Et M. audientes mirati sunt omnes R. super eo, & mirati L. sunt in responso eius, & tacuerunt, & relicto eo R. abierunt.

De muliere septemuira. M. 22. R. 12. L. 20. Cap. 125.

IN illo M. die accesserunt ad eum Saducæi qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum dicentes: Magister Moyses dixit & R. scripsit L. nobis. Vt R. si L. cuius M. frater mortuus fuerit dimiserit vxorem & filios non reliquerit, vt M. frater R. eius L. ducat vxorem illius & suscitet semen fratri suo. Et erant ergo apud nos septem fratres. Et primus vxore ducta defunctus est sine L. filijs, non R. relicto semine, & non M. habens semen reliquit vxorem fratri suo. Similiter secundus accepit R. eam & mortuus est sine L. filio, & nec R. iste reliquit semen, & tertius similiter M. accepit L. eam vsque M. ad septimum, & R. acceperunt eam septem & non L. reliquerunt semen, & L. mortui sunt. Nouissima M. R. omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo eorum cuius erit vxor: siquidem septem habuerunt eam vxorem. Et respondens Iesus ait illis. Nonne ideo erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei. Filij L. huius seculi nubent & traduntur ad nuptias. Illi verò qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis non nubent neque M. nubentur R. neque L. ducunt vxores, neque enim vltra mori poterunt. Æquales M. R. enim angelis sunt, & M. sunt angeli Dei in cœlo, & L. filij sunt Dei cum sint filij resurrectionis. Quia verò resurgent mortui de R. mortuis M. quod resurgant & Moyses L. ostendit secus rubum sicut dixit dominum Deum Abraham, Deum Isaac & Deum Iacob.

A Nunquid R. legistis in libro Moysi, quod M. dictum est à Deo dicente vobis. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. Deus L. M. autem R. non est mortuorum sed viuentium. Omnes enim viuunt ei. Vos R. ergo multum erratis. Et M. audientes turbæ mirabantur in doctrina eius. Respondentes R. autem quidam scribarum dixerunt. Magister, bene dixisti & L. amplius non audebant eum quicquam interrogare.

De dilectione Christi ex toto corde. M. 22. R. 12. de quo & L. 10. Cap. 126.

B PHARISÆI M. autem audientes quod silentium imposuit Saducæis conuenerunt in vnum. Et accessit R. vnus de Scribis legis M. doctor qui R. audierat illos conquærentes, & videns quod bene illis responderit interrogauit tentans M. eum. Magister quod est mandatum magnum R. primum M. in lege M. omnium? Respondit R. eis Iesus M. quod primum omnium mandatum est. Audi Israel dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges dominum Deum tuum ex
C toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, hoc M. est R. primum & maximum mandatum. Secundum simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum, maius R. horum aliud madatum non est. In his M. duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Et R. ait illi scriba: Magister, bene in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter ipsum, & vt diligatur ex toto corde & ex tota mente, & ex toto intellectu, & ex tota anima
D & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Iesus autem videns quod sapienter respondisset ait illi. Non longè es à regno Dei.

De quadam interrogatione Pharisæorum. L. 17. Et alia interrogatione cuius est Christus filius. M. 22. R. 12. L. 20. Cap. 127.

INTERROGATVS L. autem à Pharisæis quãdo venit regnum Dei? Et respondit eis & dixit:
E Non venit regnum cum obseruatione, neque dicent: Ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Congregatis M. autem Pharisęis interrogauit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Et R. respondens Iesus dicebat docẽs in templo. Quomodo ergo dicunt scripturę Christum filium Dauid, cui ipse Dauid dicebat in Spiritu sancto. Dixit dominus domino meo: sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?
F Quomodo ergo Dauid in spiritu, in L. libro Psalmorum vocat M. eum dominum & R. vnde. Quomodo L. est filius eius. Et nemo M. poterat respondere ei verbum. Et R. multa turba libenter eum audiebat, neque M. ausus fuit quisquam eum amplius ex illa die interrogare.

De doctrinis Pharisæorum audiendis. M. 23. R. 12. Luc. 20. Cap. 128.

TVNC M. Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, & dicebat eis in doctrina sua. Super M. cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis,

bis, seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Attendite L. & cauete R. à scribis. Dilatant M. enim philacteria sua & magnificant fimbrias. Volunt L. R. in scholis ambulare, amant M. R. L. autem primos recubitus in cœnis & L. conuiuijs, primas M. L. cathedras in Synagogis, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & M. salutationes R. L. in foro qui R. L. deuorant domos viduarum sub obtentu R. prolixæ orationis simulantes L. longam orationem, hi accipiunt damnationem maiorem, & R. prolixius iudicium. Amant M. vocari Rabbi, vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester. Omnes autem vos fratres estis, & patrem nolite vobis vocare super terram L. vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Non vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

De væ multiplici. M. 23. L. 11. & 13.
Cap. 119.

Quãuis ista reponantur sub eo contextu dicta per euangelistas, potest tamen dici quod diuersis temporibus fuerunt prædicta.

VÆ M. vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui comeditis domos viduarum longa oratione orantes, propter hæc amplius accipietis iudicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnũ proselitum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis duces qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, nihil est. Qui autem iurauerit in auro templi, debet, stulti & cæci, quid enim maius est aurum an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari nihil est, qui autem iurauerit in dono quod est super illud debet. Cæci. Quid enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum? qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui iurat in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cœlo, iurat & in throno Dei & in eo qui sedet super eum. Væ M. vobis Scribæ L. & Pharisæi hypocritæ qui decimatis mentam & anetum, rutam L. & cyminum M. & omne L. olus & relinquitis M. L. quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere & illa non omittere. Duces M. cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ L. vobis Pharisæi qui diligitis primas cathedras in Synagogis & salutationes in foro. Væ vobis qui estis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis ait illi: Magister, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. At ille ait: Et vobis legisperitis væ qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito non tangitis sarcinas. Væ M. vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina

& immunditia. Pharisæe cæce munda prius quod
A intus est calicis & parapsidis, vt fiat illud quod deforis est mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & vos quidem à foris apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Væ M. vobis L. Scribæ & Pharisæi hypocritę qui ædificatis sepulchra prophetarum, patres L. autem vestri occiderunt illos, & ornatis
B M. monumenta iustorum. Et dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, & L. profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quia M. filij eorum estis qui prophetas occiderunt, quoniam quidem L. ipsi eos occiderunt. Vos autem ædificatis eorum sepulchra, & M. vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ? propterea L. & sapientia Dei dixit.
C Ecce M. ego L. mitto ad vos Prophetas & Apostolos L. & sapientes M. & scribas & M. ex illis L. occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem vt veniat super vos & inquiratur L. omnis M. sanguis iustus, sanguis L. omnium prophetarum qui effusus est super M. terram à constitutione L. mundi, à generatione ista à sanguine vel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij M. Barachiæ quem occidistis, & L. perijt inter tem-
D plum & ædem R. & altare. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione. Amen M. dico vobis venient hæc omnia super generationem istam. Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ & ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Cum hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & legisperiti grauiter insistere & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius vt accusarent eum. Hierusalem M. Hierusalem L. xiij. quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quo-
E tiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & auis L. nidum suum sub pennis, & M. noluisti L. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec venit L. M. hora cum dicetis. Benedictus qui venit in nomine domini.

De vidua duo minuta offerente. R. 12. L. 11.
Cap. 130.

F

ET R. sedens Iesus contra Gazophilacium aspiciebat eos qui mittebant munera sua in Gazophilacium. quomodo R. turba iactabat æs, & multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vna vidua pauper, misit duo minuta quod est quadrans. Vidit L. autem Iesus pauperculam illam viduam mittentem æra duo minuta. Et conuocatis R. discipulis suis ait illis: Amen verè L. dico vobis, quoniam R. L. vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophilaciũ. Omnes enim ex eo quod abundat illis miserunt in munera Dei: Hæc autem ex eo quod illi deest,

& R. de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

De ædificio templi & comminatione euersionis Hierusalem. M. 24. R. 13. Luc. 21. Cap. 131.

ET egressus M. Iesus de templo ibat. Et R. cum egrederetur, accesserunt M. discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationem templi. Et quibusdam L. dicentibus de templo quod bonis lapidibus & donis ornatum esset. Ait R. illi vnus ex discipulis suis. Magister aspice quales lapides & quales structuræ. Ipse M. autem respondens ait illis: Videte hæc omnia, & R. magnas ædificationes. Amen M. dico R. L. vobis, venient L. dies in quibus non M. relinquetur R. L. hic lapis super lapidem qui non destruatur. Sedente M. R. autem eo super montem Oliueti contra templum, accesserunt M. ad eum discipuli eius secretò, & R. interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus & Andreas & Ioannes dicentes: M. Dic nobis præceptor L. quando hæc erunt, & R. hæc fient. M. quod R. L. signum aduentus tui & consummationis seculi? & R. quod signum L. cum hæc fieri incipient & consummari? R. Et M. respondens R. L. Iesus dixit: Videte ne quis vos seducat, multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent & L. tempus appropinquabit. Nolite ergo ire post illos. Audituri M. enim estis prælia & opiniones præliorum. Cum autem R. L. audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Videte M. ne turbemini, oportet M. R. enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræ motus magni erunt per loca & pestilentiæ & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Hæc M. autem R. omnia initia sunt dolorum. Videte R. autem vosmetipsos. Sed L. ante hæc omnia inijcient vobis manus suas & persequentur, tunc M. tradent vos in tribulationem, & occident vos. Tradent R. L. enim vos in concilijs & synagogis suis vapulabitis, & ante reges & præsides stabitis propter me, propter L. nomen meum. Contingit autem vobis in testimonium illis R. & eritis M. odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi: & inuicem tradent & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso mundo, & in omnes gentes, primum oportet prædicari euangelium in M. testimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet consummatio. Et R. cum duxerint vos tradentes, ponite L. in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Nolite R. præcogitare quid loquamini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Ego L. enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Tradet R. autem fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Trademini L. enim à parentibus & fratribus & amicis & cognatis, & eritis

Hoc videtur tangere pœnas peccatorũ nouissimorum temporum.

L. R. odio omnibus hominibus propter nomen meum, & L. capillus de capite vestro non peribit. Qui R. autem sustinuerit vsq; in finem, hic saluus erit. In patientia L. vestra possidebitis animas vestras. Cum M. ergo R. videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto, vbi R. non debet, qui M. R. legit intelligat. Cum L. autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius. Tunc M. R. qui L. in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui R. in tecto, non descendant aliquid tollere de domo sua, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam, & L. qui in medio eius sunt, discedat, & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies vltionum hi sunt, vt impleatur omnia quæ scripta sunt. Væ autem M. R. L. prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate M. R. ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum.

De signis iudicij. M. 24. R. 13. L. 17. & 21. Actuum 12. Cap. 132.

ET L. ait ad discipulos suos. Veniet tempus quando desiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Erit M. enim tunc tribulatio magna. Erunt L. autem dies illi tribulationis, & tales quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vsque nunc neque fient. Et nisi abbreuiasset dominus dies illos, non fuisset salua omnis caro, sed propter electos quos elegit dominus, abbreuiabit dies. Et dicent vobis. Ecce hic, ecce illic. Tunc M. si R. quis vobis dixerit. Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere, nolite R. ire neque sectemini. Surgent M. R. enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia & portenta R. ad seducendos si fieri potest etiam electos, ita M. vt in errorem ducantur si fieri potest etiam electi. Ego prædixi vobis omnia, vos ergo videte. Si ergo M. dixerunt vobis. Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. Nam L. sicut fulgur exit M. ab Oriente coruscans L. de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt fulget & apparet M. vsque in Occidentem, ita L. erit filius hominis & aduentus M. in die L. sua. Vbicumque M. fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ. Primum L. oportet illum multa pati & reprobari à generatione hac. Statim M. R. autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo. Et erunt L. xxj. signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuũ, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Et M. virtutes L. cœlorum, & R. quæ sub cœlo sunt mouebuntur. M. R. L. Et tunc M. apparebit signum filij hominis in cœlo, & M. tunc R. L. plangent se omnes tribus terræ. Et tunc videbunt filium hominis venietem in nube cum potestate magna R. L. & gloria R. & maiestate L. M. & mittet M. R. angelos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos à quatuor

Possunt hęc intelligi dicta diuersis vicibus licet sonent.

quatuor ventis à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, à R. summo terræ vsque ad summũ A cœli. Ab M. arbore R. fici discite parabolam. Cũ iam ramus eius tener fuerit & folia nata, cognoscitis R. quia in proximo sit æstas. His. L. autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructũ, scitote quia propè est æstas. Ita M. & L. vos R. cum videritis hæc fieri, scitote quia propè M. est & in ianuis & ostijs. R. regnum, L. Dei. Amen. L. M. R. dico vobis, quoniam non transibit generatio B hæc donec omnia fiant. Cœlũ & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Attendite L. autem vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat super vos repentina dies illa. Tanquam enim laqueus superuenient in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. De M. die autem R. & hora illa nemo scit, neque Angeli cœlorum neque R. filius, nisi solus pater. Si cut autem L. 17. fuit in diebus Noë: ita erit in diebus aduentus M. filij C hominis. Sicut enim erant ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, edebant & bibebant & vxores ducebant, & dabãt ad nuptias vsque ad eum diem in quo intrauit in Arcam Noë, & non cognouerunt donec venit diluuium & tulit & perdidit L. omnes M. ita erit aduentus filij hominis. Similiter L. sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autem exiuit Loth à Sodomis, pluit Dominus D ignem & sulphur de cœlo & omnes perdidit secundum hoc erit qua die filius hominis reuelabitur. In die illa qui fuerit in tecto & vasa eius in domo ne descendat tollere illa. Et qui in agro similiter nõ redeat retro. Memores estote vxoris Loth. Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet eam. Et quicunque perdiderit eam, viuificabit illam. Dico L. vobis M. In illa nocte erunt duo in lecto, vnus assumetur & alter relinquetur. Duo erunt molentes in vnum in L. mola, vna assumetur & altera relinquetur. Duo in agro: E vnus assumetur & alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? Qui dixit illis. Vbicũque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilę. Vigilate L. 21. itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sũt & stare ante filium hominis.

De vigilia & oratione M. 24. R. 13. Luca. 12. Cap. 133.

VIDETE R. vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut enim homo qui F peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiuscunque operis, & ianitori præcepit vt vigilaret. Vigilate ergo nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico omnibus dico, vigilate. Sint L. lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectãtibus dominum suũ quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiãt ei.

Beati sunt serui illi quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit & ita inuenerit, beati sũt serui illi. Vigilate M. ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Hoc M. autem L. scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Ait L. autẽ ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore, in tempore L. tritici mensuram. Beatus L. M. ille seruus quem cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem. Amen M. L. dico M. vobis, super omnia bona quæ possidet constituet eũ. Si M. autem L. dixerit malè ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos pueros L. & ancillas, & edere & inebriari: manducet autem & bibat cũ ebriosis. Veniet L. M. Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit: & diuidet eũ, partémque eius cum infidelibus hypocritis M. ponet. Ibi erit fletus & stridor dentium. Ille L. autem seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit & fecit digna, plagis vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui cõmendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur. Putatis quia pacem veni dare in terram, non dico vobis sed separationem. Erunt ex hoc quinque in vna domo diuisi, tres in duos, & duo in tres. Diuidetur pater in filium, & filius in patrem suum. Et mater in filiam, & filia in matrem. Socrus in nurum suam & nurus in socrum suam.

Possunt hęc intelligi posita per rememorationem.

De decem virginibus & de decem talentis; & de modo iudicij. M. 25. Cap. 134.

TVNC simile est regnum cœlorũ decem virginibus quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudẽtes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Mora autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce spõsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguũtur. Responderunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emitte vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine Do-

mine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. Sicut enim homo peregre proficiscés vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt auté qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abijt & fodit in terram pecuniam Domini sui. Post multum verò temporis venit Dominus, seruorum illorum, & posuit rationem cum illis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque taléta dicens. Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque taléta superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat & ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine scio quia durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti. Et timens abij & abscondi talentum tuum in terram. Ecce habens quod tuũ est. Respondens autem Dominus eius, dixit ei. Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te pecuniam meam committere nummularijs, & veniens ego accepissem vtique quod meum est cũ vsura. Tollite igitur ab eo talétum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo: Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli eius cum eo: tũc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erũt: Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me. Nudus erã & cooperuistis me, infirmus eram & visitastis me. In carcere eram & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem & pauimus, sitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem & collegimus, aut nudum & cooperimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis: Amé dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: Tunc dicet & his qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum, hospes erã & non collegistis me, nudus & nõ operuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

De modo Christi in docendo Lu. 21. & de obstinatione Iudæorum. Ioan. 12.
Cap. 135.

ET L. autem in diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte qui vocatur oliueti. Et omnis populus mane ibat ad eum venire in templo audire illum. Cum I. auté tanta signa fecisset coram illis non credebant in eum, vt sermo Esaię compleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachiũ Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaiæ: Et excęcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum vt non videát oculis & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Hoc dixit Esaias quando vidit gloriam eius & locutus est de eo. Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, vt de Synagoga nõ eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominũ magis quàm gloriam Dei. Iesus autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, & si quis audierit verba mea & custodierit, ego non iudico eum. Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam mundum. Qui spernit me & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die, quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mãdatum dedit quid dicam & quid loquar. Ego scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor sicut dixit mihi pater sic loquor.

Et potest hoc intelligi positum hic per rememorationem quãdo sequitur ad ea quę Christus dixit ante sex dies paschæ.

De festo azymorum appropinquante. M. 26. R. 14. L. 22. Io. 13.
Cap. 136.

APPROPINQVABAT L. autem dies festus azymorum qui dicitur pascha. Erat R. autem pascha & azyma post biduum. Et M. factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tũc congregati sunt principes sacerdotum & seniores in atrium principis sacerdotum qui dicitur Caïphas, & consilium fecerunt. Et R. quærebant L. summi Sacerdotes & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent & occiderent, timebant L. verò plebem. Dicebant M. R. autem, non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Intrauit L. auté Sathanas in Iudam qui cognominatur Iscarioth, vnum de duodecim. Tunc M. abijt R. L. vnus de duodecim ad principes sacerdotum & summos. R. sacerdotes, vt proderet eum illis. Et L. locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus quemadmodum illum traderet illis, & ait M. illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?

Hæc est dies mercurij ante diem veneris sanctã.

dam? Qui R. L. audientes gauisi sunt, & promiserunt & pacti L. sunt pecuniam illi dare. At illi A con stituerunt ei triginta argenteos, & spopondit, & M. exinde R. L. quærebat opportunitatem vt eum opportunè R. traderet sine L. turbis. Ante I. diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Hæc enim dies Iouis in cuius vespere fiebat esus agni, & hæc vocatur prima dies azymorum.

TERTIA PARS PRINCIPALIS HVIVS CONTEXTVS de egressu Passionis & Resurrectionis Christi.

De missione Petri & Ioannis prima die azymorum, quam Ioan. vocat ante festum Pascha. M. 26. R. 14. L. 22. I. xiij. Cap. 137.

PRIMA M. R. autem die azymorum, quādo R. pascha immolabatur, in qua L. necesse erat pascha occidi: Accesserunt M. discipuli ad Iesum, & dicunt M. R. ei: Quo vis eamus & paremus tibi vt manduces pascha? Et mittit ex discipulis suis Petrum L. & Ioannem di. Euntes parate nobis pascha vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: Ite M. in ciuitatē R. ad quēdam M. Ecce L. introeuntibus vobis in ciuitatē, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Tēpus M. meum propè est, apud te facio pascha, vbi R. est refectio mea? Vbi L. est diuersorium? vbi L. R. pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Et R. abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem. Euntes L. R. autem, inuenerunt sicut dixit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere R. autem facto venit cum duodecim, & L. cum facta esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo.

Hic fuit esus agni.

De ablutione pedum. Ioan. 13. Cap. 138.

ET cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eū Iudas Simonis Iscariothis, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit & ad Deum vadit. Surgit à cœna & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei? Quid ego facio tu nescis modò, scies autē postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Non tantum pedes, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat namque quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mūdi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterū dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior eo qui misit illum. Si hoc scitis, beati eritis si feceritis ea.

B

De sacramenti institutione. M. 26. R. 14. L. 22. Cap. 139.

ET M. discumbentibus R. eis & manducantibus, ait Iesus: Desiderio L. desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Cœnātibus M. autem illis, accepit Iesus panem, gratias L. egit & benedixit M. & fregit M. L. deditque discipulis suis & ait: Accipite M. & comedite, hoc M. est C L. corpus R. meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnauit accipiens M. gratias egit, & dedit illis dicens: Accipite L. & diuidite inter vos & bibite M. ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti. Hic L. est calix nouū testamentum in meo sanguine L. qui pro vobis & M. pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, quia non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum cū D illud bibam nouum vobiscum in regno patris mei Dei. L. Et biberunt ex eo omnes.

Videtur intelligendū quod cœna agni fuerit alia cœna vel eadem discōtinuata per pedū lotionē, vt intelligitur per dictum Ioannis.

De prædicatione negationis Petri, & quæstione discipulorum M. 26. R. 14. L. 22. I. 13. Cap. 140.

TVNC M. L. dixit illis Iesus: Omnes vos scādalū patiemini in me in ista nocte, quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem [a] Petrus ait E illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nūquam scandalizabor. Et M. ait illi Iesus: Priusquā R. Gallus bis vocem dederit ter me es negaturus. Amen M. dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me es negaturus. At R. ille amplius loquebatur: Et M. si R. oportuerit me mori tecum te non negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Non I. de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim, sed vt adimpleatur scriptura: Qui manducat panem meum, leuabit cōtra me F calcaneum suum. Amodo dico vobis priusquam fiat, vt cum fuerit factum credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eū qui me misit. Cum hoc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amē I. R. dico vobis quia vnus ex vobis me tradet qui R. manducat mecum. Aspicientes I. ergo ad inuicem discipuli hæsitantes de quo diceret. Et M. contristati R. valde cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ille respondens ait: Vnus R. ex duodecim qui M. intingit R. mecum manum in paropside M. in cantino R. hic me tradet. Filius qui-

[a] Intelligēda est trina negatio Petri velut vna negatio cōtinuata, quæ incœpit antequā gallus cantaret, & sic intelligunt euangelistę trinam negationem factam antequā gallus cātaret, sed consūmata enim ante secundum galli cantum: vt ponit Marcus, nec repugnat & Christus vtrūque dixerit nunc vt Marcus ponit de his nunc vt alij ad maiorē exag-

generationē. Intelligendum est q̄ Ioānes propinquꝰ Iesu inclinauit faciem suā ad faciē Iesu ipsum familiariter & silenter interrogās, cui Christꝰ submissè respondit. Dixit hoc permittēdo non iubēdo nec scelus aperiendo.

dem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ
A autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Respondens M. autem Iudas qui tradidit eum, dixit. Nunquid ego sum rabbi? Ait illi. Tu dixisti. Erat I. ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus. Innuit ego huic Simon Petrus & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simoni Iscariothis. Et
B post buccellam tunc introiuit in eum sathanas. Et dicit ei Iesus: Quod facis fac citius. Hoc autē nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum. Aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille, exiuit continuò. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, si Deus clarificatus est in eo, & Deus clari-
C ficabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, quæritis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado vos non potestis venire. Et vobis dico modo. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus, Domine quo vadis? Respōdit Iesus: Quo ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus. Quare non possum te
D sequi modo? Animam meam pro te pono. Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amē amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset qui eum traditurus esset. Facta est autem & cōtentio inter eos quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit an
E qui ministrat: nōne qui recumbit? Ego aut in medio vestrum sum sicut qui ministrat: Vos autem estis qui permansistis mecū in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, vt sedeatis super thronos iudicantes, 12. tribus Israël. Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce sathan expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt nō
F deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit: Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis sed nunc qui habet sacculū, tollat, similiter & peram, sed qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, & cum iniustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.

Hoc potest intelligi eleuatè vel depressè.

At illi dixerunt: Ecce duo gladij hic. At ille di-
A xit eis: Satis est.

De sermone Domini post cœnam & continet multas rubricellas pro multitudine doctrinarum, vbi per totum de mysterio Trinitatis. Ioan. 14.15.16.17.

Cap. 141.

ET ait discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vo-
B bis locum, & si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio ad vos, & accipio vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis, & quo ego vado sitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis, & amodo cognoscetis eum & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende
C nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. Philippe qui videt me, videt & patrem meum. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrē. Non credis quia ego in patre & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis à meipso non loquor, pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis quia ego in patre & pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis: qui credit in me opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet: quia e-
D go ad patrem vado. Et quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam, vt glorificetur pater in filio, si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicū & mun-
E dus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum: Dicit ei Iudas, nō ille Iscariothis: Domine quid factum est quia manifestaturus es teipsum nobis & non mundo? Respon-
F dit Iesus & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quęcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia dixi vobis, vado &

Prima rubricella.

Secūda rubricella.

Quæstio Iudæ Apostoli.

Tertia rubricella.

Implendus sermo Christi.

venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique quia ad patrem vado, quia pater maior me est. Et A nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factũ fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc. Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quẽ B locutus sum vobis, manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me mãseritis. Ego Ioan. 15. sum vitis, & vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multũ, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis, in hoc clarificatus est pater meus vt fructum plurimum afferatis, efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Hęc locutus sum vobis vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum plenum impleatur. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meũ seruauerint, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciũt eum qui misit me. Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui odit me, odit & patrem meum. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum, sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est quia odio habuerũt me gratis. Cum autem venerit paracletus quẽ ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, quæ à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos, sed venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur

Quarta rubricella. Secundum aliquos hic incipit capitulum 15. Ioan. non explicat euangelista quo iuerit Dominus & dixerit sequẽtia, quia nondũ trãsierat torrentẽ Cedron. Nec erat hymnus dictus, nisi velimus vti regula vel anticipationis vel rememorationis.

Præceptum dilectionis. Quinta rubricella.

Sexta rubricella.

Septima rubricella.

obsequium se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me, sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis. Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me, de iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me, de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia C de meo accipiet & annunciabit vobis. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis, modicum? nescimus quid loquitur? Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, D quia dixi, modicum & non videbitis me, & iterũ modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam nõ meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, & in E die illo non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis, venit enim hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de patre meo annunciabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos F me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mũdum & vado ad patrem. Dicunt & discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullũ dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, quis te interroget. In hoc cognouimus quia à Deo existi. Respondit eis Iesus: Modo creditis. Ecce venit hora & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquitis, & non sum solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Hæc locutus est Iesus, & subleus-

Octaua rubricella.

Nona rubricella.

Vndecima rubricella.

Vndecima rubricella.

tis in cœlum oculis dixit, pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei det eis vitam æternam. Hæc est vita æterna: vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mūdus esset apud te. Manifestaui nomē tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt, & nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt & cognouerunt verè, quia à te exiui & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et iam non sunt in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi custodi, & nemo ex eis perijt nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mūdus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mūdo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & ego pro ipsis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint sicut & ego pater in te, & tu in me: vt & ipsi in nobis vnum sint, vt mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus. Ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi volo vt vbi ego sum & illi sint mecum, vt videāt claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mūdus te non cognouit, ego autem te cognoui & hi cognouerunt quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit & ego in ipsis.

Duodecima rubricella.

De oratione Iesu & sua captione. M. 16. R. 14. L. 22. Ioan. 18. Cap. 142.

HÆc I. cum dixisset Iesus & M. hymno R. dicto exierunt in montem Oliueti, & L. egressus ibat secundum consuetudinem in montē Oliuarum trans torrentem I. Cedron in villam M. in prædium R. cui nomen Gethsemani. Secuti L. sunt autem eum & discipuli eius. Sciebat I. & Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter conuenerat Iesus illuc cum discipulis suis, & M. dixit R. Sedete hic donec M. vadam illuc M. & orem R. & coassumpto M. R. Petro & duobus filijs Zebedei, cœpit M. contristari & mœstus esse, pauere R. & tædere. Tunc M. ait R. illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic & vigilate mecum: & L. ipse auulsus est ab eis quantum est iactus lapidis. Et progressus M. R. pusillum procidit M. in faciem suam super R. terram & orabat, vt si fieri posset transiret ab eo hora. Et dixit: Abba pater omnia possibilia sunt tibi: transfer hunc calicem à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Mi. M. pater si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, & M. inuenit R. eos dormientes, & dixit Petro sic: Simon R. dormis? Non M. potuisti R. vna hora vigilare mecum? vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abijt & orauit eundem sermonem dicens. Pater M. mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit M. R. iterum & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati & ignorabant R. quid responderent ei. Et relictis M. illis iterum abijt & orauit eundem sermonem. Et positis L. genibus orabat dicens: Pater si vis transfer calicem istum à me: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eū. Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrētis in terram. Et cum surrexisset ab oratione & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia, & ait illis: Quid dormitis? dormite iam M. R. & requiescite. Sufficit R. surgite L. & orate, ne intretis in tentationem. Ecce M. appropinquabit R. hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum, surgite eamus. Ecce qui me tradet, propè est. Iudas I. ergo cum accepisset cohortem à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis, & M. adhuc R. Iesu loquente, ecce Iudas Iscariothis vnus ex duodecim & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus missi M. à principibus sacerdotum & Scribis R. & senioribus M. R. populi. Dederat autem traditor eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est tenete eum, & ducite R. cautè, & L. antecedebat eos, & appropinquauit Iesu vt oscularetur eum. Et M cum venisset R. statim accessit ad eum & ait: Rabbi R. Aue M. Rabbi: & M. osculatus R. est eum. Dixit M. ei Iesus: Amice, ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? Iesus I. itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quē quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus: ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradidit eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis Iesus, ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogauit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis sinite hos abire, vt impleretur sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Tunc M. accesserūt & manus M. R. iniecerūt in Iesum & tenuerunt eū. Vidētes L. autem hi qui cum ipso erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio?

Potest intelligi quod Christus bis ita dixit.

Probabile est quod fuit Gabriel.

Intelligendū est postquā Iudas osculatus est Iesum, quia præcesserat regressus ad turbam ad quam Iesus processit.

Respon-

Respondens autem Iesus ait: Sinite vsque huc. Simon M. R. ergo Petrus habens gladium eduxit eum & percussit pontificis summi R. sacerdotis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. I. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium in viginam. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Omnes M. enim qui acceperunt gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri. At L. cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum & magistratus templi & seniores tanquam M. L. ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehédere me, cum quotidie L. fuerim vobiscum in templo, & sedebam M. docés & non M. me R. tenuistis, sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Hoc M. autem R. totum factum est vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc M. discipuli R. relicto eo omnes fugierunt. Adolescens R. autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo & tenuerunt eum. Et ille relicta syndone nudus profugit ab eis Cohors I. autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & tenentes M. L. ligauerunt eum & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Cayphæ qui erat pontifex anni illius. Erat autem Cayphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominé mori pro populo. Et conuenerunt R. in vnum omnes sacerdotes, scribæ & pharisei & seniores.

Intelligendam est quod non expectata responsione Christi Petrus percussit.

Superuenerant forte aliqui cum turba vel post. Vel ideo dicuntur principes venisse, quia miserunt suos.

De missione Jesu ad Annam, & prima negatione Petri. M. 26. R. 14. L. 22. I. 18. Cap. 143.

SEQVEBATVR I. autem Iesum Simon Petrus & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit in atrium principis cum Iesu. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo alius discipulus qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria summi R. sacerdotis cum vidisset Petrum calefacientem se: L. sedentem ad lumen. Et M. tu cum Iesu Nazareno R. Galilæo eras. Nunquid I. & tu ex discipulis es hominis istius? Et hic L. cum illo erat. At M. ille R. negauit L. illum coram omnibus dicens: Mulier L. nó noui illum. Non I. sum, neque R. scio, neque noui quid dicas. Stabant I. autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Et R. exiuit foras ante atrium, & gallus cantauit. Pontifex I. ergo interrogauit Iesum de discipulis & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quæ locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quid dixerim ego. Hæc cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cedis? Et misit eum Annas ligatum ad Caypham pontificem.

Quamuis diuersi diuersimodè videantur loqui de modo concordádi triplicem negationem Petri ita vt Aug. sentire videatur totam fuisse in domo Annæ ipse nihilominus vel alij non intendunt præiudicare probabiliori modo dicédum si ex tex. possit elici sicut esse videtur modus hic contentus iudicet lector.

De missione Iesu ad Caypham. M. 26. R. 14. L. 22. I. 18.

Cap. 144.

AC M. illi tenentes Iesum duxerunt illum ad Caypham principem sacerdotum vbi scribæ, seniores & pharisæi conuenerant. Petrus M. R. autem sequebatur eum à lógè vsq, in atrium principis sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris, vt M. videret finem. Accenso L. autem igne in medio atrio, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum & calefaciebat se ad igné. Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum contra Iesum testimonium vt eum morti traderent, & non inueniebant cum multi falsi testes accessissent, & R. conuenientia testimonia non erant. Nouissimè M. autem venerunt duo falsi testes, & R. falsum testimonium ferebant aduersus eum dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem. Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Hic M. dixit: Possum destruere templum Dei & post triduum reædificare illud. Et R. non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens summus sacerdos in medio interrogauit Iesum dicens. Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obiciuntur ab his? Ille autem tacebat & nihil respondit. Rursus summus sacerdos interrogauit eum & dixit ei: Adiuro M. te per Deum viuum vt dicas nobis si es Christus filius Dei benedicti. R. Dixit illi Iesus: Tu dixisti, ego R. sum. Veruntamen M. dico vobis, amodo videbitis M. R. filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus & desideramus R. testes? Ecce. M. nunc R. audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui R. omnes M. condemnauerunt eum reum esse mortis. Et L. viri qui tenebant eum, illudebant ei. Tunc M. expuerunt R. L. in faciem eius & velauerunt L. eum cædentes L. eum colaphis R. & L. interrogauerunt M. eum dicentes: Prophetiza nobis Christe quis est qui te percussit? & R. ministri eum alapis cædebant, & alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Difficultas prouenit in hoc passu, quia tres Euangelistæ nó loquuntur de Anna ideo videtur cóprehendere factum Annæ cum facto Cayphæ, vt in prima negatione Petri quam hic ponit cum duabus aliis.

De secunda & tertia negatione Petri M. 26. R. 14. L. 22. I. 18. Cap. 145.

EXEVNTE M. autem Petro ianuam, rursus R. cum vidisset illum alia. M. ancilla R. cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. Hic M. erat cum Iesu Nazareno, & L. post pusillum alius videns eum dixit: Et tu ex illis es? erat I. autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei, nunquid & tu ex discipulis eius es? Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem, & M. post R. pusillum interuallo L. quasi horæ vnius. Rursus M. R. qui astabant dicebant Petro: Verè ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela M. tua manifestum te facit. Dixit I. vnus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius Petrus abscidit auriculam, nonne ego te vidi in horto cum illo? Ille R. autem cœpit anamathematizare, detestari M. &

iurare M.R. quia R. nescio hominem istum quem dicitis. Et continuò L. adhuc eo loquente iterum R. Gallus M.R. cantauit L. I. & L. conuersus Dominus respexit Petrum. Et M. recordatus L. R. est Petrus verbum Domini sicut dixerat, quod priusquam gallus cantet bis, R. ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarè.

De tertia conuentione seniorum & traditione Iesu Pilato M. 27. R. 14. & 15. L. 22. & 23. J. 18. & 19.

a Prima rubricella

b Intelligédú est quod bis conuenerunt in domú Cayphae res. r uato ibidé & à seruis custodito nó sine cótumeliis & flagellis.

c Littera Au habet ad Cayphá, licet haec est clarior licet saluet sua, vide.

Attendenda est multiplex acceptio paschę vide in postillis

Secunda rubricella

MANE M. autem facto [a] vt factus L. est dies Concilium M. inierunt omnes [b] principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et adduxerunt L. eum in Concilium suum dicentes: Si tu es Christus? dic nobis. Et ait illis. Si dixero vobis, non creditis mihi, si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes. [c] Tu ergo es filius Dei, qui ait. Vos dicitis quia ego sum. At illi dixerunt. Quid adhuc desideramus testimonium, ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum, & R. vincientes M. Iesum duxerunt illum ad Pilatum à Caïpha in praetorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in praetorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo ad eos Pilatus foras & vinctum M. adduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato praesidi. Tunc vidés Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus retulit xxx. argenteos principibus sacerdotum & senioribus populi dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris. Et proiectis in templo argenteis recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Concilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis vsque in hodiernum diem. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt xxx. argenteos precium appreciati quod appreciauerunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante praesidem. Et I. dixit praeses: Quam accusationem affertis aduersus hominem húc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudaei: Nobis non licet interficere quemquam, vt sermo Iesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus. Coeperunt L. xxij. autem illum accusare dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Caesari, & dicentem se Christum regé esse. Pilatus ergo interrogauit eum dicens: Tu es rex Iudaeorum? At ille respondens ait: Tu dixisti. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causae in homine. At illi inualescebant dicentes. Commouit populum docens per vniuersam Iudaeam incipiens à Galilaea vsque huc.

Tertia rubricella

Quamuis haec prophetia sit magis in Zacharia, nihilominus venitur mé te Hieremiae propter aliquá similitudinem quorúdam verborum hic positorum oú verbis suis, & non curauit mutare quoniam omnes Prophetae vno spiritu locuti sunt tá quá si vnus scriptor di-

A

Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogauit si homo Galilaeus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodé qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. [a] Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audierat multa de illo. Et sperabat signum aliquod ab eo videre fieri. Interrogabat ergo illum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat. Stabant etiam principes sacerdotum & scribae constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc quasi auertentem populum: Et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed nec Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Intrauit ergo iterum in praetorium Pilatus, & vocauit Iesum & dixit ei: Tu es rex Iudaeorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid Iudaeus ego sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt nó traderer Iudaeis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium praehibeam veritati. Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, ad Iudeos iterum exiuit & dixit eis: Ego nullam causam inuenio in eo. Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha, vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum. Clamauerunt rursum omnes dicentes: Non hunc sed Barrabam. Erat auté Barrabas latro, qui L. xxiij. erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum ergo Pilatus locutus est ad illos volens dimittere Iesum. At illi succlamabant dicentes: Crucifige crucifige illum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali facit ille? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam. Tunc I. xix. ergo Pilatus apprehendit Iesum & flagellauit & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & purpura circundederunt eum, & veniebant ad eum & dicebant: Aue rex Iudaeorum, & dabant ei alapas. Exijt iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. Exiit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices & ministri clamabant dicentes: Crucifige crucifige eum. Dicit eis Pilatus Accipite eum vos & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudaei: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus húc sermonem, magis timuit, & ingressus est

uersis calamis cóscriberet eadé scriptura videretur in Apostolis.

a Quarta rubricella.

Quinta rubricella.

Sexta rubricella.

Videntur etiam plures fuisse flagellationes Christi vt ista quae facta est ad satisfaciendum Iudęis veluti quędá punitio, altero verò iuxta legem Romanorú secundum quam prius flagellabatur occidédus.

est iterum in prætorium, & dicit ad Iesum. Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ei Pilatus: Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi esset datum de super, propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet. Et ex inde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur licostratos, Hebraicè autem Gabatha vel Golgatha. Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit ei Pilatus: Regem vestrum crucifigam. Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem.[a] Et R. xv. accusabant eum summi sacerdotes in multis & seniores M. populi, & nihil respondit. Pilatus R. autem rursus interrogauit eum dicens: Non respondes quicquam, vides in quantis te accusant, Iesus autem amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus præses M. vehementer L. R. xvj. Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis quemcunque petissent. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis vinctus erat, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Congregatis M. ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabam an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent summi R. Sacerdotes. [b] Sedente M. autem eo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: Nihilominus tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. [c] Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis & concitauerunt R. turbam vt M. peterent Barrabam: Iesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus. Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes, crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes, crucifigatur. [d] Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Adiudicauit L. xxiij. fieri petitionem eorum. Tunc M. dimisit illis Barrabam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Tũc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exeuntes eum clamidem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius & genuflexo ante eum illudebant dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum clamidem & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt

[a] Septima rubricella. Probabile est Iesũ crucifixum inter tertiã & sextam horam, & quia mediũ participat extrema. Marcus ponit tertiam, alij sextam vel quasi sextã. Intelligendũ est multa fuisse facta & dicta & per Pilatũ & Iudęos quorum aliqua narrat Euangelista aliter alia, & aliquando taliaquę videntur esse simillima sicut posse potuerunt.
[b] Octaua rubricella.
[c] Nona rubricella.
[d] Decima rubricella.

Vndecima rubricella.

Hęc flagellatio videtur eadem cum præcedenti.

A eum vt crucifigeretur. Pilatus R. autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit eis Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt Iesum intro in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem & induunt purpura, & imponunt ei plectentes coronam spineã, cœperunt salutare eum dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt illum vestimentis suis.

B

De eductione Iesu ad crucem & eius crucifixione. M. 28. R. 15. L. 13. I. 19. Cap. 147.

SVSCEPERVNT I. autem Iesum & eduxerunt eum & baiulans sibi crucem, exiuit in eũ qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Symonem quendam Cyrenensem venientem de vlla, patrem R. Alexandri & Rufi. Hunc M. angariauerunt vt tolleret crucem eius, & L. imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus cadite super nos, & collibus, cooperite nos, quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo vt interficerentur. Et M. venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum myrrhatum M. R. bibere M. cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere, & non R. accepit. Ibi L. crucifixerunt eum & latrones, vnum à dextris & alterum à sinistris, hinc I. & hinc, medium autem Iesum. Et R. impleta est scriptura quæ dicit: Et cum impiis deputatus est. Iesus L. autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Scripsit I. autem & Pilatus L. titulum causæ R. eius, & posuit super crucem, super caput M. eius. Erat L. autem superscriptio scripta super illum litteris Græcis, Latinis & Hebraicis: Hic M. est Iesus Nazarenus L. Rex M. R. Iudæorum. L. I. Hunc L. ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus, & erat Hebraicè, Græcè & Latinè scriptum. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsultis de super contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem. Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit vt scriptura impleretur dicens. Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem, & milites quidem hæc fecerunt: erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.

Bis datum est vel hæc est præocupatio per M. R. & L.

C D E F

De irrisione Iesu in cruce & de verbis eius & signis post mortem. M. 27. R. 15. L. 23. & I. 19.

Cap. 148.

Vltra glosam prædictam videatur Aug. qui refert hoc dictum R. ad crucifixionem linguarum & ita ponitur hic per rememorationem.

PRætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes. Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua teipsum si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes ad alterum cum scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult, dixit enim, quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei & conuiciabantur R. L. stabat populus expectans, & deridebant illum principes cum eis dicentes: Alios saluos fecit, seipsum saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei, & milites accedentes & acetum offerentes illi & dicentes: Si tu ex rex Iudæorum, saluum te fac. Vnus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens. Si tu es Christus, saluum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Erat autem ferè hora sexta. Stabat I. autem iuxta crucem Iesu Maria mater eius & soror matris eius Maria Cleophæ & Maria Magdalenæ. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulũ stantẽ quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in suam A. M. sexta R. L. autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam, & obscuratus est sol. Et M. circa R. horam nonam exclamauit Iesus voce magna dicens: Heli heli lamazabatani, hoc est Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Heliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini & dabat ei bibere. Cæteri, verò dicebant: Sine, videamus an veniat Helias liberans eum. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura dixit, sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam aceto plenam hysopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est. Et L. clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens expirauit R. L. & inclinato I. capite tradidit & emisit M. spiritum. Et M. ecce R. velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum. Et M. terra mota est, & petræ scissæ, & monumenta aperta sunt. Et multa corpora sanctorum qui dormierant, resurrexerunt. Et euntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerunt multis. Centurio M. R. L. autem & qui cum eo erant custodientes Iesum viso terræ motu & his quę fiebant, & quia sic clamans expirasset timuerunt valde dicentes, verè filius Dei erat iste. Et glorificauit L. Deum Centurio dicens: Verè hic homo iustus erat, & omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longe. Erant M. autem R. & ibi mulieres de longè aspicientes inter quas erat Maria Magdalenæ & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome & mater filiorum Zebedæi. Et cum essent in Galilea, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul ascenderant cum eo Hierosolymam.

Potuit sic fuisse in principio, scilicet vnus conuersus est. Vel est modus loquendi quo factum vnius refertur ad plures.

Dubium est an modo vel die resurrectionis resurrexerint & si rursus obierunt, vide doctorem.

De sepultura Domini. M. 27. R. 15. L. 23. I. 19.

Cap. 149.

IVdæi I. ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato. Erat enim magnus dies ille sabbati, rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verũ est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbũt in quem transfixerũt. Cum M. sero R. autem factum esset, quia R. erat parasceue quod est ante sabbatum venit M. quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, nobilis R. decurio, vir L. bonus & iustus. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Et M. discipulus I. erat Iesu, occultus L. autem propter metum Iudæorum, & audacter introiuit ad Pilatum & petiit corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset, & accersito Centurione interrogauit eum si iam mortuus esset, & cum cognouisset à Centurione, donauit & iussit M. reddi corpus Iesu. Ioseph autem mercatus syndonem & deponens eũ, inuoluit syndone munda M. Venit I. autem & Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ & aloes libras quasi centum. Acceperunt ergo corpus Iesu & ligauerunt linteis illud cum aromatibus sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum. Et M. posuit eum Ioseph in monumento suo nouo quod excidit in petra, in L. I. quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo R. propter parasceuem Iudæorum quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum. Et aduoluit M. Ioseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt Maria R. autem Magdalene & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur, sedentes M. contra sepulchrum. Et L. dies erat parasceues & sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres quæ cum ipso venerunt de Galilæa viderunt monumentum, & quemadmodum erat positum corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Altera M.

autem

autem die quæ est post parasceuem conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad pilatum dicentes. Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium. Ne forte veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis, illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

De resurrectione Domini per totum. Et continet multas rubricellas pro multitudine gestorum. M. 28. R. 16. L. 24. & I. 20. & 21. Cap. 150.

VEspere M. autem sabbathi quæ lucessit in prima sabbati: venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus autem domini descendit de cœlo. Et accedens reuoluit lapidem & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes: & facti sunt velut mortui. R. Cum transisset sabbatum Maria Magdalena & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Respondens M. autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est quæritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit. Et introeuntes R. in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic: Ecce locus vbi posuerunt eum, sed ite dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Et L. factum est, dum mente essent consternatæ de isto ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum [a] autem timerent & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis. Non est hic, surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis cum adhuc in Galilæa esset dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, & tertia die resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. At R. illæ exeuntes fugerunt de monumento. Inuaserat eas enim tremor & pauor & nemini quicquam dixerunt, timebant enim. Vna [b] I. xx. autem sabbati Maria Magdalenæ venit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum. Et vidit reuolutum lapidem à monumento. Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum & ad alium discipulum quem diligebat Iesum, & dixit eis: Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Exiuit ergo Petrus & ille alius discipulus quem diligebat Iesus & venerunt ad monumentum. Currebant ergo duo simul & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset vidit linteamina posita, non tamen

Prima rubricella.

a Angeli erant vel illi de quibus prius vel alibi & habenda est cognitio de modo sepulchri & figura eius, vide in postillis.

b Secunda rubricella.

c Videtur quod Maria Magdalena esset vna ex istis quæ tamen dixit Petro Christum sublatum. Sed intelligendū est quod nemini ibi existenti

Gerson. Prima pars.

introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum
A & introiuit in monumentum & vidit linteamina posita & sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venit primus ad monumentum & vidit & credidit. Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit
B se & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem & nō sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras, quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei: Domine si tu sustulisti illum dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam? Dicit ei Iesus: Maria.
C Conuersa illa dicit ei: Rabboni quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Et M. mulieres exiuerunt citò de monumēto cum timore & gaudio magno currentes nunciare discipulis suis. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius & adorauerunt eum. Tunc ait illis
D Iesus: Nolite timere. Ite nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abijssent ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, discipuli eius nocte venerunt & furati sunt eum nobis dormientibus, & si hoc auditum fuerit à præside nos suademus ei & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et
E diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem. Surgens R. autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Et R. illa videns nunciauit his qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus. Venit I. enim Maria Magdalenæ annuncians discipulis, quia vidi Dominum, hæc dixit mihi. Et illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Erant L. autem Maria Magdalena & Ioanna, & Maria Iacobi, &
F cæteræ quæ cum eis erant quæ dicebant ad Apostolos hæc. Quæ regressa à monumento nunciauerunt hæc omnia illis xj. & cæteris omnibus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abijt secum mirans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum lx. ab Hierusalem nomine Emaus, & ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur in via & secum quærerent, & ipse Iesus

quicquam dixerunt sicut custodibus Principium erat diluculi in quo sunt simul tenebræ & lux solis.

Tertia rubricella.

Forte ideo cōuersa est quantum angeli assurrexerunt præsentiæ Christi.

Prima apparitio.

Quarta rubricella.

Secunda apparitio.

Potest intelligi quod illæ mulieres satis propè erant ad Mariā Magdalenam quādo vidit Iesum: & quod redeundo iūxit se cum eis, & iterū vidit Christum in via.

Quinta rubricella. Fortè Petrus solus iuit ad monumentum

sine Ioanne: in ingressu vidit Christū & ista fuit tertia apparitio, de qua infra dicetur, quia apparuit Simoni.

appropinquans ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: A qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes: Et respondens vnus, cui nomen Cleophas dixit: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & nō cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerūt. De Iesu Nazareno qui fuit vir propheta potēs in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis & crucifixerunt eum. Nos autē sperabamus quod ipse esset redēpturus Israël. Et nunc super hæc omnia B tertia dies est quo hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius venerunt dicētes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicūt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerūt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ: Nōne sic oportuit pati Christum, C & ita intrare in gloriam suam? Et incipiēs à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse, se finxit lōgius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies & intrauit cum illis. Et factum est, cū recumberet cum illis accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sūt oculi eorum & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis D eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via: & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem. Et inuenerunt congregatos. xj. & eos qui cum ipsis erant, dicentes, quia surrexit Dominus verè & apparuit Symoni, & ipsi narrabant quæ gesta erant in via & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Nec R. illis crediderunt. Dum L. hæc loquerentur Iesus stetit in medio eorū, & dicit eis. Pax vobis ego sum, nolite timere. Conturbati verò & E conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra. Videte manus meas & pedes meos quia ego ipse sum: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt F verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est implere omnia quæ scripta sūt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas: & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem estis testes horum, & ego mittam promissum patris meis in vos. Cū I. xxi. serò ergo esset die illa

Tertia apparitio.

Patet hic quod apparuerat Simoni.

Sexta rubricella. Intelligendum est nō de omnibus sed de aliquibus inter quos Thomas fuit, qui egressus propterea non vidit illo die Christū cum aliis in quinta apparitione.

Septima rubricella.

vna sabbatorū, & fores essent clausæ vbi erāt discipuli cōgregati propter metū Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cū hoc dixisset, ostēdit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterū Iesus: Pax vobis. Sicut misit me pater & ego mitto vos. Hoc cū dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum-sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt. Thomas autē vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus nō erat cum eis quando venit Iesus. Dixerūt ergo ei alij discipuli: vidimus dominū. Ille autē dixit. Nisi videro in manibus eius fixurā clauorū: & mittam digitum meum in locum clauorum: & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas & affer manū tuam, & mitte in latus meum & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus Christus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis, manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didimus, & Nathanael qui erat in Chana Galilæ & filij Zebedæi & alij ex discipulis eius duo. Dicit ei Simon Petrus: Vado piscari: dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, non. Dixit eis: Mitte in dextram nauigij rete & inuenietis. Miserunt ergo rete, & iam non valebant trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro: Dominus est: Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se. Erat enim nudus & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerūt, non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete pisciū. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas & piscem superpositum & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus & traxit rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, nō est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum. Tu quis es, scientes, quia Dominus est. Et venit Iesus & accepit panem & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis. Cum ergo prandidissent dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his: Dicit ei: Etiam Domine tu scis? quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait ille: Etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contristatus

Octaua rubricella.

Nona rubricella.

Interrogatur Petrus & Papa cõstituitur, & sua mors ei prædicitur.

ſtatus eſt Petrus, quia dixit tertiò, amas me? Et dicit: Domine tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce oues meas. Amen amen dico tibi, cum eſſes iunior cingebas te & ambulabas vbi volebas. Cum autem ſenueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet quò tu nõ vis. Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et cum hoc dixiſſet, dixit ei: Sequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem: qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius & dixit: Domine quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Exiuit [a] ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit Ieſus, quia non moritur, ſed ſic eum volo manere, quid ad te? Hic eſt diſcipulus [b] ille qui teſtimoniũ perhibet de his & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. Vndecim M. autẽ diſcipuli abierunt in Galilæam in montem vbi conſtituerat illis Ieſus. Et videntes adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Ieſus locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Docete eos ſeruare omnia quæcunque mãdaui vobis. Et ecce ego vobſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſęculi. Nouiſſimè. R. autem [c] recumbentibus. xj. apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem illorũ & duritiam cordis: quia his qui viderant eũ reſurrexiſſe non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquẽtur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eos nocebit: Super egros manus imponent & bene habebunt. Eduxit [d] L. autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus ſuis: benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in cœlum. Et R. Dominus quidem Ieſus poſt quam locutus eſt eis aſſumptus eſt [e] in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Et L. ipſi adorantes regreſſi ſunt Hieruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in templo laudãtes & benedicentes Deum. Illi. R. autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sunt I. autem & alia multa quæ fecit Ieſus quæ ſi ſcribantur per ſingula: nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.

a Decima rubricella.

b Probabile eſt multos alios ibi fuiſſe ab xi. ſicut Apoſtolos loquitur quod apparuit pluſquam quingentis fratribus ſimul in quibus aliqui potuerunt dubitare vel non crediſſe illis qui videbãt.

c Vndecima rubricella.

d Duodecima rubricella.

e Videtur apud Lucã hæc apparitio fuiſſe facta in die Paſchæ vbi vigilanter intendatur aliorum ſimul euangeliſtarum narratio ſupplementum eorum quæ Lucas omiſit, non ex ignorãtia, ſicut patet. Actuum j. vbi narrat ſe prębuiſſe viuum in multis argumentis per dies quadraginta.

Finis vnum ex quatuor magiſtri Ioannis Gerſonis.

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENſis de poteſtate Eccleſiaſtica & de origine iuris & legum, editus Conſtantię tempore Concilij generalis.

PROOEMIVM QVOD EXPEDIT inquirere de Eccleſiaſtica poteſtate.

A *In prima conſideratione deſcribitur poteſtas eccleſiaſtica per cauſam quadruplicem.*

In ſecunda diſtinguitur poteſtas eccleſiaſtica multis modis, & oſtenditur quod poteſtas ordinis eſt æqualis in omnibus ſacerdotibus, quo ad conſecrationem corporis Chriſti.

In tertia oſtenditur quod poteſtas ordinis non B *eſt ſimpliciter æqualis in omnibus ſacerdotibus & epiſcopis.*

In quarta oſtenditur quid ſit poteſtas iuriſdictionis in foro exteriori.

In quinta oſtenditur quid ſit poteſtas iuriſdictionis in foro interiori, & de duplici ſubiectione.

In ſexta ponitur quadruplex diſtinctio vtilis & neceſſaria pro intellectu ſequentium.

C *In ſeptima quid dicendum ſit de eccleſiaſtica poteſtate: dum conſideratur formaliter & abſolutè.*

In octaua quid dicendum ſit de eccleſiaſtica poteſtate, prout conſideratur reſpectiuè & quodammodo materialiter ſeu ſubiectiuè.

In nona quid dicendum ſit de eccleſiaſtica poteſtate, dum conſideratur quo ad vſum vel exercitium: & illic fundatur ſuprema plenitudo ec- D *cleſiaſticæ poteſtatis.*

In decima oſtenditur quod in papa eſt plenitudo eccleſiaſticæ poteſtatis & deſcribitur.

In vndecima oſtenditur qualiter plenitudo eccleſiaſticæ poteſtatis ſit in eccleſia vel generali concilio.

In duodecima oſtenditur de plenitudine poteſtatis papalis per reſpectum ad bona eccleſiaſticorum atque laicorum.

E *In tertiadecima fundatur omnis poteſtas à prima iuſtitia varijs & multis membris.*



POTESTAS eccleſiaſtica debet ab Eccleſiaſticis quid & qualis & quanta ſit agnoſci. Habet hoc itaque fieri, vt & honoretur cognita, cum Deus dederit talem poteſtatem hominibus, & vt in ſuis terminis honorata ſeruetur, ne plus debito falſæ eam opiniones vel deprimant vel exaltent. Quoniam F primum eſt ſacrilegæ impietatis. Alterum de adulatione peſtifera ſuſpectũ eſt. Conſtat igitur quod de poteſtate eccleſiaſtica diſputare vel inquirere nedum licet, ſed decet & expedit tantummodo ſit intẽtionis oculus ſimplex & rectus. Quid ni ſic liceat cum de ipſius omnipotentis Dei poteſtate crebrò fiat abſque omni temeritate conquiſitio. Hæc me cõſideratio mouit vt de poteſtate eccleſiaſtica ſub pauculis cõſiderationibus diſſererem, quatenus materia quæ quodãmodo videtur infinita, ſicut tractari ſolet ab aliquibus per autoritates & allegationes reſolueretur ad paucos certos & claros terminos, per deſcriptiones & diuiſio-

nes resolutiuè procedendo allegationum confusione dimissa, quales apud doctores inuenire non est difficile. Cæterum non vsurpo nunc in hoc opusculo vel alijs me dicturum aliquid quod alibi non inueniatur, sciens illud comici: Nullum est iam dictum quod non dictum sit prius. Satis est si ex bene inuentis & doctrinis aliorum ego meis verbis meo ordine fauum aliquem veritatis instar apum propria quadam arte compingam. Fiet autem initium quid nominis terminorum, quoniam hoc ignorato paralogizantur faciliter inquisitores veritatis. Erit verò finis de origine iuris & legum.

Consideratio prima.

POtestas ecclesiastica est potestas quæ à Christo supernaturaliter & specialiter collata est suis Apostolis & discipulis, ac eorum successoribus legitimis vsque in finem sæculi ad ædificationem Ecclesiæ militantis secundum leges Euangelicas pro consecutione fœlicitatis æternæ. Hæc descriptio data est per causam quadruplicem secundum quam distinguitur potestas Ecclesiastica ab alia qualibet potestate. Potestas ibi ponitur pro genere. Est autem potestas facultas propinqua ad exeundum in actum. Propinqua inquam, quia secundum facultatem remotam & obedientialem non est impossibile apud Deum omne verbum. Porrò notatur causa efficiens principalis cum dicitur, à Christo supernaturaliter collata. Causa verò materialis vel subiectiua signatur cum subditur, suis Apostolis & cetera. Causa formalis insinuatur cum dicitur, secundum leges Euangelicas, dant enim formam vtendi. Denique causa finalis concluditur: Ad ædificationem Ecclesiæ militantis pro consecutione fœlicitatis æternæ. Additum est hoc aduerbium specialiter, ad exclusionem donorum supernaturalium, quæ omni viatori possunt esse communia, sicut sunt fides, spes, charitas, prophetia, timor, pietas, & similia. Vnde & Ecclesiæ contractæ sumitur dum loquimur hic de Ecclesiastica potestate pro illis videlicet qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad diuinum seruitium, à clericatura quæ infimum tenet gradum, vsque ad supremum quo Papa decoratur. Fallor si non sit hæc descriptio propria competens omni & soli Ecclesiasticæ potestati, quoniam omnis alia potestas vel est naturaliter indita quo, ad causam efficientem, vel est secundum leges naturales aut humanas regulata quoad causam formalem, vel est ad finem naturalē immediatè & principaliter ordinata. Vel denique quo ad causam subiectiuam radicatur in habentibus eam secundum dona naturalia, etiam vbi supernaturalia non adessent, qualia sunt fides, spes & charitas. Vnde potestas secularis conuenit alijs quam Christianis baptizatis. Potestas autem Ecclesiastica de necessitate fundatur in dono supernaturali, sicut est character baptismalis de communi lege, qui character in viatoribus eos de Ecclesia militante reddit, facit insuper idoneos & capaces Ecclesiasticæ potestatis. Fatemur itaque quod charitas seu gratia gratum faciens valde decens est in suscepturis, vel iam habentibus ecclesiasticam potestatem: non tamen exigitur pro dando titulum quasi sine ea nequeat in aliquo fundari vel subsistere potestas huiusmodi. Hic enim fuit error vetus Vualdensium & pauperum de Lugduno qui per Vvicleff & sequaces suos renouari quæsitus est, sed iustè damnatus. Cur ita? Ne hierarchicus ordo potestatis Ecclesiasticæ maneat instabilis, vagus & incertus, cum nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Et minus hoc de gratia prædestinationis constet quam ponunt radicem necessariam pro titulo vel iure cuiuslibet potestatis. Hac igitur descriptione præsupposita pro intelligentia quid sit Ecclesiastica potestas in genere, descēdemus ad species. Pro quarum notitia multiplex animaduertenda est distinctio, vt differentiæ quæ additæ generi constituunt speciem innotescant.

Consideratio secunda.

POtestas Ecclesiastica secernitur prima sui diuisione in potestatem ordinis & potestatem iurisdictionis. Rursus potestas ordinis duplicem habet respectū. Vnus est super corpus Christi mysticum verum quo ad consecrationem eius. Alter est super corpus Christi mysticum seu membra eius. Et hoc dupliciter, vel quoad ministrationem corporis Christi veri, vel quo ad ministrationem vel exhibitionem alterius sacramenti, sicut est ordo vel confirmatio, vel pœnitentialis absolutio. Potestas iurisdictionis duplex est, vna in foro exteriori, altera in foro conscientiæ interiori. Rursus potestas iurisdictionis in foro exteriori dupliciter consideratur. Vno modo prout immediatè à Christo tradita est secundum legem Euangelicam. Alio modo prout superaddita est ex humana constitutione vel dono per principes sęculares aut aliter. Subinde potestas iurisdictionis in foro interiori consurgit ex duplici radice. Vno modo ex parte hominis vltro se subijcientis tali potestati, sicut cum sponte confitens subijcit se præsbytero, & ordinandus Episcopo. Alius subiectionis modus consurgit ex autoritate superioris, hunc vel illum tali vel tali subijcientis, quod fieri potest non ad arbitrium illius qui subijcitur, & sic inter duplicem hanc subiectionem differentia magna patet. Et quoniam ad pauca aspicientes de facili enunciant, & enunciantes seipsos vel dicta sua non resoluunt, sed confundunt, eorum doctrina redditur vel erronea, vel inintelligibilis vel difficilis & perplexa. Doctrina verò sapientium facilis teste sapientiæ quia resolutè & ordinatè per distinctiones tradent omnia separantes preciosum à vtili, & præcauentes ne lucem veritatis tenebrosa nubes erroris inuoluat, sed fit ignis sine fumo. Declarationem multiplicis huius distinctionis melius aliter dare non possumus quam si sua cuilibet membro donetur descriptio vel specialis notificatio. Dicamus igitur quod potestas ordinis primo modo considerata, est potestas Ecclesiastica respiciens principaliter & essentialiter consecrationem corporis Christi veri, qua scilicet potest habens eam consecrare corpus & sanguinem Christi virtute verborum sacramentalium. Ponitur hic potestas Ecclesiastica pro genere, quæ potestas quid & qualis sit immediatè prædiximus, cuius descriptionem

nem hic & in omnibus consequenter dicendis absque alia repetitione supponimus, dum vtemur hoc termino pro genere, potestas Ecclesiastica. Additur hæc clausula, respiciens principaliter, &c. tanquam pro differentia specifica, distinguēte eam à qualibet alia Ecclesiastica potestate. Hæc potestas, de lege communi inabdicabilis est, inauferibilis, & illimitabilis in sua essentia, quoniam quisquis est sacerdos ritè cōsecratus, si tentet cum intentione & cum forma & materia debitis consecrare, consecrat vtique, etiam si excommunicatus, si hæreticus, si quomodocumque degradatus extiterit: peccaret nihilomin⁹ in hoc casu, nec ad vtilitatem suam sed damnationem hoc ageret. Iuxta quod vtiliter distingui solet, quod aliqua sūt de necessitate executionis huiusmodi potestatis dupliciter. Vna est necessitas solius præcepti, cuius transgressio graue peccatum est, sicut quod excōmunicatus non cōsecret. Veruntamen, hæc transgressio non impedit cōsecrationis effectum principalem, qui est trāssubstantiatio. Altera est necessitas consecrationis vel sacramenti, consistens in hoc, quod minister sit ritè ordinatus, habens intētionem consecrandi cum forma & materia debitis: quod si alterum defuerit, nihil efficitur & peccatur. Hanc potestatem tradunt doctores cōcorditer, parem esse in omnibus qui cōsecrati sunt sacerdotes, quæ potestas collata fuisse creditur in cœna dum dixit Christus Apostolis, *hoc facite in meam commemorationem*, vbi doctores communiter sentiunt, quod Iudas illic fuit sacerdos constitutus, sicut priùs electus in Apostolatum, potestatem prædicandi & faciendi miracula susceperat. Et hinc sumitur argumentum, quod potestas Ecclesiastica, non necessariò fundatur in fide, vel gratia, sed in charactere baptismali, quem de lege communi necessario præsupponit.

Consideratio tertia.

POtestas Ecclesiastica ordinis alio modo considerata, prout respicit, ministrationē corporis Christi fidelibus, & ministrationem sacramentorum ordinis & confirmationis: cōsecrationem insuper Virginum, Abbatum, & Ecclesiarum, & institutionem ministrorū Ecclesiæ, non est æqualiter in quolibet sacerdote. Cuius ratio est, quoniā simplex sacerdos, iuxta cōmunem doctorum sententiam, non potest ordines cōferre, neque sacramentum confirmationis dare, neque consecrare virgines, &c. Etiā de facto sic, quod si tale aliquid tentet agere, nihil tamen efficit, quia neque confirmat neque ordinat. Episcopus autem, si volentem confirmari, si volentem præterea ad ordines promoueri, qui sit eorum susceptibilis (quod dicitur propter sexum muliebrem) tentauerit vel confirmare, vel ordinare, ordinat vtique vel cōfirmat de facto, licet excommunicatus, licet irregularis, licet degradatus extiterit. Et in hoc par est in omnibus Episcopis, ab infimo vsq; ad supremū, qui Papa dicitur, potestas ordinis. Nō autem in sacerdotibus minoribus, est hæc potestas vt dictū est, saltem in tali plenitudine seu perfectione, quod hoc possit. Licet cōcedatur cū maiori parte doctorum, quod supra sacerdotiū simplex, nulla est altera potestas ordinis, neq; in episcopis, neque in Papa: sed ali-

A ter est in episcopis & Papa, aliter in simplicibus presbyteris; sicut exemplificant, quod eadem est humanitas in homine dū est puer, & eadem dum factus est vir; vir nihilominus generare potest sibi simile, puer nequaquam. Cum igitur fuerit inter Apostolos & discipulos talis distinctio, sicut inter Episcopos & simplices curatos sacerdotes, sicut notat Isidorus & Magister in 4. distin. 24. cap. 7. allegans eum, perspicua est veritas huius considerationis. Si verò loquremur de potestate iuris, iuxta quod dici solet. *Illud possumus quod de iure possumus*, certior adhuc est ista consideratio, quia nul-

B lus sacerdos ritè ministrat aliquod sacramentum, secluso necessitatis casu, nisi iurisdictionem habeat super illum cui ministrat. Sed super hac re dabitur consideratio sequens. Satis sit interim aperuisse qualiter sit vel non sit æqualis potestas ordinis in omnibus presbyteris: quia quo ad consecrationem corporis Christi veri, eandem habent sacerdotes omnes potestatem. Quantum verò ad sacramentorum ministrationem, dispar est in episcopis & simplicibus presbyteris potestas seu fa-

C cultas, tam de iure quàm de facto. Similiter in ministrorum ecclesiasticorum institutione; quæ est potestas competens primis hierarchis, de primo ordine & secundo, nō autem inferioribus: quemadmodum sunt curati, qui licet purgare, illuminare, & perficere possint plebem suam, prout inferior angelorum hierarchia purgat, illuminat, & perficit sub cœlestem, vel humanam hierarchiam: nihilominus, hæc potestas curatorum non extenditur ad hierarcharum specialem institutionem,

D de instituto communi. Addamus, quod & si primus hierarcha summus pontifex, vel alij consequenter suo modo, possint pro rationabili causa vel necessitate, dare suis inferioribus adiutores ad exercendum hierarchicos actus, qui sunt purgare, illuminare & perficere plebes sibi subditas (sicut inuenitur de pœnitentiarijs & priuilegiatis) hoc tamen sine manifesta ratione vel necessitate facere non debet, vel cum eorundem deiectione: irreuerentia, & vilipensione apud illos, quibus honori debent esse, & à quibus debitam sustentatio-

E nem recipere, pro suo statu & ministerio, possunt: quis enim tutorem dederit adulto, prudenti, prouidenti & potenti se nolente? Nec tandem claudicare debet obligatio mutua Episcoporum, vel curatorum ad plebes suas: claudicat autem, dum plebes eximuntur, & liberantur (si ista libertas non iniquitas est) dum eligere sibi possunt hierarchizantes eos in foro conscientiæ, vel in prædicatione, aut sacramentorum aliorum ministratione. Prælati verò maiores vel minores, remanent hac obligatione constricti, vt non liceat eis, plebibus

F suis negare, quicquid in prædictis quæsiuerint, tanquam nedum Deo, sed eis rationem reddituri sint, etiam si pestilentiali, si epidemiali, si quauis alia abominabili contagione morbi laborauerint. Præterea, si tales vice pastorum dati, luporum accipiant officium, si seducant subditos, lacerent & deuorent, nulla relinquitur eis obuiandi vel promouendi potestas. Nisi fortè dicatur, quod hi, superiores habent pro iudicibus, sed aperta est responsio prælatorum de quibusdam, *inimici nostri sunt iudices*. Attendat lector circa considerationem istam de episcopatu, si sit ordo vel sacerdo-

tium, quod apud Theologos & iuristas, est concordia in re bene concipiendo, sed explicatio diuersa est. Quia iuristæ vocant Episcopatum esse ordinem, quoniam potest vltra sacerdotiū: Theologi verò concedunt secundū, scilicet, quod Episcopatus est potestas hierarchica supra sacerdotiū, sed quia nihil addit potestatis supra corpus Christi verum, propterea non dicunt quod sit nouus ordo, sed bene noua potestas, & hoc redit in idē. Rursus attendat, quod de cōfirmatione dicit Sāctus Thomas, eam cōmitti posse à Papa simplici sacerdoti, propter beati Gregorij quoddam dictū; pluribus tamen hoc non placet, & dicunt illos, de quibus loquitur Gregorius, non fuisse confirmatos, tolerati autem sunt sic manere, quia cōfirmatio non est necessitatis sacramentum. Denique, datur ratio per doctores, cum mulier non sit susceptibilis cuiuscunque ordinis, quoniam subiectionis sexus est, non hierarchicæ dominationis.

Consideratio quarta.

POTESTAS Ecclesiastica iurisdictionis in foro exteriori, est potestas Ecclesiastica coërcitiuà, quæ valet exerceri in alterum, etiam inuitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternę, velut in finem proximum, & principaliter intentū. Addita est, fatemur, hæc vltima clausula descriptionis, ad expressionem magis quàm necessitatem, quoniam hæc includitur hoc nomine, posito pro genere, potestas Ecclesiastica, sicut in descriptione sua notatum est. Attendatur autē, quod iurisdictio dicitur nomine generali, quasi iuris ditio, id est potestas dicendi ius, vel est iurisdictio quasi iuris dictatio, id est promulgatio, vel notificatio, seu pronunciatio. Propriè verò dicitur iurisdictio, facultas seu potestas propinqua dicendi, vel sentiendi ius in alterum, etiam inuitum. Et hæc duplex est, temporalis & spiritualis: Temporalis exercetur secūdum leges ciuiles, ad finem quietæ conuersationis humanæ, pro hac vita: Spiritualis autem, exercetur secundum leges canonicas, ad finem principalē æternæ beatitudinis consequendæ. Cæterùm potestas hæc iurisdictionis Ecclesiasticæ, adeò vicina est iurisdictioni seculari & politicæ, quod laicis, immo & mulieribus, plerumque & in multis casibus communicari possit executio vel committi. Hanc potestatem contulit. Christus Matth. 18. dum dixit Petro vice omnium: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c.* Sequitur, *quod si te non audierit*, DIC ECCLESIÆ, *quod si Ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quo in loco, fundatur iuridica potestas excommunicandi, vel interdicendi ab Ecclesiasticis sacramentis, & communione fidelium, rebelles & inobedientes Ecclesiæ; sicut vsus est Apostolus, & idem hortatus est ad Titum 3. scribens, hęreticum hominem, post primam & secundam correptionem deuita. Et simile dixit 1. Corinth. 5. Si quis frater nominatur inter vos, & cætera, sequitur, cum huiusmodi nec cibum sumere. Fundatur rursus absque omni calumnia ponibili in hoc textu plenitudo potestatis gladij spiritualis, & executio eius in Ecclesia, super quemlibet Christianum, qui est frater noster, etiam si Papa fuerit. Nec accipiendum est hic, DIC ECCLESIÆ, id est Papæ, quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi. Item, quia subiunctum est pluraliter: *quæcumque ligaueritis super terram &c.* Denique si non haberet Ecclesia talem potestatem & executionem, frustra dixisset Christus? DIC ECCLESIÆ, quia potuisset impunè non audiri, contra illud quod sequitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi &c.* Fundatur etiam in hoc textu, nedum potestas exercendi, sed potestas diffiniendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi præcepta, leges, & canones. Procedendi denique contra non obedientes, vsque ad sententiam excommunicationis inclusiuè; immò secundum canones nunc institutos, vsque ad inuocationem brachij secularis, quia dicitur in textu, *quod si Ecclesiam non audierit &c.* Audire igitur debet Ecclesiam quilibet frater noster, qui dicit ad Deum: *Pater noster*, sicut explicat alibi Christus: Qui vos audit, me audit. Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc sacro Const. Concilio, præsertim 6. Aprilis, anni M. CD. XV. in sessione publica. Cuius inter cætera sunt hæc decreta duo prima.

Et primò declarat, quod ipsa in Spiritusancto legitimè congregata generale Cōcilium faciens, & Ecclesiam Catholicā militantem repræsentās, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cuiuscūque status vel dignitatis, etiā si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinēt ad fidem, & extirpationem dicti scismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in mēbris.

Item declarat, quod quicumque, cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis huius sanctæ synodi, & cuiuscunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignè pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris, subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Concluditur autem ex præmissis, quod si potestas prædicta sit Ecclesiæ data, concilium generale repræsentans Ecclesiam, habet illam; imo, videtur quod Ecclesia, vt sparsim considerata, non habet illam potestatem, nisi in quodam materiali seu potentiali, sed congregatio sua & vnitio, quæ fit in Concilio generali, dat ei formam, sicut in alijs communitatibus exemplum dari potest. Et fundatur prædicta potestas Ecclesiastica iurisdictionis, in vnitate, vel vnione tali, quemadmodum notasse videtur eleuatus Augustinus, quod *claues Ecclesiæ datæ sunt vnitati.* Veruntamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro, tanquam Monarchæ, legitimisque successoribus suis, principaliùs tamen Ecclesiæ. Primò, ratione indeuiabilitatis, *quia portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, non deficiet fides eius*, non sic de Papa: Secundò, ratione regulabilitatis, quoniam habet regulare vsum potestatis papalis, non sic è conuerso: Tertiò, ratione multiplicitatis, quoniam Ecclesia continet potestatem quamlibet Ecclesiasticam, etiam papalem, non sic Papa, præsertim in extensione: Quartò, ratione obligabilitatis, quia Ecclesia potest condere leges obligantes, & regulātes etiam ipsum Papam, tam

quo

quo ad personã, quam respectu vsus potestatis. Non sic è contra potest Papa iudicare totam Ecclesiam, vel vsum suæ potestatis limitare, immo si Papa condat leges & canones, videtur obseruandum illud quod sententialiter dicit Augustinus: Leges instituuntur cum promulgantur. Firmantur autem cum moribus vtentium approbantur. Hoc enim dicitur ad reprimendum præsumptionem quorundam summorum pontificum vel eis adulantium, qui videntur voluisse debere seruari pro regula immutabili de Papa respectu cuiuslibet Prouinciæ vel totius ecclesiæ. Quod placuit principi legis habet vigorem, qua si nullum superesset examen supremum. Addita est verò pro inobedientium coërtione pœnalis excommunicatio. Et sunt qui dicunt pænam hanc esse vltimam, quam infligere possit Ecclesiastica potestas iurisdictionis ex institutione Christi sola primaria, sic quod non extenditur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti vel flagello corporali, sed facit hoc Ecclesiasticus dum facit ex cõcessione principum, quemadmodum multam ob eorum deuotionem iurisdictionis temporalis autoritatem clerus accepit, quæ nihilominus iurisdictio vel censura dicitur spiritualis, sicut & Ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationem & applicationem ad eos qui ministrant Ecclesiæ, sicut panes propositionis primitiæ & decimæ, vasa insuper templi, vestes & similia dicebantur in lege veteri sacra vel sancta, sic & noua lex hoc retinet. Ac proinde consurgit quod Ecclesiastica censura quam Christus contulit & promulgari voluit vbi prius Matthæi xviij. consequenter post dotationem Ecclesiæ in bonis temporalibus applicata est ad defensionem coercitiuam volentium vendicare sibi, vel impedire temporalitatem huiusmodi per excommunicationes videlicet & interdicta, quæ pœna vel censura videtur primitus instituta contra pertinaces scismaticos & hæreticos & alios incorrigibiles vitiosos. Cui legi tanquam diuinæ & naturali Papa subiicitur, sicut & frater est potens delinquere. Hæc autem applicatio gladij spiritualis ad defensionem temporalium si confusionem magnam in Ecclesia, siuilipensionem vel contemptum Euangelicæ huius censuræ suæ quæ est excommunicationis gladius extremæ formidabilis. Si deniq; laqueos animabus multorum magis quam salutem spiritualem induxerit vel inducat, experientiam testem voco. Itaque sicut temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, videri potest aliquibus quod ad eius defensionem, similiter addere suffecerat aduersus imperitores pœnam vel censuram temporalem, vt est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.

Consideratio quinta.

POTESTAS Ecclesiastica iurisdictionis in foro interiori quæ nõ est propriè coercitiua, sed magis spontanea quo ad subiicientes se eisdem est potestas Ecclesiastica super corpus Christi mysticum illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & sacramẽtorum ministrationem, & purgando per baptismi & pœnitentiæ sacramẽta. Aduertendum est itaque quod hæc potestas iurisdi-

A ctionis quæ radicaliter fundatur in potestate ordinis sacerdotalis & Episcopalis dum in sua generalitate consideratur, respicit multipliciter corpus Christi mysticum, quod est fidelium Ecclesia, quos fideles oportet secundum tres actus hierarchicos regere, qui sunt secundum Dionysium purgare, illuminare & perficere. Purgare per inflixionẽ pœnalem excommunicationis vel interdicti, si rebelles inueniantur, quod spectat ad iurisdictionem coërcitiuam, de qua prædictum est, quamuis hæc

B purgatio fiat per baptismum & sacramẽtalem absolutionem, non tamen coërcitiuè. Oportet insuper illuminari per prædicationem & doctrinam, oportet demum perficere per aliorum sacramentorum ministrationem. Porrò talis ministratio sacramentorum non habet pro materia debita res solum insensibiles, prout est in consecratione corporis Christi, vbi pro materia debita requiritur & sufficit panis triticeus & vinum. Nec refert quo ad consecrationis necessitatem si panis sit ipsius consecrantis vel alterius. Secus est in

C ministratione sacramẽtorum vbi requiritur quod persona cui fit ministratio, sit ministranti subdita, præterquam in baptismo quod est necessitatis sacramentorum non iterabile. Similiter in sacramento confirmationis & ordinis quibus indelebilis character imprimitur, inde sufficit de necessitate sacramenti nõ tamen præcepti, subiectio voluntaria suscipientis hæc sacramenta ab illo qui conferre potest illa, peccant tamen dans atq; suscipiens, si non adsit subiectio per superiorem ordinata. Secus autem est in pœnitentiæ sacramen-

D to, vbi de necessitate sacramenti & præcepti requiritur prædicta duplex subiectio, iuxta communiorem doctorum sententiam, sic quod alicui nõ datur absolutio etiam si dari tentetur, quia materia deficit quæ est peccator subditus. Subditus in quam nedum voluntaria subiectione, sed aliena superioris autoritate. Hoc ritè statuit primus legislator Christus, hoc Ecclesia sic elucidauit & tradidit, ne confunderetur Ecclesiasticum regimen, & ne hierarchicus ordo quem tradit Dio-

E nysius talem esse vt infima reducantur ad suprema per media, turbaretur. Videre est igitur quemadmodum potestas hæc Ecclesiastica iurisdictionem quandam exigit, cui conuenit quod libera sit & spontanea verè vel interpretatiuè circa personam in quam exercetur hæc iurisdictio, aut saltem quod non feratur in inuitum. Quis enim diceret quod aliquis inuitus vel baptizatur, vel confirmatur, vel absoluitur in foro conscientiæ vel ordinatur, & ita de reliquis? Hinc est quod Papa qui nul-

F li personæ particulari subest vt coërceri iuridicè possit in exteriori foro subest, tamen quo ad iurisdictionem hanc annexam ordini sacerdotali confessori suo & ordinato suo si antea sacerdos non fuerat, vnde & ab Hostiensi consecratur Episcopo qui minor est. Proficit autem supra modum talis distinctio duplicis iurisdictionis coërcitiuæ scilicet, & non coercitiuæ cuius ignorantia vel inaduertentia gignit confusionem apud aliquos infinitam. Nam cum vsus doctorum communis habeat dicere quod potestas ordinis æqualis est in omnibus sacerdotibus & prælatis, accipiunt cõsequenter occasionem erroris, quod

quilibet sacerdos possit quemlibet absoluere, possit prædicare non missus, possit Eucharistiam ministrare. Inuenimus autem quod hæc iurisdictionis potestas promissa est Apostolis ante passionem Christi. Matth. xviij. Amen dico vobis. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis &c. Et promissa fuit Petro. Matthæi. xvj. Tibi dabo claues regni cœlorum. Sed post resurrectionem suam collata est Apostolis, quando insufflans eos dixit. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis & cetera. Ioh. xxj. Et ibidem vltimò dictum est Petro. Pasce oues meas. Addita est seu potius confirmata potestas prædicandi cum potestate conferendi baptismum, vel potiùs iam datæ potestatis executio iussa est. Matthæi vlt. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus Sancti. Vnde licet in casu necessitatis quilibet viator baptizare possit, hoc tamen faciunt ex officio vel Ecclesiastica potestate soli sacerdotes. Huic autem potestati iurisdictionis quæ in latitudine sua considerata, nedum ad sacramentum pœnitentiæ, sed ad aliorum sacramentorum ministrationem, & ad prædicationem extenditur, annexa est potestas, ius seu facultas accipiendi vitæ necessaria. Matt. x. & Lucæ x. quod Apostolus confirmauit: j. Corinth. ix. Quia dignus est operarius mercede sua. Consequenter fundatur in hac potestate sumendi vitæ necessaria, rationabilitas dotationis Ecclesiasticæ loco decimarum & primitiarum legis antiquæ. Denique potestas faciendi miracula & si videatur annexa fuisse per Christum licentia prædicandi verbum Dei, quando misit discipulos ad prædicandum, & dixit eis: Infirmos curate, dæmonia eiicite &c. Nihilominus videtur hæc potestas donum gratis datum, conuenire potens cuilibet ex fidelibus, prout ad ædificationem ecclesiæ iudicabit expediens, spiritussanctus qui distribuit singulis prout vult.

Consideratio sexta.

POtestas ecclesiastica considerari potest & debet tripliciter. Vno modo formaliter in se & absolutè sine respectu. Alio modo materialiter seu respectiuè prout applicatur ad hanc vel illam personam iure legitimo, quod communiter fit per consecrationem & electionem, quia sicut dicit Apostolus: Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Potestas hæc dicitur institutio ministrorum tam actiuè quam passiuè. Consideratur tertio modo quo ad exercitium vel executionem, quia frustra est potententia secundum philosophum si non habeat actum. Proficit hæc consideratio quæ distinguit & resoluit modos loquendi varios, tam theologorum quam canonistarum de Ecclesiastica potestate, cuius resolutionis ignorantia vel inaduertentia falli plerumque facit & fallere, quoniam aliter loquendum est de Ecclesiastica potestate dum in se consideratur formaliter & absolutè, aliter dum consideratur materialiter seu respectiuè aliter dum consideratur quo ad exercitij vsum vel executiuè, sicut infra docebitur. Notemus præterea modos essendi in quos in Metaphysica posuit Arist. quorum inaduertentia facit oberrare quosdam dum inquiritur: In quo vel in quibus sit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis? Vnus modus essendi inest sicut pars integralis in suo toto. Alius sicut totum integrale in suis partibus. Tertius sicut species in genere. Quartus sicut genus in specie. Quintus sicut forma in materia, quæ forma triplex est essentialis, accidentalis & mathematicalis. Sextus sicut effectus in sua causa efficiente, dirigente vel regēte, vt regnum est in rege. Septimus sicut ordinata in finem sunt in suo fine, quemadmodum virtus in beatitudine. Octauus sicut locatum in loco. Ex qua protinus distinctione manifestum est quod secundum quadruplex genus causæ, quadruplex repetitur & adaptatur modus essendi in, licet addantur & alij. Subiungamus iterum distinctionem de vsu potestatis Ecclesiasticę. Est enim vsus aliquis licitus & ratus. Est vsus illicitus & ratus. Est vsus licitus & non ratus. Est vsus illicitus & irritus. Exemplum primi dum sacerdos consecrat vel absoluit cum circunstantiis omnibus ad hoc requisitis de necessitate vel sacramēti vel præcepti. Exemplum secundi, dum sacerdos consecrat in peccato mortali, vel cum transgressione præcepti. Exemplum tertij, dum sacerdos quantum in se est bona fide & intentione credit absoluere confitentem sibi vtens in hoc bene clauibus, qui confitens quia mentitur in confessione sua, vel obicem secretò ponit, nequaquam absoluitur. Exemplum quarti in casu priori si sacerdos scienter quærit vti clauibus erga aliquem, cuius fictionem agnouerit, & qui nequaquam sibi subiectus est. Colligitur consequenter alia distinctio valens ad intelligentiam præmissorum & sequentium dum quæritur, an potestas Ecclesiastica sit æqualis in omnibus. Quia quæritur de potestate vel facti vel iuris. Facti sic, quod dum attentatur fieri sit siue bene siue malè. Iuris verò dum bene fit iuxta allegatum. Id possumus quod de iure possumus. Redit autem hæc distinctio ad alteram prætactam de necessitate duplici in consecratione corporis Christi, quoniam altera est sacramenti, altera est præcepti. Et hæc similiter distinctio potest extendi ad Ecclesiasticam potestatem super corpus Christi mysticum, quoad administrationem sacramentorum quæ characterem imprimunt, sicut sunt baptismus, confirmatio & ordo, quoniam sicut in potestate ordinis super corpus Christi verum, sufficit aliquid de necessitate sacramenti, quod non sufficit de necessitate præcepti, qui peccat qui contra vel præter ordinationem Ecclesiæ consecrat. Sic inuenimus in potestate Ecclesiastica super corpus Christi mysticum præsertim quoad ministrationē trium sacramentorum quæ dicta sunt. His distinctionibus & aliis quę prædicta sunt attentis, posset statim inuestigari quid & in quo sit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis. Nihilominus antea iuxta priorem distinctionem trimembrem tres assignabimus considerationes, septimam, octauam & nonam.

Consideratio septima.

POTESTAS Ecclesiastica si consideretur in se formaliter & absolutè ipsa in se est inuariabilis, & eadem à principio nascentis Ecclesiæ

ecclesiæ vsque in finem perseuerat. Ecclesia siquidem dum sic consideratur in suis partibus es- A sentialibus & permanentibus quæ sunt papatus, cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, sacerdotium, habet integrari ex his omnibus, sic quod ablata penitus vna tali potestate, iam non maneret ecclesia prout à Christo seminaliter, & velut in quodam germine suo perfectè fuit instituta, vt si papatus per imaginationē præscindatur à reliquis potestatibus inferioribus, id quod superest non dicitur ecclesia. Propterea quæreretur si papalis auctoritas sit maior quā ecclesia, vel è conuerso redit in idem ac si peteretur, B nomine totum est maius sua parte vel pars minor suo toto. Proinde sequitur quod si generale concilium repræsentet vniuersalem ecclesiam sufficienter & integre, necesse est vt includat auctoritatem papalem, siue papa sit, siue desierit esse per mortem naturalem aut ciuilem. Sic dicimus de potestate Romanæ ecclesiæ vel sacri collegij. Sic de potestate episcopali, sic de sacerdotio quod est potestas curatorum qui sunt in ecclesia prælati minores. Si verò vellet aliquis curiosus inquire- C re, qualiter habet fieri talis abstractio potestatis ecclesiasticæ. Et sit sit aliquod vniuersale reale, specificum, & quidditatiuum præter omnem operationem intellectus, sicut inquiritur de animalitate & humanitate, remittimus ad metaphysicā. Concedimus itaque quod abstrahentium non est mandacium secundum Aristo. licet negauerimus hæc vniuersalia realia, sicut nec mathematici mētiuntur, siue puncta sint realiter siue non. Vnde dicimus quantum nobis hic satis est quod vniuer- D salitas est in operatione & abstractione quam facit intellectus ex rerum singularium exteriori cognitione videndo qualiter ipsæ res adinuicem cōueniunt, vel differunt essentialiter vel accidentaliter, vt quod quilibet homo conuenit essentialiter in hoc cum altero, quod est animal rationale, quod intellectus attendens abstrahit innata sibi virtute similitudinem hanc, quæ non est extra nisi singulariter in singulis hominibus, & denudat eam à loco, à tempore & ab omni generalium accidentium confusione, & ita remanet vniuersalis E & absolutus conceptus hominis in anima, qui nihilominus originatur ex rebus ad extra singularibus. Sic de ecclesiastica potestate sentire possumus dum in se formaliter & absolutè consideratur. Omnes enim sacerdotes conueniunt in sacerdotio, omnes episcopi in episcopatum, & ita de reliquis. Quæret fortè aliquis quo pacto ecclesia Romana dicatur eadem isto modo cum ab initio fuerit Petrus in Antiochia? Respōsio facilis est, fiat abstractio talis à connotatione loci, & dicamus F quod ecclesia Romana est illa diœcesis prouincia vel sedes quæ peculariter habet regi per auctoritatem papalem, & eam complectitur sic veritatem habet vulgata vox, vbi papa ibi Roma. Nec in dubium vertitur debet, quin isto modo Romana sedes & ecclesiastica sit caput mater & magistra cæterarum, quia supremam Petri potestatem includit.

Consideratio. 8.

POTESTAS ecclesiastica considerata respectiuè, & quodammodo materialiter prout applicatur ad hoc vel illud suppositum, potest dici variabilis & auferibilis in casibus multis. Hoc perspicuum est quotidie dum fiūt immutationes nunc per nouam consecrationem, nunc per nouā electionem vel institutionem ministrorum. Ita consequenter dicere possumus de potestate papali quod mutabilis est & auferibilis per mortem naturalem sicut constat, vel per ciuilem, videlicet per depositionem saltem quoad plenitudinē suæ iurisdictionis quæ depositio qualiter & ex quibus causis fieri possit, latius in alijs opusculis apertum est. Vnde sicut papa renunciare potest papatui & dare libellum repudij ecclesiæ etiam sine culpa ipsius sponsæ, licet hoc facere nō debeat sine causa. Si ecclesia potest hunc vicarium sponsi sui dimittere, & ei libellum repudij dare etiam sine culpa sua licet non sine causa. Exemplificauimus alias in sex casibus, in quibus verus papa deponi potest ex culpa sua, etiam vbi non esset realiter hæreticus ad intra, quamuis ad extra talis iudicaretur. Exemplificauimus in alijs sex casibus quibus deponi potest papa sine culpa sua, licet non sine causa etiam præter liberam eius cessionem. Tractatulus intitulari potest de auferibilitate papæ ab ecclesia & incipit: Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, propterea breuitatis amor hic ista nō repetit. Verum potestatem hanc ecclesiasticam quæ respicit institutionem ministrorum ecclesiæ à summo vsque deorsum confundit magna caligine cupiditas ambitiosa, quærens quæ sua sunt, & quæ crescentibus beneficiorum donationibus impudenter excreuit, ita vt vix discerni modò possit, quid ex premaria institutione Christi vel inuariabili iure diuino tenendum sit in huiusmodi ministrorum ordinatione. Mira siquidem quoad vsum talis potestatis varietas incessit, quæ ex chronicis summorum pontificum, & ex tenore generalium conciliorum decretalium & decretorum se ostendit. Nec est opusculi præsentis per hæc omnia discurrere. Sed dicamus hic aliter esse discernendum in ecclesiastica politia, dum est ordināta completè sub quadam explicatione perfecta & numerosa membrorum suorum in ministris per status, gradus & officia. Aliter dum ab initio firmata est ecclesia in magna tā ecclesiasticorum quam fidelium paucitate, velut in quodam seminario vel germine seu botro. Potuit enim tunc rationabiliter supremus ille pontifex Petrus habere faciliter præsentiam concilij generalis sicut in electione Matthiæ & cessatione legalium. Potuit & instituere ministros per diuersas prouincias & loca de mandato suo sicut ad eum facilis patebat accessus. Nec vigebat auaricia, quia primi primo petebantur ad mortem. Quæ omnia cessant in hac tam copiosa fidelium multitudine post tot iura, tot leges, tot decreta & decretales summorum pontificum & generalium conciliorum editas ad regendam feliciter ecclesiam. Suppetit hoc loco conuenientissimè concilium Ietro datum Moysi Exod. xviij. quod sic habet: Stulto labore consumeris tu & populus tuus qui tecum est, vltra vires tuas est negocium, solus illud sustinere non poteris. Sed audi verba mea & consilia mea, erit dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo

cerimonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant & opus quod facere debeant, prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones quinquagenarios, & decanos qui iudicent populum in omni tempore. Quicquid autẽ maius fuerit, referant ad te, & ipsi faciliora tantummodo iudicent. Leuius quoque tibi sit partito in alios onere, si hæc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustinere, & omnis hic populus reuertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Edocemur ex hac scriptura calamo Dei scripta de multis. Specialiter quod si Moyses loquens Deo familiariter sicut amicus ad amicum obedienter audiuit consilium gentilis hominis in regimine totius synagogæ, quanto magis debet hoc summus pontifex ad dictamẽ totius ecclesiæ, vel generalis concilij suo nomine. Rursus si iudicia minora reprobantur in Moyse videamus in summo pontifice & curia sua, quid de tot prophanissimis & indignissimis causarum & litigiorum continuis & anxijs occupationibus? Quid de beneficiorum quorumcumque etiam minorum collationibus & signationibus manu papæ? Quid de annatarum exactionibus. Quid de innumeris similibus dicendum iudicabitur relicta omni cura, sollicitudine, vel studio de omni eo quod spirituale est quod diuinum est, quod denique fidem concernit & religionem Christianam? Concludimus tandem ex dato Moysi concilio & præcepto legis Deut. xviij. & ex institutione Christi Matth. xviij. quod nulla fuit hactenus nec erit in posterum perniciosior pestis in ecclesia quam omissio generalium conciliorum & prouincialium, vel in re ipsa vel auctoritate. Auctoritas itaque nulla erit si solus summus pontifex omnia velit inferiorum ecclesiasticorum vsurpare institutiones, iura, status, gradus & officia. Meminerit itaque summus pontifex datam sibi à Deo potestatem supremam in ecclesia ad ædificationem eius, prout Sapiens iudicabit. Iudicat autem sapiens de potestatis vsu variabiliter inuariabilis existens sicut est generale concilium, & hoc pro temporum, locorum, reliquarumque circunstantiarum diuersa qualitate. Teneat ergo suum iudiciũ & maneat ecclesiastica politia optimo regimine, qualefuit sub Moyse, gubernata, quoniam mixta fuit ex triplici politia. Regali in Moyse, Aristocratica in. lxxij. senioribus, & in tymocratica dum de populo & singulis tribubus sub Moyse rectores sumebantur. Sed opponunt plurimi nolentes ad ordinatos remitti ministrorum ecclesiasticorum institutiones, neque per electionem, neque per collationem. Expertum est inquiunt quod turbarent omnia, venderent, dissiparent, partim cupiditate carnali, partim seculari potestate tracti, de litterarum quoque studijs actum esset. Verum in promptu est responsio, corrigeret summus pontifex abusus huiusmodi, & auctoritatis securitate suprema vigilanter adhibita poneret aspera in vias planas, deponeret potentes intrusos de sede & exaltaret humiles sine prece vel munere. Hoc est enim architectoris officium. Dum verò peccat in his summus pontifex, quis ministro-

A rum corrigere vel præsumet vel poterit? Dices quod hoc poterit generale concilium. Vide quia nec crebrò nec faciliter habetur. Vix enim statuit libenter aliquis sibi correctionis iudicium. Denique si propter abusus ordinarium in ministrorum institutione putent aliqui sublatum esse ab eisdẽ hoc exercitium similem in papa rationem, quod ab eo debeat vsus tolli nũc inueniri dicitur ab alijs maximè dum recipit annatas, quoniam ex hac copula quamdiu perseuerauerit, orietur ineuitabiliter leprosa pestis simoniæ, inficiens sua contagione nedum caput, sed penè singula ecclesiæ

B membra. Super est vt apponatur sicut apponi quæritur in reformatione prouisio.

Consideratio. 9.

POTESTAS ecclesiastica si consideretur quoad vsum vel exercitium, illa mutabilis est & multipliciter variabilis Hæc consideratio cum duobus præcedentibus soluit protinus quæstionem hãc: Si potestas ecclesiastica sit immediate à Deo

C vel mediate ab hominibus? Nam considerando ecclesiasticam potestatem primo modo, concedendum est absque vlla dubitatione, quod illa fuit & est immediatè à Deo homine Christo sic quod à nullo altero fuit instituta. Nec congregatio totius vniuersitatis hominum, secluso Christo, docuisset sibi potestatem huiusmodi instituere, quemadmodum potuit vel posset instituere sibi potestatem imperialem super omnes potestatem regalem, potestatem ducatuum, comitatuũ

D & baroniarum. & ita de reliquis potestatibus purè secularibus Non autem potuisset sibi instituere sacerdotium nec papatum, sicut habet ecclesia. Nec similiter destituere sicut nec mutare legẽ Christi, quę mutatio sequitur de necessitate, prout arguit Apostolus quod translatio sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Si vero potestas ecclesiastica consideretur secundo modo, tunc in principio nascentis ecclesiæ collata est immediate à Deo tam Petro quam Apostolis & discipulis quibus immediatè Christus contulit sacerdotium

E super corpus suum verum & super mysticum. Vnde & Apostolus dicit se recepisse euangelium non per hominem, & similiter mysterium & ministrationem corporis Christi. Ego inquit accepi à domino quod & tradidi vobis &c. Et ita consequẽter probabile est quod sicut Christus immediatè contulit hanc potestatem primitus suis Apostolis & discipulis, applicando. s. eam istis & non alijs sic & immediate concessit vsum actum vel exercitium, quia dans formam, dat consequentia

F ad formam. Dicimus tandem his non obstantibus vel ita se habentibus quod successores Petri & aliorum Apostolorum de communi lege secluso miraculo vel noua reuelatione, fuerunt & sunt instituti mediatè per homines, vt per consecrationem vel electionem vel aliam institutionem. Vsum similiter vel exercitium receperunt atque recipiunt mediate per humanum ministerium vel confessionem. Et forte quoad vsum vel exercitium potestatis ecclesiasticæ sic euenit ipsis etiam Apostolis & discipulis quod post immediatam confessionem vtriusque scilicet potestatis & vsus factam à Christo postmodũ crescẽte

numero

numero fidelium fuit ad tollendum scisma, & ad exemplar dandum posteris limitatio facta talis potestatis quo ad vsum, & hoc per Petrum summum pontificem de consensu totius ecclesiæ primitiuæ vel generalis concilij, vt non quilibet posset in quemlibet vti potestate sua attenta Christi ordinatione primaria qua voluit ecclesiam suam regi principaliter sub vno & ab vno monarcha sicut est vna fides, vnum baptisma, & vna ecclesia vnitate capitis tam primarij quàm vicarij, quoniã iste est optimus principatus, præsertim in spiritualibus ad conseruationem vnitatis fidei; ad quam obligantur omnes. Non sic autem est de legibus ciuilibus quod debeant esse similes & eadẽ apud omnes nationes propter varietatem morum & conditionum in diuersis prouincijs. Quoniam insuper gladius ecclesiæ spiritualis est, videlicet excommunicatio, quæ potest extendere se quantumlibet in longinquas nationes. Aliter est de gladio materiali. Propterea non oportuit, nec forsitam expediuit quod in temporali potestate esset vna perseuerans monarchia per orbem vniuersũ sicut de spirituali potestate prædiximus institutũ fuisse iure diuino primitus in persona Petri Ioan. vlti. Pasce oues meas, prout sancti doctores & ecclesia tenendum tradiderunt. Sumamus exemplum materiale, conforme vt tradit Diony. spirituali quod inuenitur in sole, qui fons luminis est, non illuminatus ab alio corpore, sed illuminans. Deinde sunt aliqua quæ ab eo illuminantur & consequenter illuminant, nonnullam vero quæ illuminantur, sed illuminandi virtute carent, quoniam in ipsis lux occumbit. Exemplum aliud est in angelica triplici hierarchia, vnde licet quoad naturam, gratiam & gloriam sit quilibet angelus immediatè formatus à Deo, nihilominus quoad exercitium actuum hierarchicorum qui sunt purgare illuminare & perficere, tres primi ordines hierarchizant non hierarchiati ab alijs. Tres medij hierarchizantur & hierarchizant. Tres infimi hierarchizantur & non alios angelos hierarchizant. Papalis auctoritas suo modo cũ cardinalibus imitatur triplicem primam. Alteram verò mediam imitatur patriarchalis, archiepiscopalis, episcopalis & sacerdotalis auctoritas in habentibus subiectos sibi: Quod dicitur propter curatos vel etiã propter solos titulares episcopos carentes plebe. Vltimi sunt instar tertiæ hierarchiæ qui hierarchizantur in ecclesia, sed non alios auctoritatiuè hierarchizant, quemadmodum sunt populi & simplices religiosi secundum Dionysium.

Consideratio. 10.

POTESTAS ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subiectiuè in solo Romano pontifice. Supponitur itaque primò, quod licet aliquis possit eligi in papam non sacerdos, sicut eligitur aliquis in episcopum. Ipse nihilominus appellari non potest aut debet summus pontifex, nisi fuerit in sacerdotem & episcopum consecratus. Et quamuis ex electione posset aliquid iurisdictionis habere, non tamen habet ante consecrationem in episcopum plenitudinem ecclesiasticæ potestatis tam ordinis quam iurisdictionis vtriusque quod perspicuum est ex terminis. Hic autem consurgit æquiuocatio non modica propter dominos iuristas, qui loquentes de plenitudine potestatis papalis solum loqui videntur de potestate iurisdictionis, ex qua locutione videtur hæc absurditas sequi quod purè laicus, immo & fœmina posset esse papa, & habere plenitudinem ecclesiasticæ potestatis. Supponitur insuper ex iam dictis quod ex institutione Christi nullus in ecclesia debet dare vel suscipere gradus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere, si non interueniat verè vel interpretatiuè auctoritas supremi hierarchæ vel monarchæ in ecclesia sancta Dei; quatenus in ea vitet confusio & optimo regimine gubernetur ad exemplar ecclesiæ triumphantis, propter quod dicit Ioan. in Apoca. se vidisset nouam ciuitatem Hierusalem descendisse de cælo. Et Moysi dictum est: Vide vt omnia facias iuxta exemplar quod tibi ostensum est in monte. Supponitur rursus illud philosophi, quod actiones sunt suppositorum. Tandẽ ex his præcedentibus possumus describendo dicere, quod plenitudo potestatis ecclesiasticæ est potestas ordinis & iurisdictionis quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro sicut vicario suo & monarchæ primo pro se & suis successoribus legitimis vsque in finem seculi ad ædificationem ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ. Dicitur in hac descriptione, supernaturaliter, ad differẽtiam potestatum vel iurisdictionum quæ successoribus Petri potuerunt conuenire secundum leges humanas ciuiles & politicas, vel dictamen iuris naturalis, quod vult vt supremus in aliqua politia gaudeat multis honoribus & priuilegijs super alios vel ex speciali dotatione seu donatione principum & aliorum secularium, vel tandem ex ipsius ecclesiæ seu conciliorum generalium fauorabili concessione, sicut communitas perfecta suo capiti naturaliter dare potest. Cuius concessionis vna fuit ratio non mala, quatenus honoretur in interpretandis iuribus & emergentibus quotidie dubijs circa regimen ecclesiasticum, quia facilior est recursus ad papam cum curia sua, quam ad ipsum generale concilium: Quæ causa mouit ab initio reges instituere, & eis potestatem leges condendi & interpretandi tribuere. Hanc autem distinctionem non attendentes aliqui putauerunt omnia quæ nunc summis pontificibus conueniunt competere ex primaria Christi institutione, & immutabili iure diuino, quod falsum est, quoniã staret aliquem esse verum papam & perfectum qui careret actualiter multis talibus priuilegijs & honoribus in quibus non consistit plenitudo ecclesiasticæ potestatis, qualem in Petro fuisse descripsimus, & quam nullus hominum præter Christum, immo nec ecclesia tota conferre potuit ita nec auferre, sicut in consideratione nona notatum est. Contendunt nunc aliqui pollentes litteris quod post institutas per generalia concilia regulas super electionibus faciendis, & beneficijs per ordinarios conferendis iuxta fundatorum intentionem, quemadmodum obseruatur de iure patronatus apud laicos nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare regulas, præsertim ita generaliter & passim per re-

reseruationes & aliter, sicut visum est à centum annis vel vltra. Non licuit preterea facere tot & tales non obstantias eorum quæ constituta sunt in generalibus concilijs, quot & qualibus non obstantijs vti solet passim in bullis suis, adeò quidem vt Alexander quintus inductus sit in prætensis quibusdam bullis ponere non obstantiam huius saluberrimi ac celebriter obseruati statuti. Omnis vtriusque sexus. At verò respondent alij non ad originem ecclesiasticæ potestatis positam à iure diuino tantundem considerantes quantum respiciunt decretales cum glosis, allegationibus, concordantijs sine numero doctorum vnius ad alterum, vt ouium gregimos est. Respondent inquam per vnicum verbum, quod semper intellexit concilium generale auctoritatem summi pontificis exceptam esse in omni constitutione sua qualicumque. Nimirum quia posuerunt isti papalem auctoritatem supra concilium, aut saltem nō imparem. Et autem certum apud eos quod par in parem, & minor in superiorem, non habet imperium. Benedictus autem Deus qui per hoc sacrosanctum Constantien. concilium illustratum diuinę legis lumine dāte ad hoc ipsum vexatione præsentis scismatis intellectum, liberauit ecclesiā suam ab hac pestifera perniciosissimaque doctrina, qua semper manēte perseuerasset semper scisma nutritum ab ea. Declaratum nempe decretumque est, quod & sine papa generale conciliū conuocari, & à concilio papa iudicari certis casibus potest. Quod insuper habet auctoritatem generale concilium præscribere leges seu regulas secundam quas plenitudo potestatis papalis non quidem in se quæ semper eadem est, sed in vsu suo moderanda, regulandaque est. Neque putādum est insuper concilia generalia sic excepisse papalem auctoritatem in constitutionibus suis, vt eidem permitteretur effrenis libertas, ea destruendi leuissimè, quæ tanta grauitate & digesta sapientum maturitate condita sunt. Intelligitur ergo papalis auctoritatis exceptio facta prout occurrēs necessitas vel euidens vtilitas postulabat, vbi pro tunc recursus ad generale concilium non patebat. Alio quin non erat ibi vti plenitudine papalis potestatis, sed abuti plenissime. Vtrum verò validum fuerit & ratum quicquid ab abusu tali processit, definire sub vna generalitate non audeo. Scio quod multa fiunt iniquè, multa inexpedienter, multa in deformationem ecclesiæ quæ tamen facta tenent. Cæterum videtur apponenda per hoc sacrosanctum generale concilium talis declaratio per quam appareat quo pacto auctoritas papalis & quousque cognoscatur excepta, in constitutionibus vel iam factis, vel de nouo condendis, quoniam vt aiunt, non est ad præterita lex. Omnium denique malè gestorū præteritis temporibus cessatio vel annulatio, neque facilis, neque forte iuridica, & inexpediens plane expediretur. Attendantur regulæ quæ sequuntur facientes ad elucidationem præcedentium de legum vel constitutionum interpretatione. Prima, leges humanæ dantur secundum illa quæ vt in pluribus accidunt. Quoniam omnes casus particulares enumerare & remedium specialis legis apponere, neque possibile est humano legislatori cum sint in infinitum variabiles, sed nec expedit propter confusionem fastidiosissimā immo & perplexam, quæ ex illa multiplicitate cōsurgeret. Erit autem lex secundum Isido. honesta, iusta possibilis seruari, & secundum consuetudinē patriæ, loco, temporique conueniens necessaria, vtilis manifestaque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Altera regula: Leges humanæ quæ feruntur generaliter possunt & debent exceptionem recipere dū deficit ratio legis, quando videlicet legislator si adesset, vel alius prudens interrogatus exciperet generali constitutione casum particularem, qui taliter aut taliter occurreret: Hæc autem exceptio multipliciter nominatur, quādoque epikeia sicut ab Aristo. quandoque iuris interpretatio, sicut à Legistis, quandoque dispensatio sicut à Canonistis, quandoque bona fides, sicut à politicis, dicentibus bonam fidem esse vbi non simulatur vnum & aliud agitur, quandoque dicitur æquitas, sicut ait propheta domino. Omnia mandata tua æquitas, hoc est secundum æquitatē implenda. Tertia regula: Triplex inuenitur iuris interpretatio vel exceptio. Quædam est iudicialis potestatis spectans ad legislatorem & iudices, quemadmodum dici solet. Cuius est condere eius est interpretari. Quædam est doctoralis auctoritatis, spectans ad illos quibus data est auctoritate summi pontificis licentia interpretandi scholaticè iura, vel qui super his interpretandi scientia pollent, arte vel experientia, iuxta illud, cuilibet experto in sua scientia credendum est. Et iterum vnusquisque bene iudicat de quibus nouit. Quædam interpretatio est ineuitabilis necessitatis potens cadere circa quemlibet, dum certitudinaliter videt imminens periculum suum, nisi vim vi repulerit & egerit contra generalia verba legis, quo casu est sine culpa apud deum, quamuis dolere debeat quod incidit in hanc necessitatem. Et si docere potest legitimis testimonijs apud iudicem humanum absolutus erit, aliter non, quoniam apud illum idem est de illis quæ non sunt & quæ non apparent. Quarta regula: Iuris interpretatio seu dispensatio vel exceptio quæ est iudicialis potestatis, hoc operatur quod agens contra verba legis non punitur apud homines in exteriori foro. Sed apud Deum in foro conscientiæ peccabit vterque, scilicet dispensans & cum quo dispensatur, si talis non fuerit qui dispensat qualem descripsit Christus fidelis & prudens. Fidelis ne commodum proprium fauorem vel honorem quæsiuerit derelicto diuino vel communi bono. Prudens vt circumspiciatur vndique ratio legis & legis latoris intentio. Et enim dispensatio commensuratio seu distributio boni omnis quale est lex ad singulos secundum legis intentionem, prout circunstantiarum varietas occurrerit, quæ dispensatio si non fideliter & prudenter fiet, eam appellat Bern. dissipationem non dispensationem, intellige quoad Deum & conscientiam si hoc constiterit aut constare debuerit. Tenet vero frequenter apud homines secundum exteriora iudicantes hæc dispensatio, si non contineat errorem apertū. Aut nisi fuerit superiori lege prohibita

hibita, quod dicitur propter statuta fieri possibilia circa vsum papalis potestatis per generale concilium. Quinta regula, Iuris interpretatio vel exceptio, quę est doctoralis auctoritatis, reuelat plurimũ non obedientes nudo legis verbo, tam quoad iudicia forensia, sicut est ab expensis reuelatio; quàm in foro conscientiæ & diuino iudicio; præsertim, dum sunt doctores famati plures & experti in arte sua, & in morum honestate probati. Alioquin, sæpe mẽtitur iniquitas sibi, dum corrupta est prece vel precio. Excæcant enim munera etiam oculos prudentium: & si creditur Aristoteli experientiæ verba loquenti, Malicia facit errare, nedum circa cõclusiones elongatas à primis principijs, sed in ipsismet principiorum moralium ianuis; quemadmodum reputabatur olim latrocinium apud Alemanos licitum, teste Iulio de bello Gallico: ac peccatum innaturale & sordidum apud Romanos, secũdum apostolum ad eosdem; & ita de pluribus hominibus datis in reprobum sensum, pro varietate damnationis vitiorum. Sexta regula, Iuris interpretatio, exceptio, vel dispensatio, similiter exigit, dum fit altero prædictorum modorum iudicialiter vel doctrinaliter, quod habeatur duplex intuitus vnus ad bonum diuinum & publicum, alter ad particulare commodum illius, pro quo fit iuris interpretatio vel dispẽsatio. Euenit itaque sæpius, quod dum passim laxatur rigor legis (ex quadam vt fingitur compassione & misericordi condescensione ad aliquos particulares positos sub lege) deperit ex altera parte stabilitas, & rigor disciplinæ, qui rigor est præcipuè in omni lege seruandus. Docuerunt hoc Romani, qui proprios etiam filios occiderunt, qui in seipsos rigorem legum suarum exercuerunt, quatenus disciplina militaris, & obediẽtia legalis inuiolata maneret. Docent hoc fratres Carthusienses, qui super esu carnium, vel nunquam, vel rarissimè dispensationem recipiunt; ac proinde disciplina regularis viget apud eos, quæ quantum sit collapsa apud religiones quasdam alias, passim dispensationibus vtentes, videre stupor & dolor est. Super qua re, iam Bernardi pro tempore suo querela nascebatur. Quid modò dicendum putabimus, de tam facili, vt appellant, dispensatione per Papam & prælatos, super iuramentis licitis? super votis rationabilibus? super immensa beneficiorum pluralitate? super generali conciliorum *non obstantia*? super priuilegiorum & exemptionum commune ius priuantium concessione? Quis omnia dinumeraret, per quæ nunc vigor ecclesiasticæ, imò & euangelicæ disciplinæ totus verè languit, emarcuit, euacuit? prouideat super omnibus sacrosanctum hoc Constantiense concilium. Fundatur in hac radice stabilitas legum, quod consuetudo est optima legum positiuarum interpres, ita si neque iuri diuino neque naturali fuerit contraria: Fundatur & illud Aristotelis politizantis, non esse dandum prœmium inuenientibus nouas leges, quamuis in se meliores extiterint, quoniam mutatio legum frequens, causat instabilitatem, neque permittit eas in consuetudinis fixa radice roborari. Hoc animaduertant, qui ad omnem motum capitis, ad omne quod bonum agi phantasiatum fuerit, condere satagunt nouas leges, pœnas pœnis adijcere, quasi super omni re quæ bona est, si fieret, bonum sit & expediens, legem pœnalem addere: non enim respublica regitur per simile. Fundatur in eadem radice, rationabilitas abolitionis vel abrogationis quarundam legum positiuarum, per oppositos mores subditorum, qui versi sunt in naturam. Fundatur & rationabilitas permissionis quorundam malorum, non vt approbentur, sed ne punita ruant in deterius. Fundatur & ius præscriptionis punientis (ne fiant incerta dominia) neglectores rerum propriarum, ac iustè transferentis (etiam apud Deum & cõscientiam) tale dominium, in bonæ fidei possessorem, & præscriptorem legitimum.

Consideratio vndecima.

POTESTAS ecclesiastica in sua plenitudine, est in ecclesia sicut in fine, & sicut in regulante applicationem, & vsum huiusmodi plenitudinis ecclesiasticæ potestatis, per seipsam, vel per generale concilium, ipsam sufficienter & legitimè repræsentans. Constat vtique datam fuisse Petro plenitudinem ecclesiasticæ potestatis à Christo, ad ædificationem ecclesiæ suæ, sicut conformiter ad Apostolum ponit descriptio. Propterea loquitur Augustinus cum alijs quibusdã, quod *claues ecclesiæ, datæ sunt non vni, sed vnitati; & quod datæ sunt ecclesiæ.* Et hoc conuenienter potest intelligi, modis quos explicat consideratio, quoniam *claues datæ sunt propter ecclesiam & vnitatem eius tanquam propter finem.* Potest etiam dici in ecclesia vel in concilio, hæc plenitudo ecclesiasticæ potestatis, nedum in se finaliter, sed alijs duobus modis, videlicet quoad applicationem ad hanc vel illam personam, & quoad vsum regulandum, si fortassis in abusum verti quereretur. Constat his tribus modis plenitudinem ecclesiasticæ potestatis esse in ecclesia, & in generali cõcilio, tanquam in gerente vices eius. Et quidem de duplici modo primo & secundo, non est difficultas: similiter nec de tertio, si cõsideremus descriptionem plenitudinis ecclesiasticæ potestatis, vbi ponitur, quod data est ad ædificationem ecclesiæ. Cum igitur, summus pontifex habens eam subiectiuè, sit peccabilis, & possit hanc potestatem in destructionem velle conuertere: similiter sacrum collegium quod ei datũ est, & coassistit quasi cõmunitas aristocratica, non est in gratia vel fide confirmatum; superest, vt aliqua sit relicta inobliquabilis & indeuiabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quam, possit abusus huiusmodi potestatis reprimi, dirigi, atque moderari. Hæc autem regula est vel ecclesia, vel generale concilium. Vnde cum medium virtutis aliter non habeatur, nisi prout sapiens iudicabit, finalis resolutio ad hanc sapientiam, fiet ad ecclesiam, vbi est sapientia indeuiabilis, vel ad generale concilium. Hic fundantur ea multa quæ per hoc sacrum concilium & constituta & practicata sunt: vt quod Papa iudicari potest & deponi per cõcilium; quia eidem, in regulatione suæ potestatis quo ad vsum, subijcitur, & sibi potest dicere, *Cur ita facis*? Et ita de pluribꝰ, quę recollecta sũt in illo sermone. *Prosperũ iter faciet nobis Deus.* Possumꝰ ad hãc cõsiderationẽ addere, quod plenitudo ecclesiasticæ potestatis, si consideretur in sua latitudine, ipsa non est

in solo Papa, nisi quodam modo fontaliter, potestatiuè, & originaliter suo modo. Hæc enim latitudo potestatis, complectitur in se alias potestates ecclesiasticas collectiuè, à summo vsque ad deorsum: Et est in eis plenitudo ecclesiasticæ potestatis papalis, tanquam pars integralis in suo toto; & ita non est maior vel superior ad totam ecclesiam, sicut nec pars maior toto. Si vero cõsideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absque vlla dubitatione, plenitudo ecclesiasticæ potestatis Papalis, superior & maior est ad reliquas, sed iam illud quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale concilium, iuxta illud quod dictum est prius, quod generale concilium in sua ratione formali, includit de necessitate papalem auctoritatem, siue papa sit, siue non sit: quia si papa est, & vult facere debitum suum de conuocando concilium, certe hoc debet autorizari per ipsum: si verò pertinaciter renuit in destructionem ecclesiæ, iam tunc agendum est acsi non esset; & remanet in ecclesia potestas seipsam congregandi, & sibi prouidendi, ac ordinandi de potestate Papali, secundo & tertio modis, quo ad applicationem & ad vsum; sicut de capitulo & decano, vel de vniuersitate & rectore suo modo diceretur. Sed occurrit difficultas principalis, quid mortuo Papa vel eiecto, possit ipsum concilium? Potest itaque primo constituere sibi papam vnum, modo solito per electionem dominorum cardinalium, vel alio modo per compromissum, vel per viam spiritussancti, si probabiliter ita speraretur posse fieri, quod omnes concordarent in vnum: Vel forte per expectationem diuini miraculi, sicut fuit in electione Matthiæ: & de hac prima potestate concilij non est difficultas, quin sibi possit facere caput vnum. Alia multa sunt quæ Papa mortuo vel eiecto, potest exercere concilium, per scriptum, vel per organum aliquod, vice omnium; quemadmodum sæpe practicatum est in hoc concilio, de diuersis sententijs & decretis, respicientibus exercitium iurisdictionis coercitiuæ, sicut in vocatione & depositione Papæ, sicut in excommunicatione & interdicto, relaxatione & absolutione factum est, in causa Tridentina & Argentinensi, in quibus omnibus introducitur sancta synodus loquens, decernẽs, definiens. Sic inuenitur in primis cõcilijs, tempore Apostolorum & aliorum, quod cõcilium loquebatur, & non Papa, etiam dũ viuebat. Vnde dixerunt Apostoli & seniores Act. xv. scribẽtes acta illius cõcilij. *Visum est Spiritui sancto & nobis*: Et simile notatur Act. vj. de conuocatione Ecclesiæ per duodecim apostolos, & in concilijs generalibus tales inueniuntur modi loquendi. *Placuit sancto concilio*. Vel *concilium definit*, vel *statuit sanctum concilium*, vel *sacri auctoritate concilij*, vel *synodalis ordinatio vigeat*, & ita in similibus. Denique tertiò, sunt alia quæ non possunt exerceri nisi per suppositum determinatum, iuxta iam allegatum, quod actiones sunt suppositorum: Circa quæ distinguendum est, quia vel illa sunt talia qualia nullus potest exercere nisi sit Papa, nec per cõmissionem, nec aliter: vel sunt talia quæ cõmitti possunt per aliquem vel aliquos, per quos hoc exerceri nõ posset, sed alius capax est: Exemplũ de Curato nõ sacerdote, qui potest cõmittere simplici sacerdoti non habẽti plebem aliquam, quod in Cura sua ce-

A lebret missam, & consecret, quod audiat cõfessiones & absoluat, quod ministret Eucharistiã, & ita de reliquis spectantibus ad sacerdotium. Potest igitur similiter concilium committere sacerdotibus, vt agant talia, quæ nec concilium per se, nec illi sacerdotes sine commissione vel licentia cõcilij possent exequi, saltem licitè. Quocirca, restat cognoscendum de illa cõditionali, si sit aliqua potestas in Papa, quæ possit in aliquid, in quod nulla altera potestas ecclesiastica potest attingere, neq; de facto neq; de iure. Et videtur prima facie quod non, iuxta cõmuniorem doctorũ sententiam, qui

B dicunt potestatem ordinis esse æqualem in omnibus sacerdotibus, cõprehendendo, more Apostoli, episcopatũ sub sacerdotio. Non enim videtur, quod sit aliquis actus ordinis, in quẽ possit papalis auctoritas, quin in illũ possit de facto potestas episcopalis. Cæterũ, de potestate iurisdictionis, quomodocũq; fiat sermo, videtur quod cõcilium possit illam cõcedere in defectu papæ, vt in subijciendo alicui episcopo tales populos, quales voluerit pro sacramentorum licita, & rata ministratione.

C Et ita practicauit hoc concilium circa Samaytas legatos, eis dando aliquos, qui licitè possent omnia quæ sunt ordinis & spiritualis iurisdictionis. Proinde quid de largitione indulgentiarum tenendũ sit, lectori interim considerandum relinquo, si solius Papæ cõcessione mediatè vel immediatè tradi possunt. Putant aliqui, quod potestas hæc respicit claues in foro pœnitentiæ: propterea conuenit in eodem foro cuilibet sacerdoti, maximè episcopo, si non fuerit hæc potestas à superiore, quoad

D vsum limitata, aut conuenit illi qui habet curam cõmunitatis ecclesiæ, secundũ Thomã: Cõcilium verò talem curam habet. Porrò iuxta hunc dicendi modum, potest occurrere scandalum trahens ad hoc inconueniens, quod ecclesia posset bene regi vsque in finem seculi sine Papa, vt si generale concilium daret licentiam omnibus episcopis, sacerdotibus, cuilibet supra plebem suã, absque vlla iurisdictionis limitatione vel restrictione; quia sic episcopus posset constituere sacerdotes, imò

E & episcopos licitè & ratè, & vti clauibus & ita de reliquis omnibus hierarchicis actibus. Respondemus, quod & si ad tempus aliquod generale concilium possit aliquid tale facere, quoniam habere Papam est præceptum affirmatiuum, obligans ad semper, sed non pro semper (sicut apparuit dum vacauit sedes per duos aut tres annos, sicut & nũc vacat) nihilominus, generale concilium neque deberet, neque posset talem defectum capitis, vsque in finem seculi tolerare, stante lege, potest tamen supplere, dum necessitas vrget vel suadet

F euidens vtilitas, & hoc vel per vnum episcopum, quasi vicarium, vel per plures simul, aut successiuè: & hoc modo dicitur esse plenitudo potestatis ecclesiasticæ in ecclesia suppletiuè. Cognoscimus ex his, quod falsæ sunt, & iniuriosæ concilio generali tales assertiones, quæ negant ab eo, vel ab ecclesia executionem potestatis supremæ iurisdictionis: Negant insuper decernendi vel definiendi potestatem dum Papa est, reponentes in eo solo hãc auctoritatem definiendi, cum ex multis concilijs, & certa ratione constet oppositum. Vnde & Apostoli miserunt in Samariam Petrum & Ioannem, tanquam subditos ecclesiæ: Et Iacobus

bus protulit definitionem sacri concilij super cessatione legalium. De quo Act. xv. notatum est, quando tamen Petrus præsidebat & residebat in ecclesia legitimè cum esset in gratia confirmatus die Pentecostes. Possumus tandem canones apparenter discordes super laude plenitudinis potestatis papalis rationabiliter ad concordiam reuocare si distinctioné trimembrem acceptionis ecclesiasticæ potestatis acutè viderimus. Hanc enim potestatem formaliter & in se consideratam primo modo nemo iudicare potest, neque Augustus, neque populus, neque totus clerus imò nec vniuersalis ecclesia. Secus in alio duplici modo. Vnde sicut ex consideratione potestatis huius stupédæ & miraculosę imperatores etiam & reges procumbunt ad oscula pedum Papæ. Et inde consurgit aliquando ex humana fragilitate arrogans superbia in persona Papæ referentis ad se quod impenditur potestati. Non aliter existimandum est de prioribus sanctis patribus extollentibus Papá miris modis. Et inde suborta est in quibusdam sũmis pontificibus arrogantia maior debito, quod est vsurpare id quod iure non poterat. Hinc cuidam glorianti quod pedibus suis conculcaret imperatoris caput, retudit hanc arrogantiam acriter satis imperator hoc mordaci verbo: Non tibi inquit sed Petro. Hinc fit præterea quod absque mendacio vel adulatione Papa nequissimus potest appellari sanctissimus, potest adorari cultu duliæ vsque ad oscula pedum, & ita de reliquis honoribus. Sic & ecclesia quæ maculam non habet neque rugam, quæ instar Mariæ virgo est & mater introducitur quandoque tanquam peccatrix & sordida, non quidem pro se, & in se, sed pro peccatis filiorũ, sicut anima sana fert & regit corpus ægrotum.

Consideratio duodecima.

POTESTAS ecclesiastica papalis non ita habet dominia & iura terreni simul & cælestis imperij quod possit ad libitum suum de bonis clericorum, & multo minus laicorum disponere, quamuis concedi debeat quod habet in eis dominum quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum, & ordinatiuum. Declarationem huius cõsiderationis quam discretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppositos, dum facere meditarer, occurrere visa est protinus in ipso mediationis meæ secreto duplex improba pestis. Nomen vnius detractio liuida. Nomen alterius adulatio subdola. Prima potestatem ecclesiasticam deprimens subijciebat temporali. Altera sustollebat in immensum velut ad similitudinem altissimi confundés iura cuiuslibet alterius potestatis. Tolle tolle, clamat detractio temporalitatem omnem ius vel dominiũ ab ecclesiasticis. Quare? Quia sic instituit Christus cuius ista vox est. Nisi quis renunciauit omnibus quæ possidet, nó potest meus esse discipulus. Sic improperabat Iulianus apostata Christianis, rapiens eorum facultates. Addit detractio quod ecclesiastici nequaquam capaces sũt iurisdictionis temporalis, etiam si principes alij cõferre voluerint. Inducit apostolum, quia nemo militās Deo implicat se negocijs secularibus. Addit detractio, nihil habere ecclesiasticos neque decimas, neque oblationes, quantominus alias dotationes vel possessiones nisi ex pura eleemosyna donantium. Et quod ab ecclesiasticis peccatibus saltem habitualiter possent per secularem potestatem optimo iure tolli, quia data est potestas hæc secularis in vindictam malefactorum, neque sine causa gladium portat. Addit quarto innitens apostoli verbis: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, quia quicquid habent ecclesiastici vltra simplicem victum & vestitum, totum illud est pauperum, cuius retentio nedum furtum vel rapina simplex est, sed sacrilegium, prout detorquet ad hanc sententiam tam Hiero. verba quam Bernar. Vult tandem detractio ecclesiasticos omnes ad illam Apostolorum & discipulorum primam paupertatem sine equis sine thesauris, sine calciamentis, sine possessionibus de necessitate salutis redigere execrans in in ecclesiasticis pompam omnem vel seruiétium, vel ciborum, vel equorum, vel indumentorum. Consurgit ex aduerso blandiens & subdola adulatio, & ad aures ecclesiasticorum, præcipuè sũmi pontificis insusurrans. O quanta est, quanta sublimitas ecclesiasticæ potestatis tuę. O sacer clere quam nihil est secularis auctoritas tuæ comparata. Quoniam sicut Christo collata est omnis potestas in cælo & in terra, sic eam Christus omnem Petro suisque successoribus dereliquit. Vnde & nec Constantinus quicquam Siluestro papæ contulit quod non esset prius suum, sed reddidit iniustè detentum. Porrò sicut non est potestas nisi à Deo, sic nec aliqua temporalis vel ecclesiastica imperialis vel regalis nisi à papa, in cuius femore scripsit Christus. Rex regum, dominus dominantium. De cuius potestate disputare instar sacrilegij est cui neque quisquam dicere potest, Cur ita facis? Sic etiam temporalia omnia si ecclesiastica bona atque dominia mutauerit, diripuerit, distraxerit. Mentior si non inueniuntur hæc scripta ab illis etiam qui sapientes sunt in oculis suis. Si præterea non inueniuntur fuisse per aliquos summos pontifices hæc credita. Notum est illud Satyrici: Nihil est quod credere de se non possit cum laudatur dijs æqua potestas. Et illud comici de adulatore: Hic profectò ex stultis insanos facit. Sentiens autem adulatio quandoque nimis se cognosci studet quasi modestiori sermone depræssius vti vt credibilior appareat. Concedit seculari potestati possessiones & iurisdictiones proprias quas tollere nequit pro libito papa. Recognoscit Cōstãtinum vel alios principes aliquid ecclesiæ nouiter contulisse. Nihilominus tradit quod summus põtifex supremus est monarcha, nedum in spiritualibus, sed temporalibus, habens potestatem hanc immediatè à Christo, sed alij reges omnes & principes suam recipiunt dominationem ab eo, & solum mediatè à Deo. Alioquin vt monstruosus esset hic mundus si haberet tot capita quæ non sub vnico regerentur. Rediretque Manichæi delitamentum ponentis duo principia. Vnum bonorũ & spiritualium, aliud malorum & temporalium. Vnde & sicut corpus est propter animam & ab anima viuit & regitur, sic potestas secularis propter spiritualem à qua recipit suum esse legitimũ. Quam auctoritatem spiritualem qui negant vel impugnant sint intus, sint foris ecclesiam possunt gladio vel spirituali excommunicationis sicut ca-

1.Thy.2.

tholici, vel debellationis, sicut infideles feriri. Et eorum dominia vel bona in alios transferri. Hanc A æstimationem habuisse visus est Bonifacius octauus in quadam decretali. Et in hac fundari putatur ab aliquibus dominiorum Prutenorum aduersus infideles debellatio, suorumque bonorum & dominiorum conquisitio. Putatur ab alijs depositio vnius regis Franciæ per papam Zachariam hic esse fundata tanquam papa sit qui transferre possit reges & regna. Rursus animaduertens adulatio, durum esse multis hunc sermonem, & ideo minus credibilem studet loqui restrictius, conce- B dens quod sicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera dominia, quemadmodum irrefragabilis auctoritas sacræ scripturæ & euangelicæ narrationis testis est. Sic non oportet nunc post Petrum vt omnis potestas imperialis, regalis, vel altera secularis sit immediatè robur habẽs à summo põtifice, sicut rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet, nec recognoscit in terris. Idcirco transfert verbum suum adulatio loqui de dignitatibus, officijs & bonis ecclesiasticorum, quæ omnia sic subijcit summo pontifici, C vt quicquid circa ea placuerit disponere mutãdo transferendo, appropriando, hoc possit, hoc teneat & ratum sit, licet hoc sine causa, licet cum peccato suo peregerit, quamuis peccatum circa hoc vult adulatio longè à papa sic facere, vt eum symoniam posse neget committere, quoniã sua sunt omnia ecclesiastica bona. Concedit insuper quod super ius est potens ab altero ius suum tollere, & quod nec ab eo appellari neque eum iudicialiter euocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis sit aliquatenus possibile. Hic solus symbolum fidei condere, D hic solus causas eiusdem fidei & maiores cæteras tractare potest, solus vt iam tactum est definitiones, regulas, leges, & canones condit. Alioquin quicquid per alios definitur, decernitur, conditur, statuitur, irritũ est & inane. Nec aliquid ex eis quę statuerit potest nisi peripsũ quomodolibet cassari vel infringi. Fallor si non ante celebrationem huius sacrosanctæ Constãt. synodi sic occupauerat mentes plurimorum, literatum magis E quam literatorũ ista traditio, vt oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica prauitate vel notatus vel damnatus. Huius rei signum accipe, quia post declarationem ex theologiæ principijs luce clariorem, & quod vrgentius est post determinationem & practicatione eiusdem sanctæ synodi, inueniuntur qui talia palam asserere non paueant, tam radicatum, & vt cancer serpens tam medullitus imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus lætiferum. Tandem miserante Deo moderatrix F discretio, collustrata lumine legis euangelicæ mediam ac regiam viam tenens inter deuios errores extremos detractionis & adulationis ponit dictã hanc considerationem duodecimam cum prioribus tanquam signum aliquod ostẽsiuum itineris recti, ne forte offendant ad lapidem erroris pedẽ suæ inquisitionis scrutatores veritatis. Vnde dicimus ecclesiasticos & capaces esse bonorum temporalium & multa eis ex debito, non ex eleemosyna pura competere, & non debere eos coercere vel spoliari per secularem potestatem, nisi vocata sit in sui iuris subsidium, quod dicitur propter hæreticos & rebelles. Possunt ipsi denique cum diuitijs aliter quam Apostoli viuere, conuersari vel incedere pro temporum, locorum & aliarum circunstantiarum varia qualitate prout sapiens iudicabit. Nec ita sunt Hiero. vel Bernar. verba generaliter ad omnes ecclesiasticos tamquam proprium habeant nihil, detorquenda. Monachis autem quibus loquebantur, alia lex est. Vitamus ex aduerso stultas & falsas adulationes insanias attribuentes summo pontifici plenitudinis potestatem, qualem descripsimus, quæ tanta est quantam sapientissimus legislator Christus præuidit sufficere ad ędificationem continuam ecclesiæ dilectissimæ sponsæ suæ, quã propria morte firmauit & donauit. Cui potestati detrahere esset impietas sacrilega indignissimaque. Sed glorificent Deum qui potestatem talem dedit hominibus misericordissima pietate sua, quæ potestas quanto sublimior est, pulchrior, & dignior, tanto ne vertatur in abusum vilem, turpem, & indignum prouidere debet summus pontifex et eam vt sapiens iudicabit regulare. Quid autem sapientius in terris generali concilio quod & spiritu sancto regitur, & cuius agi frenis summa libertas est. Preclarè dixit Aristo. Non esse seruitutem obedire legibus. Addamus summum pontificem cum collegio suo ita præsidere bonis ecclesiasticis vt de eis statum habere sufficientem & decentem oporteat. Sed non ita vt caput grauidum mẽbra reliqua obruat mole sua, neque velit vsurpare contra naturam singularis membri omnia officia membrorum quibus singulis vt ait Apostolus proprium datum est officium. Nam si omnia oculus, vel caput, vbi pes? vbi manus? Concernit hoc collationem beneficiorum multiplicitatem exẽptionum odiosissimam plenam erroris & confusionis in ecclesiastica hierarchia, & ita de reliquis. Reseruationem prærerea tot casuum, tot excommunicationum in foro conscientiæ, euocationẽ tam facilem omnium causarum ab ordinarijs, sint causæ illæ prophanæ, sint sacræ fidei, quales fidei causas omnes ab ordinarijs singulis præsertim in doctrinis notoriæ scandalizantibus diæceses suas, & vbi vigent studia literarũ velle prohibere, quid aliud est quam ianuam grandem erroribus aperire? Postremò suis se terminis ita potestas ecclesiasticã coerceat, vt meminerit potestatem secularẽ etiam apud infideles sua habere propria iura, suas dignitates, suas leges, sua iudicia, de quibus occupare se ecclesiastica potestas non præsumat vel vsurpet, nisi dum redundat abusus potestatis secularis in impugnationem fidei & blasphemiam creatoris, & in manifestam ecclesiasticæ potestatis iniuriam, tunc enim attendere conuenit vltimam huius considerationis duodecimæ particulam, quod in his ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum & ordinatiuum. Concludunt hoc & nihil ferè aliud rationes & allegationes omnes induci solitæ, quod plenitudo potestatis papalis superior est & ad omnem aliam ecclesiasticam & temporalem. Quamuis sub hoc respectu potestas vniuersalis ecclesiæ vel generalis concilij legitimè congregati dici possit maior in amplitudine vel extensione, maior in infallibili directione, maior in morum reformatione in capite & in membris

maior

maior in coerciua potestate, maior in causarum fidei difficilium vltimata decisione, maior denique quã copiosior, complectitur enim saltem virtualiter omnem potestatem & omne politicum regimen, papale, imperiale, regale, aristocraticum & timocraticum, prout alias deductum est ex descriptione concilij generalis quæ talis est. Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholicæ, nulla fideli persona quæ audiri requirat, exclusa ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen eiusdem ecclesiæ in fide & moribus respiciunt. Dicamus hic aliqua circa definitionem hanc concilij generalis. Et primo quod congregatio legitima auctoritate facta dicitur regulariter à papa, sicut sonant decreta & decretales innumeræ. Excipiuntur tamen tres casus vbi congregatio concilij generalis fit legitimè sine papa. Vnus dum desijt esse per mortem naturalem vel ciuilem seu canonicam quæ est depositio. Vel si cadat in perpetuam maniam. Aut si ad eum captiuatum nõ potest accessus. Alius dum sufficiẽter requisitus de conuocando concilium renuit contumaciter in perniciem ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertio si concilium postquam est à papa legitimè congregatum statuat certum tempus & locum pro celebrando generali concilio, sicut infra triennium, vel de decennio in decennium, etiam vbi papa renueret. Nec refert in primo & secundo casu per quos euocetur concilium dummodo congregetur, quemadmodum fuit Pisis. Nihilominus expedit decernere pro futuro modum conuocationis, sicut in reformatione salubriter est auisatum, vtinam & synodaliter iam esset definitum. Dicamus secundo iuxta probabilem valde sententiam, quod de statu hierarchico ecclesiæ non sunt propriẹ nisi duo status. Prælatorum maiorum videlicet qui succedunt apostolis & sunt Episcopi, archiepiscopi, & ita sursum. Et minorum, qui successores sunt septuagintaduorum discipulorum, Et dicuntur prælati secundi ordinis dignitatis vel honoris, quales sunt curati, quibus ex statu & ordinario iure conueniunt tres actus hierarchici primariè, essentialiter, & immediatè essẽtialiter, & immediatè Christo, qui sũt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per sacramentorum ministrationem. Fundatur hæc sententia. Mat. xviij. vbi postquam Christus dixerat, dic ecclesiæ, subiunxit de quibus loquebatur dum ait. Quodcumque solueritis super terram &c. Constat autem quod nedum apostolis, sed & discipulis loquebatur, iuxta glossas doctorum in hoc loco, & Mat. x. & Lu. x. vbi fit sermo de missione septuagintaduorum discipulorũ, & Mat. xvj. vbi Christus Petro dixit pro omnibus: Quodcumque ligaueritis &c. Et iterum. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prẹualebunt aduersus eam. Concordant Augu. Hiero. Isido. Beda. Magister vbi prius & expræsse multum Damasus papa. Non amplius inquit quã duos ordines inter discipulos domini esse cognoscimus. i. duodecim Apostolorum & septuaginta duorum discipulorum. Vnde iste processerit ignoramus, & quod ratione caret, extirpare necesse est, loquitur contra Episcopos. Dicamus tertiò naturam generalis concilij talem esse, vt nullus fidelis qui audire voluerit, debeat excludi ab audientia, quatenus vel doceatur vel doceat, sicut legitur in principio concilij. Distingui tamen solet de habentibus vocem in concilio. Quidam habent consultiuam, alij deffinitiuam. Primi sunt quibus inest notitia talium quẹ tractantur etiam vsque ad mechanicas artes. Vt si quæratur de modo reparationis ecclesiarum materialium esse poterit in latomis vox consultiua. Sic in aurifabris & fabris. Sic dum fit quæstio de philosophicis & moralibus disciplinis, vt sunt præcepta decalogi, possunt seculares eruditi in philosophia ligibus & moribus dare concilium & aliquando salubrius quam nõnulli prælatorum vel curatorum vel etiã theologorum, vsque adeò quod in generalibus concilijs contra Arrium tẽpore Athanasij fuerit interrogatus gentilis philosophus de materia ne dum purè morali, sed quæ tangebat beatæ Trinitatis eandem essentiam. Cæterum de voce definitiua quales eam habeant, non est dubium de Episcopis & superioribus prælatis, sicut iuxta prædicta practicatum sæpius inuenitur in prioribus cõcilijs. Sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus prẹlatis qui sunt curati & hierarchiæ, neque de illis qui ad hunc duplicem prælatorum ordinem reducuntur, quibus non ex priuilegio solo, sed ex statu & ordinario iure competit animarum cura, quemadmodum sunt multi abbates, decani, præpositi, cum similibus. Facit ad hoc determinatio sacræ facultatis theologiẹ Parisiensis nuper edita contra temeritatem extollentium priuilegiatos super curatos in prædicationibus & confessionibus, vbi sic dicitur in duobus primis articulis. Domini curati sunt in ecclesia minores prælati & hierarchiæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu ius prẹdicandi, ius confessiones audiendi, ius sacramenta ecclesiastica secundum exigentiam sui status & parochianorum ministrandi, ius sepulturas dandi, ius insuper decimas & alia iura parochialia recipiendi. Secundus articulus quod ius prædicandi & confessandi competit prælatis & curatis principaliter & essentialiter, & mendicantibus de per accidens ex priuilegio, quoniam sunt introducti vel admissi ex confessione & beneplacito dominorum prẹlatorum. Dicamus postremò quod licet ea quæ statim dicta sunt consonare videantur iuri diuino & obseruatione priorum conciliorum atque rationi; Nihilominus concilium potest certis de causis & ad tempus constituere voces definitiuas in pluribus vel paucioribus & in alijs quam dicti sint satis similiter ad illa quæ facta sunt & fieri possunt vario modo circa institutionem prælatorum ecclesiasticorum maiorum & minorum quæ quandoque fiebant à toto populo & clero, quandoque à toto clero solum, quandoque à solis canonicis ecclesiæ cathedralis, & nouissimè crebrius per solum papam sicut plurimorum est iudicium.

Consideratio. 13.

POTESTAS ecclesiastica sicut & alia quẹlibet originatur à prima iustitia secundum quã

iura omnia leges, iurisdictiones atque dominia pulchra ordinis varietate fundantur. Describitur A itaque iustitia quod est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens. Hæc autem descriptio competit principaliter iustitiæ diuinæ in ordine ad suas creaturas. Deus nempe solus est qui voluntate perpetua & constanti dat vnicuique rei quod suum est, suum inquam non ex debito rigoris, sed ex liberalissima & dignissima donatione creatoris. Sic in qualibet re tantundem est de iure quantum de entitate. Habet enim res quælibet ius seu titulum id habendi quod habet B ex dictamine rectissimo primæ iustitiæ. Ius verò sic describitur. Ius est potestas seu facultas propinqua conueniens alicui secundum dictamen primæ iustitiæ. Porrò dictamen hoc lex dicitur quia lex est regula conformitatem habens ad dictamẽ rectæ rationis. Dictamen vero rectæ rationis primæ, & iustitiam conueniunt in Deo synonimè. Proinde dictum est in descriptione iuris quod est facultas propinqua &c. propter illa quæ in potentia obedientiali conuenire possunt cuilibet creaturæ quod posse dicere possumus vel obedientia- C le vel logicale, secundum quale non dicitur propriè res habere ius vel legem sicut non dicimus quod damnati ius habeant ad beatitudinem æternam. Nec quod stella ius suum seu facultatem habeat in tanta luce quanta refulget, in sole licet in potentia obedientiali creaturæ vel absolutè Dei possint hæc omnia fieri. Consequenter ab hac amplissima iuris & legis acceptione sicut vtitur scriptura dum ait. Hæ sunt leges cęli & terræ &c. & alibi pluries, & apud Boetiũ. Legemque pati sidera cogis, fit descensus restrictior ad ea quæ D creaturam rationalem respiciunt vt rationalis est. Fit subinde distinctio de iustitia, quia quædam est essentialis & primaria qualis prædescripta est. Altera est participata seu deriuata & attributiuè dicta quæ sic describitur. Iustitia est habitus vel tanquam habitus conformis diuinæ iustitiæ eiusque imitatiuus per participationem, quo habitu inclinatur habens eã facere ius vel reddere. Ita quod ius est velut actus vel vsus vel effectus vel titulus talis iustitiæ. Rursus de iustitia sic accepta partici- E patiuè dicimus, quod quædam est iustitia originalis, quædam regni cælestis, vt ibi, Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius. Et hæc duplex est, quædam gloriæ, quędam gratiæ. Altera iterum est iustitia legalis, alia ciuilis. Iustitiæ verò ciuilis alia distributiua, alia commutatiua. Et ita de reliquis acceptionibus iustitiæ specialibus. Iustitia legalis est omnis virtus sicut charitas est tota lex Christi. Porrò iustitiæ distributiuæ contrariantur promotiones indignæ & intrusiones in officijs F reipublicæ & beneficijs ecclesiæ. Commutatiuæ autem contrariantur contractus illiciti, vsura & fraus in temporalibus, symonia & giezia in spiritualibus, de quibus non est hic dicendum per singula. Dicamus præterea tot esse legum varietates quot modis iura variantur secundum dictamen participatæ iustitię. Propterea sunt quędam leges proprie diuinæ, quædam propriè naturales, quædam positiuæ vel humanæ. Quarum aliquæ sunt canonicæ vel ecclesiasticæ, aliæ sunt ciuiles seu politicæ. Et quamuis paucæ reperiãtur leges quin mixtæ sunt ex participatione diuersarum, nihilo

Mat. 6.

minus demoninatur lex à prædominãti seu à principaliori quod in ea reperitur. Quibus præsuppositis dicamus vlterius descriptiones huiusmodi legum. Et quoniam lex dicitur à ligando .i. obligando, vel à legendo .i. dictando quid agendũ sit. Conformiter ad hanc obligationem seu dictamen rectæ rationis describemus principaliter leges obligatorias, quia de consultorijs & permissiuis, & si quæ sint aliæ, facilis habebitur ex his cognitio. Lex diuina obligatoria est signum verum reuelatum creaturæ rationali notificatiuum rectæ rationis diuinæ volentis teneri seu ligari illam creaturam ad aliquid agendum vel non agendum pro consecutione felicitatis ęternæ. Dicitur hic & infra. Signum notificatiuum, quoniam propriè nulla lex obligat liberum arbitrium si notificata non fuerit. Hoc autem signum triplex est, quoddam mentale, quoddam vocale, quoddam scriptum, sicut est lex scripta, prolata, indita, literalis, vocalis, mentalis. De mentali scribitur in psalmo, Signum est super nos lumen vultus tui domine. Et ad Roma .ij. pulchre per totum. Et iterum in psal. Legem tuam in medio cordis mei. Lex naturalis obligatoria describitur quod est signum naturaliter habitum, notificatiuum rectæ rationis diuinæ volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum pro consecutione finis sui naturalis qui est felicitas humana, siue monastica siue æconomica, siue politica. Dicitur autem signũ purè naturaliter habitũ illud quod inditũ est cuilibet homini, non impedito in vsu debito rationis. Impeditur autẽ per corpus, per errores, per vitia multa. Notificatur ex hac duplici descriptione differentia & conuenientia diuinæ legis ad naturalem principaliter ex modo acquisitionis & ex parte finis. Lex enim diuina de ratione sua habet primo vt acquiratur per reuelationem. Deinde quod ordine de proximo & per se ad felicitatem æternam. Lex verò naturalis & si possit sic acquiri & ordinari, sicut patet in datione præceptorum decalogi, in vtraque lege veteri & noua, hoc tamen non habet de ratione sua vt sui naturalis est, sed transit diuinam. Lex canonica describitur quod est signum habitum per humanam traditionem notificatiuum rectæ rationis diuinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum principaliter pro consecutione felicitatis æternæ. Per hanc vltimam clausulam conuenit lex canonica cum diuina & differt à naturali. Et per primam ab vtraque sub sua ratione quæ est vt habeatur eius cognitio & robur per humanam traditionem magis quam per puram reuelationem vel naturalem euidentiam. Lex ciuilis describitur quod est signum habitum per humanam traditionem positiuam volentem quod homo teneatur seu ligetur aliquid agere vel non agere pro consecutione finis sui naturalis, quæ est humana felicitas vel monastica vel æconomica vel politica. Patet descriptio ex prioribus. Vnde diligenter attendendum est quod sicut in speculabilibus sunt primò principia naturaliter nota. Sũt secundò conclusiones euidenter ab illis principijs demonstratæ. Sunt cõsequenter tertiò conclusiones tantummodo probabiliter deductæ ex prædictis veritatibus circa quas

Psal. 4.
Psal. 39.

quas est solum opinio. Tandem quartò sunt aliæ propositiones sic elongatæ à primis veritatibus quod non apparet quod ex illis sequantur vel repugnent, vt si astra sint paria vel imparia. Proportionabiliter suo modo dicendum est de veritatibus moralibus sub hac distinctione quadruplici. Et iuxta duplicem primum gradum accipitur ius purè diuinum si veritates sint certitudinaliter reuelatæ, vel ex reuelatis manifestè deductæ. Sed si cognoscantur per euidentiam naturalem accipitur ius propriè naturale. Circa tertium gradum & quartum proportionabiliter sumitur ius canonicum & ciuile, addita legislatoris auctoritate quæ facit, vt propositio moralis aliunde solum probabilis vel impertinens legibus propriè diuinis vel naturalibus robur habeat & vim obligationis ad alterum finem vel supernaturalem, & sic est lex canonica, vel naturalem, & sic lex ciuilis, vel politica nominatur. Rememorandum est tamen id quod iam dictum repetitur, paucissimas inuenire leges quæ non se mutuo participent, sed ratio distinguit eas & secernit. Transeamus consequenter post sermonem de iustitia, de iure, de lege, loqui de iurisdictione, de dominio & de politia. Iurisdictio describitur vel interpretatur, quod est iuris ditio.i. potestas seu facultas exercēdi ius. Vel dicitur iurisdictio quasi iuris dictio. i. pronunciatio seu promulgatio iuris. Quæ iurisdictio quadruplex est iuxta quadruplicem legem, diuina scilicet naturalis, canonica, ciuilis. Itaque iurisdictio diuina est potestas exequendi ius quod cōpetit alicui secundum legem proprie diuinam & hoc in alterum vel tanquam in alterum. Non enim propriè dicitur habere quis iurisdictionem in semetipsum, nisi forte consideretur tanquam alter sit, vt vellet aliqui de pœnitentia dicere. Proportionabilis descriptio est triplex triplicis alterius iurisdictionis secundum triplicem legem. Diuiditur autem quandoque iurisdictio in coerciuā quæ scilicet fertur in inuitum, Et in directiuam seu regulatiuam & ordinatiuam, qualis fuisset etiam in statu innocentiæ, & qualis est sapientis ad insipientiores & perfectioris ad imperfectiorem, vt in angelis etiam posuit Diony. Subiungamus de dominio quod ita describi potest. Dominiū est potestas propinqua assumendi res alias, vel vt alias in sui facultatem vel vsum licitum secundum iura vel leges rationabiliter institutas. Inuenitur autē hoc modo dominium sextuplex: Beatificum, originale, gratificum, euangelicum, canonicum, politicū. Beatificum est dominium secundum leges gloriæ. Originale dominium est secundum leges originalis iustitiæ. Gratificum est dominium secundum leges gratiæ gratificantis. Euangelicum est dominium secundum legem propriè euangelicam. Et ita de reliquis duobus suo modo. Primum fundatur in titulo gloriæ secundum in titulo originalis iustitiæ, & ita de reliquis suo modo. Possumus autem contractius loqui de triplici dominio, quorum vnum fundatur in titulo charitatis gratificantis. Alterum in titulo alicuius gratiæ supernaturalis solum gratis datę, non gratificantis. Tertium in titulo doni alicuius purè naturalis sicut est electio vel naturalis successio ad aliquem principatum. Describitur autē dominiū quod appellatur à multis euangelicū per appropriationē quod est dominiū immediate à Deo institutum compatiens secum ex æquo quolibet dominos & inabdicabile seruata charitate se extendens ad omnia. De hoc dicit apostolus quod nostra sunt omnia, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quoniam in titulum charitatis adijciuntur omnia abundè ad fruendum vel vtendū quæ in cœlis sunt & in terra, in mari & in omnib[9] abyssis. Describeretur conformiter dominiū originalis iustitię quod est donum Dei quo creatura rationalis ius habet immediatè à Deo assumere alias res inferiores in sui vsum & conuersationem pluribus competens ex ęquo, & inabdicabile seruata originali iustitia, seu integritate naturali. Hoc modo habuit Adam dominiū super volucres cœli & pisces maris. Describeretur proportionabiliter dominium libertatis creatæ est quod facultas propinqua resultans ex liberalissima condescensione Dei donatis ad agendū vel non agendū cū anima rationali in productione suorū actuum elicitorum vel in eorum suspensione ad finem consequendæ beatitudinis ordinata. Porrò quid sit dominium aliud fundatum in gratia supernaturali solum gratis data potest apparere consideranti naturam gratiæ talis, sicut dicit apostolus, Quis spiritus prophetarum subiecti sunt eis, & fides informis facit miracula. Contractius tamen locuti sumus in prima consideratione dum potestatem ecclesiasticam descripsimus quæ dominium ecclesiasticum dici potest. Præterea ciuile dominium seu politicum est dominium peccati occasione introductum, non competens pluribus ex æquo retinibile & abdicabile, seruata vel non seruata charitate fundatum in legibus ciuilibus & politicis secūdum quas potest abdicari vendendo, donando, negligendo, permutando. Vnde & apud ecclesiasticos inuenitur tale dominium suo modo. Nec fundatur in charitate, ac in fide, quoniam apud infideles & iniustos peccatores iustè manet tale dominium. Postremò tandem habito sermone de iustitia, de iure, de lege, de iurisdictione, de dominio, loquamur aliquid de politia describentes eā quod est cōmunitas ordinata ad finē aliquem perfectum. Est autem ordinatio vel ordo, parium dispariumque rerum sua vnicuique tribuens dispositio. Conuenit igitur prorsus ordo cum iustitia, quæ dat vnicuique quod suum est. Propterea diuinè fuit enunciatum per prophetam quod opus iustitæ est pax. Cur ita? Planè quia nihil aliud est pax quam ordinis tranquillitas. Hanc vero tranquillitatem ordinis facit iustitia, ius suum vnicuique tribuens, qua in re dictum est. Iustitia & pax osculatæ sunt. Politiarum verò alia est cælestis de qua nihil ad præsens. Alia est humana duplex viatorum. Vna est quæ vulgato & appropriato nomine dicitur ecclesiastica. Altera secularis. Secularis autē diuiditur ab Aristotele politizante in tres. Quarum primā vocat regnū. Secundam dicit Aristocraticam. Tertiam nominat vocabulo generali à proprietate politiam quam dicere possumus timocratiam. Describitur regnum quod est politia sub vno bono. Vel expressius quod est cōgregatio communitatis perfectæ sub vno secundum leges suas bonas pro republica. Dicitur autē vnus ille bonus vel rex vel imperator seu monarcha qui non proprium principaliter, sed commune bonū intēdit in suo principatu. Describitur aristocratia quod est politia sub paucis bonis vel expressius

Rom. 8.
Psal. 84.

quod est congregatio communitatis perfectæ sub paucis bonum reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus vt senatus. Describitur politia appropriato nomine seu timocratia quod est politia sub plurimis bonis. Vel expressius quod est cōgregatio communitatis perfectæ sub plurimis vtilitatē rei publicæ per leges suas principaliter intendentibus. Dicitur perfecta communitas, ad differentiam æconomicæ conuersationis, quæ sibi perfectæ nō sufficit. Dicitur secundū leges suas, quoniam in hoc attenditur principatus dominantis si secundum leges suas inueniatur vltro regere politiam, aliena lege non artatus. Omnis idcirco politia ecclesiastica siue dominetur vnus siue pauci, siue plures boni dicitur proprie diuina, quia secūdū leges supernaturales debet quilibet regulationem accipere. Et ita perspicuum est quod tres istæ politiæ vniuntur in ecclesia aliter quam in ciuili politia propter diuinæ legis vnitatem. Perspicuū est consequenter quæstionē hanc sapere blasphemiam & hæresim Pelagianam, si in ecclesiastico regimine theologia præponi debeat alteri scientiæ naturali vel humanæ. Non enim sumitur hic ecclesia pro templo materiali, quod ædificare melius sciret latomus quā theologus aut iurista. Nec de ecclesia tantummodo debet fieri sermo pro solis prouentibus & redditibus & iurisdictionibus ecclesiasticis ad temporalitatem & vitam hanc ciuilem respicientibus, quoniam esset hoc purè gētiliter sapere. Ita tamen animales etiam de ecclesia plerumque concipiunt prout operibus & verbis insinuant extollentes vsque in cælum, si quis Episcopus aut abbas laborauerit vt stēt mænia & prædia cum suis iurisdictionibus & permittat ruere subditos per errorum deuia in fide catholica & bonis moribus. Sic autē posset secularis vnus expertus æconomicus iudicari frequenter vtilior in ecclesiastico regimine, quā theologus aut iurista. Considerari igitur debet ecclesia prout instituta est à Christo supra firmam petram fidei ad finem supernaturalem secundum legem euangelicam & sacræ scripturæ diuinitus reuelatæ, secundum quā debet regulari iudicium de fide & moribus subditorum, quoniam rectum est iudex sui & obliqui. Pro qua fide conseruanda si deberent in iura Romana cōstitui auditores causarum fidei in theologia peritissimi nec corrupti moribus, quas causas omnes dicunt aliqui ad sedem Apostolicam referendas esse, licet hoc nimis generaliter intelligant attendatur si hoc æquè rationabiliter fieret, sicut auditores causarum prophanarum sunt ordinariè & collegialiter instituti. Possumus conformiter ad prædictam philosophi politiam tripliciter didistinctam in naturali regimine politiam ecclesiasticam diuidere, quod alia est papalis, alia collegialis, alia synodalis seu concilij generalis. Papalis imitatur regalem. Collegialis dominorum cardinalium imitatur aristocratiam. Synodalis generalis imitatur politiam seu timocratiam. Vel potius est perfecta politia quæ resultat ex omnibus. Sūt ex aduerso politiæ si aliter appellari merentur, quæ non libero & tanquam paternali regimine ducūtur sicut præcedentes, sed dispotico & seruili iugo trahuntur vel ex proprio demerito permittente Deo qui regnare facit hypocritam dicente Iob propter peccata populi. Vel aliunde iusto eiusdē Dei iudicio. Vocat autem eas Aristo. primam tyrannidem, alteram oligartiam, tertium democratiam. In tyrannide præsidet vnus proprium tantūmodo bonum inquirens, volens subditos impotentes, indoctos & diuisos ab inuicem esse. In oligartia præsident pauci simiiis conditionis super alios. In democratia præsidet sibi ipsi multitudo nequam, vbi quærit vnusquisque quæ sua sunt, nō quæ cōmunia. Cognoscet ex his studiosus lector si possit in ecclesiastica politia tale aliquid tripliciter & proportionabiliter inueniri. Denique de politijs mixtis nihil expressimus quoniā ferè nulla est quæ mixtionem excludat, sed à prædominanti talis vel talis nominatur. Hæc vero latius explicate sunt in tractatu quodam de vita spirituali. Et in sermone illo. Dedit & pater omnia in manus.

Epilogus præmissorum.

EPILOGANDO dicimus quod à prima iustitia deriuatur ius, generaliter in omnem creaturam, specialiter in creaturam rationalem, & hoc secundum multiplices leges. Secundum propriè diuinam, secundum propriè naturalem, secundum canonicam, secundum ciuilem. Fundatur inde perticipata iustitia imitatrix diuinæ. Dehinc iurisdictio quadruplex secundum quadruplicem legem, propriè diuinam propriè naturalem, canonicam & ciuilem. Et de qualibet harum dupliciter haberi sermo potest. Quoniam alia est coerciua in inuitum, Alia doctrinalis directiua vel arbitraria seu spontanea dici potest. Porrò secundum leges & iurisdictiones fundantur dominia. Vnum gloriæ alterum iustitiæ originalis aliud gratiæ gratificantis, aliud euāgelicum secundum leges propriè diuinas, aliud euangelicum sesecundum leges canonicas, aliud politicum vel ciuile secundum leges ciuiliter datas. Amplius verò fundantur secundum prædicta diuersæ politiæ. Vna regalis seu libera, altera seruilis & dispotica. Et vtraque diuiditur in ecclesiasticam & secularē. Secularis libera & bona diuiditur in regnum in aristocratiam & timocratiam. Seruilis & mala in tyranidem, in oligartiam & democratiam. Ecclesiastica bona diuiditur proportionabiliter in papatum, in cardinalatum & synodum. Mala verò re ipsa magis huic aduerso triplici aduerso triplici modo cognoscitur, quam nomine. Tandem sub ecclesiastica politia continetur appropriato nomine potestas ecclesiastica quæ primò diuiditur quoniam vna est ordinis, altera iurisdictionis. Potestas ordinis duplex: Vna super corpus Christi verum in consecratione, altera super corpus Christi mysticum in sacramentorum ministratione. Potestas iurisdictionis duplex? Vna in foro exteriori, altera in interiori. Potestas in exteriori duplex? Vna coertionis seu correctionis secundum legem propriè diuinam, quæ est excommunicatio, altera secundū leges positiuas, canonicas seu ciuiles, quæ iurisdictionis seculari similis est. Rursus potestas iurisdictionis in foro interiori duplex est: Vna clauium scientiæ & potestatis in absolutione seu remissione culparum, altera in pœnæ commutatione per largitionē indulgentiarum. Postremò tripliciter habet considerari potestas ecclesiastica. Vno modo in se formaliter vel absolutè, alio modo vt in hoc vel illo supposito materialiter seu subiectiuè, tertio modo vsualiter vel exercitatiuè. Vsus verò quadruplex est, licitus & ratus & non ratus, illicitus & ratus illicitus & irritus,

tus. Ratus verò dupliciter, vel de iure vel de facto.

A Finit tractatulus magis ad inquisitionem veritatis, quam ad determinationem editus & pronunciatus Constantiæ tempore generalis concilij pro parte cancellarij Parisiens. Anno à Natiuitate Domini. 1417. die. 6. Februarij.

Concordia quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ sit in summo pontifice & in ecclesia, quāuis non omnino similiter, & hoc sub triplici conclusione. Cuius declaratio patet ex tractatu, cuius titulus est de potestate ecclesiastica, & de origine iuris & legum.

B

Prima conclusio.

Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ cōplectitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet ordinis & iurisdictionis tam in foro interiori quam exteriori, quæ circa quemlibet de Ecclesia potest immediatè & absque limitatione exerceri clave non errante. Sed si errat, potest per solam Ecclesiam synodaliter congregatam error iudicialiter corrigi, & ne fiat vlterius lex imponi, cui tenebitur habens huiusmodi potestatem reuerēter obedire sicut matri & sponsæ Christi, & sicut regulæ à Spiritu sancto directæ.

C

Secunda conclusio.

Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ sic propriè sumpta nō potest esse de lege ordinata nisi in vnico summo pontifice formaliter & subiectiuè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicū, & habere posset multiplex caput ex æquo, quod apertè est hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quod pro libito possit immediatè iurisdictionē in omnes per se vel alios extraordinarios passim exercere, sic enim præiudicaret ordinarijs qui ius habent immediatum, immo immediatissimū super plebes eis commissas actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solū dum subest necessitas ex defectu ordinariorū inferiorum. Vel dum apparet euidens vtilitas Ecclesiæ, quemadmodum dici potest de Episcopis respectu plebanorum seu propriorum sacerdotū, quorum possunt supplere defectus.

D

E

Tertia conclusio.

Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ dū ponitur in Ecclesia synodaliter congregata cum plenitudine executionis huiusmodi potestatis fit variatio vel æquiuocatio de hoc quod est esse in, quia non eodem modo est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ in Papa & in Ecclesia. Fatendū est tamen quod est vtrobiq; & principalius in Ecclesia suo modo; & hoc quadruplici respectu scilicet indeuiabilitatis atq; indefectibilitatis extēsionis, regulationis & generalis obligationis, cui subijcitur etiam ipse Papa tanquam imperatrici sponsæ regis summi, qui potest condere canones, & diffinire, etiam si fuerit Papa præsens. Faciunt auctoritates subsequentes pro vtraquo parte secundæ conclusionis cū prima & tertia. Dicit enim Bonauen. parte 6. c. 5. sui breuiloquij ex dictis Aug. Sic igitur baptismus potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ, nō nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ supra petram fundata est, quæ ligandi & soluendi claues accepit, hæc est vna quæ tenet & possidet omnem sui sponsi & Domini potestatem, per quam coniu-

F

galem potestatem etiā de ancillis parere filios potest. Item Stephanus Papa sic scribit Gualberto Patriarchæ. Nunc verò iterato tibi scripsimus, nolentes alicuius Ecclesiæ priuilegium infringere, licet Apostolica prærogatiua possumus de qualibet Ecclesia clericum ordinare. Notentur decreta cum suis glossis. Quod & si Papalis potestas extendatur ad omnes immediatè, supple in casu necessitatis vel euidentis vtilitatis, non tamen vult alicuius ecclesiæ priuilegium infringere, supple quia nec ita velle debet.

Et sit epilogus præmissorum.

SERMO FACTVS PER EVNDEM XXI. DIE IVLII. ANNO DOMINI. M. CCCCXV. super processionibus faciendis pro Viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna. In quo ponuntur duodecim conclusiones seu regulæ practicæ in sacro generali Constantiensi Concilio.

PROSPERVM iter faciet nobis Deus salutarium nostrorū. Ita loquitur propheta in Psal. 67. Cuius initiū est. Exurgat Deus & dissipētur inimici eius, &c. Fiat ita quæsumus. Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, auxiliante te beatissima virgine, in qua est omnis gratia viæ & veritatis, quam imploramus & salutemus dicētes, Aue Maria, &c. Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorū. Ita fieri credimus & speramus. O Domine Deus salutarium nostrorū. Nec mirandum si speramus & credimus, quoniam te donāte adsumus. Ecce ordinationi sanctissimæ nuper factæ quam inspirasti fit cōuentus iste celeberrimus & deuotus ad orandū & deprecādum faciē tuam plenam gratiarū & dicendū. Domine saluum fac regem, iterq; suum in salutis tuæ prosperitate dispone. Sed quare nobis prosperum iter fieri petimus viri patres & fratres reuerendissimi sapientes, illustres atque doctissimi, & in omnium virtutum decore præclari. Nobis inquam prosperū iter quo pacto fieri petimus etiam qui loco manemus, nec mouemur quoquā extra disponimus. Sed profectò videmur iter agere, dum facit iter nobis, hoc est ad vtilitatē nostram, ad obsequiū nostrū, ad vniuersalem Ecclesię pacē. Serenissimus Romanorum Rex protector eiusdem ecclesiæ fidelissimus. Prosperum sit iter suū suppliciter & salubriter imploremus, quoniā in prosperitate sua salus nostra reponitur. Ita enim prosperum facies iter nobis. O Deus salutariū nostrorum, si pedes eiusdem regis nostri in viā pacis direxeris; si concesseris eum redire cum exultatione portantem vberes vnionis perfectæ manipulos. Sic enim fas habebit ex sententia dicere cum Abrahæ seruo, quod prosperū feceris iter suum, quod præterea fueris secū in omnibus ad quæ perrexit. Ambulet igitur ipse rex via regia per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris: te duce & te comite qui es via, veritas & vita, te dicente ad eum: Intellectū tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Psal. 31. Mādes Deus Angelis tuis vt custodiant eū in omnibus vijs suis, portent eum in manibus tuæ protectionis, vt non offendat ad lapidē cuiuslibet

G

obstaculi, vel obdurationis partis aduersæ pedem suũ, zelum suum. Sic enim prosperum iter facies, nedum tibi sed nobis, & hoc ad vtilitatem nostrã tu Deus salutarium nostrorũ. Potuerat sermo noster prolixius extendi, qui deuotas pro regis itinere prosperè fundendas orationes, commonefaceret atque suaderet Sed inspicio vestrũ deuotionis ardorem, qui vt continetur vel in maiorem desideriorum flammam erũpat, nõ eget flatu verborũ meorum exiguo, per se enim satis in meditatione vestra exardescit ignis piorum sanctorumq; desideriorũ, vt iugiter leuatis sursum cordibus vt tractis ex imo pectoris suspirijs atq; gemitibus dicat vnusquisque apud semetipsum: Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorũ, faciet pro faciat. Nam & apud Hebræos (vt Nicolaus de lyra dicit) futurum indicatiui pro optatiuo solet poni. Diuertat nunc paululum & pergat ad alia, non aliena sermo noster. Ecce quam offertur in ipsa meditatione mea iter quoddam non terrestre quod agitur pedibus corporis, sed spirituale & cœleste iter æternitatis quod peragratur pedibus mentis, qui sunt cognitio, pes sinister in intellectu, & volitio pes dexter in affectu Hoc iter quale est si quis interrogauerit? respondeat propheta id esse viam mandatorum Dei, quam nedum ambulasse, sed cucurrisse gloriabatur ipse cum ait: Viã mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Et rursus: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Et talia sunt in hanc sententiã absque numero. Et enim tu qui peregrinaris hic à Domino, si pergendo vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hæc est enim via regia, hoc iter prosperum, hæc cõpendiosa semita quæ ducit ad vitam. At verò videre mihi videor consequenter in ipsa meditatione mea collectum esse sacrosanctum præsens conciliũ vt viam istam præparet & dirigat, vt prosperum hoc iter nostrũ faciat cõcedente Deo salutarium nostrorum. Nã væ mundo à scandalis, væ hostilibus insidijs, super quibus est illa philosophiæ conquæstio. In via hac ambu. abscon. super laqueum mihi. Et rursus. Iuxta iter scandalũ posuerunt mihi. Quis autem omnia iuxta iter mandatorum Dei posita superborũ dęmonum carnis & mundi scandala dinumeret? Quis omnes laqueorum nodos, artes & modos agnoscat? quos non cum Antonio pauescens exclamauerit? Hos Domine laqueos omnes, hæc scandalorum retia quis euadet? At qui benedictus Deus salutarium nostrorũ qui prosperum nobis facit iter spirituale mandatorũ suorum, dũ voluntatẽ facultatémque contulit cõueniendi seniores in vnum, conuocandi cœtũ, congregandi ecclesiam, vt viderent quid facto opus esset ad tollendum tot scandala posita in vijs Sion, ita vt lugerent, eo quòd non esset qui veniret ad solennitatem. Hinc offendebat scandalum schismaticæ diuisionis. Hinc scãdalum multiplex hæreticæ prauitatis. Hinc multiplicata super numerum scandala, offensiones & retia cuiuslibet vitiositatis. Obsidebat præcipuè hoc iter spirituale, monstrũ horrendum ingens, mole potens, superbia & filia eius improbissima dira dominandi libido prohibuerat toto malignitatis spiritu & astu, ne celebraretur generale conciliũ, quod efficacissimũ erat & penè vnicũ aduersus hæc omnia scãdala remediũ.

Psal. 118.

Ibidem.

Mat. 19.

A Exultet verò nũc omnis fideliũ turba, nũc magnificè gratias referat Deo salutariũ nostrorũ, qui prosperũ fecit iter mandatorũ suorum, dum contulit celebrari sacrosanctum hoc generale conciliũ sufficiens ad schismatũ sedationẽ, ad hæresum extirpationẽ, & ad morũ reformationẽ. Et hoc ex paucis in hoc eodẽ practicatis concilio, non tam declarare quã summatim narrare vel annotare curabo. Non accurato quidẽ, sed doctrinali quotidianoque sermone. Satis erit ita loqui vt intelligar. Considerans itaque mẽtalibus oculis præsens generale conciliũ & acta eius, inuenio quod ipsum

B ab itinere spirituali remouit primò quadruplex scandalum obstans schismatis sedationi. Remouit aliud quadruplex scandalũ, nocens hęresum extirpationi. Remouit alterũ quadruplex contrarians morũ reformationi, & ita contrarians vt iam non esset prosperum, sed infaustum iter pacis fidei & virtutis. Conformiter ad hanc triplicem quaternitatem scandalorum numerus 12. conclusiones, regulas aut leges, quæ in hoc cõcilio vel explicitè vel implicitè stabilitæ sunt, quasi totidẽ directio-

C nes salutares per quas prosperum iter fecit nobis Deus salutarium nostrorum, vt in hoc itinere sit vnitas ratione primi, sit veritas ratione secundi, sit bonitas respectu tertij. Sit super modus, species & ordo, sit denique mensura, numerus & pondus. Conformiter ad potentiam, sapientiam & bonitatem patris & filij & spiritus sancti. Hoc modo prosperum iter facit nobis Deus scilicet vt sit iter planum, iter lucidum, iter pulchrum dum iustitia ponit in via gressus suos, dũ vestigia sua relinquit

D impressa quasi certa totidem signa, ne oberremus vel exorbitemus nobis data.

Prima l. x in via pacis.

Assignetur pro prima parte quæ est de via pacis prima lex siue directio liberãs iter nostrũ à primo scandalo quę data est in sessione publica quinto aprilis anni præsentis. Conciliũ generale potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, ac generalem refor-

E mationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. Conscribenda prorsus esse mihi videretur in eminentioribus locis, vel in sculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc determinatio lex vel regula tanquam directio fundamentalis & velut infallibilis aduersus monstruosum horrendumque offendiculum, quod hactenus positum erat per multos de ecclesia in itinere mandatorum Dei, determinantes ex textibus grossæ non ad regulam Euangelicam & æternam acceptis, Papã non esse

F subiectũ generali concilio, neq; iudicari posse per ipsum. Quod præterea generale conciliũ totũ ab Christo robur immediatũ sumebat. Nec poterat sine eo casu quocũque vel conuocari vel stabiliri: quod nemo poterat ei dicere, cur ita facis? quoniã solutus erat legibus & supra ius. Et ita de plurimis per quę blãda, fallax & subdola adulatio fouebat libidinẽ dominãdi, & tyrãnidem Ecclesiæ destructricẽ Papatũ seu eius vsum cõuertebat, ita vt non pateret via reductionis seu pacis. Scripsit super hoc errore vel scãdalo reuerẽdissimus pater Dñs Cardinalis Cameracens. pręceptor meus inclytus dudum & nuper antequam fieret hæc constitutio

repu-

reputans esse perniciosissimum sic asserere, sicut & de multis dictis per quosdam innitentes suis iu- A ribus positiuis annotauit. Nunc ex quo iam lex posita est nec iam licet dubitare, probationes omittamus. Sola hæc probatio sufficeret. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi vt ethnicus & publicanus.

Secunda directio siue lex salutaris.

Concilium generale potest eum quem reputat summum pontificem, nedum consultiuè inducere, sed auctoritatiuè compellere ad offerendū viā cessionis, vel ad cedendum papatui, etiā sine culpa sua, licet non sine causa. Qualis causa multiplex B esse potest, quemadmodū in publicis sermonibus tactum fuit in hoc concilio. Hæc lex per hoc sacrū concilium determinatiuè statuta est, & in Papa Ioanne 23. practicata, quia viā cessionis vrgente concilio, primùm obtulit, deinde cessit. Tollitur ex hoc scandalum dicentium viā cessionis practicari non posse inuitis contendentibus de Papatu. Tollitur denique collusio seu tergiuersatio volētium inuito generali concilio, vel Ecclesia perniciosè Papatum detinere, nunc aut quomodolibet C in futurum. Etenim si potest summus pōtifex dare libellum repudij Ecclesiæ sponsæ Christi, sicut egit Celestinus & laudatur, cur non viceuersa poterit sponsa Christi repudiare? non dicam spōsum suum, sed sponsi vicarium, præsertim vbi subest vel culpa vel causa.

Tertia directio.

Concilium generale sic est supra Papam, quod eius bullas & processus vel ordinationes & statuta potest irritare vel annullare. Potest insuper trāslationem curię Romanæ à loco concilij impedi- D re. Compellere rursus Papam stare cum concilio, & ita de similibus. Hoc determinatū est in publica sessione & multipliciter practicatum. Tollitur ex hoc scādalum quo per indirectum quæreretur nunc aut alijs dissipari generale concilium.

Quarta directio.

Concilium generale sic est super omnes leges positiuas, vel à summis pontificibus vel à generalibus cōcilijs editas, quod eas potest interpretari, mutare vel tollere, pro quanto viderentur impe- E dimentum vel scandalū esse ad iter Ecclesiasticæ vnionis. Hoc practicauit pręsens conciliū tollēdo pœnas omnes & inhabitationes, &c. Suspendēdo insuper futurā summi pontificis electionē. Recipiendo denique ad cautelam & humili quadā cōdescensione prætensam confirmationem concilij à Domino Papa cū multis similibus, quæ & qualia iurium positiuorum rigor non admittit.

Secunda pars principalis de via veritatis.

EXPOSVIMVS in hac parte prima quatuor scā- F dalorum genera quibus obsistit præsens cōcilium vt prosperū iter faceret nobis Deus salutariū nostrorum, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, & ad sedationem scismaticæ diuisionis. Trāseamus pro secunda parte ad destructionem alterius quadruplicis scandali quo videbatur impediri declaratio veritatis, & hæreticæ prauitatis destructio.

Prima directio salutaris in via Catholicæ veritatis.

Concilium generale potest & debet circa omnem personam cuiuscunque præeminentiæ vel status existat, absque fauore vel timore vel personarum acceptione iudicium in causa hæresis exercere. Patet ex tenore commissionis datæ reuerendissimis patribus dominis quatuor Cardinalibus, & alijs de qualibet natione. Hoc insuper practicatum est circa inquisitionem factā de Papa Ioanne 23. & circa Ioannem Husum, qui quamuis esset status parui, habuit tamen fautores plurimos fortes, acres & potentes. Hoc autem est prosperū & efficax iter ad extirpationem errorum, dū nullis parcitur, sed constanter proceditur ad emendationem, vel si corrigi noluerint, ad punitionem & exterminationem errantium. Alioquin nō satis destruuntur errores, si permittuntur liberi & impuniti, patentes & notorij verbis aut factis hæresum defensores. Si præterea prædicatoribus Catholicæ veritatis non subest plena libertas elucidandi legem sanctam. Tollitur ex hoc præsenti concilio dictum philosophi illius qui leges comparabat telis aranearum, eò quod debiliores muscas retinent, transmittunt fortiores.

Secunda directio siue sexta lex in ordine.

Concilium generale potest & debet assertiones hæreticas & erroneas in fide & moribus quę fuerunt & sunt in scandalum publicum diligēter examinare, reprobare & dānare, etiā non facto prius vel simul processu aduersus assertores. Hoc pluries practicatum est in hoc concilio, vt de assertionibus ꝙ cōmunicandi erant laïci sub vtraque specie. Et de ista assertione quilibet Christianus potest & debet &c. Deniq; tam rationes quā similitudines manifestę & exēpla sanctorum probāt idē vt de falso numisinate & famoso libello. Tollitur ex hoc scandalum vel tolli debet eorum qui pro bono accessorio quod in facto consistit, elucidationē veritatis vel impediunt vel procrastinānt, hoc autem procrastinare quid nisi impedire est?

Tertia directio.

Conciliū generale potest dānare propositiones multas cū suis autoribus, licet habere glossas aliquas vel expositiones vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc concilio de multis articulis & Vicleff, & Ioānis Husum, quorum aliqui poterant vel de vi logicæ vel grāmaticę defensionem aliquam recipere, vt in articulis qui sunt indiffinitè traditi, vel qui loquuntur de possibilitate prout posse logicum est, & nō physicum. Vel qui possent ad aliquē sensum verum trahi, si seorsum ponerentur. Sed conciliū hoc solerter attendit, primò quia iuxta Hylarium, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Iterum illud Aug. Liberis verbis vtūtur philosophi, & in rebus ad intelligendū difficillimis offensionē piarum auriū non pertimescūt. Nobis autem scilicet theologis ad certam regulam loqui fas est. Illud denique vulgatum fundamentum in Aristo. quod sermones accipiendi sunt secundum materiā subiectā, vnde moralis sententia sumitur. Ea est enim diuinæ formæ substantia, vt quod nec in extrema dilabatur, nec in se extraneū aliquod ipsa suscipiat, sed sicut de ea Parmenides ait: Verum orbem mobilem rotat dū se immobilem ipsa cōseruat. Quod si rationes quoque non extra petitas, sed intra rei quam tractabimus ambitum collocatas agitauimus, nihil est quod admirere, cum Platone sanciente didiceras cognatos, de quibus loquimur rebus oportere esse sermones 3. de consolatione

vlt. prosa in fi. Similiter theologia suam propriam habet logicã & sensum literalem aliter quam speculatiuæ scientiæ. Hæc directio vel lex præseruauit hactenus præclaram vniuersitatem Parisiẽsem à pluribus erroribus, dum scholasticos suos semper ad certam regulam fidei loqui iussit & compulit. Vtinam in alijs studijs hæc disciplina similiter teneatur. Mala libertas est malè & erroneè loqui posse.

Quarta directio siue octaua in ordine.

Concilium generale potest & debet damnare propositiones multas vel assertiones homini, quãuis non possent ex solo & nudo textu expresso sacræ Scripturæ patenter reprobari, seclusis expositionibus doctorum vel vsu celebri Ecclesiæ & cęteris. Hoc practicatum est in hoc cõcilio in multis assertionibus. Ioannis & Vicleff, & Ioannis Husum, immo & de ista quod est communicandum per laicos sub vtraque specie panis & vini. Hæc directio vel lex prosperum facit iter ad hæresum & hæreticorum exterminationem, quoniam hæretici quos vidimus defensionem suam vt plurimum accipiunt, quia nolunt hæreses absolutè reuocare, sed tamen conditionaliter, si videlicet ex rigore textus sacræ scripturæ conuincantur errare dicentes, quod expositiones doctorum, decreta, decretales sint apocryphæ, neque de illis curandum est. Hæc autem præsumptio quam latè pateat ad errores, nemo non intelligit.

Tertia pars principalis de via morum vel virtutum.

DECLARATIS vel narratis scandalis quatuor obuiantibus errorum extirpationi, loquamur pro tertia & vltima parte aliquid de remotione totidem scãdalorum obstantium morũ reformationi in capite & in membris, narrando quadruplicem legem vel directionem practicatã in hoc concilio, vt prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

Prima directio salutaris in via morum & virtutis.

Concilium generale sic est supra Papam & alium quemlibet de ecclesia, quod ipsum Papam potest deponere pro quocunque crimine, de quo notoriè & incorrigibiliter scandalizatur Ecclesiã. Hoc est practicatum dudum de Papa Ioanne 12. & nunc de Ioanne. 23. In cuius deiectione nõ inseritur quod fuerit hæreticus vel à fide deuius. Et si ita actum est de Cedro Libani, quare non timebit humilis herba deserti? Accusatus tamen inter cætera fuit & conuictus quod fuerat notoriè simoniacus. Ex quo confunditur illa quorundam temeritas qui Papam in collatione beneficiorum non posse committere simoniam, vel disputabãt vel definiebant.

Secunda directio siue decima lex.

Concilium generale quamuis non possit nec debeat plenitudinem potestatis Papalis cõmissam à Christo Petro & successoribus eius tollere vel minuere, sed de ea gratias agere Deo qui contulit, eamque reuereri debet & amplecti. Potest nihilominus vsum potestatis illius certis legibus & statutis limitare in ædificationem Ecclesiæ. Hoc practicauit præsens concilium tum in multis, tũ specialiter in hoc quod legem præfixit in eligendo Papam futurum & suis electoribus, quod reuerendissimum patrem dominum Angelũ corario, A ob laudabilitatem suæ cessionis spontaneæ, nullus Papa futurus posset eum à collatis cardinalatu & potestate legati per hoc concilium deponere, nec eum super præteritis quibuscũque factis quomodolibet impetere vel punire, iure quidẽ & indulgenti condescensione hoc factum est, vt exemplũ posteris detur vltro cedendi, dum illud efflagitat Ecclesiæ vel pia vtilitas vel vrgens necessitas. Expedit autem nũc ante summi pontificis electionẽ ita fieri circa multa generalem statum Ecclesię cõ-
B uenientia in quibus summi pontifices vsum plenitudinis suæ potestatis passim nimis verterunt in abusum, vt quia noluerunt generalia celebrare concilia, nec inferioribus prælatis ordinaria iura relinquere. Quodque in statutis generalium conciliorum nunc cassando ea, nunc mutando, nunc ad libitum interpretando, nunc priuilegia & exceptiones largiendo, palam & absque manifesta ratione vel vtilitate deuiarunt. Vnde sicut in vsu dispensationum, concessione priuilegiorum, innouatione decretalium non expedit v-
C sum potestatis papalis sic restringi, vt in omni casu tali fiat ad concilium generale recursus propter difficultatem & raritatem suæ conuocationis, qualis non erat in primitiua Ecclesia quando communi consensu dicente Hiero. fiebant omnia. Sic non expedit talem laxationem fieri quæ vim & robur generalium conciliorum in suis constitutionibus passim tollat & eneruet. Considerari posset in hoc loco Aristo. traditio de triplici politia, regali scilicet & Monarchica, in qua
D vnus bene præest, cui tyrannus opponitur. Altera est Aristocratia, vbi dominatur pauci & boni, cui opponitur obligartia. Tertiam ponit timocratiã, in qua populus bene dominatur quæ oppositam habet Democratiam. Esset autem inter istas politias illa melior quam aliqua singularis quæ ex regali & Aristocratia componeretur vt in regno Franciæ, vbi rex instituit parlamentum à quo iudicari nõ refugit. Esset verò omnium optima & saluberrima politia, quæ triplicem hanc bonam complecteretur, regalem, Aristocratiam &
E Timocratiam. Est autẽ generale conciliũ politia talis cõposita habens suam directionem magis ex assistentia speciali spiritus sancti & promissione Iesu Christi, quã ex natura vel ex humana sola industria. Hinc est illud quod prædiximus quod ipsum est saluberrima & efficacissima regula ad regimen totius Ecclesiæ tranquillum vel conseruandũ vel reformandũ vel inueniendum tanquã supremus & sufficiens legislator vniuersalis & potẽs epikeies. Præterea legitimus & securus nec su-
F spectus rationabiliter ab aliquibus Christianis: cũ procedat omnium vel quasi omniũ communi cõsensu vel assensu. Quid autem est generale concilium, alias descriptum est & repeto? Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ nulla fideli persona quæ audiri requirat exclusa ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen eiusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt. Deduci posset ex hac descriptione cum præcedẽtibus qualiter plenitudo potestatis Papalis collata est à Christo in his quæ supra naturam sunt.

In alijs

In alijs etiã quæ leges naturales, canonica & ciuilis sibi tribuunt vt Monarchæ,supremo stat & cõcordatur cũ potestate concilij quæ dicta est, quoniã in concilio Papalis potestas includitur, quãuis aliter sit hæc potestas in Papa, aliter in cõcilio. Sicut aliter claues Petro traditæ sunt, aliter ecclesiæ. Vnde conciliũ in multis quæ Papã respiciũt habet auctoritatem conciliatiuam & dictatiuam, Papa exercitatiuam & executiuã. Non enim posset cõciliũ per seipsum vel absoluere in foro cõscientiæ, vel presbyteros ordinare, vel corpus Christi conficere, vel debellare manu armata infideles, & ita de multis, sed ad ipsũ spectat circa hæc huiusmodi cõsulere vel dictare,cuius dictamini qui repugnat, contumaciter repugnat spiritui sancto cuius est ipsum concilium in dictando vel consulendo dirigere. Exemplum in homine vbi ratio potestatẽ habet dictatiuam & conciliatiuam,voluntas exercitium & executionem.

Tertia directio.

Cõcilium generale potest de dissentionibus & guerris inter Principes Christianos sæuientes in perniciẽ totius Christianitatis & perditionis hominum in anima & corpore auctoritate legitima cognoscere, prohibendo eis vias facti & ad suscipiendum vias iuris & rationis per censuras Ecclesiasticas compellendo. Hoc practicare proposuit serenimus rex Romanorum semper Augustus,qui priusquam recederet ab hoc concilio ad locũ cõuentionis cum rege Arragonum & Petro de Luna orationẽ ad deputatos habuit omni religiosa pietate & vera Christiana religione plenissimam,quã his auribus non sine pia compunctione lætus audiui. Narrauit illic propositum suum esse tendere post sedationem scismatis ad pacificationem regũ Franciæ & Angliæ, maximè per auctoritatẽ huius concilij. Narrauit de pacificatione regis Poloniæ cum Prutenis. Dehinc de Passagio Hierosolymitano præcedẽte pacificatione regis Poloniæ, &c. Fundamentũ seu regulam procurauit inducendo quamlibet partium vt se generali concilio suæque definitioni prorsus submitterent,cuius auctoritati ipsemet rex quemadmodum tunc & pluries antea sub attestatione diuini nominis protestatus esse debebat & volebat esse subiectus,& hoc in speculum & exemplar æternum cuiuslibet principis Catholici temporalis.

Quarta directio siue lex duodecima & vltima.

Concilium generale potest & debet cõstituere crebriorem generalium conciliorum celebrationẽ quam retroactis tẽporibus fuerint celebrata,vt de decẽnio in decenniũ præfixa futuris summis pontificibus ista lege quã transgredi nõ liceat. Fundatur in præmissis hæc consideratio & per argumentum ex oppositis, quoniã si tot & tã enormia discrimina proueniunt Ecclesiæ Dei dũ cessatũ est à concilijs generalibus, quanta demũ erit salutaris vtilitas ex frequentiori celebratione perspicuũ est. Quis itaque nesciat quod inde superiorũ peccata minus vigebunt,dum minorẽ sibi sentient esse peccandi licentiã, vel impunitatis spem, dũ secundũ reddituros se rationem coram iudice suo generali concilio prospicient. Sunt quippe nonnulli qui & si Deum non timent, homines tamen reuerentur. Denique si non sit assiduè lex viua dirigens,regens & actuans leges mortuas ad effectum, ipsæ non satis proficiunt, vnde & philosophus tradere satagens medium virtutis, non potuit illud efficacius inuenire quam vt diceret, prout sapiens iudicabit. Potuerant ex præmissis omnibus velut ex fundamẽtalibus quibusdam regulis, directionibus & signis in via mandatorum Dei leges elici particulariores,ad tollendum scandala impedientia prosperum iter pacis, fidei & virtutis ad sedationem schismatum quo ad primum, ad extirpationem errorum, quo ad secundum, & ad reformationem morum quoad tertium,sed neque tempus neque locus sufficiunt quia tetigerũt insuper multa ex eis prudentes & studiosi suis inscriptis,quia rursus debent huiusmodi leges & cõstitutiones particulares magis per mutuam collationem omnium de concilio agitari, tractari, & definiri, iuxta regionum aut patriarũ varietatem. Quia denique decreta & decretales viderentur abundanter sufficere, si per legem viuam fieret efficax executio; Alioquin multiplicatio constitutionũ huiusmodi etiam pœnalium quandoque plus onerat & aggrauat quam subleuet aut proficiat, Faciamus tandem in oratione finem verbis, vt Q. reuolet ad A.& dicamus obsecrantes. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. Iter nedum terrestre sed spirituale & cœleste,iter æternitatis ad Deum salutarium nostrorum , qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

LIBELLVS DE AVFERIBILITATE PAPÆ AB ECCLESIA Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiẽs.

VENIENT autem dies cum auferetur ab eis sponsus. Mar.2. Circa quem textum pro materia nunc currẽte quæritur. Si auferibilis sit sponsus ecclesię à filijs suis vel ab ea. Et ponantur hic considerationes. 20.

Consideratio prima.

AVferibilis non est spõsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa tota Ecclesia lege stante. Si quidem caput Ecclesiæ Christus est ad Ephes.4.& Collossens.1.& 2.Puto autem nemo cõcesserit, ꝙ absq; capite valeat permanere corpus aliquod verũ vel mysticũ:sed Ecclesię corpus mysticũ manere semper vsq; ad consummationẽ sæculi necesse est lege stãte. Mat. vlt. & 24. Hoc ergo fiet per viuificũ influxũ capitis in ipsum. Pro quo facit parabola qua Christ⁹ se viti cõparat, discipulos palmitibus. Quod si quis dixerit oppositũ dicẽs Ecclesiam incœpisse ab Abel iusto secundum Grego. quo tempore nondum Christus erat incarnatus. Respondet Ioannes in Apoc. qui dicit Agnum fuisse occisum ab origine mundi prę uisiuè,scilicet & acceptatiuè à Deo,licet nondum corporaliter exhibitiuè,quia nec ipsis antiquis erat salus nisi in fide, multũ tamẽ implicita & generali mediatoris & capitis Ecclesiæ Christi tunc futuri, quibus erat necessariũ credere sanctum illud symbolum quod Deus est,& quod est remunerator in se credentiũ. Rursus deducitur ꝙ dictum est ex ipsa cõditione matrimonialis vinculi inter Christũ sponsũ & ecclesiã sponsam, sicut Io.in Apoc.ecclesiã sub typo ciuitatis nouę Hierusalẽ vidit descẽdentẽ de cœlo sicut sponsam ornatã viro suo. Nam ad exemplar

cœlestis ecclesia terrena formata est. Quod autem Deus coniunxit, homo non separat, ita vt lege stante non posset aut debeat dari libellus repudij inter sponsum & sponsam coniunctos legitimè. Quæ autem coniunctio matrimonialis magis legitima quam Christi sit ad ecclesiam confœderatio? Propterea dicit per Oseam: Desponsabo te mihi in æternum, & per alterum prophetam: Si potest obliuisci mater quod non misereatur filio vteri sui, ego tamen tui non obliuiscar. Loquitur de ecclesia sponsa sua. Nam relinquet homo patrem & matrẽ & adhærebit vxori suæ, sic & Christus Ecclesiæ, cum matrimonium carnale ideo sumat indissolubilitatem, quia sacramentum magnũ est in Christo & Ecclesia, quia est illius matrimonij sacrum signum.

Consideratio secunda.

AVFERIBILIS est absolutè loquendo sponsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa Ecclesia. Neque enim minus hoc est possibile quàm quod Christus desineret esse homo sicut spontanea voluntate verbum caro factum, aut quod desineret esse nedum ecclesia ipsa, sed omnis generaliter creatura. Porrò sicut non est absoluta & inauferibilis habitudo cuiuscunque creaturæ ad alteram creaturam, neque tanquam finibilis ad suum finem, neque tanquam effectus ad suã causam. Sic non est hoc modo essentialis vel inauferibilis habitudo ecclesiæ ad Christi humanitatem, quam vtique confitemur creaturam. Et ita staret absolutè Christum hominem esse & ecclesiam similiter esse, nec tamen ipsam à Christo vt homo est, vitales influxus suscipere.

Consideratio tertia.

AVFERIBILIS est sponsus militãtis Ecclesiæ Christus à quolibet filiorum suorum hic in via, licet non ab omnibus collectiuè quãdiu permanebit militans Ecclesia & lege stãte, sicut deinceps loqui proponimus. Perspicua est prima pars huius disiuncti, quoniam nullus est homo viuens qui non videat mortẽ, & si hoc non sufficiat, quia dicit Apostolus quod siue viuimus siue morimur &c. aut perinde nũquã separamur à Christo. Cõstat tamen quod fit separatio per mortẽ talem qua desinit esse quis viator & de Ecclesia militante. Constat præterea quod quamdiu manebit hic aliquis in via, sicut potest proficere, ita deficere culpabiliter, & à Christo vera vitæ vt palmes aridus & combustioni soli aptus separari, nisi tamẽ fuerit per confirmationẽ quodam modo positus extra statũ prout est viator. Altera pars disiuncti sequitur ex prima consideratione & eius deductione, quoniã & omnium collectio nihil aliud est quam Ecclesiastici corporis indissolubilis cõpago, quẽadmodum dici solet, totum nihil aliud est quã suæ partes simul sumptæ, sed hæc compago manet in æternum lege stante.

Consideratio quarta.

AVFERIBILIS nõ est sponsus Ecclesiæ Christus ab ipsa quin influat quotidie tã per modũ meriti & impetrationis vt alij sancti & plus quam ipsi, quam etiam per modũ dignatiuè condespirationis & viuificationis per spiritũ sanctũ suum, fidẽ, spem, & charitatẽ, cum cæteris dotibus infundendo gratuitis, virtutũ donorũ & beatitudinũ, & maximè sacramentorũ. Itaq; sicut nõ permanet
A corpus aliquod verũ & viuens nisi habuerit qualitatiuas dispositiones reddentes cõplexionem harmoniacã & decentem, per manutenentiam formę cũ corpore organico secundũ exigentiam ipsius ac formæ actiuitatis & operationũ suarum, cur aliunde venit mors, nõ aliter sentiendũ est de corpore mystico ecclesię. Ipse em̃ spiritus sanctus qui est spiritus Christi est etiã suo modo forma corporis Ecclesiæ Christi, præbens ei vitam, vnitatem & motũ, & hæc nõ permaneret cessantibus qualitatiuis dispositionibus prænominatis diffusis per totũ
B corpus Ecclesiæ & per mẽbra varia prout vnicuique mẽbro donatũ est, & prout opus habet ad ædificationẽ corporis vniuersi. Tradit hoc Apostolus clarissimè scribens ad Ephes. 4. Solliciti inquit seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis, vnũ corpus & vn⁹ spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omniũ. Sequitur. Vnicuiq; autem nostrũ data est gratia secundũ mensuram donationis Christi, sequitur: & ipse dedit
C quosdã quidem Apostolos, &c. Quinetiam articuli quatuor principales Apostolici Symboli fundant illam considerationem. Vnus est, Credo in spiritum sanctum & viuificãtem, quid viuificantẽ nisi sanctã Ecclesiam, sicut protinus additur, & vnam sanctam Ecclesiam Catholicam. Deinde sequitur, Sanctorum hoc est sacramentorum communionem, ac deinde remissionem peccatorum intellige consequutur, & vitam æternam.

Consideratio quinta.

D AVferibilis non est ab Ecclesia militante spõsus suus Christus homo, quin semper influat in eandẽ ecclesiam spõsam suã per membra varia, gradus Hierarchicos, officiorũ & administrationum & dignitatũ & statuũ ab ipso constitutorũ, dum ecclesiam fundauit primitus & ædificauit. Si enim permanebit ecclesia vsq; ad consummationẽ sæculi permanebit vt perfecta, Dei enim perfecta sunt opera, non solum in inchoatione, sed magis in conseruatione & consummatione. Sed nemo dubitauerit quin ablatio vnius membri à cor-
E pore deformitatem grandem & imperfectionem inducat. Manebit ergo semper ecclesia cum suorũ integritate & perfectione membrorum. Scribit de his Apostolus 1. ad Corinth. 12. Diuisiones inquit gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idẽ autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autẽ Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autẽ datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ, alij quidẽ per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autẽ sermo
F scientiæ secundũ eundem spiritũ, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Concludamus ex his Pauli verbis quod assiduus erit in ecclesia vsus ministrationum & gratiarum gratis datarum quas enumerat, & hoc quantum expediat eius decursui & ædificationi, sic erunt sapientes, sic prophetæ, sic discretores spirituum, quibus ex officio Hierarchico cõmisso eis à Christo & spiritu sancto conueniunt tales actus, ita vt

ab

ab humana quauis auctoritate nequeat impediri, suspendi vel prohiberi, sicut nec status papalis nec apostolicus vel pastoralis. Fuerunt enim primitus velut in quodam seminario viuifico positi in Ecclesia per Christum, & postmodum crescente Ecclesia discretio talium magis innotuit velut si stipes vineæ se in folia & flores & ramos explicuerit.

Consideratio 6.

AVFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia taliter, quin semper habeat in se viuificum semen quo potest per successiones generationis & generationis sese cõtinuare in corpore toto & in membris præsertim officialibus, similiter & in filijs. Traducitur ad hoc illud Christi. Matth. 24. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, loquens de generatione iustorum, quæ contrariatur illi de qua dictum est: Amen dico vobis quod requiretur à generatione hac omnis sanguis ab Abel iusto. Itaque si dominus in rerum mutabilium creatione singulis indidit sementem secundum genus suum ad propagationis suæ generationem. Si tam in lege naturæ quam in lege Moysi status sacerdotalis durabat vel in primogenitis vel per successionem hæreditariam filiorum pro patribus suis, oportuit multo amplius legem gratiæ perfectissimam habere in semetipsa fœcunditatem pro sui cõtinuatione legitima. Ad quod inducit Apostolus ad Rom. 9. textum prophetæ euangelici. Esa. 1. Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Zodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Hoc autem quid aliud debet intelligi, quam vis insita spiritualis & ars quædam viuifica in vniuersum corpus Ecclesiæ, per quam Hierarchicus ordo suus potest vsq; in finem subsistere. Et ex his protinus infertur quod Ecclesia vel concilium eam repræsentans potest instituere vel eligere vel designare summum pontificem in sacra sede Petri. Potest insuper modum determinare vel limitare eum taliter vel taliter instituendi siue designãdi, ita quod non spectat hoc ad solum pontificem summum, alioquin ipso mortuo vel nolente dare legem eligendi successorem, posset Ecclesia permanere iugiter sine summo pontifice, quod nequit fieri lege stante. Quia si quis dixerit: modos qui nunc obseruãtur pro electione summi pontificis determinatos esse per summos pontifices, Placet. Si Ecclesia consensu suo verò vel interpretatiuo approbauit, aut in defectu qualem prædiximus fas haberet immutare. Et ita fas vt in contrarium nullius posset cuiuscunque pontificis auctoritas legem dare.

Consideratio 7.

AVFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia sponsa sua & filijs eius, sic quod remaneat Ecclesia in sola muliere, immo nec in solis mulieribus omnibus, immo nec in laicis solum lege stante & non facta diuinitus noua institutione. Da oppositum, Ecclesia deficere posset in suis gradibus & officijs Hierarchicis. In suis etiam sacramentis vsque in finem. Patet hoc præsupponendo quod sacerdos à non sacerdote, & Episcopus à non Episcopo nequit instituti, immo nec à tota multitudine laicorũ aut mulierum simul congregata, si per casum mortui essent omnes sacerdotes. Additum est, non facta diuinitus institutione noua, quia Spiritu sancto dictante & operante noua præstari posset auctoritas qualis nondum collata est, quemadmodum prius quam Deus instituisset sacerdotium nouum supremum & alios inferiores gradus Hierarchicos in Ecclesia non dubium quin hoc potuerit. Porrò nulla communitas vel vniuersitas hominũ mortalium simul congregata talem aliquem gradum nullo modo instituere potuisset cum potestate, qualis in quolibet reperitur quæ supra naturam existens ipsam sibi præsupponit & substernit quodammodo sicut forma materiam. Nec opinor quod aliquis doctorum Theologorum senserit in hoc contrariè, quamuis verba quædam epistolæ cuiusdam tractatus de concilio generali videri possunt aliqualiter hoc sonare, nisi benigno interprete foueatur. Deducitur proinde quod nec Hieronymus, nec aliquis aliorum dicens Ecclesiam vel Apostolos sibi constituisse Petrum vt supremus esset & princeps inter eos ad schisma tollendum, non intelligunt hoc nisi quod Ecclesia vel Apostoli declarauerunt ita esse constitutum à Christo, & hoc tenendum fidelibus tradiderunt. Et ita saluatur illa quæ videtur super hac re inter Hieronymum & cæteros varietas.

Consideratio 8.

AVFERIBILIS est aut mutabilis lege stante quælibet politia ciuilis Monarchica seu regalis vt fiat aristocratica, & non sic de Ecclesia quæ in vno monarcha supremo per vniuersum fundata est à Christo. Posset deduci consideratio tam à priori quam à posteriori deducendo variationes quæ fuerunt in alijs politijs, quia nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo regalem nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia, quod secundum fas est esse plures Papas aut quod quilibet Episcopus est in sua diœcesi Papa, vel pastor supremus æqualis Papæ Romano, errant in fide & vnitate Ecclesiæ contra articulum illum, & in vnam sanctam, &c. & si pertinaces maneant iudicandi sunt hæretici, sicut Martinus de Padua & quidam aliorum. Consonat ratio, quia sicut ad vnam fidem & ad eadem sacramenta obligatur omnes viatores, sic oportet vt non esset scisma reductionem finalem fieri ad vnum supremum. Secus vbi communitas regitur legibus solis naturalibus & traditionibus humanis, quæ pro varietate temporum & locorum laudabilius & vtilius variantur, quam vt vno tenore ligent omnes, quemadmodum tradit Aristo. exemplificans de regula Lesbiæ. Quocirca dicamus ex incidenti consequenter quod nec summus pontifex, nec aliquis aliorum debet conari vt canones positi vel aliæ traditiones humanæ, obseruentur vbique per totam Ecclesiam, & per omnes inuariabiliter nationes. Oppositum satagere dedit fortè occasionem Græcis discedendi à Latinis, dat præterea quotidie materiam multam litium, scrupulorum grauium, dum æquali tenore quæritur obseruari lex humana, siue sit illa canonica, secularis vel ciuilis, quemadmodum custodiri diuinam absque vlla variatione necesse est. Inde venit illa

Christi quæstio. Matth. 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.

Consideratio 9.

AVFERIBILIS est vicarius sponsus Ecclesiæ per voluntariam eius cessionem aut renunciationem à papatu. Fuerat enim olim dubitatio post renunciationem Cœlestini, nunquid talis renunciatio iure subsisteret. Tum propter votum quo se Papa obligat ad Ecclesiam. Tum propter desponsationem & matrimonium quoddam spirituale inter Papam & Ecclesiam. Tu præterea, quia Papa diuino iure statutus est in hoc gradu, & si quæ sunt aliæ rationes. Occasione cuius dubitationis facta est decretalis determinans affirmatiuè quod hoc licet. Et ita licet, quod ex hac humili renunciatione cum cæteris patribus Cælestinus annumeratus est cathalago beatorum. Sunt autem casus aliqui etiam per iuristas expressi quando licitum est prælato, immo quandoq; debitum cedere statui suo. Vnus est grande scādalum subditorum quod non expectatur alio modo probabiliter terminandum quam per cessionem. Alius casus est dum occupatio seu retentio prælaturæ patenter vergit in detrimentum salutis propriæ. Nam quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo pro anima sua cōmutationem. Alius casus est vbi manifestè talis retentio impediret maius bonum vel in prælato, vel in subditis. Multiplices essent casus in particulari secundum illud triplex genus. Sed breuitati nostræ satis sint ista pro nunc. Per quæ dissoluitur prima ratio quæ fiebat de voto, quod non obligat dum vergit in detrimentum salutis vel exitum deteriorem. Alteram rationem soluit dissimilitudo quæ est inter matrimonium carnale & spirituale, licet conueniant in multis. Dissimilitudo est quantum ad hoc quod in spirituali non est sacramentum, ex quo consurgat indissolubilis nexus ex institutione diuina. Quemadmodum de carnali est expressa lex. Quod Deus coniunxit homo non separet, & sacramentum hoc magnū est. Dico autem in Christo & Ecclesia, inquit Apostolus. Ac perinde soluitur ratio tertia, quia propriè solus Christus est sponsus Ecclesiæ. Alij sunt tantummodo vicarij quos per humanam designationē vel electionem voluit institui, quamuis officium sit diuinum, & sola auctoritate diuina primitus ordinatum.

Matth. 16. Marc. 8. & Luc. 9.

Matth. 19. & Marc. 10.

Consideratio 10.

AVFERIBILIS est in casibus dabilibus vicarius sponsus Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia, & hoc per eam, vel per concilium generale representans eā, vel per aliquos ad hoc per eam institutos, siue consentiat ipse vicarius, vel non consentiat suæ cessioni. Sumitur in primis argumentum pro hac consideratione ex veritate præcedentis. Nam si vicarius sponsus potest resignare sponte ipsi Ecclesiæ dando ei libellum repudij. Cum sponsus & sponsa non debeant quo ad hoc impari iure censeri poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra sponsum, vel quia prostituere quærit eam quantum in se est, vel tyrannide sæua tractare, laniando eam vel placitando bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus nisi in ædificationem suam & vtilitatem communem. Patet ad Ephes. 4. & ad Corinth. 6. Dedit vtiq; ad pacem eius cuius fines posuit pacem secundum Psalm. Et hanc operatur dilectio, propter quod finis legis ab Apostolo ponitur dilectio, in qua etiam fundauit Christus officium pastoralis. Si diligis me (inquit Christus Petro) pasce oues meas. Ioan. vlt. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur, nō vniretur sed dissiparetur, non pasceretur, sed depasceretur, si non cederet voluntarius vel eijceretur inuitus hic qui in vicarium sponsum Ecclesiæ ritè & canonicè fuerat ordinatus. Nec fit cuiquam illud admirationi quod dicimus quasi contrariantes illi iussioni. Nolite tangere Christos meos, quomodo etiam vni singulari personæ fas esset in casu violentiæ attentatæ per Papam verum contra castitatem suam, vel vitam vim vi repellere cū appositione inculpatæ tutelæ, & ita licitè stabit quod tangat Papam violenter, vel in mare deijciat. Cur similiter in casu non liceat idem toti Ecclesiæ pro defensione sua, & violentiæ attentatæ cauta repressione.

A

B

Psal. 104.

C

Consideratio 11.

AVFERIBILIS est in casu vicarius Ecclesiæ per concilium generale eo non consentiente vel inuito celebratum. Fateamur prius quod regulariter concilium generale non est celebrandum de iure etiam diuino non vocante vel approbante Papa si est vnicus, nec aduersus eum allegatio legitima. Sed regulæ generales benè suscipiunt exceptiones sicut in grammaticalibus, ita & in moralibus, præsertim vbi casus particulares incidunt modis variabiles infinitis, ad quas exceptiones ordinata est lex superior interpres aliarum, quam Aristot. vocat epykeiam. 5. Ethic. Et alia diuinior quam gnomi appellat in 6. Ethicorum. Hæc autem lex semper habet locum in interpretatione legum aliarum particularium, vbi deficere cernitur ratio & finis institutionis ipsarum. Finis autem legum omnium nedum humanarum, sed diuinarum est dilectio quæ vnitatem operatur. Sit ergo casus vbi legis alicuius obseruatio dissiparet vnitatem & obesset publicæ saluti. Quis ratione vtens, diceret eam tenere oportere. Nimirum nec sibiipsi quisquam vellet hoc fieri, quanto minus tota cōmunitas rationabiliter hoc fugiet. Quod si quis interrogaret, qua auctoritate fulcietur, vel vtetur huiusmodi concilium acephalū, vt videtur sine Papa? Respondendum quod auctoritate Christi capitis sui & indefectibilis sponsi, auctoritate præterea legum suarum tam diuinæ quam naturalis, quæ hanc licentiam vel necessitati vel manifestę charitati vel religiosæ pietati concedunt. Pro quo facit textus Marci 2. de excusatione discipulorum vellentium spicas in sabbato per legem necessitatis confirmatam, exemplo Dauid qui comedit panes propositionis.

D

E

F

Consideratio 12.

AVFERIBILIS est in casu vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam vel generale concilium,

lium, nedum conciliatiuè, aut dilatiuè vel denunciatiuè, sed auctoritatiuè iudicialiter atque iuridicè. Præsupponamus quod iurisdictio idem est quod iuris ditio seu potestas, vel iurisdictio est facultas propinqua dicendi ius. Et solet restringi ad coactiuam iurisdictionem quæ fertur vel dicitur in alterum etiam inuitum. Sequitur protinus ex hac descriptione considerationis veritas quomodo Ecclesia seu concilium habet in casus facultatem propinquam vel auctoritatē seu potestatem dicendi ius, etiam in alterū qui in Papam fuit ritè susceptus & electus. Nolumus tamen impugnare quin summus pontifex habeat potestatem regitiuā & auctoritatiuam respectu omnium hominum, quantum Christus voluit & cognouit expediens sibi dare pro exercendo eam. Non pro se tantummodo sed magis ad vtilitatem Ecclesiæ, qualem auctoritatem Ecclesiæ non habet totum Ecclesiæ residuum, nisi vnitiuè, quomodo vel electiuè. Et ex ista diuisione verum est quod claues datæ sunt nedum vni, sed vnitati. Ex hoc tamen nō habetur quod Ecclesia tota vel concilium absente Papa præsertim suo demerito nō possit auctoritatiuam iurisdictionem exercere, sicut lex quædam diuina & indeuiabilis ad reducendum ipsum vel corrigendum vel compescendum. Ne noceat ipse nedum Ecclesiæ, sed sibimet tanquam freneticus, vel vt pessima malarū passionum ebrietate seductus, sicut enim tradit Arist. 5. Poli. quod ad communitatem totam spectat principis vel correctio vel totalis destitutio si inemendabilis perseueret. Et hęc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à communitate libera quæ de rebus suis facere potest ad libitum, nec per appropriationem vel aliquam legem potest suspendi, quanto magis hoc habebit Ecclesia. Iudaizabat olim Petrus per dissimulationem. Paulus ei restitit in faciem. ad Gal. 2. Introducebat Petrus rem nouam in Ecclesia Dei ad Centurionem gentilē intrauit. Act. 10. subortum est murmur in Ecclesia, ita vt compulsus sit Petrus doctrinam insequi quam tradidit scriptis, vt scilicet paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de ea quæ in ipso erat fide & spe, alioquin non sibi credidisset Ecclesia. Quanto fortius & rationabilius possunt duo contēdentes diffamati apud bonos & graues de scismate, de periurio, de hæresis suspitione cōpelli, rationem reddere si se cognouerint innocentes. Sic Simachus, sic beatus Marcellus, sic ipse Gregorius, sic alij plures iudicium subire: concilij nequaquam ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione, quorum multos, quia cōcilium non reperit conuictos de crimine, reliquit causam eorum examine iudicis Dei terminandam.

Consideratio 13.

AVFERIBILIS non est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut concilium generale quo ad ea quæ sunt ordinis sacri cuiuscunque, quin semper remaneat vel sacerdos vel Episcopus si in talem fuerit aliquando consecratus. Similiter etiam de papatu si diceret ordinem à sacerdotio vel Episcopatu distinctum. Dudum tempore beati Cypriani martyris in Africa dum sanctus Cornelius papatum Romæ gerebat, fuit error multorum etiam magnorum, quod scismatici & hæretici excommunicati & simoniaci deijciebantur ab omni gradu & dignitate & ordine, ita quod non remanebant sacerdotes, nec Episcopi retinebant Episcopalem gradum, nec diaconi diaconatum, & ita de similibus. Immo vsque ad hoc deuentum est, vt diceretur ab eis quod tales nullo modo valebant baptizare, sed baptizabantur hi quos baptizauerant. Similiter nec consecrabant, nec ordinabant, quin totum postea dicerent iterandum. Introducebant pro seipsis multos passus scripturarum, vt illud, Maledicam benedictionibus vestris, &c. Affirmabant denique quod tales Spiritum sanctum dare non poterant, quem vtiq; non habebant. Notata sunt hæc in decretis causa prima, & in quarto sententiarum dist. 25. & dist. 13. vbi magister non tenetur, licet loquatur magis recitatiuè quam determinatiuè. Illustrissimus verò doctor Aug. post Cyprianum materiam hanc declarauit conformiter ad concilia generalia ante eum & post celebrata. Et hunc insecuti sunt doctores Theologi dicentes, quod ea quæ sunt ordinis stabilia sunt & indelibilia, propterea dicunt hi imprimi characterem quem appellant indebilem & non iterabilem. Attamen pro concordantia diuersarum sententiarum in hac parte proficit duplex distinctio. Episcopus itaque hæreticus & degradatus ab Ecclesia aut intendit dare & facere conformiter ad intentionā Ecclesiæ, vel baptizat vel consecrat vel ordinat vel confirmat, materiam insuper & formam debitas obseruat, aut deficit in aliquo istorum, inuentione scilicet corrupta & erronea vel in materia vel in forma. Secundum hanc distinctionem procedūt multæ auctoritates sanctorum, quorum aliqui dicentes quod sacerdotes hæretici nihil agant, intelligunt de his qui secundo modo deficiunt, quales erant plurimi hæreticorum, vt Arriani & errantes in ipsa substantia sacramentorum. Alij dicentes oppositum sicut Augu. & Ecclesia de prioribus intelligunt. Rursus alia est distinctio de efficacia sacramentorum collatorum ab indignis sacerdotibus & hæreticis. Nam quod talia sunt efficacia potest intelligi vel quod ad vtilitatem vel quod ad veritatem. Si primo modo illa dicūtur esse nulla, quia neque prosunt facientibus, neque scienter recipientibus, sed obsunt potius. Si secundo modo, sic consecrationes hęreticorum sacerdotum efficaciam habere & veritatem fatendum est. Tandem ex hac consideratione cum suis probationibus quæ latiori deductione ponuntur ab auctoritatibus, sequitur quod durante præsenti scismate non oportet dubitare, quin vtrobique fuerint consecrati, & sint veri Episcopi, & sacerdotes per mutuam successionem vsque in præsens. Nec est difficultas in collatione sacramentorum nisi de sacramento pœnitentiæ, in quo iurisdictio quędam requiritur, quam nō habent hæretici & scismatici vel excommunicati sacerdotes. Sed hæc difficultas redundat similiter in illos qui ante scisma fuerūt ordinati, & secundum æstimationem illorum qui iudicarent hanc vel illam partem esse scismaticam, & ex consequenti non habere sacerdotes nisi excommunicatos & suspensos. Et ita vanum est & forte scandalosum gloriari quod præsbyteralis vel Episcopalis ordinatio suscepta fuerit ante scisma pręsens, potius quam hoc tempore. Si per hoc velint hu-

iusmodi gloriantes vocare se verius esse sacerdotes A & Episcopos quam posteriores. Si velint præterea dicere sicut aliqui dixerunt & scripserunt temporibus istis, quod vera sacramenta, & veri sacerdotes, & veri Episcopi, & verum corpus Christi, & verus baptismus, cum similibus non sint in hac parte obedientiæ vel in illa.

Consideratio 14.

AVFERIBILIS est vicarius sponsus Ecclesiæ per ipsam Ecclesiam aut generale cōcilium quoad executionem licitam eorum omnium quæ potestatem ordinis respiciunt, B id est, quod non licitè talia aget. Data quippe est papalis potestas ipsi Ecclesiæ, & sua est sicut est ipsius Papę, quamuis alio & alio modo. Sua est inquam & Papæ ad ædificationem Ecclesiæ, non ad destructionem. Potest ergo vsus talis potestatis tolli vel suspendi per Ecclesiam ab eo qui vellet vti manifestè in perditionem Ecclesiæ aut membrorum suorum tali dignitate, vnde & si potestas ordinis sit immediate à Deo, sit etiam indelebilis, tamen vsus ipsius multum dependet ab Ecclesia & à rectoribus suis C qui vices eius exequuntur. Et hic fundabilis est possibilitas subtractionis vel suspēsionis obedientiæ ab aliquo in Papam, ritè electos. Nam quod obedientia tali præstetur est præceptum affirmatiuum quod non obligat pro semper, nec in perniciem Ecclesiæ. Si viderit ergo Ecclesia quod præstaret nunc obedientiam Papæ in administratione ordinum, sacramentorum & similium, fieret Ecclesiæ perniciosum, & Papæ in instrumentum malitiæ, cur non suspendere potest huiusmodi o- D bedientiam quousq; nullum in obediendo cadat periculum? Hæc autem subtractio obedientiæ magis adhuc fundabilis est in his quæ sunt temporalis administrationis. Sed vtrum hæc obedientiæ subtractio vel suspensio valeat per alium quam per Ecclesiam vel generale concilium? Forte videretur respondendum negatiuè: præsertim si fiat sermo de subtractione generali & auctoritatiua, & quæ ligat omnes de Ecclesia in hoc stare. Secus est de subtractione particulari quoad hos vel illos quæ non fertur auctoritatiuè, sed vel doctrinali- E ter & insinuatiuè, vel necessitatis quadam inductione. Iubebit (exempli gratia) summus pontifex coram theologis expertis, quod fideles credant Spiritum sanctum non procedere à patre & filio, dicimus quod theologorum erit doctrinaliter resistere & dicere quod sibi non obediatur. Iubebit alter summus pontifex, quod vastetur regnum Franciæ igne & gladio, dicimus quod regis erit resistere & iubere quod ei non obediatur sed resistatur, hoc enim fas est agere cuicunq; in quem F vim illicitā vellet inferre etiam verus Papa. Non est pax iubebit ipse idem, quod vnio ad pacem Ecclesiæ non quæratur vijs conuenientibus & congruis, aut etiam per eum iuratis, aut quod Ecclesia nequaquam congregetur, ne fortè ipsum eijciat. Dicimus quod omnium Catholicorum erit resistere & non obedire. Quod si sit aliquis qui totam præsidentiā suam & Papalem dignitatem conuertere velit in instrumentū nequitię & destructionis alicuius partis Ecclesiæ in temporalibus vel spiritualibus, nec pateat sufficiēs remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis sæuientis & seipsa abutentis, & hoc ad tempus, vel quousque Ecclesia vel concilium prouiderit, hoc fas erit: dum tamen illud agere pia quædā impellat necessitas, non libido seu cupiditas assumendi improbè velamē malitiæ libertatem. Fatemur enim duo illa nullo modo debere fieri nisi manifestis causis vrgentibus, ne in toto corpore Ecclesiæ deterior & generalior scissura fiat & inducatur, dum particularia membra consuescunt non obedire, sicut notat Arist. in poli. pessimum esse cōuescere non obedire principi siue regi, quāto magis erronea & damnanda est assertio, quod licet vnicuiq; subditorum mox vt aliquis est tyrannus ipsum vijs omnibus fraudulētis & dolosis sine quauis auctoritate vel declaratione iudiciaria morti tradere, præsertim si addat hæc assertio quod tyrannus ille omnis est qui nō præest ad vtilitatem subditorum, sed de hac re alibi, de qua viderint assertores.

Consideratio 15.

AVFERIBILIS est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut generale concilium perpetuò vel ad tēpus: quo ad omnia quæ sunt iurisdictionis. Satis indirectè deductio considerationis istius patet ex præcedenti. Nam possunt ab aliquo ritè in Papam electo tolli tam de iure quam de facto subditi, in quos debet iurisdictionem exercere. Et ita per indirectum iurisdictio non subsistet. Vtrum verò directè & absolutè possit omnis potestas iurisdictionis à Papa ritè electo remoueri, posset esse duplex imaginatio, quomodo ad aliquas iurisdictiones, qualis est iurisdictio respiciens sacramentalem absolutionem, quem alterius est rationis quam alię respicientes forum exterius. Hanc enim iurisdictionem habet confessor Papæ super ipsum, cui tamen non posset cōmunicari iuiurisdictio in foro exteriori supra Papam vt quod eum posset excōmunicare. Hanc insuper iurisdictionem habet in casu necessitatis omnis sacerdos apud peccatorem sibi volentem confiteri. Dicerēt ergo aliqui de hac spirituali iurisdictione sicut de potestate ordinis, quod licet inauferibilis sit in se & in sua essentia, tamen est suus vsus impedibilis modis tactis. Sicut etiam impediūtur scismatici & hæretici pręcisi ab Ecclesia, ne quisquam eis nisi in casu necessitatis debeat confiteri. Dicerent alij quod talis iurisdictio non solum impeditur in suo vsu, sed etiam tollitur ministerio Ecclesiæ & prælati superioris; dum degradatur hæreticus aliquis prælatus vel sacerdos, & hoc quia condescendit Deus tollere ab illo sacerdote potestatē diuinitus sibi collatam per ministerium talis tanquam per causam sine qua non, sicut imaginantur doctores multi de potentia collata sacramētis respectu gratiæ quam figurant, non enim attingit illa virtus actiua sacramentorum substantiā gratiæ, sed tamen sunt causa sine qua non talis gratia nequaquā crearetur. Sicut præterea dicimus de infusione animæ in embrionem dispositū & magis ad propositum de recessu animæ à corpore per inductionem disconuenientem qualitatum, præsertim si imaginemur quod anima sicut creabatur prius, ita nūc annihilaretur consequenter ad has dispositiones vel ad alias. Vel exemplificemus de annihilatione gratiæ per peccatum mortale. Aduertamus tamen in hac materia quod oportet nos concedere consequenter

quenter ad præmissa & ad factum Cælestini qui cessit papatui, quod papatus non dicat ordinem super sacerdotium vel episcopatum. Quis insuper non dicat iurisdictionem inabdicabilem humana voluntate supra episcopatum. Alioquin tunc temporis remansissent duo habentes papalem dignitatem, aut talem quæ fuisset superior ad Episcopalem vel Archiepiscopalē. Oportet vt videtur consequenter dicere quod mortuo vel cedente Bonifacio qui in locum Cælestini successit, ipse Cælestinus potuerat assumi in papatum sine noua alicuius ordinis vel potestatis iuridicæ essentialis & inabdicabilis collatione, quemadmodū dicimus de Episcopali dignitate in his qui fuerūt degradati vel deiecti, qui iterum possunt restitui nulla consecratione noua facta. Hæ autē considerationes proficiunt studiosis ad cognoscendum magis & magis quid dicat vel importet, & quid nō papalis dignitas, & qualiter potest exercere iudicium Ecclesia circa Papā. Notetur Bonauentura in dis. 25. quarti, vbi quærit si Episcopatus sit ordo supra sacerdotium, & ponit quod neque Episcopatus neque Papatus dicit plenitudinē aliquam vel dignitatem in ordine & ordinem nouum nullam addit.

Consideratio 16.

AVFERIBILIS est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut generale concilium vt dictum est, & dum hoc euenit, probabile est quod magis fiat destitutiuè & iuridicè quam solum declaratiuè seu dictatiuè seu consiliatiuè. Fuerunt duæ opiniones, alias tangebatur de destitutione Papæ. Vna ponit quod Papa dū labitur in hæresim iam dānatus est, & eo facto per Deum depositus, & perdidit iure diuino Papalem dignitatem, siue hæc hæresis sit secreta vt ampliant aliqui, siue sit manifesta, vt placet alijs loqui restrictius. Credūt alij quod nullus ritè in Papā electus redditur per aliquod crimen eo facto depositus, licet bene sit deponendus, & manet talis ritè electus semper Papa vsq; ad sentētiam depositionis latam contra eum per Ecclesiam vel generale cōcilium, aut nisi cesserit sponte sua, quemadmodum in alijs episcopatibus & dignitatibus minoribus dicunt esse certum, ita quod resolutio finalis huius opinionis quam nūc dicimus probabilem stat in hoc, quod sicut nullus efficitur Papa lege stante, & nisi fieret noua reuelatio vel miraculosa institutio, nullus inquam talis ritè efficitur Papa, nisi per legitimam electionem dominorum cardinalium aut aliorum quibus hæc potestas collata fuerit per Ecclesiam aut per generale concilium, sic nullus talis ritè electus desinit esse Papa, nisi per destitutionem legitimam factam ab Ecclesia vel cōcilio vel alijs quibus voluerit conferre Ecclesia vel conciliū huiusmodi potestatem, qualis nondum collata esse reperitur. Probabilitas huius opinionis fundata est alias in alio opusculo. Et nunc breuiter repetamus dicentes aliqua. Primò quod status Hierarchicus in Ecclesia debet esse certus & constans, da oppositum. Iam Ecclesia non fuisset sufficienter instituta, quia subditi remanerent semper ex oppositi discrimini peccati mortalis in obediendo vel non obediendo suis suis superioribus, cum non posset eis constare sufficiēter quando superiores ius perdidissent in præsidendo vel ipsum retinerent. Ad proinde dicimus consequenter, quod titulus Ec- A clesiasticæ dignitatis vel auctoritatis non est fundatus in sola sanctitate, quemadmodum dixerunt hæretici qui nominabātur pauperes de Lugduno, & alij similes, sicut deduxit Bonauētura in dist. 25. quarti. Alioquin nihil esset certū in actibus Hierarchicis. Sicut nemo scit an odio vel amore dignus sit. Ex eadem radice patet quod per præscientiam vel reprobationem æternam non datur vel aufertur præcise titulus ecclesiasticæ dignitatis. Nam Iudas præscitus fuit Apostolus, & multi prædestinati carēt tali dignitate. Sequitur amplius B quod titulus Ecclesiasticæ dignitatis non est fundatus in donis gratuitis latentibus in anima, quia de illis constare non potest subditis nisi forte per reuelationem, & præsertim si sint dona quę statim perdi possunt, quod dicitur propter characteres infideles postquam semel habiti sunt, & de quibus præsupposita fide potest haberi sufficiēs certitudo dum aliquis ritè suscipit sacramenta imprimentia tales characteres. Addamus rursus quod sicut iniustus homo sine charitate & in peccato mortali C potest iniustè dominari temporaliter, & esse rex vel princeps iusto titulo. Sic etiam potest esse Episcopus vel sacerdos. Et hoc sequitur ex prioribus contra imaginationem aliquorum nostris temporibus in Anglia & alibi, qui posuerunt omne dominium & omnem dignitatem fundari in iustitia charitatis, & quod sine ea nihil potest esse iustum, neque iustè fieri, neque possideri, quod vtique repugnat assertionibus sacræ scripturæ in locis plurimis, in quibus idololatrę & pessimi homines & re- D probi appellātur reges. vt Saul, Cyrus & Aacham. Vnde & Christus docuit, quod Pharisæis & reprobis daretur obediētia in doctrina eorum dum ait: Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, &c. Dicamus consequenter quod dignitates Ecclesiasticæ non fundantur in fide interiori, neque in spe sancta, neque in charitate, patet ex eisdem fundamentis. Ac proinde sequitur vlterius, quod deficiente fide in aliquo prælato, non est consequens vt mox perdiderit pastoralem dignitatem, quia nec fides est nec E necessarium eius fundamentum. Patet amplius quod canones sacræ scripturę ac summorum pontificum dicentes hæreticos esse vitandos tanquam Ethnicos & Anathematizatos, verum dicūt dum constat eos tales esse, & maximè per sententiam iudiciariam aut propriam confessionem, aut facti euidentiam. Nihilominus quod tales sint eo facto depositi à dignitatibus, & quod eas perdiderint sine destitutione non habetur ex eisdem canonibus. Aut si aliqui canones videantur hoc sonare F de notorijs & manifestis hæreticis qui sunt eo facto depositi, intelligi posset quod contra tales non requiritur processus iuridicus ordinatus ad degradandum eos per sententiam definitiuam: sicut in occultis, & non confessatis oporteret. Dicamus ergo concludentes probabiliter quod sicut humana electio dat ius & titulum ad papalem dignitatem si homo sit capax huius lectionis atque dignitatis, & si sit viator baptizatus, sic per humanam destitutionem perdit illam præsidentiam & non aliter, eo inuito siue sit hæreticus siue sit scismaticus. Et dum opponitur quod hæreticus, non potest esse membrum Ecclesiæ, quanto

minus potest esse caput eius vel vicarius suus, aut sponsus, multa in hanc sententiam. Respondetur quod hæc ratio vel similis si bene perpendatur omnino fuit illa quæ fundauit omnes errores, de quibus prætactum est quod solus iustus iustè dominatur, vel est sacerdos vel consecrat, & ita de similibus. Notemus ergo sine processu longiori quod multæ sunt connexiones membrorum in corpore mystico Ecclesiæ, sicut diuersæ sunt in eodem corpore vnitates. Vna est enim vnitas charitatis, & ita soli habentes charitatem dicuntur verè membra Ecclesiæ. Alij quantumcumque fideles sunt, vel vt præcisa vel vt arida & emortua membra, immo sunt proditores domini sui, nec de familia eius hoc modo dici possunt, nec sunt digni pane quo vescuntur. Alia est vnitas in donis naturæ, sicut omnes homines connectuntur in intellectu & ratione. Alia est vnitas in simili participatione sacramentorum, & præsertim in vnitate baptismatis, in quo character imprimitur, in qua vnitate connectuntur omnes qui baptisma ritè susceperunt, etiam vbi fidem actualem vel habitualem perdidissent. Et hæc vnio videtur absolutè sufficere ad hoc quod aliquis ritè in Papam electus maneat caput Ecclesiæ quousque fuerit per sententiam definitiuam depositus. Nolo tamen propterea dicere quod semper sit obediendum tali hæretico, vel non resistendum aut quod sit appellatione Papalis dignitatis honorandus, quoniam in casu sicut iam tactum est, posset Papa verus manens Papa licitè etiam ligari, vel incarcerari, vel in mari demergi, quanto magis posset obedientia sibi vel reuerentialis nominatio denegari.

Consideratio 17.

AVferibilis non est vicarius sponsus Ecclesiæ ritè prius electus quin posset creare veros sacerdotes & Episcopos, & alia facere quæ ordinem suum respiciunt in tali plenitudine receptum: absque hoc quod iterari debeant ea quæ fecisset, quia valida sunt iure diuino, quamuis peccabit ipse cum participibus suis si hoc attētauerit. Consimiliter ea quæ iurisdictionem puram respiciunt, illa possūt dici valida quæ egerit talis quamdiu toleratur ab Ecclesia, & hoc iure seu approbatione totius Ecclesiæ vel præcedentium pontificum & conciliorum generalium institutione, præsertim nisi aliunde ex culpa subditorum talia reddita fuerint inualida, quia participant in crimine. Respondet hæc consideratio multis dubitationibus qui potuerūt oriri durante hoc pestifero scismate tam in collationibus ordinum quam in dependentibus & collationibus beneficiorum & similibus, vbi facilius se expedit opinio quam probabili modo posuimus in præcedenti consideratione circa obiecta. Multum prodest insuper eadem consideratio ad celeriorem & expeditiorem terminationem scismatis per viam cessionis omissa qualibet discussione facienda.

Consideratio 18.

AVferibilis est vicarius sponsus Ecclesiæ tanquam hæreticus aut scismaticus, etiam vbi in casu ipse non est veraciter & mētaliter talis. Assignemus summatim casus aliquos circa personas alias qui similiter possunt in Papam cadere, A duos inuenimus in iuribus expressos. Vnus est dum aliquis sustinet excommunicationem vltra annum, & citatur super materia fidei nec respondet. Alius dum citatus coram iudice renuit præstare iuramentum. Talis aliquis poterit manere semper verus fidelis, attamen ipse tanquam hæreticus iuris præsumptione damnabitur. Tertius assignatur casus, si timore mortis vel alia passione motus quis vocaliter negat ea quæ sunt fidei, nec possit aut velit sufficienter se purgare. Quartus B casus vbi per actus hæreticales aut idololatricos habebitur præsumptio vehemens contra aliquem, & talis nec poterit aut velit sufficienter se purgare. Dicuntur autem actus hæreticales vel idololatrici, qui sunt contrarij vel oppositi actibus quibus solet fieri professio fidei & religionis Christianæ & cultus diuini, sicut est genuflexio coram sacramento altaris, & ingressus templi & similia. Et in hoc multum valet vsus hominum, sic talia signa vel talia accipientium. Vnde si quis exhibet talia in honorem Machometi vel idolorum, aut si op- C positis factis detestaretur sacramentum altaris, & templū Dei, & sacras imagines, & similia faceret, haberi deberet de hæresi & idololatria suspectus, & hoc vel vehementer, vel grauiter, vel leuiter, secundum quod plures causæ suspicionem aggrauantes, & pauciores releuantes concurrerent. Et hic esset longus sermo de modo accusationis talium coram inquisitore, quādo scilicet & quando non veniūt iudicialiter in materia fidei vel idololatriæ pertractandi. Casus quintus inuenitur vbi D quis per falsos testes accusatur atque conuincitur fuisse relapsus in hæreses iam damnatas. Ille planè damnabitur & iustè damnabitur per Ecclesiā quæ nō iudicat de occultis, sed de allegatis & probatis per sententiam. Sextus casus incidens cum quarto, vbi quis etiam leui suspicione notatus de fide, vocatus fuerit ad iudicium, & venire neglexerit seu contempserit, aut fortè non potuerit, de qua tamen impotentia fidem facere non valebit. Cum enim summus pontifex iuxta probata prius possit tam doctrinaliter, quam iudicialiter denunciari, E deferri & accusari coram concilio generali in materia fidei & cultus diuinæ non repugnat casus istos & similes in ipso posse reperiri, qui circundatus est infirmitate, sicut dicit Apostolus experientiæ voce loquens.

Consideratio 19.

AVferibilis est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiā etiam sine culpa sua quāuis non sine causa. Tangemus similiter casus aliquos, vbi F coram tota Ecclesia vel concilio generali proponeretur & probaretur per testes, quod Papa qui fortè est detētus inter saracenos iam obijt, & cum Ecclesiam iam non possit commodè diutius remanere sine Papa, videtur omnino quod in hoc casu concilium poterit creare nouum Papam, & cum non possint esse duo simul, videtur quod primus erit destitutus per concilium. Posset etiam destitui, vbi constaret de vita si de eo ablata esset spes omnis redeundi. Alter casus est vbi quis ritè electus in Papam efficeretur adeò inutilis propter indispositionem corporalem, ac propter carentiam perpetuam vsus rationis, quod per concilium

cilium iam per eum congregatum dum sanæ mentis erat, expediret aliter prouideri de summo pontifice. Alter casus est vbi post electionem canonicam alicuius in Papam per Cardinales, ipsi Cardinales omnes morerentur priusquam possent electionem suam canonicam publicare, constat quod Ecclesia non tenetur hunc recipere pro Papa, & ita posset ad electionem alterius procedere. Alter casus similis stat cum priori vbi nullo modo Cardinales etiam viuentes possent facere fidem sufficientem de electione canonica facta circa vnum, qualis casus videtur esse & fuisse in scismate præsenti si bene perpendatur. Et ideo circunstantia eius multum iustificat processus habitos cõtra illos contendentes & aduersus Cardinales. Alter casus propter communem errorem aut æstimationem subditorum aut ipsorum malitiam generalem, de quibus non est præsumendum quod vnquam debeant obedientiam præstare tali qui fuit in Papam ritè electus, tamen alteri nouiter eligendo parati sunt, vt fortè si Græci vellent ad vnitatem Ecclesiæ redire, dummodo tolleretur Papa iam existens & nouus ritè canonicè crearetur. Confirmat hoc imaginatio casus illius iuxta positionem Innocentij & aliorum iuristarũ qui dicũt dominem expresè professum in religione posse vxorem ducere pro saluatione magnæ gentis, aut ad fidẽ conuersione. Cur non similiter pro aliquo tanto bono posset ritè electus per Ecclesiam aut concilium generale destitui bono zelo & integra charitate? Casus alter sextus esset, vbi per iuramentum & votũ aliquis in Papam ritè electus, seipsum ad cessionem obligasset, sed differret hoc adimplere, in scandalum populorum putantium ex tali facto Papæ quod neque iuramẽtis suis obligantur, neque votis, qualem casum habere videmur in manibus. Denique & si casus notati in hac & præcedenti consideratione vix aut nunquam visi fuerint, nihilominus expediens est tangere ad inquisitionem solidiorem veritatis, & ad confutationem illorũ qui iuribus suis scriptis omnia particulatim & sufficienter arbitrantur esse decisa.

Consideratio 20.

AVFERIBILIS non est vsque ad consummationem seculi vicarius spõsus Ecclesiæ, quin aliquis certus & vnicus præficiatur, & hoc lege stante & præsupposita mundi duratione longissima. Detur oppositum, tunc Ecclesia maneret imperfecta vsque ad consummationem seculi, nec suorum gauderet integritate membrorum, & pręsertim membri principalis. Quocirca concludamus sub quadruplici corollario morali conformiter ad prædicta, & ad alias cõsiderationes alibi notatas super eadem materia. Et dicamus primò quod hi repugnant ordinationi Christi & Spiritui sancto rebelles sunt, qui præsentis scismatis terminationem impediunt modis talibus quos sciunt aut scire debent, ad pacem protinus reducendam esse vel inutiles vel nociuos, vt si quæratur fieri pax per reductionem vnius obediẽtiæ ad alteram, vel per vim armatam, vel per dispositionem iuris quæ non sunt probabiliter & salubriter expectanda. Nec sufficit dicere, habemus Papã Christum, sufficit vt credamus in eum, nam talis vnio ad Christum & si sit necessaria, non tamen vsquequa-

A que sufficit, vt in ea stemus non procurando quantum in nobis est vnionem alteram ad vnum vicarium suum in terris, de quo constat Ecclesiæ. Addimus consequenter pro secundo corollario: quod hi fallunt & falluntur qui propter affectionem qualemcumque commodi vel honoris, vel amicitię circa alterum contendentium, tenderent impedire suam cessionem pro impletione iuramentorum & votorum suorum & pacis datione si nollent suam deiectionem vbi hoc agere renuerent, immo prorsus quanto magis aliquis fuerit amicus, tanto amplius debet hoc quærere vt eo-
B rum spiritus saluus fiat, & vt pateat omnibus quia non zelo malo zelati sunt eos aliquando, sed zelo charitatis, licet forte vel error vel deceptio in iudicio particularium agendorum interuenire potuerit. Dicamus præterea pro tertio corollario, quod hi nutu Dei & Spiritus sancti (sicut credendum est) inspiratione tracti fuerunt, qui ad conuocationem sacri concilij Pisis celebrandi dederunt operam, & promptitudinem pręstiterunt, præstant & præstabunt. Ille orando, ille exhortan-
C do, hic protegendo, ille comparando, & ita de singulis. Impeditiores si qui essent numerandi, sunt inter illos de quibus nunc tetigimus, qui rei sunt detrimentorum omnium tam temporalium quam spiritualium ex hoc scismate horrendo nascentium, qualia vix suffecerit tractatus grandis vel summatim enarrare. Nam quomodo paratus esset audire Ecclesiam qui suam congregationem vel nollet damnabiliter, vel damnabilius impediret? Hanc conuocationem pro finali scuto suæ
D protectionis ad Deum, quæsiuit in morte rex Franciæ Carolus quintus. Ad hanc esse debet finalis resolutio omnium qui de scismate nolunt increpari apud Deum, immo ad hoc tendit neutralitas accepta si bene capiatur. Dicamus ad extremũ pro quarto corollario quod hi qui sacrum concilium Pisanum constituerant, sufficientem habebant auctoritatẽ deijciendi duos cõtendentes aut suos complices, si noluerint parere dictatis per hoc concilium in cessione facienda realiter & de facto & scito & alijs requisitis. Poteruntque
E procedere ad electionem vnius tertij vicarij qui tertius & indubitatus ab Ecclesia poterit & debebit reputari. Etiam vbi non omnes obedire vellent sic electo, quod tamen non est indebitè præsumendum. Ecce ergo viginti considerationes quodam ordine geometrio se sequentes. Quæ iũctis alijs sedecim in quarũ qualibet initiũ est vnitas Ecclesiastica. Additis quoque alijs quatuor dudum Tarasconę prædictis, redduntur 40. considerationes. Et hæ qualem possint afferre stu-
F diosioribus cognitionis materiam, sit eorum iudicium qui viderint. Postulemus tandem vt inauferibilis sponsus Ecclesiæ Christus Vicarium certum & vnicum nobis instituat, ad gloriam nominis sui & nostram omnium salutem, præstante eodem qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Sedecim considerationes, quarum hic mentionem fecit, paulò pòst subsequenter 4. A. Quatuor alieni sermone Tarasconæ prædicator, qui incipit, Apparuit gratia Dei &c. etiam subiungentur 6. M.

SENTENTIA MAGISTRI Ioannis de Gerson, de modo habendi se tempore scismatis.

AD tollendam quorundam in præsenti scismate pertinaciam, improbitatemque nimiam specialiter in patria Flandrensi, si pro meritis aut falsis assertionibus suis certissima & perniciosissima scismata formant & fraternam violant charitatem. Dum homines ab obedientia debita suorum superiorum auertunt. Dum postremo pro instabili sua opinione & humana traditione legem Dei sanctam & stabilem deserere, contemnere & violare compellunt. Dignum duxi quædam fundamentalia per me posita saluo semper in omnibus superiorum ac sapientiorum iudicio nunc sub aliquarum conclusionum compendio ponere. Quocunque de papatu contendentium demonstrato non est hæreticum dicere A. non est Papa. In casu prædicto stat aliquos esse apud quos istud pertinaciter asserere A. non est Papa saperet hæresim. In scismate præsenti tam dubio temerarium, iniuriosum, & scandalosum est asserere omnes tenentes istam partem vel alteram vel omnes neutrales etiam absolutos esse vniuersaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de scismate suspectos. In scismate præsenti licitum, immo cautum est præstantibus obedientiam isti vel illi, eam sub conditione tacita vel expressa tribuere. Quacunque parte demonstrata temerarium & scandalosum, & sapiens hæresim est asserere, sacramenta Ecclesiæ suam efficaciam non habere, aut sacerdotes non esse consecratos, pueros non esse baptizatos, sacramentum altaris non esse confectum, & similia. In scismate præsenti temerarium & scandalosum est asserere quacunque parte demonstrata, quod non licet audire Missas eorum vel sacramentis non communicare, præsertim attenta diuersitate locorum, temporum atque personarum. Possibile est aliquos veræ parti assentientes esse veraciter scismaticos, & aliquos falsæ parti modo prædicto assentientes scismaticos non existere. Salubrius iustius & tutius est quærere vnitatem Ecclesiæ insistendo circa contendentes de papatu: & hoc per viam cessionis vtriusque vel subtractionis obedientiæ, vel alterius licitæ coactionis quam subditos per excommunicationis censuram vel aliter vexare seu turbare, aut quod vna pars Christianitatis ab alterius communione pertinaciter separetur. Ratio primæ conclusionis hæc est, quoniam nulla propositio ad cuius verificationem exigitur veritas vnius propositionis contingentis & ad fidem impertinentis est de necessitate aut integritate fidei. Nam sicut propositio copulatiua cuius vna pars est contingens est tota contingens, cuius vna pars est falsa aut impossibilis, est tota falsa aut impossibilis, sic in proposito. Constat autem quod ad verificationem illius A. est Papa, exigitur non solum vna, sed multæ contingentes purè esse veras, vt quod electio sit ritè celebrata: & ab illis qui habebant potestatem & consimiles multæ. Et simili ratione colligitur quod quocunque sacerdote demonstrato, ista

A non est hæretica, iste non est sacerdos, & consequenter sequitur quod nec ista, hoc non est corpus Christi in altari, & cæt. Ratio secundæ propositionis, quoniam propositio dicitur sapere hæresim quando ex ipsa coassumptis aliquibus veris, quæ rationabiliter negari non possunt sequitur error in fide, sed possibile est aliquos homines per reuelationem vel aliter sic certificatos esse quod omnia ritè facta sunt in electione & consecratione eius in Papam A. quod rationabiliter dubitare tunc non possunt. Si negant A.

B esse vel fuisse Papam incidunt in errorem illum quod ritè electus & consecratus in Papam non est nec vnquam fuit Papa, & quod non succedit Petro: & similia quæ sunt hæretica. Ratio tertiæ conclusionis, quia multi sunt ex vtraque parte & neutrales quibus non est materia ista clarificata, quin rationabiliter possunt negare vel dubitare istam propositionem quocunque contẽdentium demonstrato A. est aut fuit ritè electus A. non est scismaticus aut hæreticus, & consimiles, ad quas

C sequitur, A. non est Papa. Assumptum docet experientia, & tot doctorum diuersæ aduersæque sententiæ. Et constat multos esse supplices qui ad talia dubia inuestiganda non tenentur alios sequi, nec mouentur fauore vel odio seu quæstu ad non consentiendum huic parti vel illi, & parati sunt obedire veritati sufficienter agnitæ, nec sunt pertinaces, igitur nec excommunicati, nec de scismate rationabiliter suspecti. Tota ratio fundatur in hoc quod nunquam fuit tam rationabilis vehemens

D causa dubitationis in aliquo scismate sicut in isto. Cuius signum euidens est varietas opinionum doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex vtraque parte, quinetiam suppletis eis quæ facti sunt concessis adhuc restarent quæstiones iuris ad vtrumlibet disputabiles quæ omnia incertitudinem rationabilem generant in hoc scismate, & ab errore pernicioso plures excusant. Potest igitur illud dici rationabiliter dubitabile quod plurimi & maximè sapientes dubitabile reputant & prædicant. Ratio quartæ conclusionis colligitur ex

E præcedenti, & per simile de adoratione hostiæ in altari, dum occurrit aliqua dubitatio, quod presbyter celebrans non compleuerit omnia ritè ad cõsecrationem requisita, sufficit enim adorare sub conditione implicita, immo semper debet subiũgi cõditio implicita, ista videlicet vel similis si omnia ritè facta sint secundum institutionem Christi & Ecclesię. Cur igitur in casu pręsentis scismatis tam dubio, & quod non tam propriè tangit statum salutis & fidei non poterit aut debebit apponi con-

F ditio ista vel consimilis, si talis fuerit canonicè electus & consecratus & non sit hęreticus aut scismaticè deprauatus. Ratio quintæ conclusionis manifesta est aduertenti, quoniam neque scisma neque hęreses, neque aliud quodcunque vitium obstat in ministro quin sacramentorum collatio habeat suam efficaciam, dummodo conferentes intendant id facere quod Christus & Ecclesia instituerunt & recipiens illud recipere, sicut rationabiliter præsumi debet de omnibus. Ratio sextæ conclusionis manifestatur ex præcedentibus, quoniam nihil debet rationabiliter à talibus

bus impedire excommunicatio lata, si non adsit pertinacia. Nunquam excommunicatio intenditur ferri nisi in pertinaces qui non sunt parati audire Ecclesiam. Alioquin frustra ferretur excommunicatio, immo damnabiliter & in Ecclesiæ destructionem. Non autem data est potestas ministris Ecclesiæ quibuslibet ad destructionem, sed ad ædificationem secundum Apostolum, quemadmodum medicina datur prout conferre possit sanitati, & sanitas rationi. Sic finis excommunicationis est subditorum emendatio, quæ si clarè per excommunicationem videatur, aut videri debeat non sequi emendatio, vel fructus damnabilis in opposito conferri videatur secundum August. in parabola de zyzanijs. Matth. 13. cum ibidem notatis. Rursus ista conclusio apertè trahitur ex tertia & quarta conclusionibus. Si enim multi ex vtraque parte sunt in statu salutis, & non pertinaces, immo parati stare & mori in veritate agnita sufficienter, aut qui sub conditione etiam falsæ parti assentiunt, quæ conditio etiam eosdem ab errore damnabili reddit excusatos, constat quod tales non debuerunt nec potuerunt rationabiliter excommunicari: & per consequens nec eorum communicationem prohibemus. Si dicatur quod etiam excommunicatio iniustè lata timenda est. Hæc propositio malè intelligitur à plerisque, & scrupulos varios & periculosos ingerit. Tamen quantum ad præsens sufficienter respondetur, quod si lator non reputetur iudex, eadem executione qua hoc fit, potest consequenter excommunicatio non tenere. Et quia multi tenentes vnam partem, debent rationabiliter tenere quod alij sint in statu salutis non pertinaces, & parati stare iuri agnito, immo qui fortè suo Papæ assentiunt sub conditione, possunt ex hoc communicationem eis impendere. Non enim debent suo Papæ tale crimen imponere quod voluit homines non pertinaces excommunicare, vel eos qui tenent antipapam, sub conditione tamen rationabiliter apposita si & inquantum fuerit ritè electus, & non aliter à communione Ecclesiastica canonica segregare. Ratio septimæ conclusionis est, quia stat aliquem veræ parti assentientem & pertinacem esse, quod vel propter quæstum, vel propter vanam gloriam vel aliam causam non habet animum paratum ad obediendum veritati agnitæ, si per Ecclesiam vel aliter reperiretur eundem errare, vel etiam dum in tanto dubio inuoluto pro sua assertione sustinenda, separaret se à membris veris & viuis ipsius Ecclesiæ. Casus sunt multi de parte opposita vt dictum est. Non est enim scisma tantum in separatione membrorum à capite sed etiam in separatione pertinaci membrorum ab inuicem. Ex quo consequenter habetur quod temerarium & periculosum est pertinaciter vnam partem vel alteram impugnare, & ab eiusdem communione eam detestando declinare. Altera pars conclusionis patet ex tertia conclusione. Ratio octauæ conclusionis perspicua est ex præcedentibus quoniam vbi radix & origo talis vel principalis ipsius scismatis consistit ibi eradicatio fieri debet aut antidotum sumi pro vnitatis adeptione. Ipsi enim sunt qui peccauerunt, alij autem qui oues

sunt, quid meruerunt? Ipsi sunt propter quos
A tempestas orta est in mari. Dederunt denique & dant scandalum, propter quod ad aliud remouendum de necessitate salutis obligantur. Non negandum tamen est quod quilibet pro parte sua obligatur secundum donum à Deo sibi præstitutum quærere quæ ad pacem sunt, hic orando, ille monendo, alter docendo. Vltima pars quod non expedit vnam partem generaliter vitare alteram, & facere scissuram in principalioribus actibus religionis Christianæ, & fraternam charitatem violare,
B patet ex præcedentibus & principaliter ex quinta conclusione & sexta. Verum est enim quod singularitas iu opinione propria contumaciter alios condemnans, incomparabiliter videtur esse periculosior & deterior quam communicatio fraternalis per charitatemque est compago membrorum Ecclesiæ sub intentione semper recta & firma de obediendo Ecclesiæ. Etenim qui aliter agit pro incerto vero, ille se exponit certæ violationi fraternæ charitatis. Nec oportet allegare iura super periculis & maledictionibus eo-
C rum qui non obediunt præceptis institutionibus summi pontificis & sententijs. Habet enim locum talium allegatio apud illos qui nulla possunt rationabili causa excusari, quin sciant vel scire debeant talem vel talem esse suum superiorem. Si verò est ignorantia probabilis, sicut est in præsenti scismate apud multos de vtraque obedientia, & apud neutros, non reputantur talibus sententijs alligati. Ex omnibus prædictis videtur posse elici quædam documenta. Primum est quod in præ-
D senti scismate potest apud plurimos applicari rationabiliter documentum Ambrosij ad Augustinum de ieiunando vel non ieiunando sabbata secunduum diuersitatem temporum, locorum & personarum. Potest sine periculo scismatis aut damnationis, nunc illi, nunc isti modis istis obedire: & nunc cum istis nunc cum alijs communionem præstare. Et hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam iuris istius vel illius partis. Et supposito quod ab initio scismatis fortè tentanda fuisset alia via, ad sciendum si per excom-
E municationes aut prædicationes vel aliter, omnes ad vnam obedientiam trahi potuissent. Attamen cognito per experientiam quod talia nihil proficerent, immo nocuerunt quod de die in diem maior inuolutio sequitur: vt videtur faciẽdum vt dictum est. Secundum documentum quod inter omnes eiusdem obedientiæ expedit adhærere sententijs latis à suo superiore credito, alioquin non esset vinculum charitatis. Tertium documentum est de casibus reseruatis Papæ, de dispensatio-
F nibus & alijs in foro conscientiæ, vel publico possunt homines secundum credulitatem suæ partis, & seipsos quietare pro facto tenendo id quod eorum superior creditus fecerit. Neutrales autem videntur habere sufficientem recursum ad ordinarios apud quos secundum eorum opinionem communiter loquendo, est potestas deuoluta. *Vers.* Fac pacem Christe de qua tractatulus iste disputat, atque pia mediatrix esto Maria. Pastor & Ecclesiæ Deus en grex nunc balat ad te. Ergo causa tui nunc miserere sui.

FINIS.

TRACTATVS QVI ASCRIBITVR IOANNI DE GERSON. QVALIS fuerit status Ecclesiæ in veteri & nouo Testamento, & qualiter Ecclesia fuerit erecta temporibus prædictis, & quot scismata, & quot intrusiones fuerunt in Ecclesia Romana, & qualiter in scismatibus præteritis fuerit actum secundum veras chronicas.



OSTQVAM superior status & effectus præsentis scismatis, ac acta & agenda in vniuersali Ecclesia, & specialiter in Roma, secūdum veros Prophetas digesta & notata sunt. Pro pleniori notitia prædictorum acuitur stilus, vt secundum veras chronicas & approbatas, & specialiter antistitis nostri reuerendi Archiepiscopi Eusontini verissimi antiquitatum relatoris & fratris Ptholomæi de Luca venerabilis chronistæ status & acta præterita in dicta Ecclesia lucidius cognoscantur & sciantur à lectoribus. Inuenimus enim ego Theosorus & socius meus charissimus frater Eusebius in prædictis & alijs chronicis, vt infra dicitur fideliter referēdo quæ Eusontinus & Ptholomæus gesta & acta Romanæ Ecclesiæ denotarunt, à natiuitate Christi vsque ad annum Domini 1316. à quo tempore citra nullum scisma fuit in Ecclesia Dei, vsque ad istud nouissimum tempus Petri de luna & Angeli carorio. Ex quarum chronicarum lectione clarè reperimus, quod Ecclesia tam in veteri Testamento quam nouo exigentibus peccatis & malitia sathanæ multas tribulationes passa est. Tamen ab omni tribulatione ipsam semper Deus liberauit, cum ipsi humiliter & contrito corde ad Deum conuersi sunt veniam petentes & maiorem quietem. Aliqua in nouo Testamento habuit Ecclesia Dei à destructione Frederici Imperatoris secundi vsque ad tempora bonæ memoriæ domini Gregor. Papæ 11. quæ quies & abundantia diuitiarum reduxerunt Ecclesiam in peccata & vitia, propter quæ Ecclesia patitur præsens scismata, & multa discrimina & maiora patietur. In veteri autem Testamento Ecclesia multas tribulationes passa est. Primò decem plagas dum fuit in terra Ægypti. Item in tempore habitæ passionis terræ promissionis vsque ad templi ædificationem xj. persecutiones passa est Ecclesia. Item post templi ædificationem suscitauit durissimam iacturam & scisma, quod fuit inter Roboam & Hieroboam. Item suscitauit transmigrationem totius sacerdotij & destructionem templi in Babyloniam per patrem Nabuchodonosor. Item passa est tempore Nabuchodonosor, quo tempore multi fuerunt pseudopontifices maximi & scismata, clerus magnam persecutionem passus, & fuit vltima in veteri Testamento. Cui persecutioni præsens & persecutio Frederici tertij & magni vltimi antichristi futuri similes erunt secundum Abbatem Ioachim libro de vltimis tribulationibus. In nouo autem Testamento Ecclesia etiam varias & diuersas persecutiones passa est exigentibus peccatis & opere naturæ humanæ hostis. In primitiua enim Ecclesia summi pontifices, Apostoli, Prælati & alius clerus, opprobria, damna & iniurias & mortis diuersa martyria passi sunt. Item cessantibus martyrijs

A & crescente dicta Ecclesia à Constantino magno & ab alijs principibus à populo Christiano inceperunt hæreses Menandri primi hæretici Arrij, & aliorum hæreticorum, maxima scandala generantes in Ecclesia Dei. Postquam autem in Ecclesia multiplicata sunt dominia in temporalibus & spiritualibus, inceperunt intrusiones & scismata in Romana Ecclesia, propter quæ dominia & potestates continuè fuerunt odia & rancores inter summos pontifices, Imperatores Romanos

B & dominos temporales. Quæ scismata fuerunt viginti cum præsenti & intrusiones xlj. Quorum primum scisma incepit anno natiuitatis Domini, ducentesimo 44. inter primum Cornelium & Nouacianum. Secundum scisma fuit anno 343. inter Liberium & Fœlicem. Tertium anno 374. inter Damasum primum & Vrsinum. Quartum scisma fuit anno 437. inter Bonifacium primum & Eulalium presbyterum. Quintum anno Domini 516. inter Simachum primum & Laurētium. Sextum anno 723. inter Bonifacium & Dyosco-

C rum. Septimum 743. inter Stephanum tertium sanctum virum, & Constantinum secundum, quod scisma si bene videatur quasi per omnia simile est instanti scismati, & plus assimilatur præsenti scismati quam alia præterita. Octauū scisma fuit anno 848. inter Eugenium secundum & Sisinum. Nouum fuit 930. inter Leonem quintum & Christoforum presbyterum. Decimum fuit anno 962. inter Ioannem secundum nobilem Romanum & Leonem octauum. Vndecimum

D fuit 964. inter Gregorium quintum & Ioannem Episcopum Placentium. Duodecimum 999. inter Benedictum nouū & Leonem prædictum. Decimum tertium 1036. tempore Benedicti octaui qui à Romanis eijcitur & alius intruditur, postea Benedictus restituitur. Decimumquartum scisma fuit anno 1052. tempore Benedicti, qui cum iam sedisset multis annis alijque sunt electi, expulso Benedicto. Decimumquintum fuit 1078. inter Alexandrum secundum & Codullum Episcopum Permensem. Decimumsextum fuit 1085.

E inter Gregorium & Episcopum Permensem. Decimumseptimum scisma fuit 1100. inter Pascalem secundum & tres prælatos qui nomen & officium occupauerunt fauore hæretici Imperatoris. Decimumoctauum fuit 1111. inter Gelasium secundum & Bitodinum Hyspanum. Decimumnouum fuit 1131. inter Innocentium secundum & Petrum Leonis. Vicesimum anno 1149. inter Alexādrum tertium & quatuor scismaticos. Vicesimumprimum scisma fuit tempore Lodoui-

F ci de Bauaria, qui Lodouicus veniente & regnāte Ioanne xxij. qui Ioannes assumptus fuit ad Papatum anno Domini 1319. fecit fieri antipapam fratrem Petrum de Carbario ordinis minorum, à quo coronā Imperij recipit. Tamen facta doctorum antipapæ & antiimperatoris annullata sunt infra annos. Vicesimūsecundum scisma præsens est & melius, coloratum aliquo alio prophetatum à Spiritu sancto pro punitione cleri & reformatione Ecclesię. Circa quorū intrusionem scismatū confictionem processuum ordinationē, ablationem & finē ex flore supradictorum notum est. Et potest notari singulariter quod omnia & singula scismata

scismata & intrusiones prædicta conficta fota & nutrita semper fuerunt opere ingenio & inuidia pessimorum sacerdotum & cleri Dei sibi semper fauentibus & auxiliantibus imperatoribus & populo Romano, excepto Carolo magno & tribus Ottonibus primis de Saxonia, qui Ecclesiam multum afflictam semper erexerunt. Item notamus quod in omni scismate semper ille vicit & obtinuit qui habuit ius siue primo siue secundo electus fuisset. Et semper antipapis & sequacibus malè successit. Item in omni scismate iste Papa visus est habere ius & obtinuit qui electus fuit à maiori parte electorum & habentium vocem in electioné Papatus. Item notamus quod de conuersione magni Constantini circa & postquam Roma & maxima pars fidé Christi agnouit quod Imperatores Romani vel populus Romanus, 25. veros summos pontifices expulerunt de Roma,& ipsos diuersis pœnitentijs afflixerunt iniustè,quorum summorum pontificum nomina sunt hæc: Iulius primus, Simachus, Siluerius primus, Vigilius primus, Martinus primus, Leo tertius, Eugenius secundus, Ioannes octauus, Leo quintus vel sextus, Ioannes decimus, Benedictus octauus, Ioannes decimusquartus, Ioánes decimussextus, Gregorius quintus, Benedictus nonus, Gregorius septimus, Victor tertius, Pascalis secundus, Alexander tertius, Bonifacius sextus. Item notatum fuit quod reges Franciæ qui pro tempore fuerunt nunquam in aliquo dictorum scismatum adhæserunt scismatico, sed semper veris pontificibus, immo quod plus est reges Franciæ octo summos pontifices de sede expulsos posuerunt & reduxerunt in Romam in sedem propriam, quorum summorum pontificum sunt hæc nomina. Vigilius vel Eugenius, Leo, Zacharias, Stephanus, Calixtus, Innocentius, Alexander tertius & Pascalis. Item singulariter notatum est, quod quandocunque Ecclesia in scismate vel alio modo vacillauit semper Ecclesia erecta fuit per aliquos principes seculares, vt per Carolum magnum, Ottones de Saxonia, reges Franciæ, commune Pisis seu Pisanos, & diuersos alios. Nunquam enim Ecclesia relapsa vel vacillans suis operibus vel viribus se erexit Item singulariter est notatum quod nunquam in scismate per Ecclesiam concilium generale fuit vocatum. Sed illi qui fuerunt in scismatibus veri pontifices vocauerunt concilia particularia in diuersis locis prout videbatur sibi expedire. Tamen non reperio aliquod scisma sine concilio aliquo fuisse ablatum. Item reperio quod tempore Gregorij sexti & Clementis secundi, quo tempore erat scisma in Ecclesia quando Henricus Imperator conuocauit & congregauit concilium generale non vocatis Papa nec Cardinalibus qui erant discordes, & quod ibi ordinatum fuit, valuit & seruatum fuit in Ecclesia non obstante absentia Papæ & Cardinalium. Item notatum est quod aliqui in sede Apostolica & tenentes pacem iustè suis temporibus regnauerunt sine scismate, quorum nomina sunt hæc: Ioannes decimus, Ioannes xvij. Siluester ij. Damasus & Victor ij. Item notandum quod Leo Papa iiij. dubitans ne eius electio esset bona renunciauit papatui, tamen Cardinales videntes eius bonitatem reelegeruntque ipsum. Et idem contigit Ho-

A norio ij. natione Bonon. Scismata supradicta fideliter extracta sunt à supradictis chronicis, quæ patent omnibus volentibus eas audire.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM IOANNIS DE GERSON de vnitate Ecclesiastica.

B VNITATIS Ecclesiasticæ tractatoribus, vnus ex zelatoribus eiusdem pacis viam feliciter inuenire. Et si alligatum corpus vinculis occupationũ teneatur ne pergat ad sacrum concilium Pisis Deo auspice celebrandum, nihilominus verbum Dei (sicut dicit Apostolus) non est alligatum. Propterea decreuit spiritus promptus, & pacis auidissimus verbum aliquod Dei literulis insertum quaquauersum spargere, qua infirma nequit ire caro. Non quidem ad determi- C nandum, absit hæc temeritas, sed ad examinãdum & dandum sapientibus occasionem & offerendum in tabernaculo Dei cum hominibus id quod ex talento qualisque scientiæ commissum est.

VNITAS quippe Ecclesiastica ad vnum certum Christi vicarium stantibus terminis in quibus est Ecclesia, Anno Domini 1440. 29. Ianuarij non est retardanda propter allegationes quasdam ex iuribus positiuis sumptas contra celebrationem concilij generalis, aut viam cessionis vt D quod concilium non potest celebrari sine auctoritate Papæ. Quod spoliatus ante omnia debet restitui. Quod recusandi sunt tanquam inimici qui subtraxerũt ab obediẽtia. Et allegari potest iustus metus. Quod Papæ nemo dicere potest, cur ita facis? præsertim si non sit expressè errans contra articulos fidei, cum à nemine valeat iudicari, & nemini sit subiectus, nec possit effici scismaticus. Quod periculosum est pastori deserere gregem suum cedendo. Rursus quod quilibet fecit debitum suũ pro Ecclesiastica vnione nec est in culpa. E Denique quod inquirendum est de iustitia veræ partis, sine cuius cognitione non possunt hi qui errauerunt pœnitere, & si qua sunt similia. Ponuntur igitur aduersus istas Considerationes 12. generales, quorum explicatio specialis sufficit studiosis ista reuellere.

Consideratio prima.

Vnitas Ecclesiæ generalis sicut impedita est per diuisiones filiorum suorum tanquam mẽbrorum putrescentium & contra Deum peccantium, nam F peccata nostra iuxta verbum propheticum diuiserunt inter nos & Deum. Sic per vnioné oppositã scilicet recõciliationem cuiuslibet ad Deum corrigendo prauos mores, humiliando se & orando, rursus debet hæc vnitas impetrari, alioquin manẽte causa scismatis qualis de sua cessatione poterit spes haberi, nisi tamen in pura gratia domini nostri Iesu Christi, qui immeritis & ingratis conferre solet magna, nihilominus coadiutores eius esse nos oportet: nunc præcipuè quando pacis inimicus seuiet acrius quãto reditus pacis propinquior apparet, immittet quandoque si poterit validissimũ ad continuationem scismatis impedimentum

diuisiones scilicet inter eos qui prosecuturi sunt vnionem ministerio superbiæ, cupiditatis aut inuidiæ. A

Secunda consideratio contra primam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ essentialis semper manet ad Christum sponsum suum. Nam caput Ecclesiæ Christus, in quo sumus omnes vnum secundum Apostolum. Et si non habet vicarium, dum scilicet mortuus est corporaliter vel ciuiliter: vel quia nõ est probabiliter expectandum, quod vnquam sibi vel successoribus suis obedientia pręstetur à Christianis, tunc Ecclesia tam diuino quam naturali B iure cui nullum obuiat ius positiuum ritè intellectum, potest ad procurãdum sibi vicarium vnum & certum, semet congregare ad concilium generale repræsentans eam, & hoc non solum auctoritate dominorũ cardinalium, sed etiam adiutorio & auxilio cuiuscunque principis vel alterius Christiani. Non enim habet corpus Ecclesię mysticum à Christo perfectissimè stabilitum minus ius & robur ad procurationem suæ vnionis, quam corpus aliud ciuile, mysticum vel naturale verum, C neque enim est de immediato ac immutabili iure, diuino vel naturali, quod Ecclesia se non possit congregare, & vnire, & sine Papa aut sine aliquo particulari statu vel collegio, vbi in casu cadere potest mors vel error.

Tertia consideratio contra secundam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnũ certum vicarium Christi qui quodammodo accidentalis atque mutabilis est, non debet impediri minimè vel differri propter contentionem duorum de papatu, aut fautorum D suorum si quærant sic manere per allegationes iurium positiuorum, & iustificationes varias, & conquęstiones quod sunt spoliatu, & quod debent ante omnia restitui vel aliunde. Sed videtur expediens quod ea quæ retro sunt obliuiscentes isti de concilio, in anteriora sicut Apostolus loquitur, se extendant, vt iuxta narrationem ab Aug. commemoratam, plus quæratur quomodo liberabitur Ecclesia ab hac scismatis fouea profundissima, quam qualiter & à quibus in eam est prolapsa. E

Quarta consideratio contra sextam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium sic amanda est, vt pro sua adeptione possint rationabiliter plurima mala singularium personarum dimitti, nunc vel in posterum sine pœna. Et quædam vera singularia iura possunt differri, sic quod fiat cessatio voluntaria de eis, vel etiam coacta per auctoritatem concilij. Hoc nimirum dictat naturæ lex, vt pars quælibet pro suo toto saluando sedet & exponat. Quid si quis contendentium F iustificare se seu iniustè se cum agit contenderit dicatur ei, tu te tuaque omnia debes Ecclesiæ, tu qui pastorem te nominas, quantumcunque sis innocens, debes pro ea vel saluanda, vel vnienda, vel non grauiter scandalizanda paratus esse ponere vitam propriam, quanto magis quamlibet dignitatem quærendo quæ sunt Iesu Christi, & hoc non secundum dictamen proprium vel carnale, sed publicum & incorruptum spirituale, prout concilium quod vtique sapiens est, iudicabit. Neque prorsus hoc agendo deseres gregem, sed pasces, vnies & manere diceberis.

Quinta consideratio.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum Christi vicarium non habet necesse quod nunc procuretur seruando terminos literales, aut cerimoniales iurium positiuorum, aut processuum ordinariorum, in euocationibus, accusationibus, dilationibus, aut similibus, sed summariè & de bona grossaque æquitate potest procedere cõcilium istud generale. In quo residebit sufficiens auctoritas iudicialis vtendi epikeia. i. interpretandi omnia iura positiua, & ad finem celeriorẽ & salubriorem habendæ vnionis eadem adaptandi, aut si opus fuerit relinquendi. Quod enim pro Ecclesiastica pace & salute institutum est, si ritè non tyrannica malignitate fuerit institutum, non debet contra eam militare, ne potestas data videatur constitutionibus humanis in destructionem Ecclesiæ, non in eius ædificationem. Auctoritas verò doctrinaliter vtendi epikeya, residet principaliter apud peritos in Theologia quæ est architectoria respectu aliarum. Et consequenter apud peritos in scientia iuris canonici & ciuilis, prout ex principijs iuris diuini & naturalis habeant accipere fundamenta.

Sexta consideratio contra quartam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium, videtur per concilium nunc celebrandum sic procuranda, quod primò detur securitas tam per principes quam per alios quoscunque pro duobus contendentibus si voluerint comparere procedendo ad implendum iuramenta sua atque vota. Quod si noluerint confidere, quæratur ab eis cessio per procuratores legitimos. Quod si vtrumque contempserint, procedatur contemptis, ambobus contendẽtibus ad electionem vnius per communem assensum totius concilij roborantis & approbantis illud quod duo de collegio dominorum cardinalium aut eorum pars maior & sanior constituerint aut fecerint. Quod si voluerint aliqui pertinaciter adhærere alteri contẽdentium, nec insequi sententiam concilij, quod non est leuiter præsumẽdum, viderint ipsi de salute sua, quia concilium istud & sequaces eius se apud Deum & homines à scismatis imputatione liberauit.

Septima consideratio contra tertiam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium sic priuilegiata & sancta est, vt eam syncero zelo quærentes, nullo modo debent reputari à contendentibus sui aduersarij, sed amicissimi in Christo dum cessionem ipsorum voluntariam quærunt, vel eis nolẽtibus cedere petunt deiectionem, quatenus vt spiritus eorum saluus fiat, nec Ecclesia diutius perturbetur. Agunt quippe tam rem ipsorum contendentium quam id quod quilibet Christianus agere debet. Immo iussionẽ Dei habẽt in tam desperato & inueterato matris communis morbo. Hæc est radix inuiolanda & sufficiens piè necessitatis & necessariæ pietatis, in qua Christianissimus rex Francorum, verè innocentissimus, nec quærens quæ sua sunt, nec quempiam odio habens, fundauit hactenus omnẽ agibilium varietatem laudabilem circa pacis reductionem, sicut littera sua patens indicat, cuius initiũ est post salutationem, Pax Ecclesiastica, &c. Præclaram itaque attulit excusationem Cicero in Philippicis, dum

dum inconstãs in amicitia Cæsaris & varius fuisse culparetur, cuius est hæc sententia, quia verba nõ habeo; Cesarem ait nunquam dilexi nisi pro quãto diligere visus est rempublicam. Dum ergo mutauit amorem ad eandem rempublicam, factus tyrannus, ego consequenter aduersus eum amicitiã commutaui.

Consideratio octaua contra tertiam allegationem.

Vnitas Ecclesię ad vnum certum Christi vicarium non debet impedire propter restitutionem obediẽtiarum ambobus contendentibus tanquã spoliati sint prius faciendam. Nam quod iniustus detentor vel prædo spoliatus sit restituendus, est magis ex institutione positiua & iudiciaria nõ purè naturali vel diuina. Propterea tenet in solis casibus expressis nec in præiudicium iuris diuini, & naturalis & boni cõmunis est aliquatenus obseruanda. Neque enim restitutio debet fieri (exempli gratia) hæreticis, neque schismaticis manifestis neque furiosis, & ebrijs in sui perniciem, neque intrusis in papatum, neque petentibus vxorem nõ desponsabilem aut affinem in gradu prohibito iure diuino, neque petenti beneficium quod tenere non potuit, alio iam existente legitimo possessore, neque postremò volenti rebus detentis abuti in cõtumeliam creatoris, aut in Ecclesiæ perniciem, aut in hominis liberi seruitutem, aut contra castitatem alicuius & vitam, & si qua sunt similia. Multas autem exceptiones huiusmodi contra contendendentium quemlibet interuenire videre facile est.

Consideratio nona contra octauam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicariũ videtur melius procuranda si neque ante concilium neque in concilio, neque postmodũ quærantur fieri iustificationes vel iniustificationes eorum quæ hinc inde facta sunt, vt de intrusione huius vel illius in papatũ, de processibus primò fulminatis in alterutrum, de violatione iuramentorum & votorum, de subtractione aut neutralitate, vel libertatis Ecclesiarum particularium reductione, de imputatione schismatum vel hæresum: de adhæsione reprobanda vel laudanda alterius partis obedientiæ, de sententijs excommunicationum aut aliarum pœnarum. Cessent quippe talia, & iuxta rationes pro via cessionis & practicã eius alias pluries ostensam procedatur auferendo processus factos & iustificando, vel ratificando, aut etiam tollerando præterita, prout rerum qualitas patietur; aut plurimã ad statum quo prius erãt ante schisma pręsens absque alia discussione reponẽdo, prouidendo rursus ambobus contendentibus de sufficienti securitate & statu post cessionem, si eam per se vel procuratores legitimos vltro facere etiam sero voluerint, quæ cessio eis per concilium pro purgatione omnium prius impositorum tanquam sufficiens reputetur valitura.

Consideratio decima contra septimam & quintam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi Vicarium tanto zelo quærenda est vt vix possit sobria esse, & non temeraria reputatio alicuius Christiani quod sufficienter ad hoc dubium peregerit: quanto minus hoc quispiam audere debet asserere iuramento, præsertim vbi hominum maxima multitudo reputat contrarium; hoc enim quid aliud est quam pertinaciter & incorrigibiliter talem in erratis persistere? Rursus occurrere possunt casus multi in quibus pro adeptione pacis publicæ aut iustæ defensionis sicut vim vi repellendo, liceret à ritè electo in Papam subtrahere obedientiam. Liceret in neutralitate manere, liceret ipsum corporaliter incarcerare, liceret ei administrationem omnem publicam interdicere, liceret per appellationem aut simile remedium sibi resistere. Fieretque sic ei obedientia vera potius quam contradictio vel resistentia. Liceret præmissas sententias suas qualescunque non timere, nec timendas asserere, sed lacerare eas & in caput suum retorquere. Liceret pręterea accusare eũ de schismate vel hæresi, tam doctrinaliter in locis publicis per theologos & sapientes quam secretè in correctione fraterna, cui subijcitur tanquã peccator in foro pœnitentiæ & iuridicè coram tota Ecclesia; cui similiter subiectus est tanquam deuiabilis in deuiabili. Liceret concilium generale eo inuito celebrare. Liceret tãdem ipsum ad cessionem compellere vel renitentem deijcere ab omni honore & gradu, immo & vita priuare. Hæc omnia denique taliter licere possunt sub tali iure diuino & naturali, quod aduersus hanc veritatem nulla lex vel constitutio puri hominis cuiuscunque sine noua authorizatione Dei fieri debet, quin erroris intollerabilis damnanda sit. An verò prædicti casus in schismate præsenti concurrerunt discutiendo nequaquam adsumimus, cum distinctiones particularium casuum omitti debere magis æstimemus.

Consideratio vndecima contra octauam allegationem.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium non requirit vt errantes præsertim in dubio probabili circa obedientiam veri Papæ pœnitere non possint, nec esse in statu salutis nisi expressè & absolutè confiteantur erratum suum, cum sæpe in talibus pœnitentia vel absolutio conditionata sufficiat. Sed nec oportet omnes inculpare de schismate, qui in tanta iuris Papalis dubietate consurgente ex factis dubijs & varijs, certam vero Papæ non pręstiterunt obedientiam. Sicut nempe verus Papa potuit in chismatis culpam labi, si pertinax fuerit in recusando ea, quæ pacem vniuersalem habebant reducere, & vt concilium generale, vel promptitudinem animi ad viam cessionis iuratæ & voti complementum. Sic excusari poterunt multi aduersantes ei, si fuerit hoc zelo vnionis habendæ, si fuerit ex dubio probabilis ignorantię, dum tamen paratos semper ecclesiam exhibuerint semetipsos, & obedire cognitæ, veritati.

Consideratio duodecima.

Vnitas Ecclesię ad vnum certum Christi vicarium sicut inchoanda impetrandáque est per orationes deuotas, & morum correctionem, sic in eius reformatione à summo vsq; deorsum per omnem suorum membrorum principalium vel non principalium iuncturam, debet cum facta fuerit studium vehementissimum & continuũ adhiberi ne iusto Dei iudicio deterius quid cõtingat si post concessam Dei misericordiam, vnionis salutarem recidiuatio prior fiat. Qualia vero in Ecclesiastica politia veniant reformanda, poterunt docere tam libri experientiæ, quam multiplices chartulæ, iam

super hoc editæ & relationes Ecclesiasticorum in concilio fide dignæ. Denique si contigerit forsitan generale concilium retardari propter principum vel aliorum in diuersis patrijs diuisiones vel aliunde, sic quod multi notabiles vel nequeant vel noluerint comparere, nec mittere sed differre, & Domini Cardinales vtrobique sentiant probabili coniectura quod tales multi & magni de vtraque parte non obedirent suæ electioni, videretur expediens in hoc casu quod ipsi Cardinales comparentes in concilio inuenirent saltem modum tollendi perpetuitatem in hoc schismate, prouidendo quod post decessum amborum contendentium, & si non citius pax haberetur, quia melius esset serò quam nũquam, & hoc iuxta modum qui in alio concilio Franciç fuit conclusus vt per suos ambasiatores quæreretur & prosequeretur apud ambos contendentes & sua collegia de non eligendo scilicet quempiam in casu mortis huius & illius cum cæteris clausulis ad hoc opportunis.

SEQVVNTVR QVATVOR CONSIDERATIONES AD FVLCIMENTUM & declarationem præmissorum.

Consideratio prima.

VNITAS Ecclesiæ ligatur quadruplici lege, diuina scilicet vel Euangelica, naturali, canonica & ciuili. Quarum duas extremas regulare necesse est per primas secundum epikeyam, id est bonam æquitatem. Hoc itaque ex traditionibus earundem legum vltimarum conuincitur, quarũ annotationes aliquas pro minus eruditis & literatis placet adducere. Prima annotatio. Non debet reprehensibile iudicari si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana, præsertim cum vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo. Hæc Innocentius tertius in concilio generali, & habentur in decretali: Non debet, de sanguinitate & affinitate in antiquis. Secunda annotatio. Quoniam nulla iuris sanctio quantumcunque perpenso digesta cõcilio ad humanæ naturæ varietatem & machinationes eius inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam suæ nodosæ ambiguitatis attingit, eo præsertim quod nihil adeò certum clarũque statuitur, quin ex causis emergentibus quibus iura iam prædicta mederi non possunt, in dubium reuocetur, &c. Hæc Ioan. 22. in prœmio clementi. Tertia annotatio. Non possunt omnes casus seu iuris articuli legibus comprehendi, sed cum aliquo casu sentẽtia legum manifesta est, is qui iurisdictioni præest ad similia procedere, atque ius ita dicere debet. Hæc habentur in. l. non possunt. ff. de legibus. Quarta annotatio. Certum est quod is committit in legem qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, hoc habetur in regula iuris. Certum. in 6. Contra facit qui id facit quod lex prohibet. In fraudem legis facit qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. Hæc habentur in. l. contra legem. ff. de legibus. Quinta annotatio. Nulla iuris ratio aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominũ introducuntur, ea nos interpretatione duriore contra ipsorum commoda perducamus ad seueritaté. Hæc habentur in. l. nulla. ff. de legibus. Cum quo concordat regula iuris canonici in 6. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. Item ipsæ leges cupiunt vt iure regantur. Item ait Scipio Nasica: Consul dum iuris ordinem sequitur, id agit vt cũ legibus suis Romanum corruat imperium. Ideo iuris ordo est in casu, vt scilicet iuris ordo non seruetur.

Consideratio secunda.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium nequit modò procurari commodè sine recursu ad epickeyam, seu bonam æquitatem, quæ interpretatur litteram iurium positiuorum secundum intentioné legislatorum radicatá in legibus æternis ac immutabilibus diuinæ legis, per quam legum conditores iusta decernunt, atque secundũ dictamen legis naturalis. Hic autem processus antonomaticè & summè iudicandus erit iuridicus, si innitetur legibus & iuribus & canonibus, propriè & verò nomine sic vocandis. Veritas considerationis legitur clarissimè in libro experientiæ per prudentes & circunspectos, nec proteruos, nec malè affectatos, dum considerant materiam præsentis schismatis cum circunstantijs omnibus, quales nunquam visæ sunt concurrisse in aliquo casu lege positiua memorato. Quid igitur mirandum si non habeatur in eisdem traditionibus positiuis modus ad remediandum expressus quemadmodum multi vigebant morbi prius quam leges nunc conditæ latæ essent, quibus non erat expressè prouisum, & cum leges huiusmodi factæ sunt, constat quod non poterunt infinitati casuũ possibilium prouidere. Sunt autem ipsius iuris diuini & naturalis regulç tales immobilis & æternç, vt exempli gratia.

Principia iuris diuini & naturalis.

OBEDIRE oportet Deo magis quam hominibus. Dedit Deus potestatem hominibus in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ. Nihil possumus contra veritatem. Plenitudo legis atque finis eius est dilectio. Dilectio est causa vnionis atque pacis. Dilectio non quærit quæ sua sunt. Finis omnis potestatis & Hierarchiç Ecclesiasticæ est dilectio, pax & vnio. Finis imponit necessitatem his quæ ad finem sunt. i. secũdum exigentiam finis cætera Domini moderari. Necessitas non habet legem. Fœlix necessitas quç ad meliora compellit. Bonus pastor ponit animã suam pro ouibus suis vniendis & saluandis. Inimici hominis domestici eius. i. carnales sensus. Spiritualis homo omnia dijudicat. Medium virtutis accipiendum est, vt sapiens iudicabit. Vim vi licet repellere. Fas est vnicuique se tueri & rem suam defendere contra vim iniustam. Qui suo iure vtitur, nemini facit iniuriam. Deteriora sunt animarum quam corporalium vel rerum exteriorum detrimenta. Depositum non est reddẽdum in depositarij vel reipublicæ detrimentum. Salubrius panis aut vestis aut gladius abusiuis subtrahitur, quam donetur. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, diliges inquit proximum tuum sicut teipsum. Quod pro charitate institutum est, contra

Io. 10.
Mich. 7.

Mat. 22. Marc. 9. Mat. 18. Matt. 5.

contra charitatem militare non debet. Si pes tuus aut manus & ita de capite scandalizat te, proijce abs te. Qui Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus. Toleranda sunt zizania, ne simul eradicetur & triticum. Communis error facit ius. Non periurabis. Reddes altissimo vota tua. Omne iuramentum & votum quod sine detrimento salutis potest custodiri, seruandum est. Cuius est condere vel doctrinaliter vel iudicialiter, eius est similiter interpretari. Intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi, & similia multa.

Consideratio tertia.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium dũ procuratur per epikeyam seu bonam æquitatem non exigit in sic epikentibus seu legum positiuarum interpretibus quod habeant euidentiam mathematicam seu demonstratiuam, sed satis est si certitudinem moralem seu ciuilem & politicã attulerint. Considerat quippe bonus epikeyes circunstantias omnes particulares, quales nõ potuit legislator prçuidere nec exprimere, quibus attentis aspicit finem qui sequeretur rigorẽ litteralis expressionis obseruaret, qui dum videt ex hac obseruatione læsuram fore ex legibus diuinis vel æternis, contra intentionem debitam legislatorũ, dictat vel doctrinaliter vel authoritatiuè, quod lex scripta sic vel sic, applicanda est seu deserenda secundum imaginationem philosophi de regula Lesbia, quæ erat plumbea, & non ferrea idest flexibilis, non immutabilis. Constat autem quod de circunstantijs moralibus non potest haberi certitudo nisi moralis secundum philosophi sententiã in ethicis. Exempli gratia: Tyrannus persequitur rempublicam cautelis dolosis sicut lupus rapax, nihilominus ipse teget se vestimentis ouium, quæ sunt tam verba quàm facta appareter sanctissima, in quibus est frequenter çquiuocatio vel hypocrisis. Ago inquiet ista pro republica, ago pro salute populi, pro quibus paratus sum etiam mori, nec dicẽtibus oppositum quomodo libet fides detur. Ita mentietur tyrannus, & multos ex simplicibus seducet. Prudentes verò & iudices quorum est epikeya, vti legent in operibus suis oppositum secundum artem Christi. Ex operibus eorum cognoscetis eos. Vult dicere cõsideratio quod prudentibus ipsis credendum est, etiam si nesciuerint rationes euidentes & incalumniabiles adducere, alioquin periret confestim omnis politia. Deniq; aptè sunt hoc loco parabolicæ narrationes de lupo & oue, quã lupus diuersis fraudibus nunc ostẽdendo similitudinem & amicitiam, nunc falsam imponendo calumniam quçrebat fallere, vt vorarct. Propter quod monuit Christus: Attendite à falsis prophetis.

Jo. 10. Mich. 7. Matt. 7.

Consideratio quarta.

Vnitas Ecclesiæ ad vnum certũ Christi vicariũ nunc per concilium Pisanum Domino concedẽte procuranda debet solidius inniti sententijs & deliberationibus huiusmodi concilij & sapientũ in eo venturorum, etiam si non offerant rationes euidentes quam allegationibus vel assertionibus, vel excusationibus, aut iustificationibus, vel contendentium, de papatu vel fautorũ suorum. Deducitur faciliter consideratio ex hoc, quod mediũ virtutis accipiendum est vt sapiens iudicabit, & vt spiritualis qui omnia dijudicat dicet, non vt carnalis homo qui non sapit quæ Dei sunt, sibi fingit. Quis enim dubitauerit quando plures causæ concurrere habeant pro omnibus de concilio vt eis fides detur qui laborãt ad vnionem dandam, quã pro alijs contendentibus ad suam præsidentiam talem qualem occupãdam. Amor quippe nimius & carnalis ad seipsum & ad suos nonnè fallere solet, & in errores impios traducere etiam vsque ad imitationem luciferi, vt adorari velint sicut dij, neque reputent se subditos esse cuiquam, sicut filij Belial sine iugo, nec sibi posse dici, cur ita facis? qui nec Deum timent, nec hominem reuerentur, cum tamen humiliores esse debeant, & ad seruiẽdum promptiores ex prælationis munere, quanto se obligatiores esse conspiciunt in reddenda ratione. Postremò tamen hoc summopere cauendum est iudicibus, ne vsus epikeyæ passim & absque manifesta ratione fiat, transmutando legem scriptam, alioquin tolleretur protinus à legibus sua stabilitas, quibus nutantibus totam reipublicç disciplinam innitentem eis collabi, & ex consequenti rempublicam corruere vel conturbari necesse est. Inde contigit apud Romanos ista seueritas etiam in nece propriorum filiorum ne labefacerent optimam reipublicæ disciplinam.

Quatuor considerationes quæ ad robur prædictorum faciunt reperiuntur postea in oratione: Apparuit gratia 6. M.

TRACTATVS EIVSDEM DE statibus Ecclesiasticis.

PAx quam omnes obseruare conuenit cum omnibus tamẽ maximè circa ministerium religionis Christianæ, numquam solidius subsistit quam si veritate & iustitia tanquam sororibus fulciatur. Nam si non in vera iustitia & iusta veritate reddatur vnicuique quod suum est, nonne schisma protinus irrumpens pacem exturbauit? Audiamus idcirco sub breuium considerationum numero quid status summorum pontificum, quid prælatorũ, quid curatorum, quid mendicantium possit quilibet de suo ministerio veraciter offerre, ne transgressio finium propriorum seu dilatatio nimia separet iustitiam ab osculo felici pacis, proinde lites fœdas vt assolet introducat.

SEX CONSIDERATIONES SVPER STATVS SVMMI Pontificis.

Consideratio prima.

STATVS Papalis institutus est à Christo supernaturaliter & immediatè tanquam primatum habens Monarchicũ & regalem in Ecclesiastica Hierarchia, secundum quẽ statum vnicum & supremum Ecclesia militans dicitur vna sub Christo, quem statũ quisquis impugnare vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit enim in hæresim totiens expresè damnatã à principio nascentis Ecclesiæ vsq; hodie, tam per institutionẽ Christi de principatu Petri super alios

Apostolos, quàm per traditionẽ totius Ecclesiæ in sacris eloquijs suis & generalibus Concilijs.

A

Consideratio secunda.

Status Papalis licet non omnino vacet seu deficiat per mortem Papæ naturalem vel ciuilem, nec per consequẽs Ecclesia desinit esse vna, nihilominus eniti debent Christiani sub pœna schismatis, quod in hoc statu constituatur & præsideat assiduè vnicus & certus summus pontifex quantum fieri potest, pro loco & tempore, si quod non est licitum scienter impedire, quo minus sit vnus talis supremus pontifex in Ecclesia in quo sit Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, & quod non sint plures in quo tanquam Ecclesiasticũ regimen desinere esse posset Monarchicum & in aliam politiæ speciem, vt in Aristocraticam aut Timocraticã verteretur, quamuis Papatus has politiarũ species non excludat, sed assumat, quemadmodũ de sacro dominorum Cardinalium Collegio & de generali Concilio videre est.

B

Consideratio tertia.

Status Papalis non eximit Papam à legibus purè diuinis, quæ vel in Euangelijs vel generalibus concilijs positæ sunt. Et ex hoc consequenter patet quod Papa subijcitur legi illi de correctione fraterna. Si peccauerit in te frater tuus, &c. sic quod potest fraternaliter corripi dum peccat. Et si tandem nollet audire Ecclesiam, quam generale cõcilium repræsentat, debet haberi sicut ethnicus & publicanus. Et ita potest hoc modo per cõcilium vel iudicari vel coërceri, vel pro excõmunicato haberi.

C

Mat. 18. & Luc. 17.

Consideratio quarta.

Status Papalis non eximit Papam à iuribus quæ sunt purè de dictamine naturali, quemadmodum sunt principia iuris naturalis. Propterea cum lex naturalis dicat quod bonum commune tanquam aliquid diuinum præferendum est particulari bono. Deducitur ex hoc quod ad bonum totius Ecclesiæ quam concilium generale repræsentat, reducẽdum est bonum personale Papæ sic quod in præiudiciũ boni communis particulare bonũ Papæ seu commodum vel status, retentio vel dilatatio præualere non debet, cum secundum exigentiam finis cætera debeant moderari, finis autem papatus est vtilitas Ecclesiæ.

D

Consideratio quinta.

Status Papalis quãuis eximat Papã à legibus purè positiuis, canonicis vel ciuilibus, sic quod secũdũ eas coërceri punitiuè non potest, vt præcise tales sunt, nihilominus Papa non debet aut potest leges positiuas, præsertim per concilium generale ad quod sufficienter spectat discernere vel dictare si Papa palam conuertat potestatem suam in destructionem ecclesiæ, non in ædificationem.

E

Consideratio sexta.

Status Papalis obligat Papã tanto amplius quãto maior est in ecclesia subijcere se legibus diuinis, naturalibus & canonicis ad vtilitatem Ecclesiæ. Propterea cum magis videant oculi quã oculus, videtur quod non sine grandi discrimine salutis Papa possit deliberationes vel instituta generalium conciliorum contemnere, vt non secundum communem, sed propriam deliberationem contendat in Ecclesiastico regimine præsidere. Propterea bene dictum est quod Papa non potest generalem statum Ecclesiæ immutare vel tollere.

F

SEX CONSIDERATIONES DE STATV SVMMI PONTIFICIS ET dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

Consideratio prima.

Status summi pontificis ac sacri collegij dominorũ Cardinalium sibi collateralium fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia sub cœlesti, immediatè à Christo, nec humana institutione seu præsumptione potest destitui. Cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est iuxta sacros canones hæreticus atque sacrilegus.

Secunda consideratio.

Status prędictus dotandus est vel fouendus pro debita & honesta substentatione temporaliũ, sine quibus in hac vita misera, spiritualia diu non subsistunt, quemadmodũ alter status quicunque Ecclesiasticus inferior seu subditus dotatus est, vel dotandus iuxta sui qualitatem.

Consideratio tertia.

Stans prædictus non ideo perdit iura sibi cõuenientia quæ posuit propositio duplex præcedens, si fortè fuerint abusus aliqui personales, olim vel nunc inuenti. Alioquin sic argueretur aduersus omnem statum, nedum ecclesiasticum, sed temporalem, quod dissipandus est, deserendus & perdendus, quoniam in multis offendimus omnes.

Consideratio quarta.

Status prædictus potuit & potest in subuentionibus temporalis & honestæ sustentationis præscribere de certo modo, vel quota subuentionis, sicut prælati vel curati inferiores respectu subuentionis factæ per subditos in oblationibus, decimis & similibus, etiam vbi status prædictus aliunde dotatus esset ex patrimonialibus bonis, vel alijs quemadmodum in prælatis dicimus & curatis.

Consideratio quinta.

Status prædictus dum recipit & quærit subuentiones consuetas, in oblationibus, decimis, vel annatis & similibus, non debet eoipso de simoniaca prauitate notari, nisi forte vitium aliud in executionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet non ob inde status minui, destrui, culpari, vel iuribus aliunde debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subiectum vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter imponens, notando generaliter de simoniaca prauitate totum statum istum, temerarius esset nec ferendus.

Consideratio sexta.

Stans prædictus potest & debet rationabiliter resistere per viam appellationis, aut aliàs si aduersus prædicta voluerit aliquis de facto procedere, præsertim dum personæ de illo statu subijciunt se, & statum suum debitæ regulationi sanctæ matris Ecclesiæ, si forsan aliqua fuerint in eis reformanda, & hoc agendo, nedum non scandalizant actiuè vel peccant, sed mœrentur tanquam defensores iurium, non solum suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed vniuersalis Ecclesiæ & ad vtilitatem honestatémque totius Reipublicæ Christianæ, quę consistit in suo decore membrorum maximè principalium.

DE

DE STATV PRÆLATORVM.

Consideratio prima.

Status Prælationis Episcopalis in Ecclesia sic est de primaria & immediata ac supernaturali institutione Christi, quod naturali vel humana solum authoritate non potuit institui, sicut potuit status damnationis temporalis regiæ vel imperialis humanitus & naturaliter ordinari.

Consideratio secunda.

Status Prælationis episcopalis in Ecclesia quo ad sui collationem primariam fuit immediatè à Christo datus primis Apostolis sicut status Papalis Petro, licet postmodum talis collatio vel acquisitio fieri potuerit & facta sit in successoribus per homines, sicut Mathias factus est Apostolus per electionem vel sortem, & successores etiam Petri fiunt nunc per humanam electionem dominorum Cardinalium, qui modus potuit & potest variari vt infra ponetur.

Consideratio tertia.

Status Prælationis Episcopalis habuit in Apostolis & in successoribus vsum vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro, & successoribus eius tanquam sub habente vel habentibus plenitudinẽ fontalem Episcopalis authoritatis. Vnde & quo ad talia minores Prælati. scilicet curati subsunt Episcopis à quibus vsus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur, & sic à Papa posse fieri circa prælatos maiores ex certis & rationabilibus causis non est ambigendum.

Consideratio quarta.

Status Episcopalis non ita subest statui Papali quod illum possit Papa annullare, sicut nec status Papalis posset humanitus destitui. Nihilominus idem status Episcopalis quoad acquisitionem isti personæ & quoad exercitium, subest rationabili Papæ voluntati ad vtilitatem Ecclesiæ, vt dictum est. Hæc autem rationabilitas videtur attẽdenda seu regulanda maximè per determinationes conciliorum generalium, præsertim iam factas de consensu & authoritate summorum pontificum.

Consideratio quinta.

Status Episcopalis quoad sui acquisitionem isti personæ & quoad exercitium, non ita subest meræ voluntati Papæ quod pro libito possit sine iniuria & peccato circa huiusmodi acquisitionẽ & destitutionem, ampliationem & restrictionem operari, quoniam data est ei potestas, dicente Apostolo non ad destructionem, sed ædificationẽ.

Consideratio sexta.

Status Episcopalis habet ex se & Christi institutione primaria potestatem conficiendi corpus Christi & ministrandi sacra Ecclesiastica omnia, ius insuper prædicandi, ius stipendia temporalia sumendi, ius excõmunicandi, ius prælatos minores, scilicet curatos instituendi, ius Ecclesias consecrandi, ius beneficium Ecclesiasticum vel stipẽdium temporale conferendi, vel facere conferri ministrantibus sub se spiritualia, ius indulgentias dandi. Et ita de reliquis multis quæ summo pontifici competunt, vt in fonte.

Consideratio 7.

Status Episcopalis quoad sui vsum vel exercitiũ non ita subest puræ voluntati Papæ, sicut status priuilegiatorum mẽdicantium, vel aliorũ quibus essentiali ordine & Hierarchico statu prædicta iura Episcopalia non competũt. Potest idcirco Papa sub talibus priuilegijs & priuilegiatis absq; iniuria vel peccato immutationes operari restringẽdo vel tollendo, non sic passim in prælatis vel curatis.

Consideratio 8.

Status Episcopalis licet esse possit in aliquo sine plebe & sine vsu vel exercitio hoc fieri non cõuenit, quia vanum & mõstruosum in Ecclesia videretur, quoniam frustra est potestas cui non subest operatio.

Consideratio 9.

Status Episcopalis si nimis arctetur in suis iuribus essentialibus quoad restrictionem vsus vel exercitij passim communiter per Papam absque vtilitate maiori Ecclesiæ, siue hoc esset in exemptionibus subditorum ab eo, siue in reseruatione casuum in foro pœnitentiæ, seu in restrictione stipendiorum temporalium, seu in reseruatione beneficiorum Ecclesiasticorum sub eo, seu per inductionem onerosam priuilegiatorum, aut modis similibus. Ille inquam status Episcopalis posset rationabiliter deferre querelam, nedum ad Papam & generale concilium, quod est conuenientissimum medium, sed ad principes orthodoxos implorando iuuamen opportunum.

Consideratio 10.

Status Episcopalis sicut nõ acquiritur in aliquo per solum titulum fidei, vel charitatis, ita non deperditur per solam hæresim, vel peccatum mortale, non interueniente humana institutione, vel diuina reuelatione, alioquin status Ecclesiæ Hierarchicus prorsus esset incertus, cum suo vsu vel exercitio, quod non est conueniens dicere de politia à supremo legislatore constituta.

Consideratio 11.

Status Episcopalis sicut potest diuersis temporibus & institutionib⁹ modis varijs acquiri & similiter auferri, sic & status Papalis in casu per ordinationes Papales, aut per cõcilium generale sicut & factum est, aliquando potest immutari.

Consideratio 12.

Status Episcopalis potest ab aliquo propter suã malitiam auferri, licet reniteretur occupans, sic & status Papalis, vt videtur in casu, prẽsertim per cõcilium generale posset auferri, cum status Papalis datus sit Ecclesiasticæ communitati, quæ in hoc habet quid diuinũ tanquam cõmune bonum ad quod Papalis authoritas conseruandum fuit instituta.

Consideratio 13.

Status Episcopalis habet rationabiliter Monarcham supremum scilicet Papam ratione vnitatis fidei & sacramentorum, sed hoc nõ ita perspicuũ est esse debere ex institutione Christi, & pro vtilitate vniuersalis Ecclesiæ respectu dispensationis bonorum temporalium, & iurisdictionũ contentiosarum seu coërciuarũ quæ diuersis legibus seu decretalibus, aut statutis pro diuersitate locorum & temporum regi debent, sicut & alia merè temporalia, regalia, vel imperialia. Hinc bene dictum est quod quælibet prouincia in sensu suo abũdat.

Consideratio 14.

Status Prælationis si fiat limitatio sui vsus in beneficijs conferendis, vel in exemptionibus, non

debet rationabiliter conqueri, dum hoc manifestè sit propter studium litterarum, præsertim sacræ doctrinę quod per talia promouetur, & dum hoc potenter fit ad reprimendos abusus notoriè prouenientes, siue hoc sit ex importunitate dominorum temporalium, vel ex propria pusillanimitate, vel alia quauis corrupta affectione. Sed in hoc capere medium conueniens non aliter videtur posse determinari quam iuxta Aristo. sententiam scilicet vt sapiens iudicabit. Nihil autem videtur in hoc sapientius quam generale concilium ritè & libere celebratum.

DE STATV CVRATORVM.

Consideratio prima.

STATVS Curatorũ succedit statui 72. discipulorum Christi quoad legem nouam, & figuratus est in antiqua lege per leuitas. Ac proinde status curatorum est de institutione Christi & Apostolorum suorum à principio fundationis Ecclesiæ, quæ institutio per declarationes summorũ pontificum & synodorum tam generalium quam specialium magis ac magis innotuit.

Consideratio secunda.

Status Curatorum est de essentiali ac intrinsecæ Ecclesię Hierarchia, sicut status prælatorũ, quãuis inferior sit, & pro sua perfectione variabilior. Qua ratione curati simplices non æquè propriè dicuntur sponsi sicut Episcopi, liberiusque permittuntur cedere vel renunciare curis suis.

Consideratio tertia.

Status curatorum institutus est ad regimen animarum dirigẽdarum in finem vltimum per communionem sacramentorum & peccatorũ remissionem, & promotionem ad virtutes.

Consideratio quarta.

Status Curatorum annexam habet obligationẽ docendi & publicandi verbũ Dei suis parochianis, saltem quodam generali tenore legis euangelicæ quoad credenda & agenda secundum statum suæ simplicitatis, sicut maioribus pręlatis conuenit ex obligatione scientiæ reddere rationem particularius de ea quæ in eis est fide & spe, apud omnes tam qui deforis sunt, quam qui intus, fideles scilicet & infideles, hæc enim obligatio consequitur ad obligationem priorem, quæ est de spirituali regimine subditorum.

Consideratio quinta.

Status Curatorum est status perfectionis, nõ solum acquirendæ, sed etiam exercendæ, cum sibi competat tam obligatio quam authoritas reducẽdi animas ad Deum, secundũ Hierarchicos actus, qui purgare, illuminare perficere nominantur.

Consideratio sexta.

Status Curatorum superior est Hierarchicæ Ecclesiæ ad statum simplicium religiosorum, sicut diuinus Diony. & Hiero. in pręcedentis considerationis determinat ratione.

Consideratio 7.

Status Curatorũ Ecclesias Parochiales sibi deputatas habet in tali libertate, quòd nulli alteri sacerdoti fas est ipsis inuitis aut sine eorum licentia prędicare in eadem, præsertim dũ prędicare voluerint ipsi, sed nec confessiones illic audire, nec sacramenta ministrare, salua semper authoritate

vel rationabili ordinatione superiorũ prælatorũ.

A *Consideratio 8.*

Status Curatorum habet ius & titulum recipiẽdi decimas, & oblationes & funeralia, aut alia æmolimenta loco illorum pro sustentatione sufficienti status sui. Et hoc fit tam de iure diuino quã naturali præsupposito dominio. Determinatio autem huius vel illius quotæ, vel commutatio in aliam subuentionẽ habet fieri solo iure positiuo.

Consideratio 9.

B Status Curatorũ sicut habet de sibi subditis ouibus cogitare in ministratione sacramentorum, vt sanctè suscipiantur, sic decet maximè vt quilibet Parrochianus se prius ostendat suo curato generaliter vel specialiter in foro cõscientiæ, quã eadem sacramenta suscipiat. Potest insuper edictũ generale vel speciale suis Parrochianis super hoc per curatos ne aliter se ingerant promulgari.

Consideratio 10.

Status Curatorum securius & iustius eligitur quantum est de se & cæteris paribus, pro confessione sacramentali facienda à Parrochianis quam C alius status, præsertim qui non est superior secundum institutionem Ecclesiæ Hierarchicam, patet, quia mutua & correlatiua est obligatio Parrochianorum ad curatos, vnde vicissim magis obligãtur. Collusiones præterea hinc inde possibiles fieri magis ex hoc euitantur. Denique remedia spiritualia celerius & consultius in casibus multis exhibentur. Potest nihilominus apud priuilegiatos quandoque ratio potior inueniri.

Consideratio 11.

D Status Curatorũ sanctus & salubris non debet inculpari vel infamari per quoscunque, si in eo quandoque sint personæ minus idoneæ ad debitũ regimen animarum, alioquin nullus esset status in Ecclesia militante, qui culpari nõ deberet, sicut nullus absque macula quorundam de vllo statu visus est diu stare.

Consideratio 12.

Status Curatorũ potest sufficienter regere suos Parrochianos, si polleat bona charitate & simplici morũ honestate, etiã vbi litteratura magna deE esset. Propterea non leuiter se eis præponere debent alieni quamuis inueniantur magis litterati.

Consideratio 13.

Status Curatorum potest cũ facili studio honore ea & scire quę ad Parrochiam suã regendã sufficiunt, maiora maioribus prudenter remittendo. Hoc autem si agnoscere neglexerint, debet apud eos correctio Episcopalis maximè vigil esse vt astringantur seuerius tenorem habere in scriptis eorum quę scire debent in punctis regiminis, tam inF stitutiones synodales positiuas, quam cæteras.

Consideratio 14.

Status Curatorũ potest obuentiones ordinatas licenter exigere, verumtamen tali modo & tempore, quod simoniaca prauitas vel eius suspicio nequaquam incurratur, vt quod propter negationem temporalium, spiritualium interim ministratio non negetur, nec interueniat quæstuosa mercatio.

Consideratio 15.

Status Curatorum debet cũ bona gratia suscipere statum priuilegiatorum tanquã coadiutores missos habentes à superioribus licentiam prædicandi,

candi, & confessiones audiendi si non appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi, vt pote si detractor, si collusor, si corruptor, si quæstuosus, si seductor appareat. Aut parochianorum multi inde veniunt in contemptum curatorum. Aut si tunc curatus per seipsum id agere circa parochianos suos quod agendum sit satis potuerit, quia videretur præferendus nisi legitima fieret exceptio contra eum.

Consideratio 16.

Status curatorum vix potest à parochianis sine peccato sic contemni, quod eorum licentia neque in generali, neque in speciali prius quæratur, dum alibi confiteri, aut missas vel sermones audire tempore diuini seruitij, diebus dominicis & festiuis voluerint. Quæ licentia si sine causa rationabili denegetur, sufficit excusare frequenter eos qui alibi confitentur, licentia non obtenta, sed petita.

DECEM CONSIDERATIONES QVÆ PONVNTVR PRO STATV priuilegiatorum.

Consideratio prima.

STATVS priuilegiatorum ad prædicandum, & confessiones audiendum, statutus est post primariam ecclesiæ institutionem, rationabiliter ordinatus ad subleuamen eorum qui hierarchicos in ecclesia status habent, præsertim post talem & tantam in temporalibus ditationem, quæ secum attulit multam occupationem.

Consideratio secunda.

Status priuilegiatorum debet cum bona charitate licentia sua vti. Non ad quæstum, non ad emulationem, non ad ambitionem, non denique in præiudicium temporale vel spirituale curatorum, sed in stando clam & palam apud parochianos, quatenus honorem debitum ac sustentationem suis reddant curatis, alioquin faciunt quod sibi fieri nollent. Meritóq; repelluntur hi de quibus aliter constiterit & excommunicationem à canone nonnunquam incurrunt.

Consideratio tertia.

Status priuilegiatorum & omnium generaliter religiosorum prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne sacramentum Eucharistiæ ministrent & matrimonium solemnizent.

Consideratio quarta.

Status priuilegiatorum habet quod in suis locis & publicis prædicare possunt, dum prælatus non prædicat, nec prædicationem instituit. Similiter hoc possunt in ecclesijs parochialibus de licentia curatorum.

Consideratio quinta.

Status priuilegiatorum hoc habet, vt idonei præsentati sufficienter per superiores suos ad prælatum diocesanum valeant in locis suis confessiones audire diocesanorum & eos absoluere cum tali potestate, & in casibus talibus quemadmodum curati parochiales ordinarie funguntur & non ampliori, nisi de speciali gratia prælati maior eis fuerit elargita potestas.

Consideratio sexta.

A Status priuilegiatorum habet hoc, vt quamuis sacramentum pœnitentiæ possit pluries super eadem peccata suum effectum sortiri, saltem quoad augmentum gratiæ, cum sit sacramentum iterabile, & licet meritoriè eadem peccata pluribus confiteri, nec sit repugnantia quin adhuc possit tempus obligari, nihilominus confessi priuilegiatis non tenentur inuiti eadem peccata amplius confiteri plusquam si suis curatis eadem confessi fuissent, quantum est ex parte efficaciæ sacramenti. Hoc enim per Ioannem 22. fuit declaratum, & vsus communis hoc obtinuit.

B *Consideratio septima.*

Status priuilegiatorum hoc habet, vt à confessis sibi non debeant curati nouam extorquere confessionem de eisdem peccatis, præsertim si secreta sint, nec debent prohibere parochianos cum talia voluerint eis confiteri. Fas sit curatis, immo tutum inquirere à parochianis suis quando & qualiter, à quibus confessionem receperint. Quibus veritatem respondere si quis parochianus negauerit, vix in statu salutis esse credi posset. Ipsisq; in C hoc casu petenti Eucharistiæ sacramentum rationabiliter denegaretur, dicendo, nescio si confessus sis ab habente potestatem, & an in hoc te decipias, vel alter te.

Consideratio octaua.

Status priuilegiatorum hoc habet dum de peccatis publicis absoluunt parochianos, vt ipsi debeant facere fidem de absolutione & absoluendi potestate si super hoc à curatis parrochialibus fuerint requisiti, sub pœna denegandi rationabiliter D talibus cum se dicunt absolutos eucharistiæ sacramentum.

Consideratio nona.

Status priuilegiatorum hoc habet, vt non debeant inducere voto vel promisso alios ad eligendum sepulturam in ecclesijs & locis suis. Vel ad persistendum in iam electa ibidem, & hoc sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Debent prætetea reddere quartam partem legatorum seu funeralium curato parochiali ipsius defuncti, qui pars canonica nominatur.

E *Consideratio decima.*

Status priuilegiatorum ad prædicandum debet secundum qualitatem auditorum formare sermonem, ne coram laicis & subditis detegantur vitia clericorum atq; dominorum. Hoc enim esset non extirpare vitia, sed nutrire rebellionem scilicet murmurationis & contemptus apud audientes. Fiat insuper prædicatio principaliter de punctis nostræ religionis in fide, spe & charitate cum cæteris virtutibus. Sed & præsertim cõfessiones mu- F lierum iuuenum non nisi locis patentibus & publicis audire, nec conuenticula in cameris & angulis agere præsumant, ab omni specie mala abstinentes se.

DE VTROQVE STATV simul.

Consideratio prima.

STatus vterque curatorum scilicet & priuilegiatorum, inuigilet cognoscere casus reseruatos prælatis ne seducantur, & seducant, si trans-

grediantur limites suæ potestatis, quamuis expediret pauciores casus præsertim occultos reseruati, vt sunt peccata illa carnis quæ frequentissimè commissa vix confitentur, præsertim per mulieres & adolescentulos. A

Considera secunda.

Status vterque studeat alter alterius onera portare sine contentione & æmulatione de rebus prædicatis vel alijs, ne si inuicem more cornicum se mordeant consumantur. Ne præterea surgat fœda opinio ecclesiasticorum apud laicos, & vituperetur ministerium verbi Dei. Nonne Deus quæso abunde diues est pro omnibus? Nonne pacis est Deus, non diuisionis? Denique quid prodest pharisaica contentio de status præeminentia, quid sanctius est dare operam, vt quis perfectus inueniatur, quam si iacens in imis de perfectione status glorietur. Attento præsertim quod conciliorum ecclesiasticorum obseruatio nō potest ita concludi sub regulis quibuscunque quin necesse sit recurrere sæpissime ad glossam sapientissimi Augustini tractam ex operibus Christi, videlicet quod talia dantur in obseruanda animi præparatione, & non semper operis exhibitione. Quæ animi præparatio potest apud omnem statum & personam Christianæ religionis si vult inueniri. B C

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS de modo viuendi omnium fidelium.

Ad nobiles. *Consideratio prima.*

REGVLA prima quæ spectat ad nobiles, potentes & scabinos, ne pauperes videlicet per potentiam suam opprimant, & à subditis suis opprimi permittant. Malos vsus in villis suis destruant. Causas pauperum viduarum & orphanorum libenter audiant, & citò iuste iudicent. Munera pro iudicio faciendo vel festinando aut retardando non accipiant. Nil à subditis suis extorqueant.

Ad milites. *Consideratio secunda.*

Regula ad milites tangitur Luc. 3. Neminem concutiatis scilicet in persona per potentiam indebitè. Nemini calumniam faciatis in rebus quam per militiam facere possetis. Et contenti estote stipendijs vestris idest de reditibus vestris multis temporibus, accipiendo verò ad defendendam patriam 2. Mach. 15. Accipe gladium sanctum munus &c. Rom. 13. Non sine causa gladium portat.

Ad simplices. *Consideratio tertia.*

Regula simplicium quoad ecclesiam, vt ieiuni ad missam veniant. In missa non loquantur nec circunspiciant. Ante missam orare debent, vt gratiam Dei recipiant. In missa memoriam passionis Christi habeant. Ante euangelium sancti Ioannis non exeant. Sermones libenter & diligenter audiant, & referre post missam gratias DEO satagant.

Ad episcopos & prælatos. *Consideratio quarta.*

Regula episcoporum & prælatorum satis patet ad Titum 1. Oportet episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem. Et Matth. 20. Qui maior est vestrum, sit vester minister. 2. Cor. 6. Hortamur vos &c. Est autem officium episcopi, malos corrigere & arguere, bonos & pusillanimes pacificare. Quia sicut Dominus Petro in persona cuiuslibet prælati ait: Pasce oues meas &c. 1. Thess. 5. Fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes. De istis 2. ad Timoth. 4. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, obsecra, argue, increpa in omni patientia & doctrina. Et ad Gala. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto &c.

Ad clericos. *Consideratio quinta.*

Regula clericorum est habere doctrinam sanam, vitam sanctam, famam odoriferam. Hæbræor. 5. Sacerdotes habent hostias pro delictis suis offerre. Et August. in regula sua: Sit vobis cor vnum & anima vna in Domino. Psalm. Sacerdotes tui induantur iustitia. Coloss. 4. Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ & pietatis habentes. Psal. 131

Ad religiosos. *Consideratio sexta.*

Regula religiosorum est viuere in obedientia, & castitate & paupertate. Et debent deuotè orare & contemplari, & carnem mortificare contra vitia & concupiscentias. Vnde Augustinus in regula monachorum: In omnibus & super omnia ametur & honorificetur Deus. Et Hugo de sancto Vic. de claustro animæ. Summa religionis regula in hoc dependet vt prælati custodiant subditos suos, subditi prælatis benignè obediant, deuoti sint senes, iuuenes vero laboriosi. Sit honestas in habitu, mediocritas in victu. Sint in claustro assidui, & ad iniuriam rari. Non sint ciuiles, sed claustrales. Sint intenti psalmis, non causis. Non sit rumor in claustro, sed dilectio. In capitulo non lites sed confessio. In choro sit sacra simplicitas, & circa altare reuerentiæ honestas. D

Ad diuites. *Consideratio septima.*

Regula diuitum, ne aliquid iniustum acquirant, ne propter diuitias suas pauperes vicinos suos despiciant. Pauperes sustineant. Operarijs suis bene & citò persoluant. Adulatores neque adulatrices in mensa recipiant. Diligenter & libenter ad concordiam vicinorum suorum laborent. E

Ad pauperes. *Consideratio octaua.*

Regula pauperum, vt diuitibus libenter & fideliter seruiant, nec diuitibus propter diuitias suas inuideant, nec propter paupertatem adulatione vel detractione peccent. Nec impatienter, sed gratanter paupertatem sustineant, nec iniustè ditari cupiant, nec ecclesias propter diuites vitent. Nihil furti à familia suorum vicinorum, nec ab alijs retineant. F

Ad virgines. *Consideratio noua.*

Regula virginum. Non sint loquaces, sed simplices corde & habitu. Ad virginitatem matris Christi cogitent & eam diligant. Choreas vitent. inter iuuenes non sedeant, nec se ab eis palpari permittant, non ament aliquem illicito amore. Adulatores neque adulatrices recipiant nec audiant,

audiant. Orationes libenter dicant. Sordida verba & inhonesta fugiant.

Ad viduas. *Consideratio.* 10.

Regula viduarum est, vt continentiam diligant, & in vestibus humiliter se habeant, & orationibus libenter insistant. Homines suspectos in hospitio suo non recipiant. De concilio proborum se gubernent & viuant. Sanctam Annam & Elizabet viduas cogitent. Familiam castam habeant. Parum per vicos currant.

Ad nuptas. *Consideratio* 11.

Regula nuptarum est Thim. honorare superiores diligere maritum, regere familiam, diligenter gubernare domum, & seipsam honestam & irreprehensibilem ostendere siue exhibere.

Ad mulieres. *Consideratio.* 12.

Regula mulierum est, quod non se indecenter ornatas ostendant. Aures, collum, guttur & caput tegant. Humiliter in Ecclesia & vbique se habeant, nec alias mulieres per superbiam suam iuuent.

Ad maritos & vxores. *Consideratio.* 13

Regula virorum ad mulieres & è conuerso ponitur ad Eph. 6. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam suam. Vxor auté timeat virum suum 1. Pet. 3. Viri cohabitantes secundum conscietiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.

Parentum ad filios. *Consideratio.* 14.

Regula parentum ad filios. Eph. 6. Et vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros, sed educate eos in disciplina & correptione. 2. Cor. 12. Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs.

Filiorum ad parentes. *Consideratio.* 15.

Regula filiorum ad parentes est, quod parentes honorent, & eis in bonis obediant, nec eis sua furentur. Ante eos non respondeant maledictionibus omnino sibi caueant. Cum parentibus aliquando ad ecclesiam vadant libenter, in negocijs parentum suorum fideliter laborent.

Dominorum ad seruos. *Consideratio.* 16.

Regula dominorum ad seruos Eph. 6. Vos Domini eadem facite illis remittentes minas & soluite, domini quod iustum est & æquum seruis præstate, scientes quod vos dominum in cœlis habetis. Eccl. 7. Ne lædas seruum tuum in veritate operantem. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

Seruorum ad Dominos. *Consideratio.* 17.

Regula seruorum ad Dominos. Col. 3. Serui obedite dominis carnalibus, non ad oculum, seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum scientes quod à Domino accipietis retributionem hęreditatis 1. Pe. 11. Serui subditi estote in omni timore dominis vestris non tantum bonis &c.

Ad familiam. *Consideratio.* 18.

Regula ad familiam: Ne fraudem dominis suis in seruiendo, negligendo faciant. Fideles sint in rebus suis custodiendis. Nihil ab eis auferant occultè, nec alios facere permittant. Nuncium malum non faciant vxori vel filijs Domini sui. De malè respondendo caueant. Malos rumores fugiant, vnde in domum malum oriri possit, sed discordias etiam reportare vitent. Missi cito reuertantur. Mercedem suam in superbia vestium non expendant. Ita viuant in humilitate vt labor eorum sit eis in remissionem peccatorum suorum.

Ad mercatores. *Consideratio.* 19.

Regula mercatorum est, vt non in die dominica mercentur, Nec periurent. Ab illicito sibi caueant lucro, nec ad diem vendant vel charius propter dilationem. Vt debitum suum tempore promisso soluant. Nec scientes mentiantur. Æquam stateram habeant, æqua pondera & æquam mensuram.

Ad tabernatores. *Consideratio.* 20.

Regula tabernatorum est. Ne permittant ludere ad taxillos in tabula sua, neque in taberna sua. Deum blasphemare non permittant, nec meretrices recipiant de nocte. Plenam mensuram dent omnibus. Vinum cum aqua ad vendendum non misceat, nec aliqua pocula vel fercula aliquo modo ad vendendum defraudent.

Ad hospites. *Consideratio.* 21.

Regula ad hospites est, quod malos in hospitio suo non permittant vel scienter recipiant, nec hospitibus suis furentur auenam vel fenum. Nec sustineant quod hospites scientet fornicentur in hospitio suo. Iustam, bonam, rationabilem computationem cum hospitibus suis faciant.

Ad senes. *Consideratio.* 22.

Regula ad senes est: In ecclesia libenter iaceant. Iuuenibus bonum exemplum præbeant. De maledicendo siue malefaciendo ipsos reprehendant. Turpia verba non habeant, nec laudent malicias coram iuuenibus. Mulierculas à bono non retrahant, nec iuuenes laudent in superbijs suis.

Ad omnes. *Consideratio.* 23.

REGVLA ad omnes est, vt excommunicatos vitent. Non se inebrient. Pauperes pro posse suo sustineant. Sacerdotes & religiosos & ecclesiam vbique honorent. Et deuotè ab eis doctrinam audiant. Festa bene custodiant. Decimas ritè soluant. Detractionem caueant. Ab adulatione, à blasphemia, à mendacio, à periurio, ab assiduo iuramento, à turpibus verbis, & maximè à luxuriosis verbis se abstineant, quia circunstantes & audientes ab eis inflammantur. Præcepta ecclesiæ teneant, pœnitentias sibi iniunctas diligenter impleant. Alter alterum ad bonum opus inuitet & de malo reprehendat. Dent libenter eleemosynas, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Missas sermones & confessiones libenter colant & frequentent. Ablata restituant, quia non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, vt dicit Aug. In vespere id est in fine vitæ tormenta inferni & gaudia paradisi cogitent. Regula omnium ponitur Matth. 28. baptizantes omnes gentes in nomine patris & filij & spiritussancti, vt secundū illud Ioan. 1. omnes crederent per illum 1. Pet. 3. In fide autem omnes vnanimes. In oratione estote compatientes, fraternitatis amatores misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes &c. Ecclesi. vlti. Deum

time & mandata eius obserua, hoc est omnis homo &c. vnde Galat. 6. Qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.

A

SERMO EIVSDEM DOCTORIS DE TRIBVLATIONIBVS EX DEFEctuoso Ecclesiasticorum regimine, adhuc Ecclesiæ peruenturis, & de signis earundem ex sententia pronunciatus de Conceptione gloriosæ virginis Mariæ in Concilio Constantiensi.

DOMINVS dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Esa. 7. recitatum &c. Nunc quoad secundum Reuerendes patres & domini restat ostẽdere quomodo signum omnipotentiæ & summæ clementiæ factum sit signũ contradictionis & ruinæ. Cõtradixit enim Acham petere signũ quod per prophetam scilicet Esaiam à Domino sibi erat præceptum: Non petam inquit & non tentabo Dominum. Hoc quidem addidit, & non tentabo Dominum, forma quidem pietatis, sed non virtutis. Colebat Acham idolum quod deserere noluit, & ideo ne Dominus exaltaretur & idolum vilipenderetur, signum petere recusauit. Et propter hoc teste beato Hier. in glo. in grauem ruinam incidit, quia totaliter à Domino derelictus fuit. Verum quia ipsius Acham contradictio signi aduentum longè præcessit. Consideremus illud quod iustus Simeon & timoratus pòst signi ortum prophetauerit: Ecce inquit positus est hic in ruinam multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Ad virginem verò: Tuam inquit ipsius animam pertransibit gladius. Lucæ 2. Quod vtiq; orto signo herodes impleuit, quia mox pueri animam quæsiuit. Postmodum contradixerunt Iudæi, contradixerunt persecutores, conrradixerunt hæretici, quorum aliqui virginem non de substantia carnis Christum edidisse dogmatizabant. Alij filium non peperisse, sed reperisse sibilabant. Alij verò cognitam blasphemabant. Alij Dei matrem audire non sustinentes, magnum illud nomen theotocon impiissimè sugillabant. Sed cunctas hæreses in suis autoritatibus sola virgo in ruinam detrusit, quando Archangeli signum nunciantis credidit. Sed præter hos magis contradicunt alij scilicet moderni Ecclesiastici qui nedum signo contradicunt, sed gladio virginis animam crudeliter transfigunt. Per virginem noto Ecclesiam cuius typum gerit virgo Maria, quam trahunt in ruinam per mala exempla. Neque enim hæreticorum atque persecutorum contradictio tantam Ecclesiæ intulit ruinam, quin ipsa semper in sobolem cresceret nimiam, immo quanto maiorem contradictionem sustinuit, tanto plures suæ virginitatis defensores peperit. Tales pergebant intrepidi in eius adiutorium, galeam bonorum exemplorum imponebant capiti, & accingebant gladium spiritus quod est verbum Dei. Porrò si quandoque hic videbatur calcari in sanguine, tamen viuebat, & eò amplius crescebat ex Dei virtute, Domino de eo loquente sub nomine Hierusalem. Ezechiel. 16. In die qua nata es inquit, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixit tibi: In sanguine tuo viue, & loquitur de tempore martyrum. Sequitur: Et multiplicata es quasi germen agri, & grandis effecta es, emundaui sanguinem tuum ex te scilicet cessante persecutione. Grandis quidem effecta erat multitudine credentium, grandis speciositate virtutum, grandis copiositate temporalium, eodem propheta subsequenter dicente: Dedi inquit, coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento. Decora facta es nimis vehemẽter, & perfecisti in regnum, & egressum est nomẽ tuum in gentes propter speciẽ tuã, quia perfecta eras in decore meo quẽ posueram super te. Magis videtur historia hæc quam

B

prophetia de prosperitate Ecclesiæ. Sed quid reuerendi patres, & domini de moderno tempore idem propheta subiungit audiamus: Et habens inquit, fiduciam in pulchritudine tua, scilicet in temporalium abundantia & seculari potentia, fornicata es in nomine meo, loquitur similitudinariè de fornicatione, sicut mulier præbens venale quod natura fecit non venale, dicitur fornicari. Sic etiam dicitur fornicari secundum doctores præbens venale prece, pretio vel inordinato fauore quod gratis erat dandum pro virtute. Sequitur: Et post omnes abominationes tuas non es recordata dierum adolescentiæ tuæ scilicet de tempore martyrum & sanctorum patrum, sed in cunctis plateis ad omne caput viæ ædificasti signa perstitutionis tuæ & abominabilem fecisti decorem tuum. Tunc sequitur punitio & grauis ruina: Ecce ego inquit, dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum id est locum in quo exercebatur iniustitia & simonia & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & relinquent te plenam ignominia. Hæc dicit Dominus omnipotens. Ezech. 16. Sed forsan aliqui blandientes sibi putant hæc si dicta de futuro quod non sint timenda, aut quod venire debeant de propinquo. Et ideo quamuis non sit nostrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, tamen propono ex dictis doctorum & sacra scriptura aliqua contradictionis & ruinæ signa adducere, ex quibus possumus propinquitatem suspicari vel conijcere.

C

D

E

Primum signum est rebellionis & inobedientiæ. Et hoc sumitur ex verbis Apostoli 2. ad Thes. 2. Et nisi venerit discessio primum &c. Quod beatus Hiero. 11. quæst. ad inquisitionem Algasiæ exponit de Romani imperij desolatione, inter quam & Ecclesiæ persecutiones præuias antichristo, quarum vna forsitan erit prima temporalium ablatio, nullum ponit medium. Quædam glossa dicit quod erit discessio aliarum ecclesiarum ab ipsa Romana ecclesia. Magister, super verbo præmissio has simul coniungit. Completa inquit, hac accessione ad Romanum imperiũ & Ecclesiæ obedientiã, aderit discessio ab vtroq; imperio. Accessionẽ nouimus fuisse ante huius scismatis ortum postmodum completa videtur fuisse discessio. Et primò ab imperio temporali. Hoc satis euidenter apparuit, quia vix ciuitas, baro aut miles ante huius gloriosæ virginis assumptionem Romano imperio obedire curauit. Et si aliqui videbatur obedire, hoc erat vel in sanguinis propinquitate, vel præsidentis proprij dominij potestate.

F

Rate. Diſceſſio à Romana Eccleſia videtur in Eccleſia completa. Nam ſi primo vel ſecundò electus in exordio ſciſmatis fuerit pontifex verè, tunc ab vtroque vel ſucceſſoribus receſſus videtur completus. Nam ad tãtam ambiguitatem vniuerſalis eccleſia deuenit quod ignorat apud quam partem vera ſedes Romana erat, niſi forſan Deus alicui reuelaſſet, aut Salomonis iudicium de puero diuidendo, & vera & falſa matre hoc perſuaderet.

Secundum ſignum deſolationis eſt inuerecundia. Et hoc ſumitur ex illo, quia efficitur moribus peior quam fuit ſynagoga, cum imminebat eius ruina. Vnde ſecundum beatum Hieron. triplex erat peccatum phariſæorum, qui & dicebantur clerici Iudæorum ſcilicet auaritia; quia columbas in templo vendi permittebant. Solum labijs Deum honorabant, & tanquam hypocritæ docebant qui non faciebant. Sed nunquid id peius eſt ſacrilegiũ eccleſiaſtica beneſecia & ſpirituales poteſtates prece, prætio aut inordinato fauore diſtribuere, quam columbas in templo vendi permittere? An ne minus malum ſit, ſolum labijs Deum honorare, alioſq; per hoc ad deuotionem inducere quam locum miniſterij, ſolum ſpe queſtus ſuſcipere, & ceſſare ob ſuperbiam à laude Dei, & ſilere. Et de talibus Eſa. 56. Canes multi non valentes latrare. Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Venient dies ſuper vos &c. Demum nunquid minus nociuum videtur Eccleſiæ propriam maliciam hypocriſis pallio cooperire, & velut æs ſonãs & cymbalum tinniens alios per prædicationis officium docere, quam inuerecundè prauis moribus & exemplis ſubditos ſecum in ruinam trahere? Æſtimo enim quod nemo boni iudicij contrarium diceret, ſed illud Hiere. 3. potius completum concederet: Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael id eſt, ſynagoga comparatione præuaricationis Iudæ. Ibi Origenes de nobis inquit hæc intelligit Ezech. 16. Dominus loquens Eccleſiæ. Soror tua Samaria id eſt, ſynagoga, dimidium peccatorum tuorum non peccauit, ſed viciſti eam ſceleribus tuis. Sequitur ruina. Ergo & tu porta confuſionem tuam. Et infra 23. poſtquam diffuſè deſcripſit maliciam & deſtructionem ſynagagæ, adiecit dicens de Eccleſia: Plus inſaniuit libidine, & fornicationem ſuam præbuit impudenter diuitibus & magiſtratibus ad ſe venientibus induta veſte varia. Et bene inquit induta veſte varia inſaniuit libidine, id eſt cupiditate diuitiarum & concupiſcentia delitiarum. Erat namque futurum vt prælati Eccleſiarum non vererentur Eccleſiæ primitiuæ venerandam pudicitiam precio ac precibus & impiis actibus infamare. Ita vt impletum ſit quod ſequitur: Confractæ ſunt mammæ pubertatis tuæ. Subiungit tunc ruinam repetendo cauſam eius. Receſſit anima mea ab ea, ſicut receſſerat à ſorore eius id eſt ſynagoga, quia ſcelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi, loquitur de fornicatione ſuperius expreſſa, id eſt ſimonia.

Tertium ſumitur ex perſonarum diſpoſitione, & eſt immoderata inæqualitas, qua alius & ſæpe dignior eſurit. Alius & frequenter indignior præ multitudine & magnitudine beneficiorum ebrius eſt. Nam ſicut in bona harmonia requiritur vocum inæqualitas proportionabilis, tamen moderata, quæ ſi nimia fuerit, tollitur melodia. Ita A ſecundum philoſophorum propter ciuium diſparitatem, & præſertim indignorum exaltationem, dignorumque depreſſionem, obruitur politia, & ideo dicit quod politia in qua ſunt plures mediocres, eſt diuturnior. Sed non puto quod vnquam fuerit aliquarum gentium politia, in qua eſſet tanta ſacerdotum differentia, vt hi quidam eſſent maiores principibus huius ſeculi, licet indoctiores. Alij eiuſdem gradus & ordinis, licet doctiores & ſapientiores, deiectiores vulgo. Communitas enim talis apud eundem philoſophum vocatur obligartia, B præterea videmus in corpore humano (cui Apoſtolus in pluribus ſuarum epiſtolarum paſſibus Eccleſiam comparat, quod ſi nutrimentum fluit ad vnum membrum, ita vt enormiter ingroſſetur, & alia nimia attenuatione demacerentur, non poteſt diu viuere. Sic in corpore Eccleſiæ ſi ſuperiores fiant ita graues attractione ſubſtantiæ quod inferiores vix poſſunt præ inopia ſe ſuſtinere, hoc eſt ſignum iam propinquæ ruinæ. De talibus enim ait Dominus Amos 4. Vaccæ pingues in C Hieruſalem qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Ecce dies venient ſuper vos. Et infra 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, id eſt in Eccleſia.

Quartum ſignum eſt faſtus & ſuperbia prælatorum, & aliorum Eccleſiaſticorum. Quamuis enim ex naturali prudentia & morali philoſophia ſimiliter & Theologia conceditur quod Eccleſiaſtici debent habere vnde poſſint honeſtius viuere quam populares & prælati quam ſubditi. Ex hoc tamen non admittitur familię & equorum & D veſtium ſuperflua pompa quæ rarò abſque ſuperbia poteſt duci & ſalua iuſticia ſuſtineri, & plerũque non ſine iniurijs & delictis gubernari. Nam tantus faſtus in Dei Eccleſia potiſſimè temporibus iſtis non tam paucos mouet ad reuerentiã quam multos ad indignationem, & plures inuitat ad prædam, qui ſe reputarent forſan Deo ſacrificium offerre, ſi poſſent quoſdam diuites Eccleſiaſticos ſpoliare. Tales faſtuoſos notat Dominus Amos 6. Optimates capita populorum E ingredientes pompaticè domum Iſrael. Quibus in ſignum ruinæ in eodem capitulo væ dicit Eſa. 28. Væ coronæ ſuperbiæ, pedibus conculcabitur. Quod Abbas Ioachim exponit de magnis prælatis, qui propter eorum ſuperbiam procurant vt fiant in Eccleſia Dei ſciſmata.

Quintum ſignum ſumitur ex tyrannide præſidentium, quæ cum ſit violenta, durare, in æternũ non poteſt. Vnde proprietas tyranni eſt quærere non bonum publicum ſubditorum, ſed vtile proprium. F Tales ſunt paſtores qui non paſcunt gregẽ domini, ſed ſemetipſos, quibus dicit væ Ezech. 34. Gaudent de malefactis eorum quos pecunialiter poſſunt condemnare. Nec quærit quis quantum deliquerit, ſed quantum quis ſoluere poſſit. Quibus Dominus dicit Michæ. 3. Audite duces domus Iſrael. Vos odio habetis bonum & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis. Qui comederunt carnes populi mei & pellem eorum deſuper excoriauerunt. Ideo dicit Dominus Ezech. 34. Ceſſare eos faciam vt non vltra paſcant gregem meum, liberabo eum de ore eorum & non erit eis vltra in eſcam.

Sextum signum est quod conturbatio principum & commotio populorum quam in multis partibus experimur irrecuperabiliter destruere Ecclesiam & destruxisse; ita vt impleatur illud Hierem. 4. Contritio super contritionem vocata est repente, vastata sunt tabernacula mea. Ezech. 7. Adducam pessimos de gentibus & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentum, & possidebunt sanctuaria eorum. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum. Et ista videmus impleta in græcia, in Hungaria, in inclyto olim Bohemiæ regno, & pluribus vicinis regionibus.

Septimum signum est recusatio correctionis si forte de principibus Ecclesiæ intelligatur quod scriptum est Zach. 7. Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent verba quæ misit Dominus in spiritu suo per manus prophetarum suorum. Et Esa. 30. Filij mendaces noluerunt audire verbum Dei qui dicunt: Nolite inspicere nobis quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, quia nolunt intelligere vt bene agāt. De quibus Amos 7. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquētem perfectè abominati sunt. Tales salutaria monita & sacram scripturam reputant fabulas, & in ea meditantes iudicant fantasticos. Contra quorum Ecclesiam Dominus Oseæ. 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Et oblita es legis Dei tui obliuiscar & ego filiorum tuorum, & secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Et erit sicut populus sic sacerdos. Et Ezech. 7. Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.

Octauum signum est nouitas opinionum. Ex hoc enim surgunt hæreses, scismata orta defenduntur, & defensa radicantur radicata vt experimur fidem & Ecclesiam destruunt. Moderno enim tempore vnusquisque interpretari & trahere non veretur sacram scripturam, iura, sanctorumque patrum instituta ad libitum suæ voluntatis, prout amor, odium, inuidia, spes promotionis aut vindicta eum inclinat. Aliqui eorum leuiter nimis alios hæreticos dicunt, quos tamen nondum hæreticare nouerunt. Alij verecundia ducti quandoque forsan errores defendunt, ne leui opinione vulgi videantur inquinati. Hi inuicem vt ait Apostolus, languent circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidię, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ. 1. Timoth. 6. & 11. Timoth. 4. Erit inquit tempus cū sanam doctrinam non suscipient, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent & ad fabulas conuertentur. Fabulæ & non sanæ doctrinæ sunt, quæ in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, vel in sublimitate sermonum, aut secundum zelum & contentionem aut inanem gloriam, non in reuelatione spiritussancti, sed secundum traditionem hominum consistunt. A quibus quatuor nos cautos reddit, vt non circunferamini inquit omni vento doctrinæ, & nequitia hominum in astucia & circunuentione errorum.

A Præter hæc sunt alia signa videlicet recessus iustitiæ. Hæc fuit causa destructionis Romanorum, prout deducit August. li. de Ciuit. Dei. Destructio studiorum, quam comitatur penuria sapientum, & hac sequebatur destructio Græcorum. Prælatio puerorum ac ignorantium ac prauorum; & hæc erit destructio Latinorum. Plura alia sunt scripta in prophetis de deiectione sacerdotalis honoris, ex quibus & prædictis sapiens potest concludere ruinam temporalium Ecclesiæ de propinquo imminere. Et forsan iuxta illud Esa. 30. Subito dum non speratur veniet contritio. Quia Pro-
B uerb. 1. scribitur: Despexistis omne consilium meum, & omnes increpationes meas neglexistis. Ego autem in interitu vestro ridebo, cum irruerit super vos repentina calamitas, quando venit super vos tribulatio & angustia. Nē debemus reputare hoc impossibile, quia nostris temporibus vidimus aliqua quæ nuper erant incredibilia. Et timendum est maiora esse in posterioribus. Immo verisimile puto quod à multis annis non fuerint tot maleuoli, tanti corde rebelles & animo accen-
C si contra Ecclesiam sicut his diebus. Videtur enim quod Dominus conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolos facerent in seruos eius scilicet in sacerdotes Psal. 104. Quos in longum cōpescere nequaquam valebimus, nisi signis virtutū manifestis ad beneuolentiam eos inclinauerimus. Nec multum proderit vel forsan ad modicum durabit vnio nisi cessent præmissa signa, quę etiam fuerunt causa scismatis, & sequebatur notabilis & magna morum reformatio. Ad hoc enim Reuerendi patres & Domini, Deus omnipotens miro
D quodam modo cunctis prius inæstimabili vos diuersos, quin & aduersos, tanta multitudine in vnum congregauit. Ad vos totus mundus tanquam ad signum ducens naufragātes ad portum, respicit hoc ipsa Ecclesia inenarrabilib⁹ lachrymis & gemitibus à quolibet vestrum quærendo requirit Iob. 29. Quis mihi tribuat, vt sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando omnipotens erat mecum. Tunc enim omnipotens erat secum, quia in priscis patribus nullum apparuit contradictio-
E nis signum. Præstolatur etiam dies adolescentiæ suæ, vt moribus & doctrinis sanctorum patrum decorata, possit (vt ait Beatus August. in sermone super Cantica) exemplo virginis credendo verbum diuinum concipere, & prædicando parere, rebelles quoque & contradicentes vigore suæ adolescentiæ in ruinam detrudere. Hoc significauit virga Aaron quando Dominus præcepit Moysi Nume. 17. Defer inquit virgam Aaron in tabernaculum, vt seruetur in signum rebellium filio-
F rum Israël: Virga Aaron florida & fructifera, quamuis non sarculo culta nec humefacta, virginem concipientem & parientem, quamuis virum non cognoscentem, signat, quæ posita erat in signum rebellium id est contradicentium & ruinam. Et hoc propheta nunciauit domui Dauid, vbi thema: Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus id est contradicentes, quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.

DE-

DECLARATIO COMPENDIOSA DEFECTVVM VIRORUM Ecclesiasticorum.

FORTE dicitur mihi, Ecclesia fundata est supra firmam petram, flauerunt venti, inundauerunt flumina, non est passa ruinam, quomodo tu dicis, reformatione indiget? Aut dic in quibus. Sed si in nullis eius partibus, & herogeneis id est in eius statibus vel in nullis partibus materialibus siue fluentibus id est singularibus suppositis hodie correctione & emendatione Ecclesia indiget, quæso vbi sunt tunc præcedentium patrum sanctæ & rationabiles constitutiones innumeræ, in eorum Conciliis vel Apostolis papalibus traditæ, quarum obseruantia nunc oblita nedum expediuit olim, sed & magis modò fidelibus saluberrima esset & opportuna. Et vt de pluribus taceam & grandioribus. 1. Primo vbi est quod episcopus bonus & probatus opere & doctrina eligatur, non puer, non homo carnalis spiritualiũ ignarus. 2. Vbi est quod clerici in duabus ciuitatibus & Ecclesiis præbendas vel prælationes non habeant. 3. Quod pro sepultura, confessione, ordinatione, promotione, nullo prætextu vbicunque aliquid exigatur aut detur. 4. Quod nullus principum laicorum capellanum habeat nisi ab Episcopo datum in casu ab Episcopo deponendum vel corrigendum. 5. Quod nullus Episcopus aut sacerdos muneribus, precibus ac fauoribus personarum acceptionibus promoueatur. 6. Vbi est quod Episcopi extra diœcesim non morentur. 7. Quod non plures quam sufficiant ordinemur. 8. Quod Episcopi & sacerdotes spectaculis & ludis non intersint, nec delectentur. 9. Quod sacerdotes nihil fenoris aut rustici ministerij exerceant, nec mercatores, venatores aut negociatores fiant. 10. Quod negocia causarum festiuis diebus & in Ecclesijs non tractentur. 11. Vbi est hodie, ne rectores Ecclesiarum instrenui sint rebus, & in Ecclesiasticis remissi, aut plus propria quam Ecclesiastica iura procurent. 12. Quod non liceat Dominus & prælatis obseruationibus superstitiosis gentilium attendere, nec diuinos consulere, aut stellarum cursus respicere in agendis. 13. Vbi sunt synodi prouinciales secundum patrum constitutiones semel vel bis in anno celebrandæ. 14. Vbi quod non licet quemcunque clericum vel episcopum die dominico absentem esse, sed missarum solemnijs interesse ieiunum. 15. Quod clerici ad matutinum seu vespertinum officium non venientes deponantur, nisi Episcopo vel decano satisfaciant. 16. Quod non liceat clericis ante tertiam horam prandere. 17. Quod nullus sacerdotum à quinquagesima vsque Pascha carnes comedat. 18. Quod sacerdotes aduentum Christi ieiunent. 19. Quod clerici à subiectione non cessent. 20. Vbi est hodie ne quicquam gradibus, pro dignitatibus, pro diuinis sacramentis accipiatur. 21. Ne prælati monasterijs vel Ecclesiis consanguineos suos vel eis fauentes præficiant. 22. Quod non ordinentur, qui psalmorum, canticorum seu hymnorum ignari sunt. 23. Qui scripturis diuinis studeant Episcopi & sacerdotes maximè monachi & religiosi, scientijs litigiosis & practicis omissis. 24. Vbi quod oppressores pauperum, potentes & tyrannos Episcopi arguant & corripiant. 25. Vbi quod per annos singulos episcopi parochias suas circumeant cum effectu. 26. Vt ad mensam episcopi scripturę diuinę legantur. 27. Quod episcopus angerias & impositiones vel huiusmodi grauamina sub sectis, non imponat. 28. Quod clericus scurrilis & verbis turpibus plenus ab officio retrahatur. 29. Vbi est nunc clericorum singularis decor & continentiæ in gestu, in vestitu, victu & risu. 30. Vbi ne clerici comam barbamue nutriant, aut calciamenta & vestimenta aliter quam religionem deceret, habeant. 31. Vbi quod stipendia clericorum iuxta merita distribuantur personarum. 32. Quod clerici nuptialia vitent conuiuia. 33. Quod clerici tabernas non ingrediantur, nec in eis dominetur crapula & ebrietas. 34. Vbi est illud Cartaginensis Concilij quarti, vt episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperum habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & meritis quærat. 35. Quod episcopus pro rebus transitoriis non leuiter litiget. 36. Quod episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem aut auaritiam non transeat. 37. Quod studendum est clericis, vt dissidentes fratres magis ad pacem quam ad iudicium cohortentur. 38. Quod clerici per plateas & fora discurrere non debent. 39. Quod clericus quemlibet verbo erudiat, & ne pauperes grauentur, vt Paulus artificio victum quærat. 40. Quod clericus artificio vel agricultura sibi victum absque sui officij detrimento preparet. 41. Vbi est quod clerici in aliena ciuitate sine causa legitima non morentur extra præbendas vel Ecclesias suas. 42. Quod ab his qui sacramentis diuinis inseruiunt singularis castitas custodiatur. 43. Quod clerici actus secularium vel procurationes non suscipiant. 44. Quod laici clericos actores vel rectores sibi non constituant. 45. Vbi est hodie illud Calcedonensis Concilij Monachi tantummodo intenti sint ieiuniis & orationibus, in locis vbi renunciauerint seculo, nec Ecclesiasticis vel secularibus negociis propria monasteria deserendo insistant. Et maximè quid opus est monachos euocari, cum infiniti seculares hodie studeant in facultatibus litium, iuris scilicet & legum. 46. Vbi est quod non liceat episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadis abesse. 47. Vbi quod clerici aleatores, venatores &c. communione priuentur. 48. quod officia Ecclesiastica pecunia non obtineantur, vt nihil pro ordinatione, vel pallio vel pastillo, detur aut accipiatur, cap. 5. Epistolæ tertiæ Greg. Papæ. Nunquid vult modò verbum illud esse verum scilicet beati Hieronymi (quod qui clericorum audierit ambæ eius aures tinniant) Veteres inquit scrutans scripturas, inuenire non possum scidisse Ecclesiam & de domo Dei populos seduxisse, præter eos qui sacerdotes à Deo positi fuerant & prophetæ. Et Chrysosto. super illud Matt. 21. Et intrauit Iesus templum sicut dixit de templo omne bonum egreditur, ita & de templo omne malum procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est, sicut cum videris

arborem pallentibus folijs, intelligis quia vitium habet in radice, sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum. Vbi est forte propter hoc deuotio & obedientia inferiorum, defensio militũ, pax principum Christianorum, ad finem vt inter se concordes impugnent scismaticos & infideles, recuperando regiones quas iam Christianis abstulerunt, & peruerterunt. Sed nunquid hodie omnes sacerdotes domini & prælati in antedictis & post dicendis culpabiles sunt malis? Absit. Reliquit enim Dominus sibi in Israel septem milia virorum, quorum genua nõ sunt curuata ante Baal. 3.Reg.19. ca. & c.49. Iterum ad quid expedit aut quid vtilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica principum gloria, & tam superflua prælatorum & cardinalium pompa, vt quasi se homines esse nescire faciãt. Et quæ vtique abominatio quod vnus tenet ducenta, alter trecenta beneficia Ecclesiastica. Nonne inde cultus diuinus diminuitur, ecclesiæ depauperantur, valentibus viris & doctoribus priuantur, fidelibus mala exempla dantur. 50. quid sibi voluit quod cardinales solum de vna natione, vel quasi de vna patria fiebant, inter quos de singulis vel notabilibus linguis aliqui esse deberent, nunquid apud Christum est differentia Græci & Latini & Alemani, Hispani & Hũgari &c. 51. quid est quod hodie vnus vtinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinq; vel sex vel octo beneficia, quorum vno non est dignus, quibus octo sustentari possent doctrinis, orationibus & diuinis laudibus insistentes. Attendite an potius hodie equi, canes, & aues & superflua Ecclesiasticorum familia patrimonium Ecclesiæ comedere debeant quã pauperes Christi? vel quam ad diuini cultus ampliationem & pro infidelium conuersione, aut in huiusmodi pietatis operibus, modis congruis expendendum sit. 52. Quot hodie loca diuini cultus vt monasteria & venerabilium martyrum Ecclesiæ Romæ & alibi, ob prædicata & ex prælatorum incuria desertæ sunt & destructæ. 53. Iudicate etiam si iustum quandoque sit, vel exactiones ab episcopis, clerico imponi vt collectoribus soluatur. 54. Quid est etiam quod hodie omnes medium Christianitatis pinguibus abundans beneficiis tanquam centrum quietis ambiunt, derelictis partibus Ecclesiæ in circumitu vbi impij ambulãt inuisitatis, & à doctoribus immittendis & promouendis vacuis & incultis. Vbi fides est debilis, virtus imperfecta, scismati abundant, infideles impugnant, vtriq; opus esset in lege Christi expertioribus prælatis & doctoribus magistris, atq; probiori & abũdãtiori militari potestate. 55. Quid est quod gladius Eccl. scil. excommunicatio in sui contemptum modo tam leuiter extrahitur & pro modica re, vt pro debitis vel huiusmodi tam crudeliter in pauperes extenditur. 56. Quid est quod vna causa super modica re durat tam multis annis, quare litium prolixitas pauperum spoliatrix, conuenienti modo non rescinditur. 57. Quare conuersis Iudæis de eorum bonis misericorditer non datur vitę, potius quam egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant. 58. Etiam quare non ordinatur Iudęos inter Christianos morari non debere, nisi vel Christianis seruiendo, vel vel agros colendo, vel in mechanicis laborando acquirant victum suum, & non vsurando eis in peccatum & Christianis in spolium. 59. Quid etiam sibi vult quod quarundam ecclesiasticorum cathedralium canonici, calceis rostrati, vestibus accurtati, abiecto habitu clericali & assumpto militari, in armis & hastiludijs se exercent. Episcopique cappa, superpellicio libroque depositis arma sumunt, in campis armati pugnant vt principes seculares. 60. Quid est quod nonnulli prælati iurisdictionem spiritualem & temporalem quibusdam potentibus tyrannis & auaris pro certa summa locant, in grauamen Ecclesiæ, subuersionem iustitiæ & oppressionum pauperũ. 61. Quid est quod hodie episcopi, abbates, monachi sunt plus officiales fisci quam Christi, totis nisibus militantes mundo in curis principum & secularium iudiciorum seu parlamentorũ. 62. Ecce quid sibi vult etiam quod modo potius omnes episcopi, prælati & parrochiales sacerdotes per Papam constituuntur quam eligantur personę notę & aptiores de patria, vt non pręferantur ecclesijs homines extranei in moribus & linguis & consuetudinibus. 63. Quid est quod hodie potentum & nobiliũ pueri ecclesiasticis dignitatibus præferuntur, & clerici famosi in vita & doctrina eis subijciuntur. 64. Quid est quod nũc spiritualium penitus ignaris, qui a puero mundanæ & litigiosæ scientiæ vt legum quarum studium sacerdotibus est prohibitum, vacauerunt regimen Ecclesiæ potius cõmittitur. Nunquid ecclesia per mundum gubernanda est, & non potius contra morẽ mundi eò quod scriptum est: Nolite conformari huic seculo, &c. multa. 65. Rursus oculos aperite, & inquirite si quę hodie claustra monialium facta sunt quasi prostibula meretricum. Si quæ consecrata canonicorum monasteria fiãt quasi fora & diuersoria. Si quæ cathedrales Ecclesię factę sunt sicut speluncę raptorum & latronum. 66. Scrutemini si alicubi sacerdotes in consuetudinẽ duxerunt sub prætextu ancillarum habere concubinas. 67. Iudicate si tanta imaginum & picturarum in ecclesijs varietas expediat, & an plures simplices nonnunquam ad idololatriã peruertant. 68. Videte si tanta religionũ numerositas & varietas cõueniat. 69. Examinate si religiones militares faciunt debitum habeant in honore sacerdotium, seruent mores, fidem, regulas & canones patrum. 70. Discutite si expediat quorũdam tam larga exemptio & priuilegiatio atq; ordinariorum coertione sit commoda subductio. 71. Si conueniat Vrbanum quintum Brigittam de Suetia, ducem Britanniæ Carolum, nõ obstante nimia sanctorum multitudine canonizari. 72. Si deceat quorundam nouorum sanctorum festa solemnius peragi quam præcipuorum apostolorum 73. Si iustum sit priores sanctorum solemnes ecclesias deseri & destrui, redditibus à collectoribus vel cardinalibus leuatis, & quandoque post ad eorum memoriam vel quasi gloriam capellulas nouas ædificari. 74. Rursum pensate si æquum est fatuos præesse & sapientes subesse, iuuenes dominari, senes famularum, ignaros ardua discutere, scientes loqui non audere, equorũ famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi. 75. Perquirite si quæ scripturæ apocryphæ aut hymni aut orationes successu temporis studio vel ignorantia in detrimentum fidei

dei introducta sint. Et corrigite opinionum discordias, vt pote de Conceptione Virginis glorioso & consimilium. Sedate iniquas leges, cõsuetudines prauas emendate. Nonne in Saxonia reperiuntur iniustæ leges à Theologis impugnatæ. Et quæ Christianorum consuetudo damnabilior esse potest ea qua iam clerici & laici & principes vbiq; insaniũt, sanctissimam natalis noctem celebrantes ludo taxillorum, non contemplatione cœlestium mysteriorum? Nonne in Liuonia consuetudo inoleuit, vt nulli rusticorum sacramentum Eucharistiæ detur? Nonne ibidem reperitur quod vir duas vxores viuas habeat & mulier plures maritos? Quid plura? Ab Episcopis ad concilium generale venientibus de qualibet prouincia de omnibus inquirite abusiuis consuetudinibus & perniciosis ritibus, quacunque occasione in ecclesiis & hominum statibus regionum diuersarum introductis, vt super deuiationibus præmissis & consimilibus, omnes ecclesiæ status vel in generali concilio reformetis, aut in concilijs prouincialibus reformari mandetis, vt de autoritate vestra reparetur ecclesia, & purgetur domus Dei ab immundicijs, vitijs & erroribus vniuersis. Hoc autem vt diligẽter fieret, sancti priores patres ordinauerunt, & ordinationis eorum posteriores semper in concilijs confirmauerunt vt scilicet bis anno in qualibet prouincia celebranda esset synodus. Vnde in canonibus Terraconensi concilij c. 8. ita dicitur: Propter ecclesiasticas causas & altercationũ solutiones placuit per singulas prouincias bis in anno cõcilia fieri, conuocante Metropolitano omnes Episcopos prouinciales, ita vt ad cõcilium procedant omnes presbyteri vel diacones, vel hi qui læsos se existimãt, vt in concilio causæ examinatæ ad iustũ iudiciũ perducantur. Hęc ibi. Secundũq; capitulũ Carthaginensis cõcilij 3. dicit similiter. Placuit vt propter causas ecclesiasticas quæ ad prouinciæ plebẽ sæpe inuentę sunt, singulis annis conciliũ prouinciale cõuocetur. Rursus capitulũ septimũ Toletani cõcilij sexti: Quamuis inquit, priora nequaquã siluerunt de tanto facinore cõcilia, ratio dictabat, vt ea quæ frequenti pręuaricatione iterantur, frequenti sententia condẽnentur, quãuis vt scribitur in eodem concilio, sępe pullulantia prauitatis germina, sanctorũ sępissimè patrum iuxta nouerimus seueritate damnata, tamen quia crebris conspiciũtur denuo vigere radicibus iustitię acrioris vigore, radicitus ea amputari sancimus. Cęterum capitulũ tertium quarti Concilij Toletani ita loquitur: Nulla penè disciplinæ mores ab ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotũ, qui contemptis canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores synodos facere negligũt. Ob hoc à nobis definitum est, vt quia iuxta antiquorũ patrum decreta, his in anno difficultas temporis fieri concilium non finit, saltem semel à vobis celebretur. Ita tamẽ vt si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispanię & Gallię synodus conuocetur. Si verò nec de ecclesię communi vtilitate tractabitur, speciale erit concilium, prout vniuscuiusque prouinciæ metropolitanus elegerit peragẽdum. Hæc ibi. Ex quibus omnibus arguitur à simili, quod etiam propter defectum conciliorũ generaliũ, totius Ecclesiæ quę sola audet intrepidè corrigere omnes, ea mala quæ vniuersalẽ tangunt ecclesiam, manẽtia diu incorrecta crescunt, & inuenta sunt de malo in peius, donec tãdem iniqua sub fictione consuetudinis reputentur licita. His itaq; peractis, vt in illo si nostrum explicuisse à quo nobis fuit inchoasse, inuisibilis omnium creatoris principis pacis imploro opem suffragijs vt meis verborum energia tenuibus hortamentis vim tribuat effectus per optatam, fragilitatemque humanam veritatis illustret fulgoribus, vt intentioni pietatis se non opponat pertinacem, ne diuinę seueritatis vltio postmodũ corripiat contradictores, & non vt recto rationis libramine amplectantes, viam concilij pacis misericordia perfluẽs pax perpetua & gloria suscipiat sempiterna.

Clemens vrbano litem quia mouerat, ergo
Explicit errantem codex vasurus in orbem.
Concilij placeat, nominetur epistola pacis:
Si facit anterior torpor vel diuius error,
Vt taceant linguæ, mundum transite libelle.
Scisma necat tale pote concilium generale
Clama, non metue montes transire per altos
Per syluas & aquas, valles, lacerasque miricas.
Non defers merces, sed veri potior es tu.
Et si displiceas veri quia nuncius, ex quo
Assem vix valet esse tuum, quid si laceraris.
Finit Epistola pacis.

DE EODEM SCISMATE ALIVS tractatus eiusdem.


IN inquisitione veritatis tangentis proximũ scisma & statum eius, oportet non esse monoculum, sic quod tamen vno oculo ad rem ipsam attendamus, quod fit dũ illa tãtummodo quæ pro parte nostra faciunt aspicimus, & aduersas rationes videre negligimus. Et quia multi vt suppono offerent oculis videre volentium rationes quæ faciunt pro sua opinione in materia quæ nunc ventilatur scilicet de subtractione obedientiæ à domino nostro in toto vel in parte, decreui quædam similiter in aspectu adducere in oppositum facientia. Primò notetur quæ & qualis persona & cuius fama & status nũc tractatur, & quibus priuilegiis, qua dignitate & superioritate dotatus est. Idcirco summè cauendũ est, ne quid temerè aut incõsideratè aut pręcipitãter fiat. Secũdo notetur quod obtulit sẽper & publicè in primo cõsistorio, quod videlicet habebat promptitudinem animi ad mortem pro ouibus sustinendam, antequam non fiet vnio Ecclesiæ. Tertiò notetur quod cessio sua si nunc fieret, non esset conueniens sed pessima, nisi prius ab aduersa parte alia sentiremus. Et ita nõ debet accusari de periurio, si nõ cesserit vel cedat pœnitentialiter. Si dicatur quod ne hoc petitur, sed quod reddat se voluntarium & promptum ad cessionem. Primò videatur si iuramẽtum hoc importat quod vocaliter nunc istud offerat. Secũdò aduertatur si illa oblatio de promptitudine ad mortem, satis hoc importat quod etiam paratus est cedere antequã nõ fieret pax. Tertiò videatur si possit habere colorem sufficientem ad excusationem suam, quod vocaliter pro nũc non offert cessionẽ, antequã sciatur volũtas eorũ de aduersa parte, quia ęstimat forsan & non sine apparẽtia, quod aduersarij magis fortificarẽtur vel indurarentur. Et dicerẽt interpretantes istã oblationem in malũ, quod diffidit de iure suo, & hoc non sine colore. Quartò

principaliter notetur, quod per bullã in respõsione tertia offert simpliciter & absolutè, quod vult tenere iuramẽtũ in forma. Quomodo igitur poterit argui de periurio? Si dicatur quod intelligit aliter iuramentum quod cardinales & alij, nõ obstat, quia nondum vidimus, nec venimus ad hoc quod cessio debeat cõpleri, quousq; de responsionibus aliorũ alterius obedientiæ. Et si tũc Papa velit subterfugere & glossare, & ita pacẽ per hoc impedire, locũ habebit interpretatio, & suæ interpretationis si mala sit impugnatio. Quinto notetur, quod per nũcium Apostolicũ qui nouissimè venit, fecit multa offerre Domino regi & alijs super declaratione voluntatis suæ, & difficile esset iudicare eũ, nisi talia scirentur, quę tamen nõ est necesse reuelare vniuersitati vel omnibus, præsertim vbi negocia non tractãtur ita secretè quin faciliter sciri possint. Sextò notetur quod in quarta quęstione inter illa quæ ponũtur, suponitur quod Papa fuerit protestatus de non recedendo à vijs suis, quod multi omnino falsum ęstimant, immo potius offert omnem viã rationabilem. Septimò notetur quod via cessionis est inefficax & insufficiens, si alij de alia obedientia nolint illã recipere. Et ideo mirũ videretur quod ad talẽ viam quæ ex hypothesi possibili esset inefficax, aliquis obligaretur. Si dicatur quod saltem Papa tenetur secundũ prę parationẽ animi acceptare istã viam. Non video qualiter istud possit negari, quia etiam tenetur acceptare isto modo mortẽ. Sed quod nõ habeat istã prõptitudinẽ, nõ potest sciri, cũ sit in mente. Nec videtur quod teneatur explicare voce vel signis exterioribus pro nunc, propter aliqua tacta circa tertium notatum, quia nec etiam hoc iurauit. Et forte expediẽs est silere vsque ad tempus renunciationis, propter ambitiones illorũ qui tenderent ad papatũ diuersis vijs, cautelis & modis, & possent impedire factum totum. Octauo notetur quod possibilis est alia via cõueniens & bona, & qua ab aduersarijs forte acceptabitur, & in hoc casu qui clarus est, Papa sufficienter se absoluet apud Deũ & homines, si illam viam acceptet per quam fiet pax. Nam supposito quod cessio de se esset via melior, tamẽ potest fieri sufficiens per accidens. Itẽ non semper melius bonũ cadit sub obligatione quin sufficiat minus bonum acceptare. Duobus enim propositis bonis, iori & minori stat quod ad nullum obliger. Stat etiam quod ad minus obliger & non ad maius, & stat quod ad vtrumque obliger sub distinctione. Et in casu isto est quæstio apud doctores, an teneat acceptare maius bonum. Et non est dubia ista quæstio, si maius bonum sit mihi difficilius, sed si cæteris paribus, & stãte æqua facilitate. In casu isto si dimittam maius bonũ, dicunt aliqui quod pecco propter cõtemptum apud alios oppositũ est multum probabile. Vnde propter experiendam libertatẽ meã vel aliquod tale, possum vt videtur licitè maius bonum deserere minori acceptato. Tũc applicetur in casu nostro, & constat quod papa dicere poterit de ista via & alia minus bona, quod cętera non sunt paria. Nono notetur quod Papa non potest teneri ad cessionẽ sęcluso iuramẽto, nisi iste tres cõditiones ponãtur. Primò quod per cessionẽ habeatur vnio. Secundò quod aliter nõ posset humanitus haberi. Tertio quod malum illud propter quod fit cessio facienda sit mortiferũ animabus, & quod per cessionẽ nõ augeatur. Hunc bene attendamus, si rebus adhuc statibus vt stãt, præsertim apud aduersarios nostros quorũ opiniones ignoramus posset dici apparẽter aliquã trium cõditionũ deesse nunc in cessione. Decimò notetur quod etiã de parte nostra rex Hispaniæ & rex Arragonũ, & præsertim eius populus, non sunt adhuc determinati ad istã viã cessionis, immo dicunt multi vidisse multas litteras quibus oppositum clarè perpenditur. Et istis sit perdurãtibus, cõstat quod cessio nõ esset via totaliter sufficiens, immo multi formidant ne iam sit formatus vnus rancor & quoddam seminarium discordiæ inter illos Hispanos & Arragonenses ex vna parte cõtra Gallos, & interpretantur quod in odium eorum volunt papã deponere, quia de patria. Vndecimò notetur qualiter per determinationẽ istarum quæstionũ si nunc fierent, posset poni scisma in fide inter vniuersitatem Parisiensem & Papam nostrum & sibi adhærẽtes ex vna parte. Eundẽ & alias vniuersitates alterius obediẽtiæ, quæ sunt æmulæ eius, & in quibus sunt clerici, & viget vniuersitas. Duodecimò notetur modus qui tenetur de schedulis, & modo vocum seu opinionum vel deliberationum, quia in illis quę fiunt per modum vniuersitatis, facultas Theologiæ ad quam spectat principalissimè illud negocium, non habet nisi quartã vocem, & facultas Medicinæ tãtam. Tertiòdecimò notetur, quomodo potest requiri salua conscientia, quod à Papa qui non est iudicatus scismaticus aut hæreticus, posset remoueri obedientia circa ea quæ ad eum semper spectare cõfessa sunt. Et aduertere debent talia agẽtis super pœnis expressis, & de peccato ad Deum, notatur quæst. 4. nouæ, cum ibi allegatis. Si dicatur quod Papa ostendit se scismaticum, hoc non est clarum per pręcedentia. Item non est talis iudicatus ab habentibus potestatem, & non est in potestate libera cuiuslibet sic iudicare de Papa, & ab eius obedientia remouere, aut cõtemnere sententias suas, vel iurisdictionem diminuere. Et videtur si tales sint suspecti de scismate contra Papã. Item notent principes quid tales facerent contra eos si impunè auderent &c. & quam fidelitatem seruarent, quia sic dicere possent quod essent tyranni. Quartodecimò notetur si expediret simpliciter ecclesiæ quod prælati darent beneficia, & si melius distribuerentur attento statu eorum & familiarium &c. Et an studiosi in vniuersitatibus haberent beneficia. Et an mali prælati fierent peiores, quia magis honorarentur, & eis adularetur in peccatis. Quinto decimò notetur quod si expediat principes incitare ad remouendum vel diminuendum iurisdictionem vel redditus Ecclesiæ, siue ratione, siue alterius autoritate, & si bona melius distribuerentur, & si licitè hoc facerent. Et si totus clerus finaliter infra breue tempus perderetur & affligeretur, maioribus primò destructis & afflictis. Decimosextò notetur circa iuramentum Papæ. Si factum ante Papatum liget eum postquã est assumptus. Item si posset secum dispensare. Item si iudicet quod vergat in detrimentum salutis & totius Ecclesię obseruatio iuramenti, Item si interpretatio spectet ad eum. Itẽ si magna pars clericorum, specialiter doctorum vtriusque iuris diuini & humani sit secum, quod obseruatio illa iuramenti esset in detrimentum salutis &c. An excusetur,

cuſetur. Item vt iam dictum eſt, offert quod vult obſeruare, quod laboretur interim apud alios. Iterum ſi habuerit cauſam malè ſuſpicandi in materia iſta & cautè reſpōdendi, attenta variatione circa eum & Clementem, & moribus quorundam cardinalium, & quod ſibi negabatur modus practicandi viam ceſſionis. Decimoſeptimo notetur, quod in prima reſpōſione ſua in qua aliqui dicunt eum reprobaſſe ſimpliciter modum ceſſionis, non poteſt hoc expreſsè haberi, quia illud quod ponit de ſcandalo & pernicie &c. refertur ad modū exequendi illam viam ſi eſſet ineptus, & ideo illū petebat modum exequendi. Et circa hoc mirantur aliqui, quomodo hoc ſibi potuit rationabiliter denegari, cum maximè hoc tangat eū, & ſi caput &c. Decimooctauò notetur & aduertat vniuerſitas, quomodo aliqui de ſuppoſitis improbant ſimpliciter & de plano vias quas ipſa reputauit vtiles, bonas & conuenientes, & per quarum quālibet poſſet haberi pax, & rationes ad hoc dedit, & ſe obtulit in litteris patentibus quamlibet illarum contra quemlibet ſuſtinere. Et videatur ſi circunſtantiæ ſic ſunt immutatæ vel ex perſona vel tempore, quod omnes viæ aliæ præter ceſſionem ſint factæ ineptæ & ſufficientes, immo quod illarum coloratores aut opinatores digni ſint punitione vel infamatione, & præſertim quia in impugnatione dictarum viarum aliarum fiunt rationes ab aliquibus qui pro omni tempore militant contra eos, ſi quid virtutis habeant, & ſi ſit in honoré vniuerſitatis ipſa viderit. Decimonono notetur ſpecialiter probatio concilij generalis, quod tamē neceſſario fiēdum quidā bene apparenter perſuadebāt propter electionē noui Papæ, hæc eſt radix in ſiniſtra breui. Quia magna pars catholicorum eſt neutra, ſic quod credit quod neuter ſit Papa, aut in dubio ſuſpenſam ſe tenet. Iſti verò conſequenter habēt credere aut dubitare de cardinalibus vtriuſq; præceptis, quod nō poſſint etiā ſimiliter eligere nouum Papā, quia ſi neuter ſit Papa, maxima pars eorū nec habet, nec habere poteſt poteſtatē creādi nouum Papā, nec alij quicunq; à cardinalibus niſi per concilium generale. Suppoſito quod omnes catholici particulariter cōſentirent in aliquos certos pro eligēdo nouo Papa, ſi non fieret colligialiter nihil eſſet, alioquin Vrbanus intruſus habuiſſet maximam apparentiam. Si dicatur quod cardinales ſoli antiqui creabunt nouū. Primò dubium eſt apud multos an perdiderunt poteſtatem eligēdi. Item ſi alij cardinales omnes ſunt veri cardinales, ſi antiqui, non habebunt niſi partiales voces. Alij enim habēt poteſtatem in electione Papæ ſicut ipſi, ideo non eſſet ſecundum iſtā rationem plena pacificatio omnium ſine concilio generali. Viceſimò notetur, Si Papa incipiat perſequi alios, quia videtur inter cętera, quod illi qui ſunt pro ſe, ab eis perſequūtur, & quædā talia, & vtatur excommunicationibus, vtrum illæ erunt timendæ vel non. Si remoueat beneficia, vtrū reperientur alij qui capiant. Si illi excommunicentur & non curent, vtrum pręſumendum ſit ſimile, quod alij nō curabunt, & quod debent conuiuere & cōmunicare cum eis ſicut ante. Et quod erit remedium in celebrare volente & in articulo mortis, an erit aliquis ſic negligens propriam ſalutem, aut temerarius quod nō formidet ſententiam illius quē tenet aut tenere debet Papā,

A ſaltem qui non eſt iudicatus nō eſſe talis. Et quod erit etiam in vita remedium vel releuamen.

ITEM ALIVS TRACTATVS de eodem.



PRÆSVPPOSITO quod Papa poſſit fieri hęreticus & ſciſmaticus. Eo etiam quod de his criminibus poſſet accuſari, ſi de his eſſet vehementer infamatus & ſuſpectus. Quorū vtrumq, quidam negare voluerunt. Quæritur vtrum rebus ſtantibus, vt nunc B turbatis in eccleſia, ſit expediens accuſare iudicialiter Dominum. Benedictum nouiſſimè, in Papam electū ſuper huiuſmodi criminibus hæreſis & ſciſmatis. Primò quod ſic, quia non debent fideles ſe exponere diſcrimini. Amans enim periculum peribit in illo, inquit Sapiens. Sed obedire homini ſciſmatico vel hæretico vt vero Papæ, eſſet diſcrimen peccati mortalis, vt videtur. Et non obedire eidem ſi ſit verus Papa & non ſciſmaticus, eſt ſimiliter diſcrimen, ideò in caſu dubio ſicut eſt mo- C do apud multos, debet inquiri & ſciri veritas. Et videtur fundari poſſe iſta ratio in regula magiſtrali theologiæ, quod dubitans de aliquo actu, an ſit peccatum mortale, & faciens illum actum, debet eſſe certus quod peccat mortaliter. Cuius ratio aſſignatur illa quæ dicta eſt, quia exponit ſe diſcrimini. Quod autem nunc ſit dubium apud multos an Benedictus ſit ſciſmaticus & hæreticus vel nō, patet ad oculum de multis qui ſibi obediunt, & alij non etiam de ſua obedientia, etiam de eodem D regno, immo & in eadem vniuerſitate vel collegio. Tollendum eſt igitur illud dubium à cordibus hominum, nec obediendo exponant ſe diſcrimini ratione dubitationis antedictæ. Notetur 19. diſt. Anaſtaſius, qui communicauit Fotino & Archaico. Secundò ſic, non minus neceſſe eſt vel expediens ſcire an ſubtractio ſit continuanda, quā fuit expediens cognoſcere an eſſet facienda, ſed expediens fuit ſecundum vt nunc ſupponitur, igitur & primum. Antecedens pro prima parte fundatum videtur in ſufficienti ſimilitudine. Addito E etiam quod poſt ſubtractionem multa facta ſunt, & aliqua oblata per Benedictū, propter quæ multi variè ſentiunt de ſubtractione continuanda vel non continuanda. Dicentibus aliis, quia Benedictus ſatis offert, & ceſſant cauſæ ſubtractionis. Aliis in oppoſitum aſſerentibus quod nec ceſſant, immo nec ceſſare poſſunt, vt vnquam poſſit in papatu ius habere, propterea neceſſaria eſt vt videtur iuridica diſcuſſio. Tertiò ſic, charitas obligat & mandat curare de proximis & eorum ſalute & F reductione ad cognitionem veritatis. Si ergo ſumus certi ſufficienter, quod Benedicto nullo modo eſt obediendum ſub pœna ſciſmatis, quia ſciſmaticus eſt, nos ex hoc debemus procurare quod alia regna vel ſingularia ſuppoſita, eidem nullatenus obediant, & hoc fieri non poteſt abſque diſcuſſione iuridica vt videtur. Nam ſi non vocarentur alij, ipſi de facili contemnerent quicquid ageremus. Si autem adhuc dubitamus, redit argumentum primum quod exponimus nos diſcrimini continuando ſubtractionem ab illo. Cui autem ſit obediendum dubitamus. Quartò ſic, aut cauſa præciſa fuit neceſſariò via ceſſionis ſicut

multi tenent dicentes, quod sic fuit pronunciatum per cancellarium Franciæ ex deliberatione concilij prælatorum, nec aliter prælati iudicauerunt aut fuerunt cum hoc aliæ causæ. Si primum, constat vt dicitur quod offert ipse Benedictus & Dominus A. obtulit eandem viam cessionis & largius quam petebatur. Si secundum, dicatur quod fuerunt aliæ causæ, quæritur an essent, & sic, idem quod prius. Si non cessant, ipse ergo Benedictus cōtinuat peccatum suum in grande scandalum totius ecclesiæ, & ita debet confestim fieri processus contra eum ad eius destitutionem totalem realiter & de facto, quatenus possit ecclesiæ melius de pastore prouideri. Similiter tales causæ quia non notificatæ sunt apud omnes, nec certè ille debent manifestari, ne ex ignorantia faciant sibi restitutionem aliqui, per quorum auxilium ipse posset multipliciter grauare ecclesiam, & præcipuè suos cardinales & alios sibi inobediētes quos odit & persequitur (vt multi æstimant) odio capitali, sicut ex minis eius & processibus (vt fama fert) cōtra eos inchoatis iudicatur, immo per hoc posset destituere omnes cardinales veteres & nouos creare. Exaltare fautores suos, & alios iustitiæ zelatores crudeliter impugnare. His autem conuenientibus quis non videat expediens esse remedium apponere. Hoc autem fieri non potest vt videtur, absque iuridica inuestigatione causarum omnium & motiuorum tam iuris quam facti, super rationabilitate subtractionis & eiusdem continuationis. Addunt aliqui quod omnia quæ promisit existens in carcere super cessione refutabit dum erit liber, & allegabit timorem cadentem in constantem virum. Alij dicunt quod hoc non impedit; alioquin obligatus esset nunc ad impossibile, quia nihil potest agere nisi in carcere, dum semper in illo est. Non est tamen alibi conseruandus, nec in regno, nec extra, vt aliorum est assertio. Ad oppositum arguitur sic: Discussio iuridica debet coram iudice competenti fieri & audita parte. Sed nulla persona vel etiam communitas nisi ecclesia, aut concilium generale repræsentans ecclesiam, debet esse iudex competens Papæ, immo nec ipsum potest iudicare, vt quidam iuristæ dicere volunt, sed pro nunc oppositum supponitur. Concluditur ergo quod ista accusatio, discussio & declaratio fieri debebit coram concilio generali totius ecclesiæ, saltem istius obedientiæ. Tunc vltra arguitur. Si non est expediens celebrare huiusmodi concilium pro hac causa principaliter non est expediens discussionem fieri, sed non est expediens celebrare huiusmodi concilium generale pro hac causa, igitur &c. Supposita maiore probatur minor multipliciter. Primò ex parte conuocantis. Secundò ex parte conuocatorum. Tertiò ex parte medij in tractando. Quartò ex parte finis in obediendo. Primò sic ex parte conuocantis. Nulla congregatio habet vim concilij generalis nisi fiat in forma iuris, saltem non erit verisimile vel necesse quod omnes obediant sententiæ talis congregationis, quæ non erit in forma iuris conuocata, & ita erit totum quod ibi agetur dubium, fluctuans & inualidum. Concilium autem generale non potest conuocari in forma iuris nisi autoritate summi pontificis, dist. 17. cum ibi allegatis. Et præsertim si sit aliquis talis vel talis reputatus in ecclesia, & si non pertinaciter refutauerit celebrare concilium, dum super hoc rationabiliter fuerit requisitus. Istas duas exceptiones reputarent aliqui iuristarum etiam superfluas, quia tenent regulam in suis terminis generaliter esse veram, tamen ita dicimus in proposito. Supponimus insuper quod Benedictus nondum depositus est de papatu, quia nec fuit iuridicè accusatus nec auditus, & per consequens non conuictus. Nam & si hæreticus & scismaticus sit iure deponendus, & apud Deum sic mereatur, non est tamen depositus de facto ante sententiam vt not. 5. quæstio. 4. Nouæ, & gloss. super hoc verbo. Exempla sunt multa in similibus materijs de episcopis, aut inferioribus principibus aut prælatis. Quod si quis dixerit non esse expectandam sententiam à iudice latam dum feratur à iure, dum notorium factum est. Istud dicere est confundere omnem ordinationem politiæ, & contra omnem ecclesiæ regulam. Nam quilibet ad libitum dicere poterit de non notorio quod est notorium, & sic quilibet erit iudex in causa sua, sicut ad propositum præsens possemus applicare. Nam multa dicuntur à multis esse notoria crimina contra Benedictum, quæ alij vel negant vel approbant. Deinde dicentes quod Papa hæreticus minor est quocunque catholico & iurisdictioni Ecclesiæ subest, intelligunt quod ab alijs potest vt inferior iudicari, sed ante iudicium debet semper reputari maior. Non enim insequimur errorem quorundam dicentium, iniustum non posse iustè damnari. Iura ad hæc non allego, quia totus textus libri conciliorum ab Isidoro plenus est, quod concilium nullum robur habet, nec potest conuocari nisi auctoritate Papæ, & quod etiam ante omnia spoliatus debet restitui. In prologo vocat istas duas regulas duas claues & duos gladios sufficientes &c. Et est casus in terminis de Symaco Papa, qui licet accusatus esset de hæresi, conuocauit concilium, & ante omnia restitutus est. Postmodum se purgauit. Reperitur etiam quod clerus Romanus scilicet cardinales puniti sunt, eò quod à Papa discesserant. His suppositis arguamus vltra quo modo Dominus Benedictus conuocabit concilium stans in carcere & spoliatus vt dicitur. Qualiter etiam illi qui non restituunt obedientiam iam subtractam sibi parebunt? Qualiter etiam ipsemet in causa sua audietur vt iuris est si non relaxetur siue detur libertati saltem in concilio? Qualiter præterea poterit multos à concilio abijcere, vel petere remoueri tanquam inimicos sibi, specialiter proprios fratres Dominos cardinales. Et an causam habeat super hoc rationabilem videre quid præsumendum? Secundò sic arguitur ex parte conuocandorum quod si verum sit prouerbium. Vbi multitudo, ibi confusio, præcipuè hic habet veritatem, quando non est vnio sub aliquo capite, neque sub eadem regula siue lege. Sed conuocandi de diuersis regnis, immo de eodē regno conuenient in iudicio & opinione super eodē capite, per realem & omnimodā obedientiam, vt verisimiliter supponitur. Et hoc est, quia non conueniunt sub eadem regula siue lege, quę est de subtractionis rationabilitate, & scientibus

bus alijs subtractionem benefactam & continuãdam, fore alijs non sic, sed & malefacta fuit. Et si A benefacta, tamen rebus immutatis nunc est mutanda, & ita murmur erit inter eos, & quis compescet illud? Denique nondum scimus alij principes volent cõuenire nobiscum, præsertim ad hoc tractandum si præsciuerint: Necesse tamen est vt præsciant, nec præsumendum est quin ante omnia hoc scire flagitent, dum proponetur eis istud concilium. Quod si ab eis veritas celetur & mendacijs seduci quærantur quam indecorum hoc esset immo periculosissimum & scandalosissimum B nescit nemo. Quod dicatur eis nos velle tractare an Benedictus sit verus papa vel scismaticus, & quod certum putant in dubium reuocare verisimilius est quod respondebunt se certos esse nec velle hoc discutere, sicut obedientia partis intrusi nunc vsque respondet. Ecce igitur quam difficile sit vel impossibile conuocandos in vnã viam cõiungere pro discussione negotij quod loquimur. Tertiò sic arguitur ex parte mediorum in tractando. Præsupponamus itaque illud quod nõ est verisimile, quod omnes vnanimi assensu de ista obe- C dientia velint conuenire ad concilium pertractãdo hanc materiam, & si non solam, tamen præcipuè & principaliter istam. Constat quod Benedictus & sui pro se audiẽtur in sui defensione propterea videndum est ante omnia si ea quæ opponuntur contra ipsum vel opponentur sint talia, quæ debeant facere fidem omnibus etiam sibi obedientibus & fauentibus, quia si non sint talia & taliter euidentia non solum frustra, immo confusibiliter ea proponemus, nos qui subtractionis cõ- D tinuationem defendimus, & ponemus nos in periculo noti scismatis, & condemnationis opprobriosæ Addito hoc quod fauor & amor multum impediunt iudicia hominum & iustorũ, licet hoc non credant vel videant. Cum ergo maior pars in concilio erit de eis qui subtractionem aut saltem subtractionis continuationem reprobent, non restat nisi vt condemnemur. Nec valet hoc dicere quod Dominus non permittet errare conciliũ, quoniam in eis quæ sunt facti aut iuris positiui, & breuiter in omnibus alijs præter quam in materijs E quæ sunt purè de fide, ecclesia fallit & fallitur seruata charitate. Patet cum compellit aliquem habitare cum non sua. Iste verò propositiones. Subtractio fuit bene facta vel malè facta, nõ sunt propositiones purè de fide, sed præsupponunt alias iniurias quæ sunt purè de facto. Rursus ad idem si Benedictus accusetur de aliquibus, quis dubitat quin accusabit fratres suos & alios aduersarios, de pluribus & de forte maioribus & magis coloratis, & fundatis tam in materia fidei quã in materia scis- F matis. Exempli gratia. Accusabit cardinales de rebellione ad eum & conspiratione, & crimine machinationum dolosarum, aut de alijs criminibus, vt simonia & similibus. Item habet quædam scripta aliquorum in quibus sunt hæreses manifestæ, dum credunt eundẽ impugnare, vt quod soli cardinales sint successores apostolorum. Quod ecclesia tota non posset creare papã, nisi per mediũ cardinalium nec vnquam potuit. Quod res expressè prohibita à Deo si iuretur debet seruari in reuerentiam iuramenti. Quod Iephte occidens propriam filiam meruit. Quod Deus potuit obligari. Itẽ de alijs. Quod possunt esse plures summi põtifices. Quod decreta & decretales plus nocuerunt ecclesiæ quã profuerunt. Quod claues datæ sunt vnitati non vni. Quod omnis obediens vel procurans obedientiam apud ipsum Benedictum stãtibus terminis in quibus sumus, est scismaticus, per consequens pertinax. Quod probabile est stante dubio probabili & notorio, de aliquibus contendentibus de papatu dicere, quod alteri est obediendum, est error in fide & moribus. Nam cum casus præsentis scismatis sit in tali dubio probabili & notorio, si vnquã fuit vel erit tale dubium, omnes qui obediuerunt vsque nunc vel obediẽt vni parti vel alteri, errant in fide & moribus. Itẽ quod in eodem dubio quilibet contendens tenetur cedere iuri si quod habet & similia. Itẽ quod à papa licet appellare, & quod licitè appellatũ est in hac materia. Cuius tamen oppositum determinauit nuper totum cõcilium cardinalium, vt dicitur. Itẽ forte accusabuntur multi de multis criminibus, tã in fide quã in moribus quæ debent puniri morte, & merentur secundum leges & decreta perpetratores talium exhæredari pro se & suis posteris, & ita videre facile est quod horrenda scissura fieret. Ita tamen debere fieri in contractando materias ante dictas videtur verisimilius. Nã si Benedictus accusetur ad mortem & sui fautores, nonne credibile est attento suo quod alios similiter accusabit ad mortem si poterit. Præsertim fautores aliquos habeat eorum quos accusare voluerit inimicos odiosos, immo & forte accusabit prælatos regni de sententijs excõicationis multis & nominatim, quia cõsenserunt contra iura vt dicet, & contra ecclesiasticã libertatem, subsidia pro Dominis tẽporalibus absq; causa manifestę necessitatis &c. Pręlati è cõtra volent se tueri. Volent etiã dare beneficia ad nutum sicut modo, & hoc forte Benedictus non volet neque sui cardinales. Item forte retorquebit omnia contra prædecessorem suum Clementem & sui fautores, qui contra ipsũ allegabuntur, saltem quoad ipsa quę concernunt modos diuersos machinandi pro impedimento vnionis, non dico quod iustè, sed nec etiam quod iniustè, parcat omnibus Deus. Postremò quoad hoc videnda sunt scripta continentia rationes cõtra Benedictũ, & videãtur similiter responsiones atque ponderentur. Et forte videbimus quicquid sit in re quod non poterit sufficiẽter de hæresi aut scismate conuinci, quod tamẽ exigitur. Est enim difficillimum conuincere aliquẽ pertinacẽ & incorrigibilem fuisse ante iudicium. Nam & si aliquis millesies repetiuerit & protestatus fuerit ante sententiam quod deffendet errorem suum nec reuocabit, tamẽ admittitur ad veniã in puncto sẽtentiæ proferendæ, si se mõstret pœnitere & velle stare iudicio superioris sui quãuis ipse Okã videatur oppositũ in dialogo suo fuisse. Cõtra quod est vsus & lex ecclesiæ. Quartò sic arguitur ex fine cõcilij in obediendo. Videamus itaq; secundũ verã & iustã æstimationẽ. Si quilibet de concilio tenebit maiorẽ partem bene sentẽtiasse quamtũcumq; sit in sui opprobriũ vel dãnum vel infamiã. Nam cum conciliũ etiam totũ posset errare, vt dictũ est in his quæ tractanda hic proponuntur, nonnẽ poterit leuiter dicere condemnatus in hoc concilio, certè concilium errauit, conciliũ malè sentẽtiauit,

Fuit hic inimicitia vel odium vel ignorantia facti vel alicuius similis. Consideremus obsecro, si pars A quæ subtraxit nec vult obedire, condemnaretur malè egisse aut saltem debere obedire. An parere huic sententiæ, scio quod facile est dicere ita, obedirent, scio quod etiam ita obedire possent. Sed an hoc debeat secundum moralem æstimationẽ & coniecturam credi ex his quæ vt in pluribus accidant humanitus viderint qui sic vident ego non video. Si verò nihil sententietur, irrisorium & varium erit concilium. Si aliquid sententietur quod non teneatur, erit perniciosum & scandalosissimũ B pro omnibus concilijs in posterum celebrandis, & erit scismatum innumerabilium & irreperabilium causatiuum, non solum inter istam obedientiam in partibus suis, immo & inter istam obediẽtiam & alteram, quoniam remanebimus in irrisione & in infamia apud eos perpetua in fabulã quoque & derisum. Et forte non poterit esse concordia in modo restituendi, quia alij volent ex toto, alij ex parte. Isti volent in spiritualibus, alij in temporalibus. Aut ergo volumus nos qui subtraximus restituere obedientiã, & ita melius est quod nos- C ipsos liberè faciamus quã coacti iudicio. Aut nolumus, & ita exponimus nos periculis prætactis si petamus concilium. Sed dicet aliquis istud concilium peti debere non quod fieri debeat aut speretur, sed quod interim absque scandalo tempus protrahatur, quo currente morietur Benedictus, & ita liberabit nos dominus & eligendi libertatẽ dabit. Posset hic allegari illud vulgatũ pueris notissimum. In mortem alterius noli sperare salutẽ. Quis scit eum quantum viuet, quando morietur. D Et interim in quo statu sumus, immo in quos status corruimus nemo non videt. Porro & si cras moreretur Benedictus, attendamus incredibilia pericula. Primò diceretur ab inobediẽtibus sibi quod mors eius fuisset proditoriè accelerata, & ita suspecti de hoc persequerentur. Item obedientes nunc sibi obedientiam negarent ab illo qui nouiter esset electus. Cum quia iudicarent cardinales amisisse ius electionis, tum quia verisimiliter alium eligerent per aliquos cardinales qui nõ subtraxerunt. Aut forte ad aliam obedientiam se E diuerterent. Immo rebus se habentibus inter nos vt se habeant, cæcus est qui non aspicit periculum diuisionis ciuilis in regno Franciæ, qualis non fuit à diebus suæ institutionis. Et sane eo periculosior esset diuisio quo magis intranea & quo magis inter capita regni, & quo sub specie religionis fieret. Nam tunc expectandum esset illud quod dicit scriptura. Amicus qui vult recedere ab amico occasiones quærit. Et illud decreti: Schisma disponit ad hæresim, quia recedens ab ecclesia, errores F fingit, vt rectè discessisse videatur. Et hoc iam periculum habemus in ianuis nisi celeriter & cautissimè prouiderimus. Addito quod nulla sit implicabilior irremediabilior diuisio, quam illa quæ fit sub religionis prætextu. In tantum quod in hoc casu putet frater se obsequium præstare Deo persequendo fratrem. Addito præterea quod magna pars ne dicam maior non sponte consensit in subtractionem. Vel nunc dum videt quæ secuta sunt voluntaria & pronissima est obedire & reuerti, nec obstat forte ad reuertendum nisi timor, quo sublato & data audacia ipsi etiam cum periculo corporis & rerum suarum suam ostenderent voluntatem. Quid si descenderimus ad particularia quæ sciẽter omittimus, arbitramur indubie quod rei huius ingens & horrendus pateret aspectus & stuporem vehementem sola sui cogitatione causaret. Væ væ regno huic à scandalis, væ pesti scismaticæ, si diuisionem in regno adducat, sicut iam posuit in imperio. Sed væ supra modum si nobis hæreses parturiat, quibus ipsum scisma irremediabiliter radicetur, & radicatum iugiter alatur, crescat, ditatetur atque roboretur.

Ex his omnibus hinc inde tactis & insolutis perspicuum est in quali labyrintho vix egressibili positi sumus, & vinculis vix extricabilibus irretiti, quasi videlicet posuerimus in retibus pedes, & in maculis eorum ambulemus, iuxta verba Iob. Cũ igitur angustiæ nobis sint vndique, & cum ignoramus quid agere debeamus, ego in insipientia mea hoc solum video residui & consilij cum Iosaphat rege. ij. Paral. 20. vt oculos nostros ad Deũ dirigamus, si forte auertat iram suam à nobis. Si forte non auferat concilium à prudentibus & senioribus, sicut videtur hactenus abstulisse. Quãuis hoc fieri in tanta peccatorum abominabilium colluuione, & in tam obstinata & incorrecta flagitiorum nefandorum multiplicatione vix expecto & vix spero, nisi quod misericordiæ Dei non est numerus, & solus est medicus qui desperatos morbos ad sanitatem adducit, ne glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis quasi homo panem effecerit. Si quid autem vel in dubio dicere necesse sit pro remedio præsenti dicã sub correctione. Videretur itaque ante omnia tractandũ hoc negotium inter dominos omnes de sanguine regio cõmuni consensu & absque maleuola, aut acerba contentione, cum quibusdam peritis non nimis hinc vel inde affectatis. Et qui non tantum timerent de statu suo in posterum, nec tamen affectarent nouam status exaltationem quod mentiri velle præsumerentur inordinato timore, odio vel fauore cuiuscumque. Quibus in vnum congregatis & ambulare volentibus in domo Domini cum consensu, sperandũ est in illo qui est Deus pacis & dilectionis, cuius locus in pace factus est, & qui est in medio eorum qui se congregant in nomine suo, quod ipse expediens aliquid in materia ministrabit. Alio quin si seorsum per contentiones & partialitates & simultates & comminationes negotium hoc de pace restauranda tractetur, non nisi diuisionem crudeliores & multipliciores generabuntur, & erit immedicabile vulnus Et tandem quod Dei pietas auertat super capita nostra dum contendemus & rixabimur, immo dũ nos plus quam hostiliter ad mortem persequemur, irruent quaquauersum hostes alieni insidiatores regni huius ad prædandum & vastandum paratissimi, & nos iam non vt hostes suos, sed vt scismaticos & hæreticos & Saracenos liberius persequẽdos inuadent, vt in fabulis aquila fecisse fingitur, de rana & mure certantibus. Sit vtinam vanus iste timor, quem timeo, nec tamen timere desinam priusquam aliquod remediandi genus aliud, quam quæri video aspicere meruero.

QVÆDAM

QVÆDAM PER PRÆFATVM DOMINVM IOANNEM GERSON EDITA tempore schismatis ecclesiæ, pro Concilio vnius obedientiæ.

A

DATVRVS occasionem sapientibus vt sapientiores fiant, propono eorũ examinationi, propositiones negatiuas, quæ sequuntur, super materia communis concilij huius obedientiæ: Ex quibus patebit citius, si sit expediens aut non, concilium huiusmodi celebrari, & si sic, quæ cautela debeat obseruari.

B

Non expedit fieri cõciliũ generale huius obedientiæ ad tractandũ & sententiandũ de criminibus domini Benedicti, sibi per quosdam impositis, vt puta de periurio & schismate & hæresi, aut de suspicione vehemẽti super istis. Primò, quia obedientia ista, in se & in partibus suis, diuisa est circa iudiciũ de actis per papã; alijs dicẽtibus, quia bonus est & sufficiẽter obtulit, præsertim nouissimè; alijs contrarium asserententibus. Tractare igitur talia corã multitudine tam multipliciter diuisa, esset potius induratio & noua multiplicatio diuisionum, quàm illarum sedatio; attento quod ita requireret dominus Benedictus fieri super dictis hæreticis illorum qui sibi subtraxerunt. Secundò, quia concilium huiusmodi ad hunc finem, aut fieret secundũ formã præscriptam à iure, aut noua inuẽtione: Si primo modo, constat quod Benedictus deberet præesse etiam sub noua submissione, & tamẽ rebus stantibus vt stant, non videtur quis locus esset aptus sibi ad securitatẽ, cũ detineatur inclusus. Nec videtur quod permanentes in subtractione, suæ vocationi obedirẽt, & ita nihil ageretur. Si autẽ fieret cõciliũ per nouos modos præter formã iuris, nõ videtur modus verisimilis, ante celebrationem concilij, quomodo prælati & principes in vnũ cõcordarẽt, vno volente vnũ modũ, altero aliũ, & esset tractatus in tractando hoc dispẽdiosissimus & sumptuosissimus, sine magno fructu. Tertiò, quia in determinatione huius materiæ, necesse esset multa cõcurrere & allegare, tangentia fidẽ & mores, sed tales materias nõ expedit in hoc cõcilio ventilare ad determinandũ, prout statim dictũ est. Quartò, quia nũc omnia possunt fieri ad vnitatẽ vniuersalẽ ecclesiæ, erga alias procurandã, quemadmodũ si tota hæc materia esset in cõcilio isto terminata, siue papa remaneat, sine nõ, attẽto quod offert omnia quæ nouiter electus quicũq;, posset offerre, imo apud talẽ aut pro tali nouiter electo, fieri posset nouę colligationes & cõfirmationes peiores prioribus, & fieret verisimiliter noua diuisio aut iã facta cõtinuaretur in hac obedientia. Non expedit fieri cõcilium ad tractãdum determinatiuè materias fidei. Ratio ad hoc, quia esset dare occasionem scandali & periculi magni in fide nostra, si aliud determinaret illa pars siue altera, in materia quæ omnes tangit, & quæ ab omnibus debet approbari, quemadmodum patuit de Latinis & Græcis. Facile tamen esset & verisimile, quod determinationẽ in hac parte factã non approbaret altera pars, præsertim si in aliquo tangi videretur status eorum in materia hac schismatis, sicut tamen tangeret etiam apud istam partem. Et forte ita apud aliam dicuntur multæ assertiones de fide, in quibus esset aduersissima sententia inter diuersas obedientias, immo & inter multos eiusdem obedientiæ. Vt super materia appellationis à Papa; & super eo, quod renuens cedere, aut cessionem facere, est schismaticus; Et quod nõ adhærẽs subtractioni, est suspectus de schismate, vel ecclesiæ aduersus, vel in latitudine schismaticorum, & ita de similibus multis. Cõstat quod de prima istarum propositionũ, est cõtrouersia in regno Frãciæ apud theologos & decrestitas, & inter multos de concilio regis, & de parlamento, & alios de vniuersitate, & inter se mutuo. Et de alijs duabus assertionibus similiter, & amplius; quoniã altera obedientia nunquam tales concederet, immo reputaret erroneas; propter quod perspicuũ est, non esse tutum talia determinare per modum auctoritatis concilij generalis. Sed nec deberent tales assertiones leuiter in particularibus poni, quia reputatur hoc ab alijs ad iniuriã suam; vt dicere quod error sit in fide, si asseratur quod stante dubio probabili de papatu apud duos contendẽtes, alteri sit adhærendum: quia non videtur esse possibile maius dubium probabile, quam sit in casu præsentis schismatis, & tamen vtraque obediẽtia dixit obediendum suo & ita similibus, vt quod non sit alia via humanitus inuenibilis ad sedandum schisma, quam via cessionis, cum iam videatur reddita per se inefficax, nisi concurrat saltem concilium generale, quod excludere, non bene saperet, & quia certé circunstantiis negociorum variatis, possunt viæ & remedia ad vnitatem habendam vario modo repetiri, sicut & necessarium esse experientia præsens notum facit. Non expedit fieri concilium huiusmodi ad tractãdum reformationem ecclesię in moribus, per modum determinationis. Ratio ad hoc est quo ad multa eadem, sicut ad præcedentem propositionem, addito quod reformatio ecclesiæ vniuersalis fieri non potest in moribus, sine abolitione multorum statutorũ super excõmunicationibus, & cæteris traditionibus nimis multiplicatis, quæ nec obseruantur nec obseruari possunt rationabiliter vbique, propter varietatem morum & temporum: Et tamen tales remotiones statutorum & canonum antiquorum, aut additiones nouorum, fieri nequeunt rationabiliter pro tota ecclesia, sine consensu communi, alias posset esse statim diuersitas nimia in moribus & iudiciis, quo ad ea quæ Papa & concilia statuerent. Si verò diceretur quod multa bona possunt ibi, auisari, & discuti, sed nõ determinari; pauca esset ibi vtilitas in comparatione tanti facti, nã pauci viri literati & probi, faciliter, & forte congruentius ista considerarent, extraherent, & ordinarent. Nolo tamen dicere quin in multis partibus posit ecclesia per suas partes reformari, immo hoc necesse esset: sed ad hoc agendum sufficerent concilia prouincialia, & ad quædam satis essent concilia diœcesana & synodalia, prout super hac re iam aliqua scripta sunt & auisata, si quis vellet ad opus manum mittere & ad fortia. Sed heu desolatione desolata est omnis terra! quia nemo est qui recogitet corde, & quærunt omnes quæ sua sunt. Non expedit pro restituendo obedientiam Papæ in spiritualibus fieri concilium huiusmodi generale: Primò quia videtur

C D E F

implicatio (sicut tactum est) quod maneat subtractio huiusmodi à Papa, & quod fiat concilium. Secúdo, quod facilius ista restitutio & reductio tractari poterit in solo regno Fráciæ, si verũ sit quod omnes alij iam restituerunt obedientiam, aut in ea permanserunt, si verum sit etiam quod subtractio non est facta Papæ etiá in eodẽ regno, nisi sub cõditione explicita, vt quidam dicũt, aut saltem implicita, & quæ de iure & æquitate debet intelligi. Hæc conditio est, quousq; papa fecerit debitum suum, & concesserit ea quæ sibi petebãtur, & propter quorum negationem fiebat subtractio: nam cessante causa, cessare debet effectus. Addito hoc, quod subtractio nullo modo potuit fieri iustè, nisi ad finem vnionis, tanquam mediũ ad hoc necessarium: Alioquin tantum malum & insolitum nullo modo posset à culpa defendi. Si ergo nunc videatur quod subtractio non prodest ad vnionem, vel non est necessaria propter condescensionem Papæ ad ea quæ petebãtur, cessare ipsa debet, quia si rebus stantibus, vt stant erga papæ prõptitudinẽ de cedendo, non potest de nouo fieri subtractio, sicut concedere habent aduersarij, vt videtur non potest aut debet eisdem rebus stantibus eadẽ subtractio continuari. Tertiò, quia restitutio huius obedientiæ, quoad spiritualia, fieri commodius & breuius potest per assensum cardinalium, & recõciliationem mutuam indulgendo præterita, ratificando quæ ratificanda essent ad cautelam futurorum, & emendationem securiorem præteritorum & conscientiarum serenationem, & ad abolendã omnem infamiæ aut rebellionis notam, & quatenus in viam pacis, communi animo & eodem pede procederet hæc obedientia concordius: quoniam faciendo restitutionem debitis modis, nec subtrahentes, nec ille à quo facta est subtractio remanerent notati de talibus, quod difficilius esset, si per concilium aliquod fieret determinatiua decisio. Nõ expedit concilium tale celebrari pro restituendo obedientiam papæ in administrationibus beneficiorum, & aliorũ huiusmodi, quia licet annexa sint spiritualibus, tamen possunt temporalia nominari: Primò, quia rationes aliquæ priores de non expediendo reformationem ecclesiæ vniuersalem in moribus, tractare faciunt pro hac parte, & pro altero principali argumento ad hãc partem. Tamen aduertendum est, quod & si concederetur papam habere de iure diuino dominium vniuersale spiritualium & temporalium respectu omnium, tamen cõstat quod pro diuersitate temporum, & locorum, & statutum, nec papa, nec ecclesia habuerunt aut habere debent in talibus dispensationibus aut administrationibus beneficiorum temporaliũ iurisdictionũ, simile exercitium aut executionem, aut vsum. Itaq; notum est, quod ecclesia tempore Christi & Apostolorum nullum habuit exercitiũ aut executionem iuridicam, ciuiliter circa huiusmodi temporalia: immo Christus, plus videtur facto & verbo tale exercitiũ iurisdictionis ciuilis prohibuisse, quã permisisse, licet nõ dicam quod prohibuerit aut oppositum consuluerit, nisi pro loco & tẽpore. Quia enim ecclesia tunc multiplicanda erat per discursum apostolorũ & fideliũ, ideo talis iurisdictio tẽporalis & possessiones, fuissent eis ad impedimentum, & tales sunt ad hoc congruentiæ multæ. Sed pro tempore Syluestri & Cõstantini magni, placuit domino ad dilationẽ ecclesiæ tum inspirare, Constantino quod tales possessiones daret, tũ ecclesiæ quod reciperet, & durauit huiusmodi dotatio ecclesiæ, vsq; ad tempora nostra, per successiones sanctissimorum patrum Gregorij, & Ambrosij, & aliorum, quos nõ est credibile in retentione talium, errasse contra Christi iussionẽ. Sed longè aliter in primitiua dotatione distribuebantur bona talia, quã postmodũ tempore prælatorum, qui cœperunt paulatim refrigescere à sanctitate priorũ, tandẽ abusi sunt taliter collationibus beneficiorum & huiusmodi administratione, quod Papæ paulatim, & successiue ad se multa reuocauerũt, vsque adeo quod finaliter datis occasionibus & acceptis (quas nõ est hic opus recitare) tota collatio & iurisdictio talis pœnes papam & eius curiam remanebant: Ita vt vix esset prælatus, qui posset minimũ beneficium cõferre. Cõcurrebant ad hoc exactiones multiplices pro statu Papæ & Cardinaliũ; & si fraudes, & abusus & simoniæ cõmitterẽtur relinquo iudicãdum expertis. Hęc idcirco dixi, quoniã forte aliquibus videretur, quod sit expediens Ecclesiæ vniuersali redire omnia ad pristinum statũ Ecclesiæ, seu illius qui fuit tempore Apostolorũ, quantum fieri congrue possent (abiectis talibus iurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderũt ecclesiam totã brutalem & carnalem, & nihil fere sapientem de his quæ Dei sunt erga salutẽ animarum, non ex se quidem, sed abutẽtium vitio) Vel redeundum esset ad statum ecclesiæ tẽpore Syluestri & Gregorij, quãdo quilibet prælatus dimittebatur in sua iurisdictione & sollicitudinis parte; & Papa tenebat quæ sua erãt, absq; tot reseruationibus, tot & continuis magnisq; exactionibus, pro sustinẽdo statũ curiæ & capitis, nimis forte crescentẽ supra cæteros mẽbrorũ status. Ad sciẽdũ igitur istud, cũ multis appẽdiciis de prouisione clericorũ sufficiẽtiũ, &c. & ad prouidẽdum, expediẽs est fieri determinationẽ & reformationẽ & vniuersalẽ ecclesiæ nã vniuersalẽ statum Ecclesiæ tangit. Sed dictum est prius, quod reformatio talis fieri non debet in concilio solius obedientię istius. Si verò quis obijciat, quod istud sic stare non potest cum eis quæ dicta sunt de restitutione obedientiæ, quoad spiritualia, quoniã esset ita bene periculum, inobediẽtiæ culpabilis in vno sicut in alio. Respondetur, quod latissima est differẽtia in spiritualibus & temporalibus quoad hoc, & vtinam fuisset bene semper intellecta à prioribus & modernis, fortè quod adhuc starent Græci cum Latinis. Patet enim ex priori deductione, quod Papa potest remanere Papa vniuersaliter in perfectione magna, immo maiori quã erat Syluester, & tamẽ nullum habebit exercitium actuale circa temporalia Ecclesiæ vniuersalis per diœceses, quantumcũque habeat dominiũ vel plenitudinẽ potestatis in habitu: quæ potestas ex causis certis potest cohiberi & arceri, immo debet, ne exeat in actũ, sed dimittat singula singulis ministrare. Nonne Christus fuit Papa perfectissimus, nonne similiter Petrus, ipsi tamen omne exercitiũ abdicauerunt à se in talibus, quamquam Christus cum summa facilitate istud obtinere potuisset. Nihil ergo de perfectione status summi põtificis diminuitur, si pro causa rationali remouetur ad tempus, aut suspenditur sibi tam anxia solicitudo, tot curarum immortalium & periculosissimarum in anima & corpore, pro huiusmodi

modi exercitio circa temporalia distribuenda aut conferenda, augetur potius sua perfectio, & gratulari profectò deberet in domino. Videtur vlterius pro hoc multis quod non expedit vnum solum caput præesse in tali exercitio administrationis temporalium, sicut expedit, immo sicut necesse est vnum solum præesse in spiritualibus respectu omnium. Cuius ratio est, quia ea quæ fidei sunt debent eadem esse apud omnes, & hæc identitas & vnitas vix aut nunquam perpetuari potest nisi recursus esset finalis ad vnum caput. Sed de traditionibus humanis pro regimine temporalium ecclesiæ, totaliter oppositum inuenitur quoniam secundum veritatem temporum locorum & gentium & respectuum variandæ sunt decretales & ordinationes super collationibus & regimine talium temporalium. Ex his omnibus quæ latius possunt deduci probabiliter vellent aliqui dicere non esse expediens fieri consilium decisiuum super restitutione vniuersali temporalis administrationis papæ, sed super hoc debet concilium vniuersale celebrari. Nec oportet illos esse vel dici scismaticos qui occasione data & accidẽte talem in temporalibus fecerunt aut faciũt subtractionem, quia etiam stante vnitate ecclesiæ talis subtractio contingebat vel in toto vel parte fieri fortassis debuisset, & hoc absque grauiori scissura in spiritualibus hoc potuisset contingere & ita sapientissima lucet in hac parte Dei prouidentia, quæ ex malo scismatis, alia bona sciet elicere. Et si petatur de quo viueret papa interim & cardinales. Respondetur quod si faciant debitum suũ laborando & diligenter inquirendo finem scismatis, præsumendum est quod citò inuenirent, & tunc prouidebit eis concilium generale qualiter erit expediens & honestum pro statu tantorum dominorum. Similiter de modo prouisionis sufficientium clericorum tunc tractandum esset pro futuro. Non expedit concilium præfatum fieri tanquam viarum vnionis tantummodo repertiuum. Ratio est, quoniam materia huiusmodi iam totaliter aperta est, & discussa quoad possibilitatẽ viarum & rationabilitatem vel irrationabilitatem earum, & non restat nisi conuenire istam obedientiam cum altera in aliqua viarum. Hoc autem fieri potest si vnquam debeat fieri absque tali cõcilio huius obedientiæ, quoniam non videtur quod alia conclusio ibidem concluderetur, quam quod summarentur aduersarij de aliqua via assumenda, si enim vna particularis via limitaretur, incideremus in inconueniens quale patimur. Ex his omnibus non determinatiuè positis, sed tantummodo examinatiuè, videtur sequi quod nullo modo expedit nunc concilium istius obedientiæ fieri, nisi forte solum ad habendum liberam in consulendo deliberationem, & plenam concordiam capitis & membrorum adinuicẽ, super modo & forma viuendi hanc obedientiam secum & cum alia, & hanc vnionem concorditer prosequendi. Ad quod amplius declarandum possent adduci particulares circunstantiæ super diuersis affectionibus & intentionibus diuersorum, & super periculo maximo nouarũ dissensionum suboriendarum, & vix vnquam sopiendarum in spiritualibus & temporalibus. Nisi prius ante omnia limitarētur ea quæ tractanda essent in concilio super quibus fieret. Nisi prætereа fieret talis prouisio super præmissis non determinandis quæ tangunt fidem & vniuersalẽ ecclesiam quod conuocatio concilij nulli super ipsa disceptare aut saltem determinare persumerent. Denique constat aliquos affectare totalem penitus decisionem Benedicti, & alij penitus hoc nolũt, sed totis viribus obniterentur, nec est ratio patẽs ad sui destitutionem statim sic inuenienda, vt dicunt. Restat igitur communi & concordi concilio vel deliberatione tantummodo quærere cum alijs viam aliquam in qua nobiscum conueniant pro vniendo ecclesiam, siue via illa sit conuentio siue compromissio, habens vim concilij generalis in modificatione sua, siue concilium generale formaliter, siue cessio, siue omnes viæ in vnũ, si debeat perfectus haberi finis, prout multi doctores opinãtur. Nã & cessio (vt dicunt) fieri nequit quæ vnionem det veram in ecclesia sine cõcilio generali, & per cõsequens neque absque conuentione, & præsertim renuente cedere altero contendentium, quoniã per concilium taliter arctabitur quilibet, aut artari poterit quod requiretur eorum cõsensus. Nã si dissenserint obedire cõcilio erunt palã scismatici, & si scismatici, erunt deponẽdi. Quibus depositis procedendum erit ad nouam electionem liberè fiendam, sicut eis à vita separatis aut liberè cedentibus. An verò ista sola causa vltimò tacta sit sufficiẽs causa ad hoc quod expediat, aut de necessitate celebrandũ sit huiusmodi concilium cõmune istius obedientiæ, attenta difficultate in cõuocando, & expensis & periculis in continuando, iudicent illi ad quos spectat & inconuenientibus maioribus prudenter occurrant. Vt veritatis flãma ex discussionis ventilatione clarior emergat proponemus, & soluemus obiectiones contra viam mediam, quæ prout expedit tacta est. In primis dicent aliqui contra secundũ expediens quod absque discussione eorum quæ hactenus facta sũt, non potest syncerè & pro conscientiarum serenatione illud fieri quod proponitur. Nam si Benedictus ex vna parte cum suis adhærentibus, aut alij ex altera fiũt culpabiles de scismate aut hæresi vel de rebellione, aut alio tali vitio qualiter tales absq; recognitione propriæ culpæ & postulatione veniæ indulgentiã apud Deũ & homines merebũtur, non remittitur pœna nisi confiteatur culpa. Sed respondemus quod hæc obiectio friuola est & sophystica, atq; fieri posset in omni materia dubia, sicut fieret ad impediendũ viam cessionis liberæ absq; discussione iustitiæ. Dicimus igitur secundũ catholicam veritatẽ, quod in dubijs potest fieri confessio sub cõditione, & ex tali cõfessione veniã absolutã peccator cõsequetur. Addimus ad hæc quod omnia & ferè omnia dici possunt dubia in foro exteriori quæ nondũ sunt iudicialiter diffinita. Propterea nullus erit scrupulus obediendo Domino Benedicto, etiã vbi fuisset hæreticus aut scismaticus si respiceret, vel si hoc nõ cõstaret per definitiuam sententiam ecclesiæ. Similiter de subditis rebellantibus si qui fuissent diceretur. Quis nesciat multa apud antiquos patres & nunc quotidie tolerari, vt de symonijs & alijs, quæ si iudicialiter essent ventilata & conuicta, tolerari non possent. Superaddimus quod tota res præsens magnis dubiorum inuolutis contecta est

& vtriusque colorata. Sed nec sunt aliqua quæ propriè & nudè tangant opposita fidei quin magis in factis diuersis & diuersimodè receptis, quã in iure consistunt. Nulli idcirco possunt aut vix possunt de scismate & hęresi pertinaces conuinci in hac parte. Denique dicimus quod regula magistralis theologiæ non debet nos scrupulis inquietare, vt fiat discussio illa scilicet regula, quod si illud sit dubium an liceat, an non liceat illud fieri, si fiat, certum est illud esse peccatum, quoniam per prædicta non habebitur rationabiliter dubiũ de eis quæ fuerint concordata, & præsupponetur quilibet aut non errasse, aut de erratis pœnitere, & ita in sua honoris gradu, iure aut saltem misericordia remanere. Cæterum ab alijs secunda fieret obiectio cõtra secundum expediens. Crimina inquiunt non ita generaliter remanere debent impunita, alioquin incentiuum tribuerent delinquẽdi. Sed nec salua cõsciẽtia forsan poterit dominus Benedictus ea ratificare aut nõ infringere quæ facta sunt, nisi præsertim veniã & nõ cõfirmationẽ singuli pro se petant, aut nisi de nouo habilitẽtur. Sed & ordinentur respõdemus quod frequenter præcipuè in delictis tangentibus communitatem aut homines grandis status, consultius tolerantur errores communes, quam vindicari seuero rigore quærerentur. Numquid non tolerat ecclesia meretrices? Nonne hæc est expressa prudentissimi Aug. sententia in scriptis suis multis, cuius dicta sicut nec aliorum hic non inserimus, quia à clericis satis cognoscuntur, quia insuper magis rationem quare talia dicta sunt quam vbi dicta sunt nunc & alias offerre conamur. Non deessent rationes & exempla nisi breuitatis amor obstaret, & si non experiẽtia doctrice pateret veritas. Præterea quod additur de conscientia domini Benedicti, satis dissoluitur per hoc idem dictum, quod etiam vbi fuissent mala perpetrata, illa potest salua conscientia pro bono & vtilitate tanti negocij complendi tolerando dissimulare. Sicut regulariter verum est quod prælatus non solum potest immo debet aliqua agere vel omittere propter generalem inclinationem subditorum vbi etiam quandoque mala esset quæ alius agere vel omittere in graue delictum sibi verteretur. Iuxta quod inferũt aliqui quod etiam vbi via cessionis minus bona fuisset, tamen attentis deliberatioñibus omnium subditorum super postulatione huius viæ, dominus Benedictus illam acceptare tenebatur, sicut nunc acceptauit, quantumcumque alias ad eam acceptandam non fuisset arctatus vel arctãdus. Sed hoc omittamus, volumus enim nihil discuti de factis hactenus vel inde. Rursus ea quæ facta sunt in promotionibus & similibus, durante subtractione auctorizata sunt per ordinarios locorum, ad quos de iure communi spectabant talia. Cur ergo non poterit dominus Benedictus præsumere illos qui à se aut prædecessoribus suis fuerant ad hæc electi & promoti, immemores nõ fuisse suæ salutis, quare nequibit absque scrupulo tolerare, ne dicamus approbare quæ facta sunt? Denique quod subiũgitur de venia sigillatim postulanda magis ad verecundiam multorum turbationem quam ad tranquillitatem & pacem satis esse debebit postulatio veniæ generalis & modis honestis executa. Facit pro prædictis quod omnia sacramenta nisi forte pœnitentia vim suam habẽt

A vt collatio ordinum, baptismus & similia, quamtumcumque fuerint à peccatoribus distributa, stãte tamen debita intentione faciendi quæ ecclesia facere intendit, & præcipuè vbi non ex affectata ignorantia iuris, sed ex facti inscitia peccatorũ exortum est, propterea non erunt reordinandi iam ordinati. Deinde tertiò obijcient alij contra idem secundum & tertium expediens, & dicent quod implicatio est in terminis vt domino Benedicto fiat obedientia tamquam summo pontifici, & nihilominus coarctetur eius potestas ad certa & per

B certos modos, & quod sibi coadiutores socientur. Sed respondemus primo iuxta positionem illorum qui subtractionem quod licitè fieri potuisset confirmant, sicut reuera aut in isto aut in multis casibus potest euenire. Dicimus itaque quod papalis dignitas non pro extollentia aut fauore personæ, sed pro ecclesiæ vtilitate à Christo statuta est, quamobrem secundum exigentiam vtilitatis ecclesiæ tanquam finis debet hæc dignitas agibilia sua moderari, præsertim in eis quæ non sunt

C expressa in iure diuino. Hoc enim dicere esset de iure naturali cuiuslibet politiæ quod violari non potest aut mutari. Si ergo contingit quod prædicta fieri sit expediens pro ecclesia, attentis circũstantijs negotiorum, aut videlicet propter culpã domini Benedicti seu aliquas eius conditiones minus ciuiles & vtiles ecclesiæ, etiam vbi non essent culpabiles, aut propter generalem affectionem & deliberationem omnium subditorum, etiam vbi errarent & minus bene iudicarent, dicimus non

D solum ista licere fieri, immo posse cõsurgere obligationem ad agendum. Neque in hoc derogatur auctoritati papali, neque plenitudini potestatis suæ collatæ sibi à Christo, sed impletur. Nam posse mala & inexpedientia ecclesiæ facere, quis diceret esse posse? quis crederet hoc à Christo collatum extitisse? Porrò de istis temporalibus administrationibus ecclesiarum, possessionum, iurium beneficiorum & similium Christus per seipsum immediatè nullatenus se intromisit, nec ordinare curauit sciens & volens talia esse variabilia secundum

E exigentiam temporum, personarum & locorum, ad communem ecclesiæ vtilitatem, non ad vnius aut paucorum singularem pompam, aut inutilem vanitatem siue voluntatem. Ratio postulat, nec negamus, vt domino papæ & suis cardinalibus fiat sufficiens prouisio de bonis ecclesiasticis, sicut olim summo sacerdoti inferiores suas decimas offerebant. Sed hæc prouisio nomine poterat adimpleri absque hoc quod necesse sit ex toto ius ordinariorum cassari vel suspendi? profectò sic.

F Postremò dicent alij quod hæc via quæ dicitur media compleri non potest absque concilio huius obedientiæ generali, & ita cadit in illud quod videtur velle fugere. Hic respondemus quod si cõcilium generale nõ quæreretur fieri nisi sub modificationibus tactis in hac via media, nõ videretur inconueniens aut periculum celebrare huiusmodi concilium. Cessarent enim omnia quæ contra ipsias vtilitatem audiuimus allegari. Nihilominus illud concilium nequaquam iudicamus necessarium pro complemento celeriori & faciliori huius viæ, & absque impensis innumeris & tractu temporis, quia nunc interim prius quam

ista

ista concordata sint, dubia quædam orirentur super conuocatione concilij, & quibusdam similibus quæ hic cessant. Dubitauit forte alius quod Dominus Benedictus audita ista via illam aut impediet aut non concordabit. Propterea forte tutius est, vt ante omnia secrete quantum fieri poterit habeatur consensus maiorum omnium istius obedientiæ, aut saltem principalium vt communi consensu totius suæ obedientiæ fiat oblatio talis, cui vniuersali consensui si renuat assentire, quis non videbit tunc eius modum procedendi penitus improbabilem esse? quis non iudicabit ab eo iure recedendum fore? Non enim poterit aliqua tergiuersatione fautoria scismatis & subuersionis ecclesiæ denegari. Quod si quis ad extremum dubitauerit similiter de principibus alijs quod non approbabunt viam hanc mediam, fatemur hoc non vsquequaque certum esse, nisi prout in moralibus sumenda est certitudo ex his quæ vt in pluribus secundum verisimiles & probabiles coniecturas eueniunt. Si in omnibus prædicta via nihil petit difficile aut onerosum vel inhonestum, quæritur propter quid principes & prælati debeant improbare, maximè pro tanto bono reunitionis obedientiæ huius totalis obtinendo. Quid enim graue erit quod omnia indulgeantur præterita, & non discutiantur, quod dominus Benedictus habeat bonos consiliarios, non suspectos, cuicumque parti, secundũ quorum iudicium agat quod acturus est, quod ipse à vindicando proprias aut alienas iniurias immunis sit, & Deo cõmittat, aut certè vniuersali bono ecclesię & pacis illas donet. Idem dicimus de subditis quibuscumque erga dominum Benedictum. Profectò nihil istorum difficile est, nisi forte apud illos apud quos humilitas & charitas & ecclesiastica vnitas fuerint onerosæ scilicet qui turbationibus gaudent, & quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Aut qui suis sententijs ceruicosa animositate nimis credunt. Aut si difficilia esse ista quisquam cõtenderit, animaduertat ille obsecro si plures sint in alijs vijs difficultates & ambages, aut viam aliquam omni difficultate carentem afferat in medium, nos lætis animis complectimur. Quod si hoc vel facere nõ vult, vel quod magis credimus non potest, tunc cum aliquid agere necesse sit, pergat nobiscum in hanc sententiam & attendat, quid plus habeat dãni pro ecclesia, vel sic stare, immo quotidie magnis lapsibus corruere & dominum Benedictum incarceratũ esse, & cardinales suis honoribus spoliatos & principes ad conuentionem periculosissim dispositos videre, aut quod ita præparemus nos per hanc reunitionem primam & totalem huius obedientiæ, quod cum alia celeriter & vtiliter tractare valeamus, & qualiter (si quis quæsiuerit) iam in parte responsum est, & à prudentioribus erit diligentius inquirendum & inueniendum facilius.

DECRETA IN SESSIONE PVBLICA CONCILII GENERALIS Constantien. die sabbati. 9. Octobr. Anno. M.1417. Et primo procemium super futuris concilijs celebrandis, & prouisione aduersus futura scismata.

Gerson. Prima pars.

A FREQVENS generalium conciliorum cælebratio agri dominici præcipua cultura est, quæ vepres, spinas & tribulos hæresum errorum & scismatum extirpat, excessus corrigit, reformat, & vineam domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit. Illorum verò neglectus prẹmissa disseminat atque fouet. Hæc prẹteritorum temporum recordatio, & præsentium consideratio antè oculos nostros ponunt. Eapropter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus atque ordinamus vt amodo generalia concilia celebrẽtur. Ita quod primum à fine huius cõcilij in quin- B quennium immediatè sequens. Secundum verò à fine illius mediatè sequentis concilij in septennium & deinceps in decẽnium perpetuò cælebretur, in locis quæ summus pontifex per mensem ante finem cuiuslibet concilij approbante & consẽtiente concilio, vel in eius defectum ipsum concilium deputare & assignare teneatur, vt sic per quandam continuationem semper aut concilium videat, aut per termini prouidentiam expectetur. Quem terminum liceat summo pontifici de fra- C trum suorum sanctę Romanæ ecclesię cardinaliũ consilio, ob emergentes forte casus abbreuiare, sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro concilio celebrando deputatum absque euidenti necessitate non mutet, sed si forte casus aliquis occurrerit, quo necessarium videretur ipsum locum mutari, puto obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis. Tunc liceat summo pontifici de prędictorum fratrum aut duarum partium ipsorũ consensu, atque subscriptione alium locum prius D deputato loco viciniorem & aptum sub eadem tamen natione subrogare, nisi idem vel simile impedimentum per totam illam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium locum viciniorem alterius nationis aptum huiusmodi concilium poterit cõuocari, ad quem prælati & alij qui ad concilium solent conuocari, accedere teneantur, ac si à principio locus ille fuisset deputatus. Quam tamen loci mutationem vel termini breuiationẽ teneatur dictus summus pontifex legitimè & semel per annum ante præfixum terminum publicare & in- E timare vt ad ipsum concilium celebrandum prædicti possint statuto termino conuenire. Si verò quod absit, in futurum scisma oriri contingeret ita quod duo vel plures pro summis pontificibus se gererent à die quo ipsi duo vel plures insignia pontificatus publicè assumpserint seu administrare cẹperint, intelligatur ipso iure terminus concilij tunc forte vltra annum pendens ad annum proximum breuiatus, ad quos omnes prælati & cæteri qui ad concilium ire tenentur sub pœnis F iuris & alijs per concilium imponendis absque alia vocatione conueniant. Nec non imperator cæterique reges & principes personaliter vel per solennes nuncios tanquam ad commune incendium extinguendũ per viscera misericordiæ Iesu Christi ex nunc exorati concurrant. Et quilibet ipsorum pro Romano pontifice se gerens infra mensem à die qua scientiam habere potuit alium vel alios assumpsisse papatus insignia vel in papatu administrasse teneatur sub interminatione maledictionis æternæ & amissionis iuris, si quod forte sibi quæsitum esset à papatu quam ipso facto incurrat, & vltra hoc ad quaslibet dignitates actiuè

& passiuè sit inhabilis, concilium ipsum ad terminum anni prædictū loco prius deputato celebrādum indicere & publicare, & per suas litteras cōpetitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos prouocando ad causam vel cæteris prælatis ac principibus quantum in eo fuerit intimare necnon termino præfixo sub pœnis prædictis ad locum cōcilij personaliter se transferre, nec inde discedere, donec per concilium causa scismatis plenariè sit finita. Hoc adiuncto quod nullus eorum contendentium de papatu, in ipso concilio vt papa præsideat. Quinimmo vt tāto liberius & citius ecclesia vnico & indubitato pastore gaudeat, sint ipsi omnes de papatu contendentes, postquam ipsum concilium inceptum fuerit, auctoritate huius sanctæ synodi ipso iure ab omni administratione suspensi, nec eis aut eorum alteri, donec causa ipsa per cōciliū terminata fuerit, quomodolibet à quoquam sub pœna fautoriè scismatis obediatur. Quod si forte electione Romani pontificis per metum qui caderet in constantem virum seu impressionem de cætero fieri contingat, ipsam nullius decernimus efficaciæ vel momenti, nec posse persequentem consensum etiam metu prædicto cessante ratificari vel approbari. Non tamen liceat cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renunciet vel decedat, donec per generale concilium de electione illa fuerit iudicatum, & si procedant, nulla sit electio ipso iure. Sintque sic secundo eligentes & electus si se papatui ingessit, omni dignitate, honore & statu etiam cardinalatus & pontificali ipso iure priuati & inhabiles de cætero ad easdem, ac etiam papalem. Nec aliquis eidem secūdo electo vt papæ sub pœna fautoriè scismatis obediat quoquo modo. Et eo casu conciliū de electione papæ prouideat illa vice. Sed liceat immo & teneātur electores omnes aut saltem maior pars ipsorum quam citò sine periculo personarum possunt, etiam si periculum omnium bonorum immineret, se transferre ad locum tutum, & metum prædictum allegare coram notarijs publicis & notabilibus personis in multitudine populi in loco insigni, ita tamē quod allegantes metum huiusmodi, habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem & qualitatē dicti metus, & iurare solemniter quod metus taliter allegatus est verus, & quod credunt seipsum posse probare, & quod per malitiam vel calumniā huiusmodi metum non proponūt. Nec vltra proximum futurum concilium vllo modo possit differre allegatio dicti metus. Teneantur insuper postquam se transtulerint & metum allegauerint, modo prædicto prouocare sic electum ad concilium, quod concilium si vltra annum pendeat à die prouocationis huiusmodi, intelligatur ad annū, vt supra ipso iure terminus breuiatus, & nihilominus teneatur electus ipse sub pœnis prædictis, & cardinales prouocantes sub pœna amissionis cardinalatus & omnium beneficiorum suorū quam ipso facto incurrant, infra mensem à die prouocationis concilium ipsum, vt supra dicitur indicere publicare, & quā citius poterit intimare cardinales ipsi & cæteriq; electores ad locū cōcilij tempore conuenienti personaliter se transferre & vsque ad finem causæ expectare. Teneantur quoque prælati & cæteri vt supra, ad conuocationem cardinalium tantum si forte sit electus conuocare, cessaret accedere. Quod etiam sic electus in concilio ipso non præsideat, quinimmo sit à termino initiandi concilij ipso iure ab omni administratione papatus suspensus, nec sibi à quoquam sub pœna fautoris scismatis quomodolibet obediatur. Quod si infra annū ante diē indicti cōcilij contingant supradicti casus, videlicet quod plures se gerant pro papa, vel quod vnus per metum seu impressionem eligatur, censeatur ipso iure tā gerentes se pro papa, quam electus per metum seu impressionem, & cardinales ad dictum concilium prouocati, teneantur quam in isto concilio comparere, personaliter causam exponere, & iudicium concilij expectare. Quod si dictis casibus occurrentibus contingat forte casus aliquis quo necessarium sit locum cōcilij mutare vel obsidionis vel guerræ vel pestis vel similis teneatur nihilominus tam omnes supradicti quam omnes prælati, cæterique qui ad concilium ire tenentur ad locū proximiorem, vt præmittitur qui sit habilis ad concilium conuenire, possitque maior pars prælatorum qui infra mensem ad locum certum declinauerint illum sibi & alijs pro loco concilij deputare, ad quem cæteri conuenire teneantur, ac si à principio fuisset deputatus. Concilium autem vt præfertur conuocatum & congregatum de huiusmodi scismatis causa cognoscens, & in contumaciam electorum seu gerentium se pro papa vel cardinalium, si forte venire neglexerint, litem dirimat, causamque deficiat, ac culpabiles in scismate procurando seu nutriendo, vel in administrando aut obediendo vel administrantibus fauendo, seu cōtra interdictum superius eligendo vel calumniosos in allegādo metum, etiam vltra prædictas pœnas cuiuscumquè gradus, status seu præeminētiæ existant ecclesiasticæ vel mundanę sic puniat, vt vindictæ rigor transeat cæteris in exemplum. Vt autem metus seu impressionis molestia in electione papę eo formidolosius euitetur, quo toti Christianitati lamentabilius eorum incussio seu factio perpetret vltra prædicta, specialiter duximus statuendum, quod si quis huiusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus ipsis vel alicui eorum in electione papæ intulerit seu fecerit aut fieri procurauerit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium dederit vel fauorem, facientem ve sciēter receptauerit vel defensauerit, aut negligens in executione pœnarum inferius memoratarum extiterit, cuiuscumque status, gradus vel præeminentiæ fuerit etiam si imperiali, regali, pontificali, aut alia quauis ecclesiastica aut seculari præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione felicis recordationis Bonifacij papæ octaui quæ incipit Felicis, continentur, illis effectualiter puniatur. Ciuitas verò etiam si quod absit vrbs Romana fuerit, vel alia quæuis vniuersitas, quæ talia facienti consilium vel auxilium dederit aut fauorem, vel intra mensem saltem taliter delinquentem, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit, non duxerit puniendum, eo ipso subiaceat ecclesiastico interdicto. Et nihilominus præter dictam vrbē, pontificali & supra eoipso sit priuata dignitate, non obstantibus priuilegijs quibuscunque. Volumus insuper quod in fine cuiuslibet

bet concilij generalis hoc decretum publicetur solemniter, nec non quacumque & vbicumque A Romani pontificis electio imminebit facienda, ante ingressum conclauis legatur, & publicè intimetur.

SERMO EIVSDEM CANCELLARII FACTVS IN DIE CIRCVMCISIONIS Domini coram Papa apud Tarasconem.

APPARVIT gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiēs nos, vt B abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, ac piè viuamus in hoc sæculo, & reliqua, quæ nūc audiuit ex epistola Pauli vestra deuotio. Quoniā apparuit gratia Dei & saluatoris nostri, adeamus cum fiducia thronum gratiæ eius, vt misericordiā eius consequamur, & gratiā in auxilio oportuno. Nā quia finis noster super nos, & nos debilitati cōfractique iacemus in imo, & limo configimur, confundatur Pelagiana hæresis, quæ gratiā Dei pro subleuatio- C ne necessariam abnegare præsumit. Rursus quia de gratia Dei sermo habendus est, & de nomine Iesu, quem nemo potest dicere nisi in spiritu sancto, vt ipse Iesus secundum nomē suum sit nobis Iesus, vt præterea condemnatos in Curia iustitiæ, gratiæ nos Curia suscipiat, dum interim sedet in throno suæ gratiæ, priusquam legitimum tempus comparendi prætereat, appellemus ad Curiam & thronum gratiæ, illic nos præsentemus in cōfessionibus, vbi soror nostra, mater est eiusdē gratiæ, & D aduocata nostra, quæ planè despicere nos nō poterit. Caro enim & sanguis noster est, & curiæ suæ iura defēdet iura scilicet gratiæ. Sed quis est thronus gratiæ? Ille proculdubio puer hodie circumcisus, cuius vocatū est nomen eius Iesus, vt per Iesum gratia fieret, sicut lex per Moysen data est, vt saluaretur mundus per ipsum, quē vidimus plenū gratia, immo gratiarum. Deus meus, misericordia mea (inquit propheta.) Et quid misericordia nisi gratia. Sed dicet fortasse timidior aliquis, ego apertos habēs oculos cordis in lumine fidei, & lu- E cerna euāgelicę veritatis hodiernę intueor in hoc puero seueritatē diuinæ iustitiæ, seuerā valde; quæ etiā proprio filio Dei nō pepercit, quin eum nuditati, & frigori, & duro vulneri, dum tenellus circūciditur, exponeret: Et tu mihi apud ipsum pue- *Luc. 22.* rū inuenire thronū gratiæ repromittis: si in viridi hoc fecit Deus, si innocentissimo filio non pepercit, in sicco quid fiet, peccatoribus seruis qualiter ignoscet? Quinetiam mater eius, mater benedicta, quibus oculis peccatores inspiciet, qui to- F ta hodierni doloris sui causa sunt, qui totam suæ grandis anxietatis materiam præbuerunt, dum propter eos vnigenitum dilectissimū ex acri vulnere cruentum, ex nuditate & frigore vagientem cognoscit & dolentem? At vero quisquis hoc dixerit, sciat nil tale timendum, satisfactum est iustitiæ, satiata est, non puniet bis in idipsum, eum qui gratiam huius pueri flagitati meruit, qui factus est à Deo nobis iustitia, atque redemptio, in quo, etsi iustitia appareat in eius attritione propter peccata nostra, supereminenter tamen apparet gratia Dei, qui vt seruum redimeret, tradidit filium quasi peccatorem puniendum. Sed & tu virgo dignissima, non abhorre peccatores; sine quibus, nunquam fores tali digna filio, qui licet ex te genitus est, attamen nobis natus, nobis datus. Adimus ergo cum fiducia te, & filium tuum, in quibus talis apparuit gratia Dei, vt tu mater Dei fieres, inueniendo gratiā apud Deū, & ipse homo filius Dei diceretur, ita vt nō dubitauerit Augustinus asserere nullā in rebus per tēpus ortis, maiorem istā esse gratiam, dum verbum caro factum est. De quo verbo locuturus, det ipse nobis gratuita benignitate verbū efficax, & fructuosum meritis, & precibus tuis virgo gloriosa, quæ ab angelo vocata es gratia plena antonomasticè, & diuina salutatione, quam repetimus dicentes: *Aue &c.*

Apparuit gratia Dei & saluatoris nostri, & reliqua. Exhilaresce tu qui perieras miserande homo, erige aures, audi, & gratias age, quoniam apparuit gratia Dei, datum certè optimum, & donum perfectū, quoniā gratia Dei vita æterna, & si Domin⁹ dat gratiam, dabit & gloriam. Non igitur in vanū hanc Dei gratiam accipias, non per ingratitudinē in huius anni principio encæniū tam insigne paruipendas: & attendas vigilanter, quia non dixit apostolus: Apparuit sapientia Dei, apparuit iustitia Dei, apparuit potentia; illas quippe magis extimescebat homo reus, proditor, & damnatus, quā desiderabat. Quoniam sapientia accusabat, & nō habebat locum negatio, nec valebat excusatio, Adam vbi es &c. Si voluerit mecum contendere (dicebat Iob afflictus) non potero respondere vnum pro mille. Iustitia accusatum condemnabat, & non inueniebatur appellatio, quia audisti vocem vxoris tuæ &c. Propterea idem Iob verebatur omnia opera sua, sciens quod non parceret delinquenti. Hinc quoque est prophetica supplicatio: Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu. &c. Potentia denique accusatum & condemnatum puniebat, & nō erat euasio. A facie manus tuæ idest potētiæ ego defeci, plorabat Psalmista. Et rursus: Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore *Psal. 89.* tuo iram tuā dinumerare? Et, nemo est qui de manu tua possit eruere. Nō ergo quærebamus sapiētiam accusantem, non iustitiam condemnantem, non potentiam executioni sententiam demandātem atque sæuientem, vbi sæuientem? Sæuientem nunc in cœlo contra apostatas angelos, nunc in paradiso contra parentes primos, nunc in turri Babel, per confusionem linguarum; nunc in terra per diluuium aquarum multarum, nunc in pentapoli peccatrice, per subuersionem peruersorum, tandem in inferis per inclusionem omnium. Sed solam gratiam miserantem & absoluentem petebamus, qua salui essemus, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Et hęc hodie nobis apparuit, dū celauit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, iustitiam in pietate & circuncisionis satisfactione. Tanquam imposuerit Deus silentiū eis, & dederit audientiā totā misericordiæ. Ita superatis omnibus, datur triumphus gratiæ. Et hæc apparuit hodie nobis valde necessaria: nam quid ageret, quo se verteret homo cōdemnatus in Curia iustitiæ, si nemini datus esset locus appellationis ad Curiam gratiæ, si nō superaret misericordia iudicium? Dicamus iterum quod prius sempi-

terna Dei virtus atque diuinitas (teste apostolo) ex eis quæ facta sunt intellecta conspiciebantur, sicut antea dixerat sapiens, quod ex magnitudine speciei & creaturæ potest visibiliter earum creator agnosci. Sed & sapientiam eius ex operibus agnouit, quæ exclamans dixit. Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Poterat quoque Dei beneuolentia vtcumque agnosci, in rerum dignantissima conseruatione & directione in suos fines, sicut potentia ex creatione, & sapientia ex gubernatione videbatur. Quapropter forte gratiam appellat sapiens nutricem omnium. Sed ex reparatione lapsi, ex recreatione deperditi, ex iustificatione impij maxime apparuit gratia Dei. Nam quæ gratia maior quæ liberalior vel dici vel existimari potuerat, quam vt tantum daret Deus homini vt pauper fieret: quis hoc crederet, si non conscius secretorum Dei Paulus assereret, quia pro nobis egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus. Gratia insuper qualis mirabilor quam vt taliter cōpateretur homini misero Deus, quod miser fieret, opprobrium & abiectio plebis. Ista nonne sunt viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. In quibus apparuit gratia Dei & saluatoris nostri hodie circumcisi. Amplius vero diuina natura (vt humano more loquamur) quamuis in suo creaturarum speculo pulcherrimo, in libro capacissimo, in carmine sonoro & harmonico, mōstraret potentiam Dei efficientem, & sapientiam exemplantem, & bonitatem cuncta finientem, primum ex vnitate, secundum ex veritate, tertiū ex bonitatę creaturarum. Rursus primum ex earū modo, secundum ex specie, tertium ex ordine. Similiter ex creaturarum mensura potentiam, ex earum numero sapientiam, ex pondere trahente in suos fines bonitatem, vt quodam circulo intelligibili ex ipso creante, & per ipsum exemplantē, & in ipso finiente sint omnia: nihilominus mundus hanc sapientiam, Dei potentiam, & bonitatem cognoscere habens; non glorificauit Deum, neque gratias egit, sed voluerant sibi omnia; obscuratum factum est insipiens cor eorum & defecerunt scrutantes scrutinio. Quamobrem ordinauit Deus facere opus nouæ gratiæ supra naturam, vt esset gratia domina reginaque naturæ. Nā gratia eius, quæ & misericordia super omnia opera eius. Quæ gratia licet superborum oculos sua luminositate cæcauerit, illustrauerit mentes humilium, sicut exultans Iesus in spiritu: Confiteor inquit, tibi pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater quoniam sic placitum est apud te. Placitum non meritum, vt non glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quæ in sapientia Deum non cognouit. Ideo placuit per stultitiam prædicationis nouæ gratię, saluos facere credentes. Hoc autem opus gratiæ apparuit manifeste in eo quod verbum caro factum est, vbi totum operatur gratia, totum sibi dat. Nil aut paucum habet natura, neque ex radice superiorum astrorum & constellationum, sicut impietas quorundam finxit, Neque ex actione inferiori elementorum, saltem quoad modum qui subditus fuit. Vbi præterea patitur misericors & miserator dominus, vt saluetur & regnet præuaricator homo

Rom. 1. Psal. 90. Luca. 1. Luca 10.

reus. Apparuit ergo benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, vt alibi gaudet apostolus. A Apparuit inquam, mysticè hæc humanitas, vt signum magnum in cælo cœlorum Deo. Nam sibi hypostatica vnione cōiuncta est, & hæc quasi mulier amicta sole iustitiæ, quia plena gratiæ luminosæ, & luna toti͏ mutabilitatis naturæ, sub pedibus eius, ratione auctoritatis imperiosæ, & corona stellarū duodecim, quæ sunt duodecim prærogatiuę singulares in capite, eius ex dominationis sublimitate. Nam & benigna humanitas Dei saluatoris nostri, vniuersum mundum spiritualiū æternarumque creaturarum purgat, illuminat & perficit, B superior eis in ordine hierarchico, stabilita vt sol quidam æternitatis. Imperium quoque possidet super vniuersum materiale atque corporeum, vt ex miraculorum operatione monstratū est. Duodecim postremo prærogatiuis, quasi totidē syderibus coronata refulget, quatuor in comparatione ad diuinitatem, totidem in comparatione animæ ad carnem, & rursus totidem in comparatione ad totam rerum vniuersitatem. Considera humanitatem huius pueri hodie circuncisi in ordine C ad diuinitatem; & inuenies, quod in ea tanquam in opere præclarissimo super aliud omne creatum relucent quatuor attributa, quæ sunt Dei potentia, Dei sapientia, Dei iustitia, & supereminenter Dei gratia; quæ circulo quodam spirituali infimum summo iungit, pacem operans in terris & in cœlo. Considera animam in ordine ad carnem, & inuenies carnem ab ea quadruplici dote decorari, agilitate, subtilitate, impassibilitate, & claritate: & quod in via non ita fiebat, hoc erat speciale D dispensationis diuinæ miraculum. Deinde si consideraueris humanitatem huius pueri in ordine ad creaturam vniuersam, videbis eam tanquam instrumentum diuinitatis, habere omnem potestatē in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: beatos illuminat & perficit in cœlo, viatores iustificat in terra, alios non plenè iustificatos dimittit hic, vel alibi in mare purgationis. Alios obstinatos damnat, & deturbat in abyssum damnationis. At verò quia multus est hic sermo ad interpretandū difficilis, & oratio nostra ad alios pro- E perans expediri desiderat coarctemus eam infra limites præsentis celebritatis, & duobus quasi gradibus itenere breuiato decurrat. Et dicamus quod apparuit gratia Domini primo in humili subiectione sua, ad legem circūcisionis. Postquā impleti sunt dies octo vt circunciderετur puer, inquit euangelista. Apparuit secundo in populi redemptione, secundum nomen saluationis, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur. Causam F reddit angelus apud Matthæum, quoniam saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc modo euangeliū cum epistola sociantes, vtrūque per alterutrum deducamus, sub duobus tantum gratiæ Dei signis, quæ sunt humanitas seu humilitas primum signum; & secundum benignitas seu charitas; vnum in circuncisione, in nominatione alterum; vt verum sit quod apparuit humanitas in primo mysterio, benignitas in secundo, & gratia in vtroque Dei saluatoris nostri. Itaque quis fidelium non perspicuum habeat & compertum gratiam Dei hodie apparuisse, dum attendit quod ipse

ipse legis conditor duro se legis vinculo quasi seruus astringit, & fit sub lege velut infans, velut impotens & peccatis obnoxius. Ad quid ista? Nimirum vt ingratitudo nequam præsumptionis humanæ confunderetur & erudiretur, quæ in tantã prorupit audacam magis verò amentiam, vt diuinitatis maiestatem appeteret, volens esse sicut Deus, sciens bonum & malum, propterea Deus medicamentum contrarium humilitatis opposuit descendens à summo suæ maiestatis ad ima vilissima nostræ humanitatis. Sic aduersus auaritiã premi hominis ipse summã liberalitatem. Sic aduersus gulam eius ipse summam frugalitatem. Sic aduersus ingratitudinem nimiam ipse gratiam ostẽdit infinitam, erudiens nos facto certissimo, vt abnegantes impietatem malam hospitem & sodalem perfidiam, & secularia desideria quæ mergunt in interitum, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc sæculo. Sobriè quoad nos. Iustè quoad proximos. Piè quoad Deum & sanctos. Humiliemus igitur animas nostras legi, imitantes hunc puerum, & circuncidamus per disciplinæ cultrum vitiorum superfluitatem à nobis & sensibus nostris. Circũcidatur cor à præsumptionis præputio, ne plus sapiat quam oportet, nec prudentiæ propriæ innitatur. Circuncidatur ipsum ab omni carnalitatis excessu, vt sine sordibus & colluuie voluptatis sit purum & mundum. Circuncidantur oculi, ne videant vanitatem, os & lingua, ne loquantur mẽdacium, aures, ne audiant detractionem, tactus & gustus ab omni lubricitate totum corpus à rebellione contra animam contumaci. Vt sobriè viuamus in nobismetipsis, viuamus & iustè apud proximos, reddentes vnicuique quod suum est, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem. Viuamus tandem piè. Deo adhærentes per fidem & spem & per charitatem, circuncidentes omnem errorem & superstitionem per fidem, omnem desperationem & præsumptionem per spem, omne odium & cupiditatem per charitatem. Sit in nobis fides vera & viua secundum vim rationabilem ex recognitione immensæ sapientiæ, sit spes certa secundum vim irascibilem ex professione summæ eius potentiæ. Sit charitas feruida ex cõsideratione summæ beneuolentiæ & gratiæ, quæ apparuit hodie in circuncisionis humiliatione. Hoc modo sobriè intra nos, iustè iuxta nos, & piè supra nos viuemus in hoc seculo. Sed væ tibi pessima, væ tibi nequam ingratitudo cordis humani, cordis incircuncisi & certè inhumani, dum ad tantam gratiam notissimam Dei tui non corrigeris, nõ emolliris, non flecteris. Humilis est ipse qui est Deus benedictus in secula, & tu regem erigis, tu superbis terra & cinis. Tu sordida pellis inflaris & tenderis. Tu, inquam, inflaris & tenderis sordida pellis, saccus stercorum & vermium. Humilis est ipse legislator tuus obseruans legem tuam, & tu quotidie legis suæ iugum suaue & leue contumaciter excutis & confringis. Humilis postremò inuenitur, pius erga te, misericors & benignus, & tu plenus impietate errores fingis, & sequeris superstitiones, de eo quoque vel superbè præsumis vel desperas superbius. Ad ipsum denique nullo pietatis, nullo dilectionis affectu moueer. Pudebat fortassis insequi humilem hominem, vsque quò pudebit humilem Christum imitari? Vide stupendum & horresce, flagellabitur

A in circuncisione leo de tribu Iuda, vt humilietur canis mortuus, filius hominis putredo & vermis. Circunciditur in carne puer Iesus, vt absque præputio nos in corde & sensibus maneamus, vt cum Abrahã nos filium vnigenitum cum tota familiã & vernaculis, hoc est spiritum nostrum cum affectionibus & cognitionibus vniuersis circuncidere disciplinæ & cultro nequaquam omittamus, sed tollamus opprobrium Ægypti, si neque perire de populo, neque fœdus Dei irritum efficere voluerimus. Omnes quidem hoc agere conuenit,

B clerum præcipuè, sicut ipse præ cæteris in Domini sortem electus est. Exultet igitur cum tremore humili & gratias agat, & appareat in eo gratia Dei & saluatoris nostri. Sed heu clerus hodie, quem pro maiori gratia gratiæ vicissitudinem rependere dignum fuerat, plus alijs repletur ingratitudine, & præputium sibi fecit impietatibus & secularibus desiderijs, neque sobriè neque iustè neque pie viuens in hoc seculo. Ita pergebam in meditatione mea, satyram in clerum declamare. Neque enim

C in tam vberi indignationis materia deesse verbã poterant. Dum ecce studiositas speculatrix importunitate quadam sua grandem quæstionũ speculatiuarum siluam apponere videbatur, vt plus sibi quam ædificationi deseruire. Dic inquit si Christus circuncisus est, an circuncisus resurrexit in gloria dispar gentibus factus? Ita me piè tenere respondi ad honorem eorum, ex quibus Christus fuit secundum carnem, qui est Deus benedictus, & ad peruersorum confusionem. Dic particulam

D illam carnis virgineę, vt multi ferunt, dimisit in terris. Et talis de effuso tunc sanguine quæstio est? Respondi quasdam partes esse de integritate humanæ naturæ & necessitate, sine quibus non subsisteret. Quasdam de congruitate, sine quibus neque perfectè neque decenter existeret. Quasdam de superfluitate. Primæ duæ resumptæ sunt, sicut in alijs resurgentibus fiet, non oportet hoc de reliquis. Si quis igitur contenderit particulam illam cum sanguine fuisse de integritate humanitatis

E primo vel secundo modo, illa resumpta sunt, & vel in terra non manent, vel multiplicata sunt. Erat ne igitur pars illa carnis vel sanguinis per cõmunicationem idiomatum Deus, & si Deus, vtrum homo. Huius responsionem tanquam egentem, longissima & subtilissima perscrutatione prætereo. Et consequenter illam, si sit adoranda adoratione latriæ. Perge ad alia, quia melius est hic nihil quam pauca dicere. Dic ad quid proderat circuncisio? Respondeo, proderat originale peccatum delendo & dando gratiam, sed non

F aperiebat ianuam paradisi. Dic quale dabatur pro fœminis remedium? Responsio, fides propria si adultæ erant, vel parentum pro paruulis. An alienigenas obligabat? Responsio. Non. Cur ante diem octauam non impendebatur? Responsio, propter teneritudinem, & die resurrectionis mysterium. Quid de filijs Israel in deserto non circuncisis? Piè teneo fuisse cum eis à Deo reuelante Moysi dispensatum. Dic si per cognationem spiritualem circuncidens circuncisio iungebatur. Puto cognationem hanc magis humana constitutione quam naturali vel diuino iure inuentã. Quod si quis aliter sentiat propter gratiam quę

conferrur, dicat consequenter sicut de baptismo. Dic an circuncisus simulque baptizatus insignie- A batur duplici charactere, & si in eo gratia duplex augebatur. Ita, si capax erat vtriusque, & dum circuncisio currebat viriliter. Dic sicut circuncisio quæ data in fœdus æternum cessauit, quid dico cessauit, immò facta est mortifera, adeò vt Paulus denunciet. Si circuncidimini, Christus nihil vobis prodest. Dico quod propriè non cessauit, sed transijt in baptismum cuius erat figura, quid igitur mirandum si re exhibita figura cesserit? Sed auget quæstionis admirationem, cui propter con- B seruationem circuncisionis & aliorum legalium Paulus restitit Petro in facie, cum tamé ipse quosdam circunciderit. Igitur quo pacto reprehendit ipse quod agebat, & præsertim superiorem in auctoritate apostolatu seniorem & in gratia confirmatum die Pentecostes, qualiter inculpat Paulus eum, & narrat non rectè ambulasse ad veritatem euangelij. Responsio distinguenda sunt tempora, & concordabuntur scripturæ. Tempus circuncisionis tripliciter cucurrit. Currebat primò vtiliter vsque ad baptismum. Secundò permissiue apud Iudeos vsque ad ad publicationem euan- C gelij pleniorem, vt mater synagoga honestas haberet exequias. Sed tunc apud gentes, & post omnes pestifera fuit eius obseruatio, propterea Petrus & Paulus licitè quosdam circunciderunt ex Iudæis tempore illo medio. Sed quia facta Petri circa Iudæos gentiles scandalizabant, quasi sic deberent circuncidi. Paulus doctor gentium auertit Petrum de re huiusmodi, qui tota sibi humilitate paruit, & ita neuter peccauit, saltem mortaliter. Sed dic, si Petrus non errabat in fide, qua- D liter sibi dixit Paulus, cur ita facis? Certè ex auctoritate legis diuinæ iubentis fraternam correctionem, cui legi nemo non subiectus est. Quid si Petrus versa vice Paulo restituisset in faciem nolens acquiescere, an Paulus se ab eo subtrahere an non obedire, an ad ecclesiæ concilium appellare potuerat? Si concilium in hoc superius erat vel Petro vel è contra, si Paulus restitit Petro vt eius cardinalis existens, vel vt æqualem se deputans & nihil à Petro auctoritatis, sicut nec euangelium E suum recipiens? Quid de facto in Paulum excommunicationis sententias promulgasset, an eas Paulus timuisset? Quid si Petrus perstitisset in in hoc errore, nunquid eo facto papatum perdiderat? quod si non nunquid tamen deponendus erat, & per quos & quomodo. An concilium sine eo potuisset in hoc casu celebrari? Quid si Petrus vi armata errorem suum defendere voluisset, nunquid ipso etiam manente papa vim vi licuisset repellere, aut verbis aut car- F ceribus, aut ipsa denique morte? Hieronymus præterea & Augustinus doctores eximij cum discordent in hac materia, nunquid alter eorum dicendus est hæreticus? Ille Paulum dispensatione mentitum, hic Petrum iustè reprehensum fuisse defendit. Porrò cur in concilio de cessatione circuncisionis Petrus summus pontifex non tulit sententiam, sed Iacobus. Innuebam studiositati vt taceret, & non poneret in cœlum os suum. Tunc exclamans dixit. Nunquid non expedit de talibus inquirere, vt sciat quilibet magnus cum pusillo qualitatem suæ potentiæ, suæ subiectionis, sui cordis, quæ sibi competit iure diuino, naturali vel humano, alioquin error facilè surriperet, & confusionis horrore cuncta fœdarentur. Quid est igitur quod innuis mihi quasi non liceat de potentia Petri disputare? Nonne de omnipotentia Dei quotidie perquirimus? Sed tamen vis vt ista nunc prætercam, reuertamur ad puerum Iesum. Dic si puerum istum circuncisionis dolor attigit, cum vtique gaudio magno frueretur? Sic & fortè tantus quantus in passione nunc præuisa. Dic si cor eius motibus oppositis dilatatione & constrictione simul mouebatur? Responsio, non oportet, quia gaudium superioris portionis non redundabat in corpus. Dic si verè compatiebatur ei mater sua conscia tanti gaudij, tantique mysterij non ignara? Responsio, compatiebatur, & iam pertransibat gladius animam eius, vt non eximeretur ab illa regula, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et hoc horrendum pro peccatoribus, quia aut hic erunt in labore hominum per pœnitentiam, aut in societate dæmonum per damnationem. Cæterum dic, cur hoc potissimum die Christus circuncidi voluerit, cum superstitiones impiæ in bis Ianuarij Kalendis plus vigebant? Responsio, vt eas deserendas ostenderet. Cur nondum cessauerunt neque in clero neque in populo, tam super encænijs obseruationibus vanis & varijs quam super ritibus improbis per ecclesias, quos appelllant ludos fatuorum, sicut verè fatuitates sunt, immo insaniæ sacrilegæ & blasphemæ, quas inter ecclesiasticos impunè fieri stupor est? Nunquid apponi deberet prouisio? Ita deberet sed pluries audisti quia quæstio per debet soluitur per non facit. Prouideat gratia Dei saluatoris nostri, & summi pontificis diligentia. Quæstiones huiusmodi multiplicare magis & magis satagebat importunè nimis studiositas speculatrix in meditatione mea. Cui ego. Noli precor mihi molesta esse. Locum & tempus aliud expecta. Non est iste dispositionis speculatiuæ actus sed ædificationis practicæ. Tu interim secedas aliorsum: vt de gratia Dei & signis eius certo pergat itinere sermo noster, præsertim ad signum secundum, quod esse potuimus benignitatem saluatricem, sicut notatur in nominis impositione. Si tamen prius ex eis quæ circa primum signum diximus, quod est humanitas seu humilitas, considerationem moralem quadruplicem notauero secundum quattuor effectus gratiæ Dei, qui sunt abnegare impietatem & secularia desideria. Sed & sobriè & iustè & piè viuere in hoc seculo. Quamquam malè suasa pestis adulatio perstrepat, & susurrans loqui prohibeat, afferens quod vetere prouerbio, veritas odium patit. Et quod non opus est teneras mordaci rodere verbo auriculas. Sed plus roboris affert Apostolus in fine Epistolæ, stimulans quemlibet prædicatorem in persona Tyti. Hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Consideratio prima.

Ad apparentem gratiā Dei in Circuncisione humilis

milis pueri Iesu, princeps & Prælatus quilibet, & si dicatur solutus legibus, pati debet legem quam ipse tulerit tum pro subditorum exemplo, tum pro reuerentia præstanda Deo, vt appareat gratia Dei in eo, & non impietas aut secularia desideria videantur damnari. Poterant hic vti gentilium exemplis proprias in se leges quamuis durissimas seruantium, quorum Valerius meminit. Sed abũdè satis est ad exemplum summus legislator. Christus & pontifex supremus, qui ob hoc legem propriam non soluere, sed in semet implere voluit, vt eius actio esset in hoc principium prælatorumq; instructio. Vbi nihilominus notandum occurrit contra eos qui tãta obstinatione legibus mortuis humanis adhærent, legem viuam fundatam in lege æterna & in æquitate, seu epikeiam penitus vel ignorantes vel spernentes, quod lex proficitur & impletur, dum vel in finẽ meliorem, vel salubrioribus medijs ordinatur, qui finis est charitas secũdum apostolum, alioquin Christus legem antiquam non implesset quam soluisset. Et hoc documentum non mediocriter spectat ad schisma præsens, cuius sedationem inuenire non sufficerẽt leges humanæ iam conditæ nisi superior lex diuina viua & Architectonica cõsulatur. Quod quia forte non satis actũ est vsque in præsens, obtigit quod ait Dominus in Esa. Timuerunt me mãdato hominum & doctrinis. Ideo ecce ego addam vt admirationem faciã populo huic miraculo grãdi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudẽtium eius abscõdetur. Ex quo loco sumpsit Iesus illud improperium cõtra Pharisæos quod irritũ faciebant mandatũ Dei propter suas traditiones. Audirent vtinam ista auribus suis hi qui legem euangelicam, legẽ diuinam cũ professoribus suis deserentes, humanis inuentionibus incumbunt toti, adeò vt ad superiorem legem illam oculos attollere vel non valeant ex ruditate, vel nolint ex iniquitate, vel negligant ex inerti segnicie. Cum tamen vbi leges humanæ non sufficiunt (prout in schismatę præsenti compertũ videtur) vt ad legis diuinæ radicem & interpretationem consideratio referatur, & secundum eam constitutio formetur necesse est. Quid autẽ mali, quid periculi, quid conclusionis attulerit contẽptus sacræ scripturæ vtique sufficientis pro regimine Ecclesiæ (alioquin Christus fuisset legislator imperfectus) interrogetur experientia, cõsideretur clerus, cui desponsari debuerat sapientia qui desursum est pacifica & pudica, an ipse fornicatus est cum adultera illa meretricula sapientia terrena, animali & diabolica? Status insuper Ecclesiæ nonne factus est totus quasi brutalis & mõstruosus? vbi cœlum deorsum, hoc est scilicet id quod spirituale est, & terra sursum spiritus seruiẽs & caro dominans, principale accessorium & accessorium principale vsque ad hoc vt quidam deliberare non dubitent, quod per inuẽtiones humanas etiam melius quã per legem diuinam euãgelicam regeretur, quasi minus sit anima quam corpus, & spiritualis quam carnalis fructus. Hæc assertio per meam fidem blasphemia est, nedum falsa. Euangelica quippe doctrina per suos professores dilatauit Ecclesiam vsque in cœlum, quam filij Agar exquirentes sapientiam quæ de terra est detruserunt vsque in cœnum. Et quod non ex toto corruerit est ex gratia Dei & saluatoris nostri. Hæc ego loquor eò liberiùs quò mihi conscius sum, non ex quæstu, non ambitu, non ad laudem propriam meæ professionis, sed pro assertione veritatis & vtilitate publica hæc dicere. Quia veritatem curia ista theologiam hactenus minus debito promouit, ne dicam spreuit, quæ tamen omnem sibi qua pollet gloriam acquisiuit. Per quid? Per prædicationem humilem generationẽ deuotionis in cordibus fidelium, maximè principum. Nam si desit religiosa deuotio, honoratio Ecclesiarum qualis erit? Prouideat gratia summi pontificis vt nunc cœpit.

Esa. 29.

A B C D E F

Consideratio secunda.

Apparens gratia in humilitate pueri Iesu Circuncisi docet prælatum quemlibet vt iuxta concilium sapientis positum à Tullio, quanto maior est humiliet se in omnibus, & ab omni se superbiæ intemperantiæque signo circuncidat. Tanto enim esse humilior & ad seruiendum promptior quisque debet ex munere ait Gregorius, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Nam ab eo cui plus committitur, plus exigitur. Ita vt saluberrimum sit Christi documentum metaphysicali ratione fundatum. Qui voluerit esse maior inter vos, erit omnium minor & minister, quia secundum magnitudinem dominationis est, subiectionis grãdior obligatio, quamobrem summus pontifex non ficta verborũ humilitate, sed veritatis attentione profunda nominatur seruus seruorum. Et certè ita seruus, vt secundum præparationem cordis, & si non semper secundũ exhibitionem operis ipse vitam suã quãto magis statum suũ exponere pro cuiuslibet subditi sui salute, nedũ pro toto grege teneatur. Hoc ita sentire Catholicũ est stabilitum in hoc veritatis verbo. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis & ita corde creditur ad iustitiam, ore autem vel scripto confessio fit ad salutẽ. Alioquin non iniustus fit lucifer qui ita præesse voluit (secundum doctores) vt subiectionis vicissitudinẽ subditis non referret, tum ex opposito ipse plus aliorum commodis obsequi velle debuerat. Ex hac iterum consideratione culpanda redditur pompa superba pompa malè sobria prælatorum quorundam in fastu mundano quærentium nihilominus excusationes in peccatis, & dicentiũ quod hæc pompa honorat Ecclesiam. Honorat verò immo verè onerat & destruit factis & exemplis. Neque enim in ornatu splendido, neque in lauto conuiuio, neque enim in discolorum & comatulorum clientum numero, sed in spiritu mundo & consideratione sancta honor Ecclesiasticus illustratur. Quod si quis prælatorũ in pompis istis puerili, & vana exultatione delectetur, si ad honores caducos gloriabundus exhilarescat, si de se faciat idolum & statuam. Nabuchodonosor gaudens laudari, gaudens coli, & non potius exhorreat instar Christi, qui summos inter honores fleuit, si non memor sit iubentis, in vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris. Videat obsecro, videat talis, ne tandem seipsum tanta propriæ & alienæ adulationis ludificatione decipiat, quod iuxta verbum comici. Ex stulto, hoc est, ex vanè glorioso, insanus fiat.

Qualiter insanus? Certè Iesus in iudicio rationis sicut læditur Philocaptus. Omnis quippe passio profundata & radicata circa aliquod concupiscibile, sit illud honor, sit opulentia, sit ambitio, sit voluptas, reddit hominem dæmoniaco similem, secundum dictum Origenis in experientia fundatum. Mentior si non tempore meo talis apparuit, & verborum copia & iurium scientia & abstinentia famatus, corpore vegeto & forti, quem vsque ad hoc insanum reddidit ambitio cæca, cótemptrix alieni omnis consilij laudibusque suis credula, vt putauerit post illusiones plurimas esse verus Papa concorditer electus. Et cum ita desiperet nihilominus affirmabat se per multos annos nihil tentationis à vana gloria sensisse. Cum prȩterea moneretur vt sapientiorum crederet consilio, non inquit, quia factum meum tale tantumque est vt alius à me nemo illud intelligat. Sed quid mirandum est in homine fragili dementiam hanc surrepsisse, cum sapientissimus olim angelorum Lucifer, quia seipsum non in luce veritatis, sed vmbra propriæ vanitatis intuebatur, esse voluerit non solum similis altissimo, sed extollitur super omne quod dicitur Deus, ex insana & fantastica præconceptæ dominationis libidine. Vult quoque ritibus & sacrificijs coli per similitudinem ad Deum, sicut sacrilegæ artes magicæ palam tradunt. Præterea saluberrimum est vt prȩlatus libenter audiat & frequenter quæ humilia sunt & culpabilia de seipso, quia nemo est qui nó peccet, dicátque cum propheta: Increpabit me iustus, &c. Nimis enim habet multos qui vel adulatione vel dignitatis honoratione sibi loquuntur magnifica, apponentes fomentum morbo superbiæ, quem vix vllum medicamen vel tyriaca propriæ reprehensionis & fragilitatis sufficit expellere, & dare locum gratiæ Dei saluatoris nostri.

Consideratio tertia.

Apparens gratia Dei saluatoris nostri in subiectione ad legem propriam Circuncisionis documento est prælatis: vt iustè viuentes non imponant onera grauia statutorum, & legum humeris subditorum: digito autem suo nolint illa mouere, quemadmodú improperat Christus Pharisæis. Hæc consideratio redit ad primam innitétem illi sentétiæ exemplo Christi firmatæ. Patere legem quam ipse tuleris. Et esset profectò grandis in hoc loco querelarum materia cótra tot & tam leues excommunicationum & irregularitatum fulminationes, contra tot onera statutorum prouincialium & synodalium, ad lucrum quale vel animæ vel bursæ nouit Deus. Contra tot reseruatores casuum in foro cófessionis præsertim occultorum quæ confessionem supra quam dici potest impediunt. Loquor expertus & doctus ab expertis. Sed de his alias. Christus legislator nonne legem euangelicam dilatare potuerat? Potuerat equidé: sed humanæ fragilitati gratiosæ condescédens necessaria nos docuit ad salutem, ea pro nihilo quasi deputans quæ mortalem hanc vitam iamiam in momento perituram vel regere vel sustentare viderentur, sciens quod nisi lex viua euágelica & æterna dominetur, leges scriptæ non solum superuacuæ, sed crebrò perniciosæ reddátur. Vult ergo Prælatus Ecclesiam subitá feliciter dirigi. Vult arbitror bonos ille viros, timentes Deú, æquitate & meritis conspicuos regimini prȩficiat, non oneribus legum & statutorum subditos prȩmat. Nam super hunc cardinem volui debet ecce reformatio, quoniam si columnæ putres, si inualidæ sunt sustentare debentes Ecclesiam, partes reliquæ quasi virtute subsistent, innitentes parieti inclinato & maceriȩ depulsæ? Multiplicentur quantumlibet humanæ traditiones. Si cupiditas carnalis & fastus non humilitas regnet in prælatis, audiamus quid sequitur incommodi. Etenim potestas conferendi beneficia & similia aut relinquetur talibus. Et quis dubitauerit, quis non viderit quantum subuertent, peruertent & euertent omnia promotionibus indignorú. Si ablatio fiat ab eis retinente sibi omnium collationem summo pontifice, nunquid non supra vires erit hoc negocium? nunquid non cum Moyse stulto labore consumetur? Nonne monstruosum erit videre caput vsurpans membrorú omnia inferiorum officia & quasi sit gladius Delphicus ad omnia se aptans? Sed & curia sua curia Romana, quȩ ad similitudinem Hierarchiæ angelicæ ordinanda erat & replenda viris charitate feruidis & cótemplatione suspensis, vt Seraphin, viris sapientia diuina splendidis vt Cherubin, viris æquitate firmissimis vt throni, nonne mutabitur in curiam peccantium? & qui nutriri debebant in croceis amplexabuntur stercora. Ita enim arbitratus est omnia temporalia æquus arbiter Apostolus. Fiant quoque multi procuratores & conrotarij beneficiorum. (Nolo de symonia quicquam dicere.) Fient insuper non tam promotores quam inuolutores causarum friuolarum atque prophanarum dimissa omni spiritualitatis cura. Quid dico dimissa? Vtinam hoc esset, licet sit nequissimum, irridebitur, abominabitur, persequetur, & ad imitationem curiæ diabolicæ maior ille frequenter erit qui astutior, qui perfidior, qui importunior, deterior, cupidior, miserior. Auertas hoc nefas gratia Dei & saluatoris nostri.

Consideratio quarta.

Apparens gratia Dei & Saluatoris nostri Iesu exigit vt prælatus non potentiam subditis, sed gratiam ostendat, vt ipse præterea dolores & gemitus offerat Deo pro eis se circuncidens, piéque viuens, ne dum alijs prædicauerit (officio enim prælationis adiuncta est obligatio prædicationis) ipse reprobus inueniatur. Quidni prælatus gratiosum se non rigorosum præbeat, cum ipse circundatus sit infirmitate, egens gratia Dei, nesciens introitum & exitum suum, ignorans an turbationes in subditis ex culpis proprijs tanquam occultis vel alienis, vel simul ab vtrisque suscitentur, ita vt necesse habeat obsecrare cum propheta. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Psal. 18. Nam sicut pro delicto populi pastor, ita pro pastoris errore populus plectitur. Hoc vidit Iob qui dicit de eo quod regnare facit hypocritam propter peccata populi. Qualis autem perniciosior pestis pro populo alia est quam hypocrysis in suo vel principe vel prælato. Sed ita digni sunt aliqui non nisi per reprobos regi, & alij non nisi reprobis præfici demerentur. Quidni igitur ipse pastor semper pauidus inueniatur, non se iustificans nec iustificari cupiens,

cupiens, extimescens ne dederit causam scandalo, dicens cum Dauid: Ego sum qui peccaui, & cum Iona: Si propter me turbatio facta est, mittite me in mare. Quo verbo magnum illum Gregorium Nazianzenum vsum fuisse, & ob hoc vrbi Constantinopolitanæ cui perutilis erat cessisse, Ecclesiastica meminit historia. Recogitet prælatus etiam deuotionis sibi conscius, præsertim dum innumerabiles viri in oppositam ad se pergunt sententiam. Recogitet quid dicat Apostolus. Nihil mihi conscius sum sed non in hoc iustificatus sum. Quis ad hoc verbum non expauescat? Sed & Angelus sathanæ transfigurat se in Angelum lucis, insidiatur in abscondito, spargit vbilibet laqueos, quos obumbrat specie virtutum. Ita vt horrendum valde sit quod dicit sapiens. Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius ad mortem ducunt. Sic prælatus nonnunquam dum esse gloriatur plenus gratia Dei repletus est insensibiliter astutia diaboli. Quam multa quotidie (exempli gratia) credit aliquis facere ex magnanimitate quæ fiunt ex arrogantia & præsumptione, quam multa ex indulgentia humilique pietate quæ oriuntur ex desidioso torpore, vel certè (quod mirandum est) ex vana ostentatione & gloriatione superbissima, ad hoc duntaxat vt patientiæ & misericordiæ laudem cum magnis viris meruisse credatur. Sic furor incautus & æmulatio maledicta, quia pertinax. Zelus quoque non secundum scientiam, durus, ceruicosus, inexorabilis, imperterritus, nemini credens, nullũ scandalum reformidans, sed dicens, si damnari volunt, qua ratione saluare potero vel teneor inuitos? Talis inquam furor mentitur se zelum boni publici & communis libertatis. Sic implicatio friuola, & stultus labor in minimis tanta se diligentia simulans, sic perplexa scrupulositas semper vacillans, nihil expediens bonæ sibi consciẽtiæ nomen vsurpat, quæ est ex radice superbiæ nolentis se peritorum iudicio conformare. Sic ambitus honoris palliat se, quod non pro se, sed pro dignitatis honore & aliorum ædificatione perquiritur. Sic ambitio retentione dignitatum, in perniciem Ecclesiæ subtili malo fingit se velle multis proficere, nec Ecclesiam exponere discrimini peruersorum. Et hoc planè est dæmonium meridianum, quod facit quandoque esse martyrem diaboli, dum esse gloriatur quis in persequẽtibus martyr Dei. Monet insuper dicere hominẽ, quia diues sum, & nullius egeo. Et nescit quia pauper est & miserabilis & cœcus & nudus. Sed quid innumerabilia diaboli machinamenta dinumerare contendimus, quibus mentitur & blanditur iniquitas sibi quasi plena sit gratia Dei? Dicamus potius quis euasurus est illa? Respondeat, non ego, sed propheta, per oraculum quale factũ est Antonio. Humiliatus sum & liberauit me, humiliatus intellectu, humiliatus affectu. Interrogata nimirum gratia Dei quæ essent signa eius quibus apparet in homine. Respondit. Primum & præcipuum signum meum est humilitas, hæc sedes mea, hæc requies. Deus itaque humilibus dat gratiam. Cognosce igitur humilitatem, & tu meam habitationem ignorare non poteris. Interrogata verò humilitas de signis suis multa numerans, ea tandem ad duo perstrinxit, quæ sunt

1.Cor.4.

Iacob. 4.

A humile sapere & humile velle, adiungens de homine quem inhabitauerit quod eum reddit tractabilem quasi perfusum oleo lętitiæ, suasibilem, bonis consentientem, minus semper proprio quã alieno fidentem consilio, abiectus est & vilis in oculis suis, non se iactans, non iustificans, non magna promittens, non sollicitè se excusans. Ex aduerso cognita sunt superbæ elationis signa, si se colit, si amat, si complaceat in se sibi, si sapiens est in oculis suis, alienum vel non requirens, vel odiens, vel non implens consilium, pro sancto iam se habet & pro tali qui dignus sit reuelationibus atque miraculis regi. B Et quoniam obstupuit in malis, neque se neque morbum suum nouit, se humiliorem, se sanctiorem omnibus iudicat, solos qui loquuntur placentia retinet sibi, alios odit, tanquam abijcit quocunque quæsito colore, & si ad horam dissimulet amare se veritatem. Si scandalizantur alij non vritur, sed irascitur eis, tanquã immunis sit à delicto, tanquã scandalo causam nullam præbuerit, immanet in opinionibus proprijs quas deserere, neque aliorum C monitis, neque concilio, neque experientia malorum sequentium persuaderi potest. Egrescit potius & excandescit aduersus monita salubria. Væ væ Ecclesiæ & religioni cuique à peste tali. Vix enim satis deprehendi potest quia tegitur ouina pelle, sed per doctissimos scientes probare spiritus si ex Deo sunt, ex fructibus cognoscitur, & maximè dum ad inhonorationis cuiuslibet vel paruam æstimationem quasi furit vt Philocaptus amatæ suæ læsionem exhorrescit. Nihilominus cum per tales deprehensa fuerit, vix est inuenire D remedium, quia nec expelli facile potest, ne retenta corrigi, nisi per miraculosam operationem gratiæ Dei saluatoris nostri. Talem cursum habuerit sermo noster per primum signum, quo apparuit gratia Dei & saluatoris nostri, in eius humilitate subijciente se legi Circuncisionis, & de ipsius imitatione debita per Prælatos & Clerum, vt patiatur Prælatus legem quam tulerit, vtque quanto maior est humiliet se in omnibus, vtque non imponat onera grauia ceruicibus subE ditorum, vtque gratiosum se, non rigorosum ostẽdat, & ita abnegata impietate & secularibus desiderijs, & sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo. Reliquum est vt per secundũ signũ diuinæ gratiæ ꝙ esse diximus benignitatem seu charitatẽ plenius signatam in nominis impositione, sermonis nostri cursus consummationem accipiat. Vocatum est nomen eius Iesus inquit Euangelista. O nomen totiens vocatum & desideratum, nomen tandiu cum suspirijs expectatum, sed hodie primitus impositum cum vocatum est nomen eius IeF sus. Dudum enim longè à peccatoribus salus id est Iesus, & propè erat vltionum Dominus. Hoc Dauid cognoscens postulabat nomen non potẽtię & dominationis, sed gratię & benignitatis. Dic inquit animæ meæ, salus tua ego sum. Iesus tuus ego sum. Nam quid est Iesus nisi salus? Nonne sic tibi loqui videtur Dauid Deo, satis dixisti, ego Dominus, ego omnipotens, ego iustus & terribilis. Abscondantur obsecro hæc nomina potestatis, & exhibeatur nomen gratiæ & benignitatis. Et dico ego Iesus. Hoc est nomen nouũ quod os Domini nominauit, quod vocatum est ab angelo priusquã

Luc. 2.

in vtero conciperetur, nomen ab Apostolis prædicatum, sicut dicunt actus Apostolorum, quod omni die nō cessabunt in templo & circa domos Euangelizantes Iesum. Hinc magnus ille prædicator qui loquebatur sapientiam inter perfectos, nihil iudicabat se scire nisi Iesum Christum,& hūc crucifixum, Iesum præterea toties viuens & moriens nominauit, & imitator eius Ignatius. Nōne præterea à creaturis omnibus adoratum, quia in nomine Iesu omne genu flectatur,cœlestium,terrestrium & infernorū,quod perspicuum fecit miraculorū operatio. Nomen denique ab omnibus inuocandū, quia omnibus salutiferū, nam omnis qui inuocauerit nomen domini,hic saluus erit. Et non est illud nomē sub cœlo (affirmat Petrus) datū hominibus,in quo oporteat nos saluos fieri. Et iterum: Non est in aliquo alio salus.Si pœnites,& times Deum vltionū, appella ad Deum gratiarum dicens, vt propter nomen suum Iesus, sit tibi Iesus, quoniam scribit nobis filiolis suis Ioannes, quia remittuntur nobis peccata propter nomen eius. Nam quis legitur in Euangelio inuocasse nomen Iesu, & exauditum non fuisse? Si damnata morte peccati remanet morbus concupiscentię audi, quia in nomine Iesu serpentes malarum suggestionum tolluntur. Et si mortiferum quid delectationis bibitur non nocebit. Si feroces insultus inimicorum omnium timueris, attende quia in nomine Iesu dæmonia eijciuntur & ferè mansuescunt, vt gloriabatur Agatha, & turris fortissima prædicatur à sapiente nomen Domini.Si tentatione vel alia afflictione fatigatus deprimeris, imitare Apostolos qui ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et Apostolus paratū se offert, non solum ligari sed & mori in Hierusalem pro nomine Iesu. Apparet igitur gratia Dei in hoc nomine Iesu, quod est in remedium cōtra malū culpæ, in refrigerium contra malum concupiscentiæ, in præsidiū contra malum pugnæ,& in solatiū contra malū pœnæ. Amplius quia necesse est nobis viatoribus inquirentibus cœlestē Hierusalem viā agnoscere, animaduertamus quia deducit nos Domin⁹ super semitas iustitiæ propter nomen suū. Porrò, quia ignobilis, nobilitari desideras, dat Dominus potestatē filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Magna planè nobilitas, quia si filij Dei & hęredes, hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, & ex consequenti eius

Apoc.19. fratres. Quod agnoscens Angelus, adorari à Ioāne noluit. Vide ait ne feceris, cōseruus enim tuus sum & fratrum tuorū habentium testimonium Ie-

Io. 13. su. Egenus es, & multa te petere necesse est, offertur tibi Iesus pro titulo petitionis in curia Dei patris, sicut obseruat Ecclesia instituta ab eo qui dixit. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quo nomine qui insigniti fuerint saluabuntur, iuxta figuram Ezechielis de signo Thau, quo signati saluati sunt. Denique nemo virtutem, nemo sanitatem huius nominis nouit nisi qui accipit per experientiam & gustat quid illud est. Oleum effusum nomen tuum. Qualiter acceperat qui dicebat: Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Et alter. In te glorificabuntur omnes qui diligūt nomen tuum. Rursus alius. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Quasi

A dicat. Gaudeant alij in anxia diuitiarum & sarcinarum inutilium accumulatione, alij in effrenatione sordida voluptatum, alij in alijs noxijs atq; perduris, ego autem exultabo in Deo Iesu meo, quoniam potissimum apparuit gratia Dei in eo. Sed ecce denuo sermonem interrumpere cona- Matt.7.

tur studiositas importuna. Et quærit quomodo verum habet quod omnis qui inuocauerit nomē Domini, saluus erit, cùm alibi scriptum sit. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit

B in regnum cœlorum. Responsio,requiritur tertiū Domine quod est operis,sicut primū est cordis,secundum est oris. Dic,cur Apostolus tantus vir petens in nomine Iesu carnis stimulum tolli,exaudiri non potuit? Responsio,non petiuit ad salutem. Associari quippe debet oratio quatuor comitibus vt exaudibilis semper fiat, quòd piè id est ad salutem,quod perseueranter sine peccati interruptione quod iustè, hoc est in gratia & pro se. Et ita quisquis in ipso etiam mortis articulo petit hic puniri in curia gratiæ,liberabitur à pœna futura, vbi

C est cura iustitiæ, & volabit liber in cœlum, sicut deducit Dominus Antisiodorensis mediante merito Christi, & pœna habita in præsenti. Verbum quòd dicit Apostolus, quia nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in spiritu sancto, cum pessimi nedū illud nominare, sed in virtute eius miracula facere memorentur, quemadmodum viderunt Apostoli quendam in nomine Iesu dæmonia eijcientem, sicut & illi reprobi qui dicent in iudicio Domino. Nōne in nomine tuo prophetauimus,

D & in nomine tuo virtutes multas fecimus,&c. quibus dicetur, Nescio vos? Responsio quod nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto illustrante intellectum, sicut nec aliquam veritatem, vel ipso simul mouente affectum & illustrante intellectum vt in bonis. Quod autem mali faciunt miracula, hoc est per potestatē publicæ iustitiæ in attestationem veritatis. Propterea nō sufficiunt ostēdere aliquem sanctum: nisi comes fuerit humilitas & sanctitas. Hæc verò gratia miraculorum ideo datur quandoque reprobis ad ipso-

E rū condemnationē, ne iusti pro magno deputent, si vel habeant vel non habeant hāc gratiam. Nolite inquit Christus, gloriari quod spiritus vobis subijciuntur, &c. Quod si sigillum & signū proprium diuinæ potestatis quod est miraculū adhiberi quæratur in testimonium falsitatis Deus hoc numquam permittit quin reclamauerit vel reclamet, quemadmodū prædixit, ne credamus signis Antichristi. Et hoc est ad probationē electorum. Properabit rursus quærere studiositas. Cur non

F modò fit baptismus vt olim in nomine Iesu? & cur non ad inuocationem eius dantur genera linguarum & operationes miraculorum & similia? Dum hæc interloquendum superirruit zelus feruidus, filius charitatis, abscede hinc (ait) ô studiositas speculatrix, non est tempus disputandi sed plorandi, nam si propterea Deus appellatus est Iesus, si in hoc apparuit gratia ipsius vt saluemur, vnde tot nobis mala, tot in commoda, qui in ipsum credimus, ipsum inuocamus? Ecce imminuti sumus ex ira Dei effusa super nos plusquā gentes quæ nomen Domini non nouerūt neque inuocauerunt. Et vt alia prætereā ecce quā exc-

execrando schismate Ecclesiam sponsam suã concuti sinit, deijci, proteri, rũpi, lacerari. Et vbi sunt A misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Vbi est illa quam Apostolus tuus scribit apparuisse gratia, vbi est nomen sanctum tuum atque gloriosum, quod inuocatũ est super nos? Cur derelinquis nos Domine Deus noster? Vbi abundantia illa pacis quã orituram asseruit in propheta in diebus tuis, & quam Angeli cecinerunt dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. Sed væ tibi mala voluntas, voluntas ingrata, tu istam à nobis Dei gratiam abscondis, tu di- B uinum illud carnem obturbas dissonis moribus tuis, tu surripis gloriam Deo partem suam. Quidni pace spolieris parte tua? Tu igitur bene viuere docẽda esses, non acutè disputare: neque fortissis tempus docendi sed faciendi, quoniam mala radicata quæ in mores abierunt, non verborum fomentis, sed factorum securibus atque ferramentis extirpare necesse est. Sed adsit potius tempus miserendi Domine Iesu, tempus miserendi eius quia venit tempus, succurrat gratia tua. Appareat illa miseris, quia adiutor es in opportunitatibus, in C tribulatione. Impera ventis & cessabit quassatio, & aura seuerior & asperior. Recorderis gratiæ tuæ antiquæ Domine, recorderis infantiæ susceptæ propter nos, sed & Circuncisionis tuæ & nominationis salutiferæ memor esto. Benedic principio anni benignitatis tuæ, quod principium tu corona misericordia & miserationibus, quoniam illud tibi dedicamus non fabuloso Iano Bifronti, scientes quoniam beatus est vir cuius est nomen Domini spes eius & non respexit in D vanitates & insanias falsas. Tu summus es Pontifex noster, des in nouitate ortus tui & coronationis tuæ gratiarum vbertatem, & indulgentiarum plenitudinẽ elargire. Signare dignetur gratia tua nostras expectationes ad præbendas cœlestis illius & Cathedralis Ecclesiæ tuæ magnæ Hierusalem Ecclesiæ triumphantis ad quam tendimus, quam tota deuotione cupimus, expectantes beatam spem. Non confundas nos ab expectatione, quia væ patientibus repulsam, si vel in signatione vel in bullis, vel processu, vel posses- E sione defecerint. Sit hodierna sanguinis tui effusio expectationum nostrarum valida signatio, sit æternum salutare, vt ibi iniquitas abundauit, superabundet & gratia. Talis erat meditatione mea zeli plangor querulus, commouens, orans, & obtestans, vt sublata mala volũtate de medio nostri (illa enim sola pacem cogit in exilium, illa schisma parit fouet & nutrit) nos coadiutores gratiæ Dei sumus quæ pijs conatibus non deerit. Cui studiositas & cur ait, non inquirit clerus cũ F prælatis suis, qualibus vijs occurrere conuenit tãtis & tot incommodis. Seu per congregationem factam in nomine Iesu, qui aderit in medio. Seu per sedule disputationis officium tendentis, non ad conuocationem, sed veritatis inquisitionem. Seu per inuestigationem criminum regnantium in Christianitate, vt euelli cognita possent. Et esset clerus exemplo Iesu populi saluator non lupus dissipator. Expedit ne me studiositatem in talibus occupari? Cui zelus. Expedit quidem & iam multa à tuis sectatoribus conscripta sunt, vt omnia ritè præparentur quæ agenda fuerint in

concilio, alioquin verendum est ne schismati radicationem afferret exemplo Græcorum, & ne scissuras (quod auertat Dei gratia) multiplicaret ampliores, qualia nunc omnia dicere reclamat, vt vides breuitatis amor & subdola blandáque adulatio contradicit. Nihilominus obsecratione facta per gratiam Domini nostri Iesu Christi & per me zelum domus Dei, vt tempus modicum detur veritati & eius inquisitioni, propulso omni mordacitatis desiderio, quod longissimum frequenter vnitati datur & fabulationi. Dic tu studiositas radices aliquas ex iure diuino sub generalibus principijs vtiles ad sedandum pestiferum schisma, quoniam illud primum & principalius occurrit in Ecclesia reformandum. Tunc studiositas visa est quædam aperire sub consideratione quadruplici, quæ qualia sunt vestrum erit iudicium.

QVATVOR CONSIDERATIONES DE PACE PRÆDICATÆ Tarasconæ.

Consideratio prima.

Finis politiæ Ecclesiasticæ & cuiuslibet legis eam regulantis est pax salutifera. Hoc satis expressit diuinus noster philosophus Paulus, qui finem legis & præcepti nunc dilectionem esse dixit, nũc Iesum, intelligens in dilectione pacem, in Iesu salutem, vt sit finis pax salutaris. Neque opus est anxia deductione alia, cum natura nos doceat ens quodlibet nõ minus suam vnitatem & pacẽ appetere quam entitatem, secundum deductionem diuini Dionysij, August. & Boëtij, ita vt pax sit bonum quod omnia appetunt, adeò quod particularis ordo naturæ plerumque immutatur in rebus vt vnitas conseruetur. Manifestat hoc ascensus grauis sursum & leuis deorsum. Si in corpore verò, cur non in mystico potest vicissitudo talis quæri, vt pro pace retinendam fiat deorsum quod sursum est vt pax permaneat? Cum igitur secundum exigentiam finis cætera debeant moderari, & finis est qui imponit necessitatem rebus, necessitas verò legem nõ habet, perspicuum est quod nulla lex habeat aliquid firmitatis si paci faciendæ vel conseruandæ inueniatur contraria, sed debet interpretari vt seruiat paci, vel pœnitus aboleri, alioquin iuxta dictum Comici, summum ius summa est malitia, conformiter ad iussionem sapientis. Noli esse iustus nimis. Sic Atheniẽses fecerunt ad tempus leges Lycurgi non esse vt semper essent, & Nasica Scipio. Dum consul inquit, iuris ordinem sequitur, id agit vt cum omnibus legibus Romanum corruat imperium. Nullo pacto igitur seruatur lex, non obseruatio legis fine qui est pax. Sicut in simili Christianam doctrinam scribens August. deducit pro regula memoranda, quod nullus textus sacræ scripturæ in sua expositione retinet sensum spiritus sancti, nisi ille charitatẽ ædificet. Et quoniam huius schismatis tam extranea videtur esse pestis, vt tale nunquam visum fuerit minus habẽs prouisionis humanæ remediũ, docẽte hoc sua in dies radicatione, expediat ad eius expulsionem

institutio nouorum canonum, cũ ea quæ de nouo emergunt, nouo egeant auxilio, vel iam conditorum necessaria est moderatio. Sed qualis & per quid moderatio? Sane per regulam infallibilem & inobliquabilem legis diuinæ, cuius sectatoribus & amicis pax multa est si prophetæ creditur, & non est illis scandalum. Ex quibus elicitur conclusio saluberrima, quod nulla via proficiens ad sedationem schismatis repudianda est, quantumcunque iura vel leges humanæ videantur opponi, vt de electione summi pontificis, quod est sic & sic celebranda & similes, dummodo diuinum mandatũ vel ius maneat inuiolatũ. Quod scire ad illam spectat scientiam per quam legũ conditores iusta decernunt, legem æternam imitãtes. Hæc est lex Euangelica, quæ si contemnatur ab aliquibus, illi sunt inepti pacis Ecclesiasticę tractatores, quẽadmodum inutiles sunt homines ita adhærentes nudis textibus, vt epikeiam, hoc est æquitatem ignorent, quales Aristo. nominauit immansiuos in opinionibus proprijs. Ex his denique quis non videat quam impium est præsertim apud eos qui se Ecclesiasticos dici volunt, si peritos in Euangelica lege vel non consultare vel abijcere, vel maiori sacrilegio habere probro cognoscantur, hinc errores, hinc præsumptuosæ assertiones, hinc perplexitates inexplicabiles, hinc obstinatæ defensiones adinuentionum humanarum in perniciem Ecclesiæ & pacis saluti ferè finis sui surgunt, vt quod non licet disputare de potentia Papæ, quod non potest sibi dici, cur ita facis? cum tamen sit peccabilis, quod non potest in aliquo casu Ecclesia sine eo conuocari vel aggregari, quod hic est fidei articulus. Benedictus est Papa (exẽpli gratia) quod non potest in aliquo casu ad cõcilium Papa vocari. Quod absque eo non stat salus, cum tamen salus Ecclesiæ in solum Deum ordinetur absolutè & essentialiter, & in hominem Christum deordinata lege, sed accidentaliter ordinatur in Papam mortalem, alioquin dum vacat sedes per mortem Papæ, vel naturalem vel ciuilẽ, vt puta si sit hæreticus depositus quis hominum saluus esset? Alij Papam prædicant impeccabilem, alij omnipotentem, alij sine vlla exceptione credunt extra salutis statum quemlibet suæ parti non obedientem. Quod quanta temeritate dicatur ipsi viderint assertores.

Consideratio secunda.

Quælibet in Ecclesiastica Hierarchia potestas in pacem salutiferam ordinatur. Hæc infertur ex prima. Cum igitur non sit data potestas in destructionem, sed ædificationem, teste Apostolo. Si quis abusui potestatis hoc est tyrannidi resistit, ille non resistit Dei ordinationi, sed obedit qui iubet malum tollere de medio sui & patrem scandalizãtem abijcere, sicut & licet cuicunque erga quemcunque vim illatam vi repellere cum appositione moderatæ cautelæ. Hæc consideratio facili deductione traducit quorumdam scripta super obedientiæ laudibus & inobedientiæ pœnis ad oppositum illius quod persuadere conantur. Nam si obediendum est hominibus, quanto magis Deo. Elucet præterea quod si salutifera pax tollatur, ex eo quod in Ioanne (exempli gratia) potestas Ecclesiastica quædam remanet qua repudiata pax rediret, abijcere potestatem in hoc casu est eadem bene vti, retentio autẽ verteretur in abusum. Addito quod nulla potestas inuenitur hic in via quæ non subijciatur legi diuinæ & naturali, & quæ nõ sit peccabilis & auferibilis vel abdicabilis aut pro tempore ab executione suspensibilis. Fundatur in hac consideratione dictum illud memorabile & verè dignum à summo pontifice quod his auribus pluries accepi ab ore Domini nostri, hoc sine adulationis spiritu refero, paratus sum inquit, etiam vsque ad mortem vel immolationem proprij corporis, si ita res exigat Ecclesiasticam vnionem procurare, quanto amplius vsque ad proprij status abdicationem. Nam quando daret vitam qui non desereret vestem aut vitam, coronam seu mitram? Vellent aliqui rursus obijcere contra epistolam Anglicanam quod via cessionis in effectu reddi possit practicabilis casu proposito, inuitis etiam contendentibus de Papatu, quamquam si habeat hic allegationem rationabilem coactio ipsi viderint, velint itaque, nemo cogit. At verò quicquid de hoc sit constat viam cessionis esse possibilem, immo in casu necessariam, ad cuius laudem spectat quod scribit Dionysius (non ille Ariopagita) ad donatum, recitatiuæ in Ecclesiastica hystoria. Dionisius donato fratri salutem. Si inuitus vt ais in hoc venisti, offendis in eo si dimiseris volens, oportuerat quidem etiam pati omnia pro eo ne scinderetur Ecclesia Dei, & erat non inferior gloria sustinere martyrium pro eo ne scinderetur Ecclesia quam est illa ne idolis immoletur, immo secundum meam sentẽtiam maius hoc puto martyrium esse quam illud, quia vnusquisq; pro sua tantum misericordia, in hoc verò pro omni Ecclesia martyrium sustinet. Hæc ille. Denique plura sequerentur de quibus non est dicendũ per singula.

Consideratio tertia.

Quilibet rationis capax obligatur secundũ vocationem suam, pacem Ecclesiæ salutiferam procurare. Ille orando, hic disputando, hic prædicãdo, hic exhortando, hic agendo, vel quolibet modo alio. Sumerentur argumenta pro hac consideratione ex radice filiationis ad Ecclesiam, & ex radice dilectionis & iustitiæ ad proximum, ex radice pietatis seu religionis ad Deum. Nulla si quidem in præsenti schismate potest serpere deterior labes quam inertia quærendi pacem, siue illa proueniat ex ambitione vel adulatione vel timore, aut alia occupatione non admittentę curam hanc salubriorẽ, pectora nostra duas non admittentia curas, ait Satyricus. Audiamus à sapiente quid pigricies stulta operatur in agro vel vinea Ecclesiæ? Per agrum inquit viri pigri transiui, & per vineã viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant faciem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Quod si pestiferum est & maledictioni proximum negligere opus hoc diuinum, quam criminosum est quam nefarium laborantibus non applaudere, sed irasci? Propterea stat aliquem adhærentem iustæ parti plus esse de schismate culpabilem, quam alterum qui adhæret parti falsæ, vt si primus aliqua passione vitiosa tractus obsistat quo minus fiat pax, ne audire paratus sit Ecclesiam. Alius quærit cum omni sollicitudine vias pacis, promptum habens animum obediendi Ecclesiæ iudicio seu veritati dum sibi cla-

clarescceret. Ea namque quæ dissensionem afferunt in præsenti scismate sunt talia quę in facto maximè consistunt, in quibus errare sine periculo salutis potest non solum iste vel ille, sed etiam in talibus Ecclesia fallere dicitur & falli: sicut dũ multo tempore fœminam pro Papa coluit. Porrò manifestari potest ex radice hac quales excusantur à vitio scismatis. Et quod stat scire quod scisma est in Ecclesia, & tamen nescire quis in ea sit scismaticus. Ex hoc consequenter aperitur quales sunt anathematizandi & vitandi & quales non. Nam velle omnes indifferenter partis falsæ extra Ecclesiam & salutem trudere, quale sit iam tetigimus. His ex rebus perspicuum fit deinceps quanta laude, quibus præconiorum titulis, commendenda redditur partis nostræ diligentia, præsertim in inclytissimo Franciæ regno, & quantum à scismatis obstinatione procul existat, vbi quæsita est hactenus pax salutifera tantò labore, tot expensis, tot legationibus, assiduisque consilijs. Nec est quod aliquis opponat quosdam vel zizanias vel paleas malarum actionum in quibusdam ortas inter hanc virtuosæ operationis segetem, vel quod non satis efficaciter diligentia respondit ad votum. Ascribatur hoc humanæ fragilitati. Raro enim nascitur granum virtutis sine palea aliqua defectuositatis. Nihilominus habet profectò plus veræ laudis zelus ille diligens quam aliorum negligens torpor, quoniam scisma si dimittitur absque agitatione, proferet radices malas altius & ineuulsibiles, & productas roborabit. Nam mala per longas conualuere moras. Doceat nos scisma Græcorum quod iam non curatur, nemo non desperat. Quo in loco grandis offertur ad loquendum materia super laudibus Parisiensis vniuersitatis præclarissimæ studiorum super zelo feruido ipsius, quæ non cessauit hactenus eniti pedibus (vt dicitur) & manibus, aliter quam desides aliqui & inutiles qui facere nihil volunt vel nesciũt, obstrepunt tamen facientibus solis contumelijs fortes & armati. Sed silentium imperat, tum benignitas, tum modestia ne in eius laude videamur propriam quærere.

Ecce autem quis est qui nõ dicat, qui non clamet, pax, pax, fiat pax, pacem volo, pacem super omnia concupisco. At verò nonne irridetur Deus, quoniam simile est pacem non velle, & illam vel inutiliter & desidiosè velle, vel impossibiliter velle, hoc est medijs ad eam impossibilibus contendere, vt si quęratur vnio aliqualiter qualiter haberi non valet, neque via debellationis, neque via rationis seu reductionis, neque via anathematizationis seu separationis, neque via condescensionis, aut similiter. Cum itaque pastor teneatur non minus reuocare oues quas iudicat errantes quam seruare non errantes, nonne debet vt fiat vnum ouile modum possibilem & verisimilem hoc agendi vel prosequi, etiam cum dimissione gregis proprij & obedientis, si per hoc seruatur & vnitur grex vterque. Nec est hoc deserere gregem more mercenarij & fugere, sed saluare, & vt verè sic dicamus fugiendo manere. Sed hæc cessio dicit aliquis fieret perniciosum posteris exemplum? fatemur id posse contingere, nam quibus rebus non contingit abuti, attamen pro incerto malorũ euentu, non esset tam certum & optandum præsentis pacis bonum repudiandum vel negandum.

Consideratio quarta.

Tantum est pacis salutiferæ bonum vt pro eius adeptione neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria vtilitas debeant aliquem deterrere, & nihil prorsus nisi peccatum contra legem Dei æternam. Hæc consideratio posita est contra illos qui dicunt: Obseruetur honor partis nostræ, habemus victoriam, confusionem euitemus. Ecce qualia sustinuit opprobria summus pontifex Christus vt faceret vtraq; vnum reconcilians in suo sanguine ea quæ in cœlo sunt & in terra, factus opprobrium hominum & abiectio plebis, & non dicens: seruetur honor meus. Sufficiebat ei testimonium bonum conscientiæ ad Deum. Igitur vt pax habeatur, nulla planè via repudianda est quæ potest absq; peccato deduci, & quanto breuius, tanto salubrius, quanto insuper patentius, tanto acceptius apud omnes, quoniam res tangit omnes, & veritas lucem amat. Quocirca viæ per dominũ nostrum oblatæ (proferam hoc sine adulationis oleo quo non indiget, & salua pace omnium) quia nunquam mihi visæ sunt iuri diuino palam contraire, nunquam visæ sunt similiter penitus reprobandæ, nisi fortè struatur calumnia ex iuramento suo, & ex totius obedientiæ suæ consensu, iudicio & requestis aliorum tendentibus. Propterea rursus non improbabile videtur attentis circunstantijs offerentibus se in præsenti scismate, si pars iusta possit à iuris sui prosecutione desistere, vt ad iniustam ius suum transferret & fieret iusta, seu per nouam electionem intrusi, seu per aliam viam in iure scripto non hahabitam, dummodo ius diuinum vtrobique inuiolatum maneret, & hæc via propter timorem inhonorationis mundanæ non esset penitus ab horrenda. Nam quicquid à maleuolis interpretibus diceretur, desuper resideret inspector cordiũ Deus, & iudex veritas & charitas abundè remunerans. Nonne laudata, nonne victrix effecta est mater illa vera infantis apud Salomonem, quæ filium maluit integrum abijcere, illoq; carere quam diuisus in suam cederet portionem. Denique in laude. Q. Fabij maximi præclarissimam dixit Ennius, quod non ponebat rumores ante salutem. Nonne sanctius est vltro dare gratiæ, dare charitati fraternæ, & paci honorem suum caducum, immo vitam propriam cum merito, quam sine laude & pace mox naturalis necessitas vtrumque ripiat? Concedatur ergo libenter gratiæ id quod velit, nolit obtinens protinus relinquetur naturæ. Amplius non videtur improbabile quin expediat in casu Ecclesiam ad tempus summo pastore carere, vt interim per tactum vel aliter adeptio pacis celerior haberetur. Quod si canones oppositum sanxerunt, lex diuina non dissonat. Nam ex dicto potest absque Papa mortali stare salus. Quod si timetur infamatio partis illius vel illius, iam responsum posuimus. Consequenter deducimus quod propter timorem succumbendi aut inhonorationis humanæ, quæ vtique vitiosa non sunt, concilium generale vniuersalis Ecclesiæ non videtur repudiandum, sed pium est credere quod in tractatione præsentis materię non erraret. Audiamus rationem, constat itaque quod in materijs fidei terminandis error non cadit in generali concilio. Rationem dant doctores ex speciali assistentia

Spiritus sancti & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare in his ad quæ humana inuestigatio peruenire non potest. Secus in his quæ vel facti sunt: vel humana ratione terminari possunt. Nuncauté scisma præsens quamquam in his quæ facti sunt plurimum hæreat: eius nihilominus terminatio tam perplexa cernitur, tanquam difficilis, vt supra hominum vires, ingenia inuentiones & consilia videatur. Vbi verò deest humanũ, potest & debet absque temeritate diuinum auxilium etiã miraculosum expectari. Ita enim de fortibus mittendis in casu determinat August. dum sæuientibus tyrannis inquiritur quis de multis prælatis pro gregis salute remanebit, qui recedent? Nonne igitur absque periculo causa illa committi Deo & vniuersali concilio posset absque formidine quam maior pars vinceret si esset iniustior, & maximè in perniciem Ecclesiæ quod addo, quoniam in casu communis error faceret ius, præsertim error facti vel ex facto ortum habens. Auxilium tale miraculosum nõne in bello corporali Iudas Machabęus, nonne Moyses, nonne fidelium alij taliter expectauerunt quando persequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia? quanto securiori fide pro hoc scismate finiendo potest in opitulationis diuinæ assistentia speciali per tractatum vniuersalis concilij spes haberi? Et quis obsecro tantę præsumptionis inueniri poterit, vt determinatis per tot viros celeberrimos, propriam opinionem vel præferret, vel eorum dictamen non imitaretur? Pium quoque sentire est vt, nõ nisi viam mediam, viam pacificam, & vtrobique honorabilem sententiaret concilium. Nec tamen ignoro multas circa hæc & alia suboriri difficultatum nebulas. Sed eas omnes lux diuinæ legis suis radijs faciliter eijceret, si non vltra ceruicola contradicendi libido obstiterit. Si oculos rationis neque segnicies inquirendi clauserit, neque ruditas obtuderit, neque eos lippitudo carnalitatis, neque curarum puluis, neque fumus præsumptionis suffoderit, neque postremò malitia cæcauit, quo minus apparere possit gratia Dei saluatoris nostri. Ita studiositas per zelũ stimulata pergebat in longius. Cuius ego sermonem interrũpens & finiens exclamaui: Appareat ô vtinam bone Iesu pax nostra, salus nostra appareat tandem aliquando gratia tua, vt post illustrationem synceram & agẽda videamus, & ad ea quæ viderimus implenda conualescamus. Res quippe in obscuro nimis demersa est, nã & nobis caligines, pulueresque difficultatum ambulando sponte suscitamus. Deest insuper apud multos gratia humani concilij, quæ simul apparere & cooperare debuerat gratiæ Dei. Obfuscat eam præterea vel abscondit amor proprius quærens quæ sua sunt, & incircunciso corde ambulans post desideria carnalia atque secularia, neque sobriè, neq; iustè, neque piè viuens in hoc seculo, quasi non expectaret beatam illam spem quæ sola desideranda est, sola, velut encœnium diuinæ gratiæ iugiter postulanda. Prouideat meliora vicinioraque saluti gratia eadem Dei & Saluatoris nostri hic nos iustificans, glorificans in futuro. Amen.

Sermonis de Circuncisione coram Papa apud Tarasconem finis. Anno 1043.

A EPISTOLA EIVSDEM AD DOMINVM AVRELIANVM, *de Sermone præcedente.*



SERENISSIMO principi & militi regis Poli domino Aurelianensi suus Ioannes Cancellarius Ecclesię Parisiensis indignus, obsequium humile, pacisque præsentis cum æterna donum fœliciter adipisci. Multa hactenus scripsi strenuissime domine. Plurima dixi quæ ad
B Ecclesiasticam pacem vtilia videbantur, prosequens pacem exulantem latratu quo potui, ego de genere catulus, offerens insuper pro virili portione ad opus tabernaculi Dei cum hominibus, ea quæ de manu sua videbar suscepisse. Nec ignoro posse ea à tot capitibus in varias facile traduci sententias & forsan aduersas, quæ tamen omnia si cum distinctione temporum, circunstantiarum quoque se offerentium multiplicitate pensari digna fuerint, arbitror ea inuenturis nexu concordi veritatis inter se iũcta esse, vt pote quæ circa idem
C centrum eundemque cardinem pij desiderij voluebantur. Viam itaque cessionis bene practicatam ego breuissimã & optimam censui, iudicans ad eius receptionem secundum præparationem animi ambos contendentes de papatu iure diuino constrictos. Nec erat quod allegarent coactionẽ. Vellent itaque cogebat nemo. Porrò in conclusione subtractionis non affui, quam tamen conclusam impugnare pertinaci animositate non pręsumpsi. Sed postquam dominus noster Benedi-
D ctus viam cessionis, & alia quæ petebant accommoda pro pace & reformatione Ecclesiæ dictus est acceptasse, opponit se paruitas mea cum odijs & discriminibus non modicis, vt ipse neque papatum de facto irreuersibilem amisisse, neque hæreticus aut scismaticus iudicando esse causaretur. Placuit quoque restitutio, quam & prædicaui coram celeberrimo cœtu Apostolorum. Per hanc itaque ab ea nostra secum vnita portum pacis generalis attingere facilius sperabatur. Denique non tam missus quam coactus legatus, ad dominum
E nostrum super hac materia pro parte vniuersitatis pręclarissimæ studiorum, cui ego filius negare potui nihil proposui primò Massiliæ, dehinc Tarasconæ sermonem hunc, quem decorus præsentiæ vestræ nobilissimè fulgor illustrauit. Hunc sermonem sicut & præsentem propositionem postulare dignata est celsitudo vestra ab exiguitate mea, qualis autem ego sum vt vel hoc vel aliud quippiam denegare præsumpserim. Accipite itaq; sermonem qualiscunque ille est, vbi aliqua sed
F pauca ex dictatis in margine posita sunt, quæ breuitas præceps eripuit ne proferrem. Bene valeat præclara dominatio vestra ad communem pacem & propriam salutem consequendam. Scriptum Tarasconæ Anno Do. 1403. in vigilia Epiphaniæ.

EPISTOLA DOMINO CAMERACENSI EXISTENTI IN CVRIA.



DECREVERAM reuerende Pater & præceptor singularis accuratius si vacasset per dictata quędam scribere, conquæsturus de sinistra vel interpretatione vel relatione dictorum,

dictorum, immo plurium non dictorum in sermone circuncisionis habito Tarasconæ coram A domino nostro tempore legationis meæ pro parte almæ vniuersitatis Parisiensis matris meæ. Experior itaque veram esse comici sententiam: nihil esse quin male narrando possit deteriorari. Hanc ego esse vnam ex maximis difficultatibus æstimo, quæ reddunt officium prædicationis onerosissimum, quas difficultates atque discrimina Gregorius & Chrisostomus quilibet in suo pastorali, & Augustinus 4. de doct. Christiana copiosissimè narrauerunt. Fit enim plerumque (loquor centies B expertus) vt præsentes in sermone aliquo non solū deprauēt bene dicta, sed ea quæ nullo modo dicta sunt, constanter affirment pro prolatis. Stultorum quidem infinitus est numerus. Est tamen sapientis assertio. Stultus non capit verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. Verum quoque est dictum Apulei, multos esse qui solis auribus corporis philosophantur, intellectum verò vel nullum habent, vel illum variant pro varietate passionum & affectionum, quemadmodum in C sonitu campanarum sumimus argumentum. Dicunt enim (vt vulgari more loquar) quod volumus. Porrò mihi conscius sum, nihil protulisse tunc quod non esset sacræ fidei, monitisque salubribus accommodum, & examinata veritate stabilitum. Nihilominus quot bone Iesu super eodē sermone mihi relata sunt quæ nedum nō dixeram, sed nec cogitaueram. Quot peruersè capta & peruersius impugnata audacter asserere quosdam postmodum præsentes, viderint ipsi quo studio vel contradicendi vel vanè complacendi, seu zelo D vel ignorantia moti, quæsisse veritates per me positas impugnare, & per rationes palam erroneas, sed nolo sequi relationes solas hominum in tanto negotio defendendæ veritatis, ne pugnemus vt dicitur in tenebris. Habuissent igitur dictorum meorum formam propriā & limitationem, adeò vt transpositio sæpe vel omissio vnius vocabuli sententiam variasset. Habuissent inquam formam ipsam, habuissem viceuersa solidè quæ dixissent, nunquā refugissem pro veritatis defensione congredi, sed quid agerem, nihil obiectum est quod E sciuerim dum essem præsens, potensque verbotenus respondere, sed longo postmodum interuallo me absente & surdo, vocibus eorum plurima variaque in oppositum dicta prædicataque, ego solis rumoribus accepi, quibus cur nō magno conatu respondere parauerim, iam expressi. Nouissimè autem hesterno vespere scripsit vnus ex amicis fidelissimis se audisse ab altero, qui similiter audierat ab alijs grauibus (vt dicebat) viris, me dixisse inter cætera, quod homine in articulo mortis F existente, quilibet sacerdos habet æqualem potestatem cum Papa in indulgentijs dandis à pœna & culpa. Hanc verò assertionem certissimus sum nec sensisse nec dixisse, quamquam si de potestate ordinis in casu necessitatis fieret locutio, scitum est satis quid doctores sententient. Denique quid dixerim vnde error talis potuerit in aliquibus parum forsan aduertentibus ad verborum formam elici. Pono diffusiori sermone in chartula colligata in præsentibus. Tu prætextor sapientissime, coram tuis oculis totus palam sum tibi intus & in cute notus, digneris accipere baculū defensionis

Eccles. 1.

meæ in hoc articulo, quo apprehenso voces oppositas (si ita dignum visum fuerit) valeas compescere. Postremò totum ipsum sermonem quem hactenus reconditum absque multiplicatione in alias manus habui mittere (si ita censueris) paratus sum intentione talis finis. Det dominus ipse bene valere iugiter in domino ad cōsecutionem beatæ spei, & ad vnionem celerius remeandam in regionem Ecclesiæ sanctæ Dei.

SERMO FACTVS CORAM ALEXANDRO PAPA PER MAgistrum Ioannem de Gerson, Cancellarium Parisiensem in die Ascensionis domini.

Adiuua rex cœlestis, & tu regina genitrix virgo pauperem & inopem de regno Israelitico locuturum.

DOMINE si in tempore hoc restitues regnū Israel? Originaliter Act. 1. cap. & recitatiuè in epistola præsentis festiuitatis. Non sum nescius beatissime pater, vosque cardinales orbis terrarum, & cæteri domini sapientia clara fulgentes, me subire sermonis onus prorsus impar exiguis viribus. Idcirco pulsabo ianuas deuotè regis cœlestis, vt imperfectum meum suppleat, humili det gratiam, linguam infantis faciat disertam. Et quo facilius exaudiar, oretur pariter eius pia genitrix, illique salutatio præsentetur Angelica. Aue gratia plena, &c. Domine si in tempore hoc &c. Quæsierunt hoc Apostoli ab ascendente domino eisdem quidem verbis, sed sensu vario, qua varietate breuitatis studio præterita, quoniam duplex est regnum Israel, hoc est videntium Deum, alterum cœleste triumphantis Ecclesiæ cuius ciues Deum vident per speciem, alterum terrestre militantis, cuius ciues Deum intuentur per fidem. Dicam primum quomodo cœlestis, deinde terreni ruinas ascensio Dominica hodie restituerit. Hanc mihi partitionem non meus sensus, sed diuinus cōtulit Apostolus. A quo scriptum memini Deum patrem proposuisse in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Ecce me docet Apostolus tuus vas electionis tuæ domine Iesu, quę tibi respondere liquerit quęrētibus discipulis. Domine si in tēpore hoc &c. Nam si per te essent instauranda quæ sunt in cœlis, vti affirmare illum perspicio, quid tibi leuius quam hanc illis veritatem respondente propterea scandere cœlos, vt ciuitatem diminutā, & magna parte sua per scelus orbatam turpe reintegrantes. Ipsa malorum omnium prima parens superbia, luciferum illum qui mane oriebatur, cum tertia stellarum parte traxit ad tenebrosum occasum. Et quis crederet nō inde regni superni claritatem obumbratam? Tollite ex hoc cœlo visibili luciferum, & cum eo tertiam partem stellarum, cui dubium est noctes obscuriores futuras? Quis nesciat imperfectam remansisse sanctorum Angelorum societatem suo numero diminuto? Quis in dubium vocabit corpus ciuitatis istius præstantissimorum membrorum auulsione sensisse læsionem, & integritatem pul-

cherrimam amisisse? Nullus opinor. Ergo claudicabit sanctorum gloria, nec Dei ciuitas de sui integritate lætabitur. Si natura tanto tempore vacuum insectetur, & sic exhorrescat, quo pacto supernas sedes vacuas oculis æquis aspiciet sanctorum gloria? Denique gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatorum. Quod si gaudium ingerant oculis lachrymæ meæ, quid delitiæ meæ? Et si delitiæ meæ gaudium sit angelorũ, quomodo magis fuisset eorum qui ceciderunt permansio. At illud ciuitati cœlesti deest. Fuisset igitur aliqua sanctorum iocunditas stantibus angelis quæ ruentibus sublata est. Ergo inquies, confirmati spiritus cæterorum ruinam mœsti deplorauerunt, & qua parte beatorum ciuitatem luctus ingrederetur. Non dico fleuisse, non mœstos, non tristes extitisse, viderunt culpam peccãtium, non inde lætati sunt propter charitatem, neq; contristati propter confirmationem. Viderunt deinde pœnam, & lætati sunt iusti videndo vindictam, atque ad deiectionem impiorum affuerũt conditori. Etenim Michael & Angeli eius præliati sunt cum dracone, & putas victoria potitos non inde sumpsisse gaudium? Sed aliud est aliquam deesse lætitiam imperfectæ ciuitati, aliud tristitiam admittere. Nonne vides delectationes ipsas intellectu purissimas & contrarietate carentes cum adsunt lætificare, cum absunt non cõtristare. Accessit ad mali cumulum, quod ea superbia quæ conceperat in cœlis dolorem in paradiso terrestri peperit iniquitatem, quando per inuidiam indignata carnem eo viliorem ascendere vnde præstantior spiritus corruerat, homini condito ad replendas sedes in cœlos vacuefactas, in serpente dirum virus aspersit. Sic enim inuidia mors intrauit in orbẽ terrarum, quamuis initium extiterit omnis peccati superbia. Ita ex omni parte optatæ restitutioni supernæ ciuitatis malignus obuiabat. Attamen spes cum fefellit, restituta est, immo & amplificata dignitate. Cecidit Lucifer per superbiam, ascendit alius Lucifer per humilitatem. Inuectæ tenebræ per occasum primi, purgatæ fuerunt per ortum secundi. Ille minuit sanctorum numerum, iste restaurauit & amplificauit diminutum. Ille regni violauit integritatem, iste violatam reparauit. Ille in cœlo sedes vacuefecit, iste nouis laudatoribus vacuefactas adimpleuit. Ille multos ex angelis exemplo malo traxit in præceps, iste plurimos homines iustificatos tanquam centesimam ouem prius errantem proprijs humeris reportauit in cœlos. Iste ex omni parte sathan deluditur, nec enim in cœlos reascendere potuit, vnde tanquam fulgur ceciderat, hoc est, furoris impetu fuerat præcipitatus, & ascensum quem homini, atque restitutionẽ quam inuidit ciuitati nullatenus impedire prę̨ualuit. Verum gladio suo manu potentioris erepto iugulatur, & dum intentione corrupta ab ingressu glorię nouos ciues prohibere gloriosumq; Dei regnum integritate pulcherima fraudare satagit, tam ciuibus fabricat coronas, quam nouum dignitate regnum honestat. Lucifer inde cecidit, sol ascendit. Vanitas è cœlis eiecta est, veritas in cœlo reuecta est. Amiserat illa ciuitas creatum Angelum, ac recepit creatorem hominem. Vnde & hic verum est illud Apostoli: Nonne sicut delictum, ita & donum. Vis etiam audire nouũ genus gaudij, quod nisi homo peccasset, ciuitas illa non sensisset. Non vereor ne nimis audacter loqui videar, cum sequar Bernar. auctorem, qui non putat Deum nostrum totam habiturum gloriæ suæ laudem, donec veniant qui in conspectu angelorum psallant sibi. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt nisi per Ecclesiæ filios, hoc nemo vnquam lętatur, qui non lætatur. Opportunè post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus, placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Iocunda omnibus lux, sed euadendi ne potestate tenebrarum iocundior. Transisse de morte ad vitam vitæ gratiam duplat: deest laudi si desunt qui dicant: Trãsiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Hodie felix illa ciuitas nouis exultat gaudijs, ad hũc diem cœlestes ruinæ perdurauerunt. Ante hunc diem nemo ascendit in cœlos, cum de Christo scripserit propheta quod ascendit pandens ante eos iter. An verò ipso ascendente coascenderint qui cum resurgente resurrexisse leguntur? animas omni labe purgatas credo, sed de corporibus haud quicquam temere definire velim. Ergo læti fuerunt Angeli Christo concepto, læti nascente, læti prædicante, lęti hominem redimente, læti resurgente, sed lætiores ascendente. Quid ita, quia multa docentur mysteria Christo præsente quæ prius absente nescierunt. Nec id mirum videatur, cum scripsit Apostolus: Innotescere principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformem sapientiam Dei. Porro quod prius sola spe tenuerant ruinas suas resartiendas, hodie re lætiore comprehendunt. Quis mihi det ô domine Iesu ô gloriosissime restitutor regni cœlestis? quis mihi det vt possim concipere quãta intuleris hodie cœlis festa gaudiorum, quanta iocunditate beatorum spirituum agmina ad nouam solemnitatem inuitaueris, quanta tibi lætitia calcatori torcularis cum rubris vestimentis cœlos introgredięti tota superna curia certatim obuiam venerit, aduenisse gratulata est, quantis laudibus triumphatorem prosecuta est, quam iocundis obsequijs in sedem excelsiorem collocare studuerit. Si plus gaudeat super vnius peccatoris pœnitentia, quam super nonagintanouem iustis qui ea non egent, quantum de te gauisa est Deo homine mortis victore, tot pœnitentes in ipsam domum paternam non reducente, sed reportãte, qui ipse es summum eius gaudium, summus amor, summa suauitas. In te enim tota desiderat conspicere, te suijpsius oculis ex propinquo contuẽdum præsentabas. Quam incredibili voluptate sensus omnium intimos tua vox illa permulsit. Congratulamini mihi ô amici & vicini, quia inueni ouem quæ perierat, inueni dragmam perditam, mortuus filius reuixit. Celebremus alacriter ô Christianitatis rectores inclyti, celebremus tantam festiuitatem repręsentemus in terris angelorum lætitiam, quæ pro nostra illis salute partim ingesta est. Nobis congratulemur quorum est hodie relaxata, immo & captiuata captiuitas, ascendens enim Christus in altum captiuam duxit captiuitatem. Gaudium ingens, hodie chirographum nostræ damnationis deletum est. Quidni, illa natura hodie in cœlum it, cui dictum ante fuerat, terra es & in terram ibis. Et vt thematis sententia

Psalm. 65. Mich. 2. Eph. 3. Luc. 15. Eph. 4.

sententia concludatur, à domino in tempore hoc restitutum est cœleste regnum Israel. Hæc pro priori parte nostri sermonis satis sint. Domine si in tempore hoc &c.

TRACTETVR iam hæc interrogatio de regno peregrinationis Ecclesiæ, quod Abel iusto ducens originem, & si postea sæpe laborauerit, tamē nunquam vniuersum intercidit. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, & non potuerunt mihi. Floruit aliquando sub Patriarchis, Ducibus, Iudicibus, Regibus, Sacerdotibus, verum Apostolorū tempore nationibus subiectum mirò defloruerat. Responde tu quærentibus domine Iesu, tibi ego sicuti certè nūc operibus, nunc vocibus respondisti, & si minus fortassis ad affectum quærentium, tamen ad veritatem. Audistis quoniam misi vos vt eatis & fructum afferatis eripiendo ciues Israeliticos è manibus regis Babylonis. Auditis quoniam præcipio vobis vt euntes in mundum vniuersum prædicetis Euāgelium omni creaturæ, vt sitis mihi testes in Hierusalem & in Iudæa & Samaria & vsque ad extremū terræ. Cur hoc nisi vt quaquauersum hoste depulso regnum Israeliticum vestro ministerio dilatetur. Huius rei gratia dedi quosdam vestrū Apostolos, quosdam Prophetas quosdam Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationē sanctorum in opus ministerij, in ædificationem regni Israel. Propterea alteri vestrum alterā manifestationem spiritus partim dedi, partim dabo ad vtilitatem reparationis regni desolati, & ne nudos hostium telis exponerem succinxi lumbos vestros in veritate, indui vos loricam iustitiæ, dedi pedum calceos in præparatione Euangelij pacis, contuli scutum fidei, galeam salutis & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quia verò imbecillibus quales adhuc estis, hæc arma potius forent oneri quam vsui, E dico vobis ab Hierosolymis ne discedatis, quo adusque receperitis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos qua non arma tantum sine molestia ferre, verumetiam cunctos impetus hostiles elidere, immo & exercitus fundere atque fugare possitis. Nam quomodo damna cœlestia restituentur, nisi ex his ciuibus regni terrestris quidam sursum ascenderint. Hæc illis charus præceptor, cuius vocibus diligenter paruerunt. Vnde post Spiritus sancti susceptionem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Vbique circumtulerunt sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatorijs, vbique vicerunt regna, effugarunt aciem gladij, fortes fuerunt in bello, castra verterunt exterorum. Ita breui creuit Ecclesia: inclyta facta est & posita est in superbiam seculorum dominata est à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Adorauerunt eum omnes reges, omnes gentes seruierunt ei. Sed quid ad hæc ascensio. Multum per omnem modum. Quippe quamdiu dominus in terris cum discipulis conuersatus est, humi repsit eorum dilectio, dulciter siquidem eum amauerunt, & præ eius dilectione spreuerunt alia. Ecce inquiūt reliquimus omnia & secuti sumus te. Verum nescio quomodo præsentia visæ carnis spiritualis amoris puritatem nō admittebat. Inde sæpe tanquam carnales obiurgantur. Inde Petrus impatienter audiens verbum de morte magistri, A sathanas vocatur. Inde cuncti molestè tulerunt, quod de ascensuri magistri discessu audierunt. Inde plus illis sapiebat verbum caro, quam verbum veritas, verbum sapientia, iustitia, virtus, pietas. Inde scriptum est illud: Nisi ego abiero, paracletus non veniet. Et illud aliud: Nondum erat spiritus datus, quia nondum fuerat Iesus glorificatus. Sed post magistri discessionem, aptiores subinde fuerunt sanctum suscipere spiritum, à quo roboratí atque firmati discerent amare validè, B prædicare veritatem intrepidè, frigida corda succendere, discerent plus inuenire saporis in verbo Deo quam in verbo homine. Experientur altiorem amoris gradum iam eis ostensum à Christo dicente. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Ad hunc gradum Paulus ascendisse videbatur dum dicebat: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus. Fortassis & Propheta cum diceret: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus. Huius igitur spiritualis amoris viribus ac robore regnum C Israeliticum restituerunt. Sed heu & plus quam millies heu, quam grandis nobis materia lachrymarum obijcitur. Circumferamus oculos quorsumcunque libuerit, nusquam pax, nulla tranquillitas, nusquam secura quies, vbi calamitas, afflictio, perturbatio. O me miserum, quomodo regnum vbique diffusum per bellatores inclytos, coartauit in angustum ac restrinxit rex impius Babylonis, quomodo maiorem antiqui regni portionem abstulit Christo, & eam ipsam quæ secundum sibi D nomē retinuit, innumeris tempestatibus iactatam afflixit. Nam quota sunt humani generis portio Machometici, ac ab octingentis fermè annis suaue Christi iugum ceruicibus excusserūt? Quota indi feruntur Christianę crucis insignibus exornati, sed Ecclesiæ Romanæ primatum ignorare. Quota Græci, at illos mala tēpestas à sede Petri disiectos, non modo scismatis, sed non nullius etiam hęresis macula fœdauit. Latinitas ipsa purior ac immaculatior sedem habet Petri, pro cuius fide ne deficeret, specialiter orauit ille qui in omnibus exauditus E est pro sua reuerētia. Ipsa tamen multis quam diuturnis quam violentis scismatibus, tum antea sępe, tum nostra tempestate miserabiliter concussa languit. Vnde nuper tantarum calamitatum impatiens Ecclesia, multis suspirijs ac gemitibus clamauit ad dominum. Domine si tempore hoc restitues regnum Israel? Aliqua ex parte audita est. Excitatus est tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiter- F num dedit illis. Asportauit duplicem sobnam, tanquam gallum gallinaciū, & fidelem Eliachim substituit. Nam cuius est ista tua substitutio p. b. nisi Christi? Vnde cōuocatio concilij tam mira? Vnde prius discordantium inaudita cōsensio? Vnde tot præsulum ac præsapientum concursus tam celer? non causa certè dissensionis sed pacis. Nō vocauit Papa, fuit conuenticulum. O ridenda ac irrationalis nimium ratio. Neque verò ad quatuor illa concilia quæ in actibus Apostolicis describuntur Petrus vocasse memoratur. Neq; synodus Nicenæ iussu Siluestri, sed Constantini conuenisse legitur. Ad quintum vniuersale Petrum concilium contra

Psal. 128. Ioan. 16. Ioan. 7. Ioan. 6. Psal. 119.

Theodorum Nestorij discipulum, nemine conuocante sese certatim patres exhortati sunt. Fuere ergo conuenticula? Caue dixeris. Coluntur ab Augustino tanquam euangelia. Quid si scisma dubios reddit Christianos, quem duorum pro Papa colat? Quid si (quod perrarum est) summus pontifex labatur in hæresim, vt legitimus Liberium Arrianæ prauitati subscripsisse; Marcellinum idolis sacrificasse? Quid si in tolerandis oneribus Christianitatem grauaret? An aduersus tantos morbos vllam relinquis medelam? Relinquo inquies. Credo sanè. Nam imperfectam nimium Ecclesiasticam politiam astrueres, nec à Deo cuius perfecta sunt opera salubriter institutam, quod credere nefas est, si quis in eam morbus posset incurrere, contra quem nulla posset adhiberi medicina, sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non aliquando sine Papæ vocatione conuenire possit Ecclesia. Libenter hic diutius insisterem, sed breuitate prohibeor. Quoniam ergo te certum ac indubitatum pontificem nobis exhibuit Deus, vt relinqua mala per te tollat, & regnum Israel nimis instrictum iterum ampliet, ad te iam conuertitur & clamitat Ecclesia quærens: Domine si in tempore hoc, &c. Non ab longis inquit retro diebus quisquam me summus pontifex in tantam spem erexit recuperandæ meæ dignitatis antiquæ sicuti tui, quem video contraire dispositum illis qui me dimiserunt. Fac obsecro vt non frustra sperauerim. Considera etiam atque etiam quod cum mihi donatus es, tuus esse certè destiti, nec si te vocem dominum, tu me propter ea famulam arbitreris. Sic Sara obediebat Abrahę dominum illum vocans. Non ego certè tua sed tu meus, omnia siquidem mea sunt, siue Paulus siue Apollo siue Cephas. Tu te etiam filiorũ meorum seruum vocas, si non es cur te vocas? Si verè es, negato dominum. & vide quantum mihi debes. Si quispiam te filiorum meorum rationabiliter vti velit, non potes te sibi negare vel furari qui suus es, quin per te vel alium suæ necessitati succurras, quamuis nil ambitioni, nihil auaritiæ vel malitiæ debeas, si tantum singulis quantum vniuersis, certè quantum vniuersis tantum mihi, quare suspirabunda atque plorabunda peto vt mala mea respicias, vt regnum Israel hoc tempore restituas. Iustum petit pater beatissime, eam exaudi, vniuersum studium tuum ad regni sui restitutionem conferas de vetusta illa saracenorum ruina, quamuis ò si resarciretur. Vix ausim aliquid dicere, licet non existimentur Christiani populi rectores hoc absoluti præcepto quod hodie tuis auribus intonuit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, alijsque similibus, quãdiu fuerit aliqua gens sine Christo, neç se putassent patres eorum Apostoli, nec illi quatuor principales doctores Ecclesiæ, post quorum tempora tanta pestis exorta est. Verum ab hac disputatione breuitatis amor auocat, ac prope rapit ad alia. De Indis quid dicam? Habent Christum, an purè quis doceat? Quis te vetat ad eos mittere qui referant omnia? Facile in eis fidei syncceritas corrumpitur, cum Ecclesiæ Romanæ non cohæreant, à qua fidei certitudo petenda est. Impiger extremos currit mercator ad Indos. Per mare pauperiem fugiens per tela per ignes. Et ex te nullus eo curret spe lucrifaciendæ tantæ gentes, momento tamen illi te esse debitorem. Iam verò de Græcis loquerer, quibus multa Latini debemus. Verum hunc locum eò negligentius transeo, quod te erga Græcorum reuocationem omnes adhibiturum operas intelligo, festina pater festina, ne fugiat hora, ne labatur occasio desuper oblata, cui non est facile similis reditura. Ad rem feliciter tractandam tempus omnium primum est. Itidem dicendum puto de ea parte Latinorum, quæ nondum tuam claram iustitiam insequitur, sed duobus hominibus humano iudicio diuinoque condemnatis adhuc inhæret, quoniam & tua vigilantia, & obedientium principum sedulitate, & tuæ veritatis perspicuitate, spes est citò Deo bene iuuante reditura. Labore tantum opus est. Igitur his tanta breuitate decursis, pergit iterum Ecclesia quærere de ea parte quæ tuam iustitiã agnoscit. Domine si in tempore hoc, &c. Tecum fortè cogitas, cur hoc quærat? nam cum hæc pars sit scismate liberata, quæ nam in ea ruinę reparandæ relinquuntur? Gaudet sanè scisma esse hinc depulsum, sed non radicitus credit auulsum. Herent terræ radices, ex quibus pullulauerat malum germen. Veretur ne si non succindantur, denuò repullulet, quare cupit vt fodiat altius labor tuus, non futura sine metu, nisi viderit cunctas malorum germinum stirpes pœnitus auulsas. Sed quæ sunt ais iste radices? Absit si hoc à mea tenuitate, prorsus absit vt tuam summam sapientiam velim instruere, scio ab insania paululum distare volentem docere Mineruam. Sed effundo coram te cordis mei affectum immo profero voces Ecclesiæ sanctorum, & sine suspicione docendi oro vt eas exaudias. Quis enim nesciat nos in orationibus effundere coram Deo corda nostra, nec eum velle docere. Malo tamen dicat ipsamet Ecclesia voces sanctorum suorum, dicat quas velit stirpes excindi, & quas plantari. En loquitur, non iam in me, sed in eam intendi te. Væ misero mihi, væ infelici, ex quo dignitatis culmine manibus iniquorum detracta sum, quomodo mutatus est color optimus, obfuscatus faciei nitor. Cœlestis pulchritudo terrenis sordibus inquinata, exangue corpus effectum, miserandum, incultum, hispidum, vestimentis fragrantibus spoliatum. Ecce rex & conditor meus, me regni sanctorum cœlestis expressam imaginem esse decreuerat, vt quantum fas esset, terrenarum rerum oblita cœlo propinquarem, & regnum illud supernum oculis mortalium præsentarem. Sic enim sub Moyse nomine dictum fuerat. Vade omnia facias secundum exemplar tibi monstratum in monte. Sic retulit postea discipulus quem dilexit, se vidisse ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo habentem claritatem. Duplici verò similitudine illam imitabar. Primum quidem, quia sicut in cœlesti regno Cherubin, Seraphim & cęteri quinque vsq; ad Angelos ordinantur sub vno capite Deo, ita in meo corpore sub summo pontifice primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, Archipresbyteri, Presbyteri, & Abbates & reliqui. Est alia principalior, & cuius gratia hæc instituta fuit, vt quantum patitur corpus corruptibile quod cęlestes habent perfectè, habeant terrestres ex parte. Illi vident per speciem, videant isti per sapientiam & fidem.

Marc. 21. — Exod. 25. — Apoc. 21.

& fidem. Illi Deum tenent præsentem per comprehensionem, teneant absentem isti per spem. A Illi Deo fruuntur plena charitate, fruantur isti quanta possunt in corpore prægrauante. Deum Coloss. 3. colant & adorant quomodo beati, casti sint quomodo beati, sapiant quæ sursum sunt, non quæ super terram quomodo beati, & sic possem discurrere per cæteras virtutes, rectè sanè sic ordinauit sapiens artifex. Nam si propria ratio mea quæritur, & mei collatio ad cœlestem ciuitatem facienda est. Ego sum via & motus in illam, illa finis ac terminus. Ego peregrinatio raptim transiens, illa patria semper manens. B Ego militantium iuge certamen, illa lętus victorum triumphus. Ego vallis miseriæ, illa mons lætitiæ. Ego mare tempestuosum, illa portus tranquillus. Ego exilium, illa natale solum. Itaque quemadmodum motus ex suo termino ad quem vadit, sic ego ex illa propriam traho rationem. Quantum ad illam accessero, tantum veritatis acquiro. Si tædere desidero, amisso nomine proprio in alteram formam conuertor. Vnde Deus conditor meus ascendens in cœlum, quid aliud voluit quam vt eum mente sequerer, C quò progrediebatur corpore, vt illic esset cor meum vbi esset thesaurus meus, amor meus, spes & desiderium. Nonne affixit mihi pennas quibus in terris corpore iacētem, mente volarem in cœlos? Sunt enim pennæ volucris mihi, quæ celsa conscendunt poli, quas sibi cum velox mens induit, terras perosa despicit. Sed quæ sunt illæ? fides, spes, charitas, nihil cum terra commune gerentes, sed totæ cœlestes. Nonne secundum has virtutes me consuscitauit Deus, & consedere fecit D in cœlestibus in Christo Iesu? O mira atque desiderabilis imitatio qua cœlestior quam terrestrior effecta non dubitor. Omnia ciuitatis illius ordinem eloquuntur cœli, sydera, elementa mixta, cum ordinatissimis legibus Deo seruiant. Vnde & natura duce ante Christum meum natum, gentilium sacerdotum potestates ita erant ordinatæ, vt archiflaminibus flamines subessent, auibus adhuc prouinciarum ac diocesium discretionem partitionemq; retineo, Potestates autem terrenas quis ordinatas ambigat? Non est potestas nisi à Deo, E quæ autem à Deo sunt ordinata sunt. Verum ordinis mei pulchritudo longè præstantior, expressior atque vicinior. Huius curam præcipuam ac pœnè vnicam, custodibus quos mihi reliquit in terris, meus conditor mandauit. Exemplum inquiens dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos facietis. Si similitudines pulcherrimas cœlestis ordinis in terris posui vos illas seruate, ve- Exod. 4. strum est officium vt cæteros purgetis, illuminetis, perficiatis, quatenus cœlestem portent imaginem. F Idcirco vos purgaui, illuminaui, perfeci, quia nec sordulentum mundificat, nec tenebrosum illuminat, nec diminuta perficiunt. Apoc. 11. Et vos quales custodes meæ sponsæ substitueritis, etiam atque etiam cautè consideretis, quamdiu rectè his mandatis est obeditum, spiritus valuit, caro iacuit, eximia per totum orbem terrarum diffusa sum. Pax vbique portabatur, vbique recipiebatur, ferrea corda linguis igneis & verbis ignitis liquescebant. Sed heu quid de calamitate præsentium temporum quærar misera? quibus pro cœlesti ordine perturbor confusione, & ex similitudine cœlesti quæ mihi vita est, ad inferni similitudinem vbi nullus ordo sed sempiternus horror Iob 10. inhabitat, quæ mihi mors est manibus impij pertraho? Denique ex distinctissima membrorum decentia in chaos anaxagoreum nisi manus conditoris retentaret, prope dilaberer. Siccine mi rex te sequor? Siccine cœlos peto? Siccine matris cœlestis veneratur imago? Vix iam ordo meus quem instituisti legitur in libris, quanto minus in moribus? Cernere est Archiepiscopos, primates suos, vel ignorare vel contemnere aduersus illos, aut consuetudinis diuturnæ præstriptionem aut exceptionem allegare. Et nonne hæc eadem ab inferioribus suis Archiepiscopi patiūtur? Cernere est professos paupertate, ita vt nec in priuato nec in communi sibi quicquam reseruauerint, quo liberius in terris charitatis ardore Seraphim, scientiæ plenitudine Cherubin imitarentur, aut ad prælaturas nisibus summis aspirare, aut si hoc non audiant, ad beneficiorum minorum quod est inusitatius, commendas currere, non veritos ne cum vxore Loth retrospicientes, in salis effigiem redigantur, neque satis memores Ananiæ & Saphyræ. Mirum est non alios æquè festinare ditari his quorum professio vetat ditari. Cur enim assiduè pulsant aures apostolicas, quatinus noua priuilegia valeant extorquere. Si hoc vt publicæ proficiant, magis quam marsupia repleant, splendidè viuant, paupertatem quam vouerunt exuant, ipsi viderint, quamquam multa me experientia magistra docuerit, nolim tamen iudicare. Videas alios nouem ordinibus non contentos, non enim nouenis beneficijs saturantur, tamdiu nouos hiatus pandere quamdiu viuant, coniungere domum ad domum, agrum agro copulare, quasi in medio terræ soli habitarent, ipsum verum væ propheticum pro fabula contemnere. Videas ferè omnes summis importunitatibus in leges irruere, dum nunc petunt gratiam obtinēdorum simul incompatibilium, nunc in absentia posse fructus colligere, nunc ante omnes magnas dignitates assequi, nunc ad sacros ordines non compelli, & mille alia rectis legibus vetita. Vbi non est intolerandum magnos prælatos commissos sibi greges lupis exponere, & quotidie ad denariorum regiorum supputationes sedere, non veritos præceptum Apostolicum transgredi. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus eo sensu quo per sacrosanctum concilium olim expositum fuit. Quid de 2. Thi. 2. illis loquar de more patriæ pro mitris vtuntur galeis, pro veste linea vestiuntur ferrea, arma ferunt, bella gerunt, fundunt sanguinem, præsules negant, duces exhibent, spiritum nesciunt, carnem fouent quasi arma militiæ nostræ essent carnalia, & non potentia Deo ad destruendum omnem altitudinem extollētem se aduersus scientiam Dei. Quod si ad hæc arma necessitas vigentior detruserit (vti nonnunquam accidere fateor) non est magis speranda victoria ex pugna Iosue, quam oratione Moysi. Porrò illud quam absurdum in hierarchijs institutis nullos actus hierarchicos exhibere, non purgare, non illuminare, non perficere. Atque vtinam exemplo suo malo non inficerent, non errores traherent, ac imperficerent pauperem plebeculam paratam in

alterutrum sequi aut bona exempla virtutum, aut praua vitiorũ. Quid turpius quam videre doctos aut bene moratos, aut extra ordines iacere, aut in imis collocatos ignaros autem & improbos altissimum gradum tenere, videre alios esurire, alios ebrios esse. Quod si ad institutionem sacerdotum atque prouisionem venire delectet doleo seminaria seri litium, vbi lites sequi prope nefas est. Vix aliquod beneficium infra prælaturas confertur quin ipsum, vni summus pontifex, alteri verò legatus aliquis, item ordinarius alteri conferat. Quid est hoc aliud quam litium materiam exhibere? Nec illud minus absonum quod magis fauoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut consanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quam iudicio aut delectu prouisiones istæ fiunt? Nec ad ea dona spectatur quæ Spiritus sanctus membris meis varijs varia distribuit ad regimen ordinatum: atque per se sufficiens mei corporis. Vnde fit vt auris ad videndum, ad audiendum oculus nonnunquam applicetur, similisque cęterorum membrorum confusio fiat, qua nulla maior pernicies. Ex quibus hęc radicibus pullulasse crediderim? Profectò ex fœdis inquinamentis clericorum. Vnde periere virtutes ex quibus secunda similitudo mea ad cœlestem Hierarchiam intemerata saluabatur: sublatus est simul omnis decor ordinis in quo prima fundabatur. Priores illi sub quibus magna fœlicitate floruit sapientia cœlesti, fideque feruebant. Isti posteriores carnali prudentia corrumpuntur. Illi innammabantur amore Dei, isti flagrant amore mundi. Illi firmabantur in vero bono spe solida, isti spe mendacij falsis bonis inhærescunt. Quò fit vt quemadmodum illi per sapientiam spiritus cæterasque claras virtutes meum regnum fundauerunt, ornauerunt, ampliauerunt, sic isti per carnis prudentiam cæteraque fœda vitia idem diruant, maculent, restringant. Nam cum caro concupiscat aduersus spiritum, cui dubium est leges carnis spiritualem politiam potius subruere quam saluare, deterrere quam emendare, minuere quam augere? Rectè dicit Ethnicus: Imperium facile his artibus retinere quibus initio partum est. Vnde quia meis propugnatoribus artes illæ desunt, quibus mihi dignitate ac opes antecessores eorum pepererunt vndique in meam dignitatem ac diuitias fit impetus. Et sicut ex illis tanquam pacis radicibus pax latissimè exorta est, sic ex istis tanquam discordiarum stirpibus omnia scismata & creata sunt & nutrita. O indignum facinus, ô sceleratissimum proditionem, milites mei & ijdem filij quos ad honores maximos opésque sublimaui, proiectis armis sponsi mei, lorica iustitiæ, scuto fidei, galea salutis & gladio spiritus ad hostem capitalem transfugerunt, pactoque turpissimæ pacis fœdere armaturam illius induerunt, loricam iniustitiæ, scutum prudentiæ carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod est verbum mendax diaboli. Vnde pugnat contra me & in materna viscera vires conuertunt. Quos aduocem defensores? quos quæram adiutores? quos mihi propugnatores sperem? non à filijs derelicta tantum, sed hostiliter impugnata? Olim sæuiente tyrannorum rabie, me tuta est constantia martyrum, inualescente hæreticorum fraudulenta calliditate, me protexit sapientia doctorum, modò quid agam cum amici mei & proximi aduersum me appropinquauerunt & steterunt? An non ergo sunt prudentes congerendis opibus instruendis dapibus, cumulandis honoribus, pompis fouendis, & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis humilibus & superfluitatibus coercendis? An non potius de beneficijs disceptant per leges Iustiniani, quam populum erudiant & doceant legem Christi? doceant dico, immo discant. Nam quem è sacerdotum numero mihi dabis non ignarum legis Christi? An non augmentis plus inhiant facultatum quam lucris animarum? Quis autem hæc à carnis prudentia proficisci negauerit? Iam verò multas mihi mouerunt lachrymas carnalis amoris argumenta clarissima, cum alium ambitione corruptum per scelus dignitates rapere conari cernerem, ingratum abire, earum vti potentia, per eam vim adhibere, aurum polliceri, minis terrere, allicere blanditijs, fas nefasque confundere, non reuocatum neque metu legum neque exemplorum Dathan & Abyron, Simonis Magi, regis Oseæ. Lugebam quoque cernens alios auaritia rapaci oues spoliare exactionibus, exactiones cumulare, accusationes struere, serere lites, falsis criminibus innocentes impetere, congerere pecunias, terrenis tantummodo negocijs intendere, quibus salubriter consultum putarent, si mallent Aristotelem audire quam Apostoli præterire mandatum. Ille patribusfamilias opulentis consilium dat, vt administrandarum facultatum atque familiæ negotium procuratoribus imponant, ipsi verò simul viuant aut philosophantur. Sed modicum miror apud istos Aristotelem contemni, apud quos nihil valet Apostolorum exemplum salubre, qui ne verbum Dei relinquere cogerentur, septem diacones pro ministerio mensarum instituerunt. Nec sine lachrymis inspicere poteram alium concubinatu pollui, cui tamen vt puritatem angelicam æmuletur connubium est interdictum, luxuriam non clam, sed in probatulo habere fœdis factis fœda verba coniungere, dapibus implere ventrem, inebriari vino doctum, & ad calicem vigilanti stertere naso, & mille malis alijs prope conspectis, fluebant mihi lachrymæ, nec fluere desinent nisi malas istas radices peiorum germinum matres succissas agnouero. Nam quid postremò de spe mendaci proferam? Quid sacerdotes sperare dicam vtrum sempiternam gloriam? Hæc profectò eorum postrema cura est. Sed quid? Sperant beneficia consequi sperant emolumenta terrena: sub noua lege veterascunt, cum nouis præmijs æternisque relictis ad legis Moysi vetustatem resoluuntur, & ex schola credo Stoicorum, non certè Christianorum honores istos caducos beneficiorum virtutis præmia ducunt. Quod facturos non existimo, nisi ita oculos ad opes honoresq; conuerterent, vt onera non aduerterent, nisi honorum dulcedinem & nõ onerum amaritudinem inspicerent. An tibi videtur nauclerus summis tẽpestatibus vsq; ad finem dierum meorum mari iactandus rectè primum putare terrenum commodum quod tantis periculis cõiunctum viderit. Non putabit inquies nisi tempestatis immemor.

Margin markers beside the second column: A (at "pientia doctorum"), Psal. 37. (at "congerendis opibus"), B (at "scant. Nam quem"), C (at "metu legum"), D (at "strandarum facultatum"), E (at "verba coniungere"), F (at "terrena: sub noua lege").

immemor. Cæterum quis viator pro laborum præmio eam pecuniam sumpserit, quam nisi per medios latrones prædonesque manu semper portauerit possidere non liceat? Nullus inquies nisi salutis oblitus. Ergo si in beneficijs statum, lubricum sempiternęque pœnæ nimis facile periculum inesse certum sit quis intelligens non ea magis suscipere metuat timore periculorum quam quærat spe commodorum? Quo circa soleo mirari quid id sibi voluerunt qui primum gratias expectatiuas applantauerunt? sed vt video iam dudum vera rerum vocabula amissa sunt. Habes itaque vel maximas afflictionis meæ causas, quia dum omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, & quod sibi vtile est, non quod multis, dum suaui carnis pastui tantum carnales intendunt, currunt ad honores, onera reijciunt, quærunt iocunda, molestia fugiunt, quod in alieno statu dulce viderint ad se rapere, quod in proprio amarum cognouerunt in alios proijcere moliuntur. Inde discordiæ, lites, scismata, rixæ, simultates, & totius ordinis mei turpissima confusio. Quæro domine si ab his pestibus hoc tempore liberabis ac restitues regnum Israel? Et precor vt restituas. Quod facturum subinde spero. Quippe spiritualibus litteris erudissimos sacerdotes Dei legem ignorare non feres, vti sine damnationis periculis ignorare nequeunt. Quod multis auctoritatibus sacræ Scripturæ confirmarem sed breuitati studendum est. Denique cum à puero te cœlestis religio susceptum adeò spiritualiter viuere docuerit, vt id tibi in naturam conuersum sit, aduocabis spirituales viros ad beneficia, ab his carnales arcebis. Excludes quos spes improba ad importunè petendum impulerit, sed inuitos intrare coges quos parui pendere terrena comparatione cœlestium agnoueris. Exinde confusionem pręsentis temporis reduces ad distinctionem ordinis. Coges quemquam suum tenere locum suo gradu contentari, officium exercere ordinis suscepti, limites non excedere, non perturbare terminos positos à patribus. Iubebis quemlibet esse contentum mesura statuum decente. Et quoniam prauæ cupiditati terminum imponit nemo, tu omnibus præfigere conaberis. Præcipies seminare spiritualia qui metunt carnalia. Econtra leges rectè latas quantalibet importunitate petentium fatigeris, nunquam dispensabis nisi aut necessitas vrgeat, aut communis prouocet vtilitas. Alioquin fuerit potius crudelis dissipatio quam iusta dispensatio. Cauebis dispensationem ipsam lege communiorem facere, ne turpe sit si regulam sua vincat exceptio. Si hæc feceris ad quæ te suscepti officij debitum astringit, tum scismatum auulsis radicibus pax ipsa Christiana sibi terrarum orbem denuò vendicabit. Et in hoc positum est vnicum pacis stabile fundamentum, sine quo si quis ædificare voluerit, nihilo plus agit quam si det operam vt grauia tecta parietibus arundineis superimponat. Morum corruptio fuit prima causa mali, quorum morum correctio erat prima causa boni. Verum hic labor, hic opus est, ne hoc facere possis, nisi te propinqui tui ac domestici iuuerint. Proinde Gregoriano exemplo persuasus aduocabis tibi tantorum labiorum socios clericorum ac religiosorum quosque prudentissimos ac optimos. Ornabis domum tuam sanctis, prudentibus, modestis, integris, incorruptis. Quam enim domum decet sanctitudo si non tuam domine? Certè parum profutura est tua vnius iustitia si eam vicerit dissimilis aliorum affectio. Vteris subinde membris tuis, regisque summi secutus exemplum, quemadmodum ab illo discurrunt assiduè spiritus angelici ad hominum ministeria, sic diriges per orbem terrarum pacis nuncios. Vide tamen qualibus membris vtaris, sunt quædam paralytica, si volueris in dextrum mouere, prauè potius ferentur in sinistrum. Proinde magna cura tibi subeunda est, vt ad hoc ministerium idonea diligas. Posthabebis rerum minorum curas, vt hinc maximè maior ac efficacior inseruias. Vide quæso si careas oneribus, vide si quis alius tanta sollicitudine fatigetur quanta tu. Verè hoc dixerim summus honor, summum onus. Sed ne te onus terreat si bene ministraueris summi oneris summum præmium. Vide denique si non tibi incumbat cum eximio rege psallere, durum quidem, sed vigilantis viri canticum: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino. Sed quem locum. Psal. 75. Pacem nempe. In pace factus est locus eius. Sed quæ nam est hæc pax? tranquilla bonorum concordia. Non enim est pax impijs, dicit dominus. Tolle igitur vitia, reduc virtutes. Redde mihi formam, redde vitam, redde etiam cum domino gratum locum inuenire cum hoc tempore regnum Israel restitueris. Hæc Ecclesia tecum. Cuius vocibus nihil aliud adijcio, nisi præcationem humilem, vt det Deus dies vitæ ac robur virtutis, vt sub tuo pontificio pulchræ pacis dilatationem amplissimam videre possimus. Amen.

SERMO EIVSDEM HABITVS MASSILIÆ CORAM PAPA Benedicto: Anno 1403. Nona Nouembris.



BENEDIC hæreditati tuæ sanctissime pater Benedicte, benedic obsecramus, vt secundum nomen tuum sit & laus operatio tua, det benedictionem. Benedictus quoniam absque benedictione pręuia eloquium nostrum prorsus esset inualidum, eloquium inquam quod ego seruus tuus pro parte & nomine hæreditatis tuæ peculiaris, quæ est vniuersitas Parisiensis præclarissima, absque dubitatione & primogenita studiorum habiturus sum cum istis legatis suis pręclarissimis & probatissimis certè viris sanctitati tuæ fidelissimis, quibus associatus sum immeritus, & dux verbi factus, & hoc te propitio pater beatissime, te benedicente, te benigno. Alioquin nisi tu dominus dederis benignitatem, terra nostra quæ est hęreditas tua, quo pacto dabit fructum suum. Nisi benedictionem dederit legislator, subditi quibus passibus ibunt de virtute in virtutem? Denique nisi tu Dominus iusseris benedicere, quo ausu auderet paruitas mea coram summa tuę

beatitudinis celsitudine in conspectu huius celebris conuentus indignum os aperire. Igitur A Benedicte pater sancte benedic tu mihi, benedic & hæreditati tuæ: Hanc ergo benedictionis gratiam reportare sperans à beneuolentissimo & serenissimo S. t. spiritu: aperio rursus fidenter os meum, vtens compellatione singulari, non quidem pro indignitate (procul nefas tale) sed pro singulari dignitate, sicut tua singularis est dignitas, ne quis indignè ferat morem istum loquendi ad Deum, & priscam sanctorum Patrum & oratorum consuetudinem, & obsecrans dico prophetica imprecatione: Benedic hæreditati tuæ. B Hæreditas hæc tua cuius benedictionem expetimus duplex inuenitur, vniuersalis & partialis, iuxta quod orationem nostram in duos secernimus articulos, sicut ad duo principaliter missi sumus. Primum & hoc præcipuum est quærere pacem super Israel, hoc est super Ecclesiam, quæ est vniuersalis hæreditas tua. Hæreditas mea Israel ait ille, cuius vicarius es in terris, & à quo tu pastor illi, tu colonus & agricola supremus prælatus es. Propterea sanè cum beato Martino cuius instat C celebritas, fœlicem hanc virtutum suarum consummationem existimare debes si pacem Ecclesiæ integram reliqueris. Alter proinde nostræ legationis articulus est, benedictionem gratiarum postularem pro altera hæreditate tua quodammodo peculiari, & quæ est Ecclesiasticæ hæreditatis pars quædam florentissima & præclarissima & electa, pace aliarum dixerim. De quo gloriari potes prophetica exultatione etenim hæreditas mea præclara est mihi. Hæc est humilis & deuota D S. t. filia Parisiensis vniuersitas, quæ cum Iacob non dimittit te nisi benedixeris ei, consurgente aurora benignitatis tuæ & serenitatis tuæ. Eget nimirum vtraque hæreditas ista benedictione tua, vt aperiente te manum tuam, manum tuæ benedictionis omnia impleantur bonitate, & domini sit salus, & super populum tuum benedictio tua. Inuasit itaque hæreditatem Ecclesiæ aper de sylua & singularis ferus depastus est eam. Oues quoque & cæteros armentorum greges hoc est populos simplices & omnes conditiones hominis E miserando more & execranda pœnitus diuisione dispersserunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Quam ego olim cladem iuuenis pastorio carmine deplorans Etheus inquam.

Heu gregis impacata lues nimis, heu graue ruris
Exitium experta, heu pecoris sors altera semper,
Aut perit externo insultu suffert vel acerbos,
Hærentesque cuti morbos vicinave damna,
Qualia mysteria nunc patitur pecus, omnia postquam
Fato versa malo tempus tulit & fuit error,
Rixaque pastorum sub quem me & innocuus grex
Ductorem trepidat, fugiunt pars altera Tybrim,
Pars Rhodanum nullo incerto pars altera sistit.

Tuum verò est pater beatissime talibus hæreditatis tuæ calamitatibus obuiare, suæ desolationi opem ferre, suum quoque maledictionis scismaticę opprobrium in benedictionem pacis decoram & fœcundam immutare. Oues in hac hæreditate tua dispersæ sunt, tu eas collige, confractæ sunt, tu alliga, sauciæ sunt, tu sana, errantes sunt, tu reuoca, perditæ sunt, tu eas quæsitas & inuentas proprijs humeris & beatis, benignus imponens gregi suo consocia. Quod si aliquæ fortassis miserabili vicissitudine mutatæ sunt in lupos & beluas feroces & sæuas, vt de socijs Vlyssis per Circen poëtica & moralis est narratio, tu eas non enecare non perdere volueris. Bonis quidem & discholis debitores sapientibus & insipientibus. Sed potenti virtute benedictionis tuæ in misericordia & mansuetudine tales rursus in ouium simplicitatem transformare stude, si versa est pars hæreditatis tuæ in amaritudinem & salsuginem, ob pestiferum scisma in similitudinem horrendi deserti & vastæ solitudinis: sicubi pro vuis labruscæ, pro frugibus infelix lolium & steriles dominantur auenæ, vt poëta loquitur, & vt scriptura ait, sicubi terra maledicta spinas & tribulos germinat. Flabit domine spiritus tuus bonus & suauis, & fluent aquæ gratiarum, pinguescent speciosa deserti, & tuæ benedictionis irroratione renouabitur facies terræ, facies vniuersalis hæreditatis tuæ. Nam & matrem humoris philosophi lunam vocant. At dices, magna sunt ista nimis & supra virtutem hominis. Magna sunt nec inficior pater beatissime, immo maxima, sed virtus Dei cui inniti te conuenit immensa est. Omnia possum (inquit Apostolus) in eo qui me confortat, Christus. Sed maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Magna sunt propterea magno egent studio, cura, sollicitudine, vigilijs & labore. Nam vbi intenderis ingenium valet, ait Iulius Cæsar apud Salustium. Magna sunt propterea deserenda sunt exigua, & dispertiēda linquendaque minoribus. In hoc opus vnum præcellētissimum figendi sunt considerationis oculi, mittenda est manus ad fortia tempus quoque res omnium prętiosissima, in alijs non nisi parcissima raritate dispensandum, alioquin tale aliquid fieret quasi quis piscaretur hamo aureo, iuxta verbum vnius è Cæsaribus, aut quasi vile aliquid quæreretur in tenebris cum cereo centum aureorum. Alioquin præterea rediret illa inculpatio Hietro ad Moysen: Stulto labore consumeris. Sic Petrus Clementem, sic Bernardus Eugenium, immo sic Apostolus discipulum suum charissimum monuerunt: Nemo militans, &c. Secularia iudicia, &c. Et in Actibus Apostolorum: Non est æquum, &c. Notiora sunt hæc quam vt allegationibus indigeant. Magna denique sunt ista pacis vniuersalis opera, quamobrem ea tecum à multis quęrere conuenit. Nam vulgato prouerbio quod à pluribus quæritur citius inuenitur, & vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, &c. inquit Christus, &c. Et quis est ô Deus æquissime, quis est ex Christianis Ecclesiæ filijs, qui non inniti debeat pro sua portione & vocatione tantis opitulari miserijs? Quis F tam luctuosæ desolationi? quis labefactioni tantæ hæreditatis tuæ non cōdolebit, & condolens quis pro viribus non obuiabit? Sed neque hoc prohibere quisquam nisi mentis inops voluerit, vt in communi periculo cōmune sit auxilium. Quod si parum prosperè successit hactenus labor plurimorum, nō ideò desperādum, non succensendum eis non spernendæ prorsus operæ. Non est in medico semper, releuetur vt eger. Nec semper feriet quodcūq; minabitur arcus. Neq; enim qui plātat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Christus. Et nō mentiebatur qui dixit: Timidæ

sunt

sunt & incertæ prouidentiæ nostræ. Si post primum naufragium, nauta nauem, & post prima vulnera miles aciem, & post vnam sterilitatem rusticus agrum desereret, ascriberetur hoc non cautelæ, sed ignauiæ, & qui sic consuleret, egeret insulsè. Benjamitæ iussu domini bis descenderunt in prælium, bis victi sunt, vt primum purgati humiliati & eruditi, victoriam tertiò prælio sortirentur. Super omnia post opitulationem diuinam si pacem vniuersalem quærimus, non inefficaciter perquiramus, quæratur necesse est concors vnio huius obedientiæ tecum, p. b. & secum, hoc est in capite & membris, præsertim in præclarissimo, potentissimo, Christianissimo Franciæ regno, cuius laudes quia per se celebres sunt non enumero. Pax malè per scisma & contentiones quæritur. Nam vbi diuisio perseuerat, audiatur quod omne regnum intra se diuisum desolabitur, & quia conueniet nulli qui secum dissidet ipse. Absint igitur procul omnes animositates odiosæ. Non fiat aspectus retrorsum in quibus periculis & procellis nauis Ecclesiæ hactenus iactata sit, sed docti ab Apostolo extendentes nos & velum in anteriora, portum pacis optatum concordi laboris annisu petamus. Docent nos historiæ gentilium, præsertim Romanorum consulum qui licet aliunde dissiderent hostiliter, mox in amicitiam conueniebant, dum reipublicæ pax & vtilitas quæreretur. Hoc T. Liuius, hoc Valerius exemplis docent, & vetere Græcorum instituto charistia seu communis gratia fiebat pro communi vtilitate, non prorsus dissimiliter ab anno iubileo Iudæorum. Quod si filij Israel animo pacifico ibant ad prælium, filij Ecclesiæ quibus animis debent quærere pacis bonum? Si Herodes & Pilatus facti sunt amici ad persequendum Christum, qualis debet esse pax ad eundem adorandum? His exemplis cum certa ratione permota humilis & deuota S. t. filia quamprimum vniuit se in se, reuocans omnes perditos à suo consortio vel gremio quomodolibet alienatos, & ad honores pristinos restituens, monens insuper & maternaliter iubens vt iniuriarum præteritarum nemo memor sit amplius, sed honori matris & vtilitati pacis omnia condonentur. Recedit vetera, noua sint omnia, quatenus liberioribus animis eo pax vniuersalis quæratur, quo nulla particularis obstiterit discordia. Concordia (inquit Salustius) paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Quidque concordiam fratrum prædicatorum antea ferè desperatam operata est, commemorans & litteris suis, inserẽs zelum grandem quem pro eadem concordia dudum Parisijs ostenderas, studens in hoc & sperans filia tua, tuæ sanctitati non mediocriter complacere. Habens igitur pater beatissime filiam pacificam, & euangelicæ beatitudinis participem, dignam insuper quæ ad pacem vniuersalis hæreditatis tuæ quærendam admittatur vt dicat ex sententia. Facta sunt coram eo quasi pacem reperiens. Scit ipsa quoniam tale est pacis bonum, vt multa propter eam tolerare, multa indulgere, dissimulare plurima, quæ vel corrigi, vel ad regulam duci nequeunt oportet. Hoc sancti patres scriptis suis, hoc exemplis docuerunt. Habentur in promptu dicta eorum in decretis & alibi copiosè. Sed eorum dicta nunc allegare quotando coram scientibus legem loquor, & vbi res in se perspicua est, A superfluum ne dicamus curiosum iudicamus, & à sanctorum patrum vestigijs alienum, quia & ostentationem redolet, & cicatricosam fluidamque reddit orationem. Oritur ex præmissis consequenter intellectus dicti illius saluberrimi & verissimi si sanè capiatur quod communis error facit ius, hoc est quod prælatus dominante opinione, etiam erronea in subditis, multa vel agere vel omittere tenetur, qualia si faceret aut dissimularet opinione huiusmodi non extante, ipse graui B delicto teneretur obnoxius. Quæ doctrina præsenti negocio accommodatissima est, si iam eam dilatare liceret, sed oratio nostra certis coartanda est limitibus, & ad alia deproperat. Attamen prætergredi vllo modo neque possum nec debeo, dum ad concordem huius obebientiæ vnitatem exhortor, suadens iniuriarum quarumlibet obliuisci, quin summam tuæ mansuetudinis & mititatis laudem admirer, quæ exemplum mansuetudinum Dauid insecuta, caput ad maledictionem inclinauit, vt à domino benedictionem pro maledictione C reportare, & benedictione hæreditatem possideret. Et cum Iuda Machabæo esset memoria tua in æternum in benedictione. Ecce sathan accepta Deo licentia (alioquin quid ipse potuisset) percussit te plagis multis tribulationum & angustiarum, iustissime quidem in ordine ad prouidentissimam Dei dispositionem quoniam iustus est in omnibus vijs suis & sanctus in omnibus operibus suis. Per cuius prouidentiam fit vt Rom. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et qui secundum merita plebium disponit D vitam rectorum, vt ait Gregorius qui etiam proprio filio non pepercit, quin eum saturaret opprobrijs. Demum nihilominus has commotiones peruersissimo intentionis fine mihi suscitasse videtur, ad quid? Nimirum vt essent pedibus tuis laqueum & offensiones & scandalum. Quo pacto sic? Vt animus tuus generosus in indignationem & de indignatione in impatientiam, & de hoc in odium & diffidentiam & suspitiones anxias & trepidas quæ multos supplantarunt laE beretur, & in vindicandi libidinem excandesceret, & vt tandem abiecta mansuetudine dimisso omni consilio ad postremum omni studio prosecutionis ecclesiasticæ pacis, spiritus tuus natura mitis & suauis ad solam vindictæ carnificinam sub zeli iusti specie raperetur, lactaretque oues proprias, protereret, abijceret, dissiparet, & propter suspitiones insidias & turbidas, res omnes timidæ gelidæque ministraret, quali arte venatores apros in propriam irritant necem, & lepusculos F per vanam pennæ volitantis formidinem in verum tradant periculum & laqueum. At Benedictus dominus & benedictus tu, quoniam laqueus iste desyderij vindictæ contritus est. Tua quippe mansuetudo non solum non sublata est à S. t. his fraudibus, sed mira quadam effulgentia magis & magis emicuit, vsque ad quendam intuentium stuporem, vsque ad pias lachrymas audientium, & ad exemplum memoriale & verè Christianum apud omnes generationes posterorũ. Quæ exempla omnia si referre voluero, nitar incassum prius tempus & lingua deficient. Vnum tamen ex innumeris (quod fidelissima relatione didici)

commemoretur exemplum, quod dum Parisijs in sermone publico restitutionis pro parte regis feria secũda post Pentecostes coram populosissima & celeberrima vtriusque status frequentia retulissem illud suis suspirijs altis & subditis tacentes approbarunt, & non pauci ad pias vsq; lachrymas (nec mirandum) compuncti sunt. Postquam sæuientibus vndique intumescentibusque procellis circa nauem Ecclesiæ tu mysticus Ionas proiectus es in mare, hoc est in amaritudinem tribulationis, non deseruit te Deus, sed mirabiliter in ventre sacri palatij velut in ventre cæti conseruatum eduxit ad littus libertatis, & facta est tranquillitas maior. Tota quippe obedientia ista à tumultu siluit, eo tunc venit ad verendam tuæ celsitudinis præsentiam homo quidam non infimæ fortunæ, qui vltro confessus est te patrem & dominum suum, immo nostrum omnium te Christum domini nedum impiè tangere sed crudeli inaudito quod parricidio interficere semel & iterum voluisse. Expauerunt opinor qui aderant, quasi sponte vir tanti sacrilegij vir tam nefarij facinoris conscius non solùm hoc facere, sed vel comparere præsumpsisset. Multi cœperant toruos in eum oculos flectere, dentibus fremere, vix manus continere, nisi quod tuam expectabant sententiam, & qualem expectabant nisi vt diceres: Tollatur impius, exturbetur sacrilegus, ligatis manibus & pedibus trahatur ad carcerem vt tradatur in mortem. At verò tu nihil horum dixisti pater clementissime, sed misericordiæ & mansuetudinis signum aperiens, & clementiæ virgam extendens, præoccupasti confitentem reum, priusquam verba orationis complesset, serenissimo quoq; vultu & verbis suauibus plenam prę concepti huius flagitij veniã indulsisti, vincens in bono malum, & cuius esses spiritus, cuius insuper vicarius, facto certissimo palã doces. Hoc egisse nonne satis erat ad misericordiam? Addita est assecuratio, trepidare vetans iureiurando firmata. Nam fit cui multum dimittitur, multum ingratum si de dimissione hæsitauerit. Dixit namque spiritus tuus bonus & suauis: Hoc faciat mihi dominus & hoc addat, si vllas vnquam aduersum te odij vel vindictæ reliquias apud me seruauero, immo si quam pœnam in te posterius exercere voluero, illa in caput meum prior cadat. Ne indulgentiam tantummodo ego præsto si deinceps bene te habueris, sed & tibi tuisque similibus omnibus beneuolentiã polliceor ampliorem. O dignissimam summo pontifice vocem. O respõsum diuino viro conuenientissimũ. O factum misericordię singularis, quod patrem & pastorem euangelium repræsentat. Qui post persecutiones Paulum, post trinam negationem Petrum, & post portionem hæreditatis luxuriosæ consumptam, iuniorem filium plus amauit. O diuinum factum, quod vtinã omnes populi omnes quaquauersum nationes audirẽt, tum pro exemplo & imitatione, tum pro arguẽdo mendacij eos qui te rigidum & austerum, aut iræ memorem criminari moliuntur. Hæc est planè victoria Christiana, iniurias & iras non iniurijs & ira, sed misericordia & mansuetudine vincere, & imitari eum qui etiam in cruce positus dixit: Pater ignosce illis &c. Sic beatissimus Martinus cum vrgeretur vt Briccium sibi contumeliosum abijceret: Si inquit Christus Iudã (Luc. 23.)

Martinus cur non Briccium tolerabit. Sileant nunc historiæ gentilium, quæ suorum quondam principum mansuetudinem amplissimis verbis extulerunt, vt Seneca Neronem in duobus voluminibus. Cicero Iulium Cæsarem in orationibus. Suetonius Octauianum Augustum in historijs, & alij alios comparantes eos vel asylo Romuli, vel ciuitatibus refugij, vel templo misericordiæ, quale describit Statius Thebaidos. Siquidem incomparabilis est istorum laus ad tuam gloriam, sicut vmbra ad serenam lucem, fumus obscurus ad purum ignem, palea volatilis ad solidum granum, immo sicut vitium ad virtutẽ. Ipsi enim talium mansuetudo non pro diuino honore & auctoritate quam spernebant, & tu colis vnicam sed inanem iactantiam quam tu calcas, anhelabat. Collaudabunt alij cruentas bellorum victorias, & ambitiosos ex his triumphos mirabuntur. Plus apud me valeat assertio sapientis, quod melior est sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Quam sententiam alijs verbis lyricus explicat, Latius regnes fragilem domando spiritum, quam si lydiam remotis gradibus iungas: & vterque penus seruiat vni. Quamobrem agnosce pater beatissime, cum quanta conscientiæ securitate, cum quali serenitate cordis fas habet dicere religiosissima deuotio tua, dum crebrò vel orat vel Missam celebrat: Pater dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis. Et rursus cum propheta: Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, &c. Ita pater beatissime (Psal. 7.) imitaris Christum qui cum malediceretur non maledicebat, qui tentatus est per omnia vt misericors fieret, quem videmus propter passionem gloria & honore coronatum. Tantummodo non eripiat tibi blãda prosperitas misericordiam illam, illam patientiam penè diuinam, quam sæuiens aduersitas & seruauit & reddidit clariorem. Da veniam, si scrupulosior sim in hac parte. Nam fit aliquando suadente pacis inimico, nunc per se, nunc per adulatores, qui sunt arma sua & sagittæ, vt homo qui calamitate pressus æquanimiter omnia nedum tolerauerat, sed indulserat, postmodum succedentibus prosperis repetit omnia à debitoribus suis cum rigore & fœnore, vt appareat indulgentiam priorem non ex virtute, sed vindicandi impossibilitate natam, nec dimisisse ex corde, sed in tempus more simiarum distulisse. Non cadat in hanc exprobationem vera & perfecta dilectionis tuę mansuetudo, neque fallat eam simulacrum fictum iustitiæ, quasi non melius sit vicisse mala per indulgentiam quam seueritatem, quasi rursus non sit præclarissima iustitia indulsisse simplicibus, subditis pepercisse. Sic misericordiam & gratiam inuenias in conspectu tremendi iudicij Dei, qui sub bullis patentibus promisit misericordiam misericordibus, qui semel dimissa non repetit, qui iussit non esse memorem iniuriæ ciuium suorum. Sic in oratione tua confitens domino exaudiaris, & non audias horrendum illud improperium domini irascentis; Serue nequã nonne omne debitum dimisi tibi, &c. Sic præterea cum Dauid consequaris sedem regni in misericordia & mititate possideas terram, & delecteris in multitudine pacis super eam. Tandẽ propter mititatem doceat te dominus vias suas vt absq; offendiculis

ad impa-

ad impatientiæ lapidem dirigat pedes tuos in viã pacis, quàm à te pacem petimus pater beatissime, A dicentes: Benedic hæreditati tuæ. Non quasi humana virtus qualibet hanc pacem præbere non sufficiens sit & infirma, nisi maior agat Deus vt apud Virgilium est, præsertim in tam desperato & radicato schismate, quod est quasi cancer ægrescẽs medendo, & ingressibilis Dedali labyrinthus, & caput hidræ fabulosæ sua rescissione fœcundius, ita vt perisse videatur consilium à sapientibus, & dicere conueniat cum Iosaphat rege: Cum ignoramus quid agere debemus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros ad te dirigamus. B Scimus nihilominus te post Deum cuius Vicarius es dicere. Scimus ad te Hierarchicam supremum spectare benedictionem huiusmodi hæreditatis Ecclesiasticæ, vt fiat pax in diebus nostris, & tu maximè inter mõtes suscipias pacem populo. Quod si perficis, benedictus eris in omnes generationes, & memoriam æternam his qui post te futuri sunt relinquis. Sin autem non perfeceris, inchoaueris tamen & elaboraueris bona & antiqua fide, C diligendi studio, pia & humili voluntate, per te si tuos (tui quippe sunt omnes) non perdetur merces tua non laus, non gloria, res ipsa condemnabit mendacij eos qui vel ignorantia vel liuore criminantur summam. t. S. dignitatem, tuã vigilantiam, tuam charitatem. Facis hoc sedulo. Ita enim te facere & me sentire æquũ est. Sed quo amplius stimuleris ad agendum, ascende frequenter sublimem mentis tuæ lucem, leuando te super te, vbi despectis deorsum terris, versis iugiter & acriter ante mentis oculos in lumine fidei, in sublimitate spei, D in latitudine charitatis, cum illo qui ait: Cogitaui dies antiquos, &c. [Psal. 76.] Videas inquam acutè, quam nihil sit omne illud quod mundus affert gloriæ, iocunditatis, potentiæ, quam vana, quam lubrica & vento somnióque simillima, immo quam anxia & amaritudinibus respersa tristissima sint omnia. Ecce omnes morimur, & quasi aquæ fluentes dilabimur super terram, hodie rex, cras Papa moritur. Eheu fugaces posthume labuntur anni, deflet Horatius & tragicus. Properat E cursu vita citato, volucrique die rota præcipitis voluitur anni. Et Naso: Volat irreparabile tẽpus, & nihil est annis velocius. Et est omniũ horribilissimum quod dicitur, quia in puncto ad inferna descendunt, &: Ite maledicti in ignem æternum. Cæterum quid quæso vsquam est tam altũ aut preciosum, pro quo vel adipiscendo vel retinendo generosus animus & diuinorum conscius, se perdere & alios turbare dignum ducat. Viderat hoc ex alto qui tam sapienter exclamauit. [Eccl. 1.] Vanitas vanitatum & omnia vanitas. F Quam sententiam si saperent, immo vt saperent, deberent omnes in potestatibus constituti secundũ Chryst. consiliũ scriptum habere, in ianuis suis: in penetralibus, in frontibus, & maximè in cordibus suis. Amplius si filij huius sęculi tam auida sollicitudine curant peritura, adeo vt cum eis perire non formident, obsurdescentes ad illam increpationẽ propheticam: Filij hominum vsquequo graui corde, &c. [Psal. 4.] Filios igitur lucis, immo te patrem huiusmodi filiorum, quantã apponere decet curam, quot labores, quãsuis vigilias, vbi de rebus æternis agitur, vbi verum & vnicè expauescendum pro animabus tractatur damnationis periculum. Non est ista lis de paupere regno, vt apud Statium ponitur, neq; de lana caprina, vt Satyricus ait, de vita & morte perpetuis res versatur, agitatur & quæritur. Quod si pastoralis præsidẽtię delectet aliquem honor volatilis & nomen inane, terreat eum districtum iudicis examen in reddenda de ouium salute & numero ratione. Agnoscat quoniam positus est non in destructionem, sed ædificationem, non ad ociũ sed laborem, & vt per eum iuxta verbum maximi regis Artarxersis secluso ab vsu potentiæ, subditi optata cunctis mortalibus pace perfruantur, quoniam hic est finis omnis potentatus tam secularis quam spiritualis. Sed ad te conuertor pater sancte. Fige precor in ipsa sublimitate meditationis tuæ sponsam Ecclesiam talibus vtentem querulis plangoribus. Eheu quis consolabitur anxiam? Et quis desolatæ, quis plaga crudeli percussæ medebitur? Inter has angustias quæ me circunuallarũt vndique, quale dabitur effugium? quis mei miserebitur? Ego illa sponsa regis æterni, quam olim vidit vnus ex filijs meis nouam descendendam de cœlo, quasi sponsam ornatam viro suo. Ego lota in sanguine Agni immaculati, ego tot sudoribus & sanguinibus martyrum innumerabilium stabilita, violis confessorum, lilijs virginum coronata, Ego tanta deuotione principũ vsque ad inuidiam dotata, ornata, diues facta. Nunc heu velut misella & ancilla deijcior, premor, despicior. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerũt me, & facti sunt hostes in capite. Pacem insuper iocundissimum in cœlo & in terra bonum qua me dotauerat sponsus meus nascens, prædicans, moriens, resurgens & regnãs, conuerterunt in schisma perniciosissimum, quod iam quinq; lustris me per omnes artus miseris modis depascitur & absumit mea olim defensione, certamen erat vsque ad mortẽ, & modo nihil aliud agi vel quęri videtur à multis quam vt corruam, & miserabili labefactione deficiam, & hostibus meis ludibrium fiam. Ecce versa sunt omnia ferè in cõtrarium prioris meæ institutionis, disciplinæ & decoris, ornata ornamenta, dum pro corona humilitatis puluis, fœdus vanitatis, & pro croceis spiritualitatis stercora sola tẽporalitatis amplexãtur, & erigitur super me sapiẽtia animalis & terrena & diabolica, repudiata ea quæ desursum est pacifica & quieta. Si his tecum Ecclesia planctibus, loqueretur. p. b. noui miserationem animi tui, quæ ab vtero egressa est tecum, continere non posses quin erumperent lachrymæ ab oculis tuis, quin ad succurrẽdum inflãmaretur totus zelus tuus iam succensus, & diceret ex intimo cordis suspirio. Domine super hac desolatione ante te omne desideriũ meũ, & gemitus meus à te non est absconditus. [Psal. 37.] Sucurre, fer opem vt quid natus sum videre mala gentis meæ? Rapidos rector comprime fluctus, & quo cœlum regis immensum, firma stabiles fœdere terras, & dispersiones Israël congrega. Sed quid ago? Quorsum rapior? Quid Mineruam (vt dicitur) impudens doceo? Præmeditata sunt namque apud tuam cõsiderationem assiduè & acriter talia salutis monita, nihilominus patere. p. b. patere obsecro, commune facere te & orare pro parte deuotissime filiæ tuæ, vt facias quod facis. Nam æquum etiam sponte velocem calcar adiuuat. Fac vt calcata

ſeculi pompa & iniquis adulationibus eius, vt nullis retrahentibus vncis vitioſarum paſſionum, non ira, non odio, non ſpe, non gaudio fallacibus (melioribus namq; hoſpitibus digna eſt ſanctitas tua) abiecta rurſus adulatorum peſte, omnia ad gratiam, nihil veritatem loquentium & claudentium ianuam veritati, ac ſcrupulos varios (vt ſoli diligere videantur) ingerentium, de quorum vno dixit comicus: Hic profectò ex ſtultis inſanos facit. Et qui ſunt ſtulti? vtique vanè glorioſi, prudentes in oculis ſuis, prudentiæ ſuæ innitentes. His inquam procul pulſis, tu totus cum pacificis qui non oderunt pacem, cogites ea quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, totus inuigiles implere id quod pro matre Eccleſia petit à te filia vtriuſque velut altera columba Noe, ferens ramum paciferæ oliuæ per nos humiles nuncios clamitans pia ſollicitudine: Benedic hæreditati tuæ vt nobis cõtingat illud prophetæ. Dominus benedicet
Pſal. 28. populo ſuo in pace. Sed quomodo & quibus vijs benedices populo tuo in pace. Si pergat aliquis particularius inquirere? iubet hic humilis & deuota. S. t. filia quieſcere, ne ſuos patres, te videlicet & regem Franciæ Chriſtianiſſimum, aut legatos ab eodem præuenire arrogantius videatur. Simul quia publicam & celebrem audientiam ſuper hac pacis materia, ſi & dum tempus fuerit beneplaciti tui ſupplicat, & ſperat obtinere, exhortatur à latius & forte particularius, vt benedices Eccleſiaſticæ hæreditati tuæ. Et tantumdem dictum ſit de primo legationis noſtræ articulo.

SVPEREST & poſtremus noſtræ legationis articulus, cuius ideo longè breuior erit expediri quam prioris, quia licet neceſſarius exiſtat, eũ tamẽ ne quam tantæ dignitatis neque paris difficultatis exiſtimo, Hic ſupplicamus, vt benedicas hæreditati partiali, & quodammodo peculiari, ſegregandò pluuiam voluntariam huic hæreditati tuæ. Et quoniam infirmata eſt præ tenuitate & multis incommodis, tu perfice eam, quam tua tuorũque prædeceſſorum dextera plantauit. Prçuenisti nos. p. b. in benedictionibus dulcedinis, heri in oſculo pacis, pridem in odore bonæ famæ mãſuetudinis & liberalitatis tuæ, vt hanc à te benedictionẽ petere, hanc ſpe certa præſumere auderemus. Denique iam præuentos ſubſequeris, dũ aures tuę. ſ. tam beneuolas, orationi noſtræ præbet tua paſtoralis ſollicitudo, recogitãs (vt arbitror) quoniã filia tua primogenita eſt ſtudiorũ, cuius primogeniturę ratione cõpetit benedictio de rore cœli deſuper, & de pinguedine terræ, hoc eſt in ſpirituali & tẽporali prouiſione. Rurſus quia exẽplo Axæ filiæ Caleph ſuſpirat ſedens ſuper aſinã, calcans. ſ. omnem brutalitatẽ, petens benedictionem à te patre ſuo, vis eã à liberalitate paternitatis tuæ irriguum inferius & irriguũ ſuperius expectare? Dic igitur verbũ Boom ad Ruth. Benedicta es filia Domino, quicquid dixeris mihi hoc faciã tibi. Et ita fac pater beatiſſime, vt ſit ante te odor filiæ tuæ ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Et bene ager plenus eſt filia tua Pariſienſis Vniuerſitas, immo nihil errauero ſi eam appellauero paradiſum voluptatis, in quo eſt lignum ſcientiæ boni & mali, & fons ſcientiæ in quatuor facultatum flumina condiuiſus irrigas vniuerſam ſuperficiẽ terræ. Tu huius poſſeſſor es, tu paſtor & cultor vt opereris & cuſtodias illam tanquam agriculturam viuam, vt Ariſtot. loquitur in politicis. Vbi ſub myſterio nihil deeſt eorum quæ egregius poëta Virgilius in Georgicis, & Palladius in de agricultura, de hæreditate agraria conſcripſerunt, diſtinguentes agrum quadruplicem, qualem figuraliter in hæreditate tua ſecundum quadruplicem facultatem reperimus. Vnus ager eſt apricus & florifer pro apibus, figurans ſub quadam appropriatione facultatem theologiæ. Alius eſt paſcualis pro ouibus & domeſticis animantibus, figurans facultatem decretorum. Aliter frugifer pro hominum vita, figurans facultatem medicinæ. Quartus vitifer & pomifer in omni genere ſuo figurans typicè artium facultatem. Tuum eſt igitur hæreditatem tuam hanc benedicere, colere & augere, vt fructum ſuum det in tempore ſuo. Ecce ipſi theologi velut apes intellectuales peruolitant in hæreditate tua, flores ſacrorum eloquiorum de rore cœli roſcidos cõpingunt mel in cellulas & fauos, vt ſit cera in illuminationem intelligentiæ, & mel in oblectationem affectiuæ. Hanc hæreditatis tuæ portionem ſpectans, dicere habes ex ſententia illud Eccl. Hæreditas mea ſuper mel & fauum. Nam eloquia Domini dulciora ſuper mel & fauum. Et, præceptum Domini lucidum illuminans oculos, in intellectu. Venerat in mentem laudes huiuſmodi tum augere, tũ ſuo modo deducere, de reliquis hæreditatis tuæ partibus, hoc eſt facultatibus, quo magis animaretur. ſ. t. ſibi benedicere, ſed negligentius iſtud ago breuitati ſtudens & ſciens nihil laudum harum te latere. Dicam verò te cõcedente id quod nuper in meditatione mea dum ſolus eſſem, & non ſolus, ſolus quidem corpore, non ſolus cogitatione verſabatur. Itaque poſita erat ante mẽtis oculos ſedes tua præclariſſima, & thronus ſicut ſol & luna perfecta, aſtitit regina illa virtutum dilectio à dextris tuis in veſtitu ſapientiæ de aurato circundata varietate virtutum. Nam ita iuſſit rex optimus & maximus Chriſtus, vt ſedem papalem dilectio ſtabiliret, dum ait Petro interrogato ter, & ter reſpondente quod diligeret eum, paſce oues meas, paſce agnos meos. Quæ dilectio vna eſt in quadam trinitate virtutum, in miſericordia & veritate, quæ cuſtodiunt regem omnem duabus manibus hinc & inde portantes thronum eius, & in præclariſſima virtutum iuſtitia, & neque heſperus neque lucifer ita admirabilis. Has ſub compendio numerauit propheta reginas, eas paci conſocians. Miſericordia inquit & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Quarum officium alibi deſcripſit. Propter veritatem (inquit de Chriſto cuius Vicarius es) & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Hæc præclara dilectio ſeu charitas vna in hac trinitate virtutum, ſicut Apoſtolus inſinuauit ad Corinth. ſcribens, parabat orare pro filia tua Pariſienſi vniuerſitate, vt ei modo quo diximus, benediceres tanquam hæreditati tuæ. Nam vbi adeſſet vel quando rogaret dilectio, ſi inter patrem deeſt & filiam. Nihilominus affuit & ſathan à ſiniſtris, ita mihi mõſtrabat meditatio mea. Aderat & infœlix proles ſua æmulatio liuida, per quam mors intrat in orbem

Marginal notes (right column): Eccl. 24. — Ioan. 21. — Pſal. 84.

bem terrarum, monstrum heu horrendum, informe, ingens. Cui quot insunt in dilectione virtutes, tot insunt vitia crudelitas, falsitas, iniquitas. Crudelitas contra misericordiam, contra veritatē falsitas, & iniquitas contra iustitiam. Agnoui ex descriptione Nasonis quænam illa esset?

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta facies, liuent rubigine dentes.
Pectora fella virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Ne fruitur somno, vigilantibus excita curis &c.
Obstupui visu subito gelidusque cucurrit.
Ossa tremor.

Dum ecce terrifico boatu rabida ora laxans, & dentibus frendens. Eheus pater sancte, caue benedixeris hæreditati huic tuæ, quæ facta est tibi sicut leo in sylua, odi propterea eam & maledic. Caue benedixeris ei in collatione gratiarum. Nam & tardè venerunt, & in multis à tua sententia defecerunt. Abijce eos potius à te calcibus protere, & impera vt discedant maledicti. Ita parabat portētum, hoc horrificum magno conatu, contumeliosa nefandáque mendacia contra filiam tuam delatrare, dum tu pater beatissime hoc indignabundè ferens, toruum è latere vultum paulisper in hanc æmulationem impiam, mendacem & nequā visus es declinare, & vt confestim abscederet imperare. Abi hinc in malam horam & in crucem tuam pestis horrida, satrix discordiæ, mater nequitiæ. Vide ne vltra mutire vel apparere præsumpseris. Attende ne filiam criminari studueris apud patrem, cui etiam pro magno peccato satis esset modicum supplicij. Falleris si te recipi vel audiri existimas, vbi in cōspectu meo paterna dilectio verax & iusta pro eis decreuit orationem assumere. Dic tu dilectio hac increpatione deterrita æmulatio tristis abscessit, & dilectio sic orsa est. Facis pater sanctissime id quod te decet, te patrem erga filiā, & talem filiam, te Vicarium illius qui accusatorē fratrum deturbauit in stagnum ignis ardentis, qui iussit pontificem agere in spiritu lenitatis, quoniā & ipse circundatus est infirmitate, qui postremò propter decem iustos toti pentapoli peccatrici pepercisset. Præterea me dilectionem iussit assistere à dextris tuis quæ natura patiens sum, benigna sum, non æmulor, non ago perperam. Age igitur pater beatissime, age quod agis, ne vlla te vnquam accusatrix æmulatio à meo consortio diuulserit. Nō audiatur precor aduersum me crudelis hæc & maligna æmulatio. Absit vt ponat hanc maculam in gloria tua spreuisse hæreditatem tuam, abiecisse à te & pedibus tuis supplices tuos cultores quoq; in vinea Domini Sabaoth, & coadiutores tuos vacuos absque vtili prouisione ingloriosque remisisse vbi tāta est prouisionis tenuitas de bonis Ecclesiasticis, vt vix pauci ex magistris & doctoribus etiam in theologia, sine aliquo quæstu valeant habere alimenta & quibus tegantur, & hic 17. annus agitur. Hæc est hæreditas tua peculiaris & electa & præclarissima studiorum, velit nolit æmulatio, vbi generatio præterit & generatio aduenit, sed ipsa terra tua in æternum stat. Tu supremus pastor & custos inopiæ suæ prouidere, irrigare arida, ruinosa reparare, nō conquassare positus es, hoc misericordia petit titulo filiationis, hoc veritas titulo studij veritatis, hoc iustitia titulo militiæ & laboris. Porrò
A tarditas huiusmodi postulationis benedictionis tuæ per rotuli præsentationem nunc & non antea non tarditatem meretur exauditionis vt accusat æmulatio, sed celeritatem, quatinus sint nouissimi primi, quia bono intentionis fine fiebat dilatio, magno sicut arbitrabantur zelo prosecutionis vnionis Ecclesiasticæ mouebantur, nec soli mouebantur, reges & regna cum suo clero pariter sentiebant. Nunc post experimenta plurima quid inculpandum si mutatis rebus mutauerunt
B sententiam. Esto rursus fuisset in aliquibus dissidens eorum sententia à tua. Nonne potuit hoc fieri sine mei læsione? quia sine obstinatione. Nonne Paulus & Barnabas tales viri sic contenderunt vt discederent ab inuicem? Et Paulus Petro restitit in facie. Et princeps Persarum bonus secundum Gregorium restitit Michaëli, & vtrobique illęsa me matre omnium charitate. Aduenit ecce supplex & humilis deuota filia tua. p. b. absque vlla difficultate præcellentissima studiorum, & suo nunc aduentu dat palā intelligi, quod
C nulla diffidentia iuris tui vt aduersarij falsò fingebant, nulla indignatione peruersa suum differebat accessum ad petendum sibi benedici per pręsentationem rotuli more solito, qualiter nūc pręsentat reuerenter in approbationem iustitiæ tuæ, & in egregiam laudem mansuetudinis tuæ. Neque enim peteret benedictionem gratiarum ab eo quem non crederet iuridicum largitorem, neque ab eo quem benignum exauditorem nō speraret. Vnde in capite rotuli ita scriptum est: Fiduciam
D accepit. b. p. nunc rotulum istum supplicationum generalium & specialium, præsentandum apud. s. v. celsitudinem humilis & deuota. i. s. v. filia. P. vniuersitas, plus in paterna beneuolentissimæ libertatis vestræ gratia, quā in meritis proprijs post Deum spem reponens, plus insuper studēs ex hoc rotulo inseruire commodis Ecclesiæ quam auarę cupiditati, vt denique obedientiam syncerām ac filialem dicta filia erga. s. v. sublimitatem non tātummodo verborum aut litterarum assertione, sed factorum soliditate monstraret. Hæc ibi. Nūc
E igitur pater sancte per me dilectionem matrē omnium bene viuentium exoratus, pérque virtutes meas inclytas misericordiā, veritatem & iustitiam, propter quas deducere habet te mirabiliter dextera sua, & si per quid vnquā de te bene meruimus apud Deum, apud homines iustificando te, exaltando te, liberando te, & per spem futuri præmij si nobis perseueranter inhæseris, oramus, petimus, obsecramus vt benedicas huic hæreditati tuę, huic filiæ tuæ alumnæ nostræ, concedendo talem in
F gratijs suis signationem, aut certè vberiorem, qualem petunt & ab initio dedisses anno primo. Nā hic est annus benignitatis tuæ annus nouenarius, ternario ter in se ducto coronatus. Benedices huic coronæ anni, huic anno coronato benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Hāc de te tuáque affluentissima libertate spem conceperunt, hanc conceptam multis postmodum & magnis indicijs roboratam auctámque senserunt etiam heri. Tu autem spem nunc in rem ipsam cōuertito, tui quippe sunt, sed tu eos maiori tibi vinculo constrinxeris tu postremò non mediocriter illustraueris gloriam tuam & famam tuam, quę

ſicut non eſt ambitioſè quęrenda, ita non eſt negligenda crudeliter. Et vbinam gentium poteſt A famæ celebritas vel ſcriptis vel viuis vocibus ampliori dilatatione vulgari, quam vbi confluunt & refluunt ex omni fere natione quæ ſub cœlo eſt, viri litteris omnibus & ſtudijs eruditi, ita vt in obſcuro eſſe nequeat, ſi gratè ſi benignè reſponderis, ſi benedixeris huic hæreditati tuæ, quemadmodum tu benedices, ſperamus & obſecramus, fiat fiat. Animaduertis. p. b. redeo enim & ad tuam ſanctitatem & ad meam paruitatē, animaduertis qualiter transfiguraui ſub nomine paternalis dilectionis ſupplicationem pro humili & de- B uota. ſ. t. filia, & id quidem aptiſſima videor feciſſe ratione. Suam quippe ſedem vbi collocaret dilectio, vbi peroraret ſi inter patrem & filiam ſacratiſſima dilectionis nomina apud ipſos etiam barbaros honoranda defuerit. At verò neque volo neque æquum iudico quicquam adijcere, quāquam aliqua dicenda ſuperſint. Vereor enim iam multiloquium noſtrum minus ſit fauoris habiturum dum occupationes tuæ celſitudinis aliorſum te vocant & trahant. Quia poſtremò ſuper iſto & C priore articulo audientias aliquas obtinere clam & palam ſupplicamus & ſperamus, vt non fruſtra ſpem hanc conceperimus de benigniſſima. ſ. t. ſpiritu pater ſanctiſſime. Sic benedicat te Dominus ex Sion, vt ſis re & nomine benedictus. Sic videas bona Hieruſalem militantis ſponſæ tuæ, & triumphantis illius quæ deſurſum eſt mater noſtra, omnibus diebus vitæ noſtræ præſentis & futuræ. Sic præterea videas filios filiorum tuorum in ſpirituali propagine & tandem quod eſt omne D bonum & benedictionis conſummatio, & conſummationis finis, videas pacem ſuper Iſraël, & nos tecum hic inchoatiuè per gratiam, & beato complemento per gloriam in futuro. Præſtante eo qui eſt benedictus in ſæcula ſeculorum. Amē.

PROPOSITIO FACTA AB EODEM DOMINO CANCELLARIO *coram Anglicis Pariſios euntibus ad ſacrum concilium Piſis, & hoc ex parte Vniuerſitatis Pariſienſis. Anno Domini* 1408.



CONGRATVLATVR veſtræ deuotioni, veſtro zelo feruente, veſtræ laborioſæ ſed laudabiliſſimæ legationi. Congratulatur & applaudit ô reuerendiſſimi & præclariſſimi patres, ô doctiſſimi & ſapientes viri & fratres in Chriſti dilectione chariſſimi. Congratulatur inquam & congaudet amatrix & admiratrix & cultrix bonorum omnium Pariſienſis Vniuerſitas. Itaque non æmulatur nec gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Quidni congaudeat igitur ſuper veritate, quam vt ſoletis amplectimini, & complexam retinetis, retentam ad effectum deducere totis ſtudiorum neruis conamini? Eſt autem modò congratulationis noſtræ ſpiritualis thema ſatis accommodum verbum Ozeæ Propheticum Ozeæ. Congratulabantur filij Iſraël, & filij Iuda pariter. Itaque libet exclamare, Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnū, conuenire ſcilicet & congregare ad vnum concilium. Nam in concilio iuſtorum & congregatione, magna opera Domini. Et hoc eſt conciliū ſacrum & venerandum, ad quod legati pergitis, quod Piſis Deo duce & authore celebrabitur, vtinam felici prout optandum & ſperandum eſt aduentu. Ait quippe veritas, quod omne regnum Mat. 3. in ſe diuiſum deſolabitur, & è contrario vnitum in ſe regnum manet. Quod vidit Saluſtius, concordia inquit paruæ res creſcunt, diſcordia maximè dilabuntur. Cur ergo non bene ſperabitur dū adunatur Eccleſia, dum conuocatur cœtus, dum conueniunt ſeniores? Videte de verbo hoc, præſertim cum teneamus certiſſimam Chriſti promiſſionem dicentis: Vbi duo vel tres, &c. Audiuimus Matt. 18. præterea lætanter & gaudenter, quod congregabuntur, &c. At verò ne prolixior vel euagatior ſermo tædio ſit vel oneri, coarctemus ſi placet totam dicendorum materiam, totámque deductionē thematis ad quatuor ſententias ſumptas ex themate, ex verbis ipſi protinus appoſitas, & videamus quid in illis loquitur Deus, quia loquetur pacem in plebem ſuam. Poſtquam enim dixit Dominus per Ozeæ: Congregabuntur filij Iſraël & filij Iuda pariter pro prima ſentētia, mox ſubiunxit, & ponent ſibi caput vnum, ecce ſecūdam ſententiam. Et aſcendent de terra, ecce tertiam, quia magnus dies Iſraël, ecce quartam. Incipientes ergo proſequamur, & inuenimus puto cauſas quatuor ſufficientes, quare congregabuntur filij Iſraël & filij Iuda pariter. Ipſi enim qui ſunt populus vnus Dei, fœda nūc diuiſione proh nefas diſperſi ſunt, velut olim in figura ſub Roboam & Hieroboam contigiſſe meminit ſcriptura 3. Regum 17. Et eſt tanquam materialis aliqua ratio, & confuſa huiuſmodi concilij celebrandi. Inuenimus præterea cauſam finalem luculenter expreſſam in altera ſententia. Et ponent inquit ſibimet caput vnum. Denique tāgitur cauſa diſpoſitiua, & velut efficiens celebrationis huius concilij, dum dicitur in altera ſententia, quod aſcendent de terra, & quid terra myſticè niſi terrenus affectus? Quid igitur aſcendere de terra niſi de terrenis affectibus quibus oppreſſi ſunt hactenus E multi, ad ſpirituales & diuinas affectiones ſe potenter erigere, & erigendo ſalubriter aſcendere, tanquam audiret quiſquam de excelſo clamantem Pſal. 43. Deū: Exurge qui dormis. Et rurſus: Surgite poſtquam ſederitis. Habemus præterea cauſam quo- Pſal. 126. dammodo formalem, & ad huius celebrationem concilij viuificè, præparantem, quæ forma eſt ſemen Dei viuum & efficax ſemen Spiritus ſancti, habens virtutem formatiuam & reformatiuā totius vnitatis, totius Eccleſiæ corporis, in vna fide F & ſpe & charitate ſub vno Deo & Domino per omnem iuncturam, ſecundum deductionem Apoſtoli ad Epheſ. 4. Quod notatur in hoc verbo Ieſraël, quod interpretatum ſonat idem quod ſemen Dei vel ſeminauit Deus. Et quale ſemē iſtud? Planè illud de quo alibi propheticus ſermo dicit: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus: Eſa. 1. Gratias tibi Deus Iſraël, quoniam acceſſit nunc dies magnus Iſraël magnus ſcilicet dies ſeminis Dei, quod habet in ſe artem & virtutem viuificam, qua myſticum corpus Eccleſiæ ſe viuificare poteſt & vnire ſalubri-

lubriter, in cuius efficacia & virtute congregabũtur filij Israël & Iuda pariter. Bene hæc iacta sunt fundamenta, sicut ex Cicerone sumit Lactantius. Hæc autem fundamenta sunt perfectibilitas Ecclesiæ per congregationem, vt causa materialis ordinabilitas Ecclesiæ vt ad vnius capitis positionem vt causa finalis, intelligibilitas in epikeizando seu interpretando vt efficiens, insita fœcunditas in se conuersando vt formalis dispositiua. Superædificemus fabricam quadrangularem quatuor considerationum principalium, ad erectionem ædificij præsentis congregationis ampliorẽ. Et dicamus pro prima consideratione iuxta primam causam in verbo notatam.

Consideratio prima.

Congregatio filiorum Israël & Iuda pariter, quæritur ab ecclesia quemadmodũ materia quærit formam & imperfectum perfectionem, & mulier virum siue sponsa sponsum. Tractat diuinus Dionysius, & post eum Boëtius & Augustinus quibus experientia suffragatur quod res quælibet non minus diligit aut appetit congregationem suijpsius quam propriam entitatem, nimirum quia ens & vnum conuertuntur. Hinc est ille dolor, illa concussio, ille vehemens horror in corpore vero, dum membratim quæritur diuidi vel dispergi. Sic nemo dubitauerit quin Ecclesia diuisionem suam refugiat & horreat, cum sit corpus mysticum secundum deductionem Apostoli ad Epes. 4. & 1. Corinth. 12. & ad Roman. 12. & alibi sæpissimè. Est etiam terribilis vt castrorum acies ordinata. Aciei verò quis nesciat separationem maximum afferre detrimentũ. Est insuper Ecclesia ciuitas, de qua gloriosa dicta sunt, est regnum Dei est Hierarchia subcœlestis, & ita de multis similitudinibus, secundum quas conuincitur diuisionem ei, atque separationem schismaticam esse penitus odiosam. Potuerat hoc loco fieri sermo prolixior, deducens perfectionem Ecclesiastici corporis stare principaliter in vnitate tanquam in consummatione omnis boni. Fallor itaque si non optabundus propheta postulabat hoc, imprecans pacem super Israël, sciens quoniam posuit author eius Deus fines suos pacem. Vide si non hinc ortum est illud Christi ad ipsam Hierusalem quæ figuram tenet Ecclesiæ. Hierusalem Hierusalem quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti. Ad hoc quippe mortuus est Iesus, vt filios suos dispersos in vnum congregaret, tanquam lapis angularis faciens vtraque vnum. Et ecce heu fera pessima monstrum horrendum ingens, monstrum biceps portentum iam 31. annos habens schisma pestiferum pulcherrimam hãc & perfectam pacem quantum in se fuit lacerauit, dissipauit, & in exilij longinquam regionem trusit. Sed veniat ô vtinam pax iuxta votum Esaiæ. Veniat & requiescat in cubiculo suo, quod est Ecclesia, quatenus expulso disconuenienti schismate, forma pacis conueniens inducatur. Nam qualis est ista deformitas, qualis imperfectio, videre corpus mille partibus miseris modis laceratum, dissipatum & dispersum. Cuius lacerationi nulla hactenus profuerunt efficaciter humana remedia, quin potius schisma hoc horrendum velut insanabilis cancer ægrescit medendo, vt de Trano loquitur Virgilius. Ipsum denique tanquam fabulosa hydra redit ex successione sua fœcundius. Hinc scandala populorum sine numero aduersus fidem nostram, religionem nostram, mores sanctos, aduersus spẽ quoque futuræ beatitudinis, contemptum sæculi, sanctitatem immobilem iurisiurandi, voti sacramentorum virtutem, obedientiam ad Deum & ad omnem disciplinam. Quare? Quia sæuissima dominandi libido, mater infausta schismatis huius pestiferi fundit, hæc omnia fasque nefasque velut hianti voragine mergit, sorbet & obruit. Quid porrò de paganorum infideliumque fabuler probro & irrisione aduersus Catholicos. Demum tota illa flebilis Hieremiæ lamentatio si ad calamitatem Ecclesiæ præsentem deflectatur, nescio si satis illam vt dignum est expresserit dum ait: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, &c. Nequit prorsus æquari verbis, quantum res ipsa videatur indigna, pro qua reformanda celeriter, expeditissimum est quod congregentur filij Israël & filij Iuda pariter.

Consideratio secunda.

Pro causa secunda. Congregatio filiorum Israël & Iuda pariter quærenda exequendaque est, vt ponant sibimet caput vnum. Iste est finis, hæc intentio imminentis sacri concilij Pisis celebrandi, ad quod vos cum cæteris religiosa & finali ad matrem Ecclesiam pietatis pergitis & peruenitis oro fœliciter. Non ignoratis scio ô doctissimi, & sapientes viri, quod caput Ecclesiæ primarium & principale semper vnum est, inuariabile & permanens, sicut testatur Apostolus. Caput inquit Ecclesiæ Christus. Christus autem manet in æternum (vt idem ait) sempiternum habens sacerdotium & Papatum. Itaque salutifer Christe caput nostrum es, à quo fluunt in Ecclesia sensus omnes & motus viuifici spirituales ac gratuiti, ac proinde nunquam Ecclesia tua esse potest acephala neque te sponso suo viduata. Nihilominus tu quondam ascensurus ad patrem reliquisti sibi Vicarium super terram tãquam caput aliquod secundarium, fluens & refluens in stabili loco tui sacerdotij & Papatus essentialis indefectibilis & manentis vsque ad consummationem sæculi, quãdo euacuabis omnem dominationem, principatum & potestatem, & tradideris regnum Deo patri. Nunc autem proh dolor viri patres & fratres, nunc scandalizantur aduersus hoc caput primarium duo contendentes, dũ simul illud quod fieri nefas est repræsentare volunt, vel vices gerere, vel in suum locum succedere. Sic in impiam succedimus maledictionem hanc, quod facti sunt eius hostes Ecclesiæ in capite. Oportebat quidem ad vnitatem Papalis sacerdotij vnicum sacerdotem & certum Vicarium Christi super terram assumi succedentem Petro, & non Pharisaïca contentione dicere sicut olim conquæstus est Apostolus. Ego sum Gregorij, ego sum Benedicti. Sanctius quoque filialique ad matrem charitati, cõuenientius est relinquere Papalem dignitatem & Petri sedem vni tertio sub pace possidendam, sub quo congregati essent filij Israël & filij Iudæ vnus populus Dei, quam fœdissima seditione par-

tiretur obedientiâ, & spargeretur grex, quasi non esset vnum ouile & vnus pastor. Quasi rursus indecens esset quod congregarentur filij Israël, & filij Iuda pariter. Meditabar hæc nuper in abscôdito scrutinio cordis mei priusquam proferetur, dum ecce animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, sed ea quæ de terra sunt loquens. Numeratus quippe est inter filios Agar, de quibus dicit scriptura, quod exquisierunt sapientiam quæ de terra est. Coniungitur quippe ipsi sapientiæ terrenæ, animali & diabolicæ non ei quæ desursum est, propterea obscuratum habet intellectum. Ipse inquam animalis homo vt impatiens habes & præceps, & quo pacto inquit opus est congregatione filiorum Israël & Iuda, quasi res iuncta sit super in re prçciunt, quasi præterea liceat vel expediat nunc concilium generale nouum celebrari. Non itaque licet, cum non possit concilium generale sine Papa celebrari, & nisi primitus ante omnia spoliatus ab obedientia sua restituatur eidẽ. Quomodo præterea decens esset ea quæ certa sunt & tam per longissimos temporis tractus in consuetudinem versa rursus in discussionem tanquam dubia reuocari. Et quod vera & iusta pars exponat sit discrimini condemnationis. Nam euentus iudiciorum varij sunt, qui fallũtur & fallunt. Denique quid expedit contraniti voluntati diuinæ, suæque prouidentiæ, quæ iusto iudicio permittit hæreses fieri, & dicit esse necesse vt veniant scandala. Qui etiam ait: Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram, sed gladium. Qui demum olim prohibuit fieri congregationem filiorum Israël & Iuda pariter, asserens diuisionem ab eo factam esse. Multa maioráque parabat animalis homo delatrare aduersus celebrationẽ concilij asserens quod nec licebat nec decebat nec expediebat illud fieri, dum exhorrui fateor, nihilominus animo ad eum. Obmutesce importune & stultè, aut expecta donec considerationum cœptarum numerus impleatur. Audies forte ea quæ contradictionibus tuis imponere possint silentium. Extorsi velut ab inuito dilationem, vt tertia & quarta considerationes liberiori sermone cõplerentur.

Matt. 10.

Consideratio tertia.

Congregatio filiorum Israël & Iuda pariter habet fieri tanquam à causa dispositiua quæ remouet prohibens, dum ipsi ascendunt de terra, hoc est secundum moralem intellectum, dum de terrenis affectibus ascendunt ad cœlestes, & fiunt de animalibus spirituales, dumq; littera dimissa quæ occidit, ipsi spiritum qui viuificat, amplectuntur, hoc tamen obseruato, ne quid nimis, ne dum nimis obseruari quæritur spiritus, obruatur simul caro cum spiritu. Vnde quæso tamdiu viri patres tardata est fieri congregatio concilij generalis & sacri, nisi quod tamdiu non fuerunt auditi spirituales viri, quales (si Apostolo creditur) dijudicant de omnibus. Ecce quid præclara vniuersitas Oxoniensis, vnde sibi meruit congratulari, pridem ad hoc concilium petendum determinauit se & misit in Franciam, scio qui præsens interfui dum proponeretur hæc conclusio compendij sub hoc themate Ioelis. 1. Vocate cœtum, coadunate senes. Sed pridem antea Parisiensis Vniuersitas ab exordio nascentis diuisionis deliberauit

A solemniter & concordi sententia conclusionem hanc petendam & prosequendam esse quam ex parte sui proposuit reuerendus pater ac præceptor meus præcipuus Dominus nunc Cameracensis, coram Ludouico duce Andegauensi tunc regente in Francia. Circa quod tempus scripsit pro eadem conclusione clarissimè, memoriæ magister Henricus de Hassia magister in theologia Parisiensis, & vice cancellarius sub magistro Ioãne de calore tunc cancellario Parisiensi. Scripsit

B insuper Dominus præpositus Vvormacensis magnus & deuotus & licentiatus in artibus Parisiẽsis. Scripserunt quoque alij sicut ex eorum tractatibus adhuc constat. Amplius verò scripsit post multos annos vniuersitas Parisiensis epistolam grandem continentem tres vias, inter quas concilium generale numeratum est. Ecce quot viri spirituales & eruditi, non innitentes soli litteræ, ascendentes de terrenis affectibus, & in liberum atque purum æther lucidissimæ veritatis, desideriorumque splendidorum sese attollentes,

C quæsiuerunt olim multo studio concorditer, q congregarentur filij Israël & filij Iuda pariter. Et hæc est non parua congratulationis materia, quod in vnam conuentum est sententiam per duas vniuersitates toto orbe celeberrimas & ipsis nonne fides dari debet, cum illic sint viri spirituales & sapientes, secundum qualia iudicia medium virtutis accipere iubet Philosophus. Illi præterea sunt idonei conditores legum doctrinaliter & instructiuè, quibus similis interpretatio per epikeiam debita est. Illic sunt qui men-

D tiri nesciunt, de quibus nouerunt, & mentientes redarguere possunt, dum à verò falsum, à licito illicitum sciunt secernere. Cum ergo conueniunt congregatio multiplex sapientum in celebrationem huius concilij generalis tanquam in rem expedientem, vt in prima causa dicebatur. In re prçterea decentem sicut visum est in secunda. Nam quid decentius quam vt vnum corpus habeat caput vnum. Postremò superest ostendere rem hãc esse per se licitam atque legitimam, quod in quar-

E ta & vltima consideratione videbimus, quæ talis est.

Consideratio quarta.

Congregatio filiorum Israël & Iuda pariter sumit suam efficaciam & virtutem à diuino semine, quod per Ecclesiasticum corpus tanquã sanguis viuificus diffusum est, & radicaliter seu inseparabiliter insertum. Ponamus pro solido fundamento præsentis considerationis & aliorum tam dictorum quam dicendorum textum Apostoli ad

F Ephes. 4. Solliciti seruate vnitatẽ spiritus in vinculo pacis vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omniũ qui super omnes & super omnia & in omnibus. Sequitur: Et ipse dedit quosdã quidẽ Apostolos, quosdã autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ pastores & doctores ad cõsummationẽ sanctorũ, in opus ministerij in ędificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensura ætatis plenitudinis Christi. Sequitur. Veritatem autem facientes in charitate cresca-

crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Eliciamus ex his paucissimis sed sententiosissimis apostoli verbis aliquas veritates. Prima congregatio ecclesiastica ad vnum caput Christum facit, & conglutinatur per vinculum amorosum spiritussancti mediantibus qualitatiuis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam viuificam & decentem. Hæc autem dona sunt virtutes theologicæ, fides, spes & charitas, sunt etiam sacraméta ecclesiastica, sunt diuersæ diuisiones gratiarum, prout vnicuique concessum est, hoc est semen in quo conueniunt ambę obedientiæ, quale non abstulisset scisma pestiferum si de pace reformanda nihil actum esset, prout alias scripsit ipsis Romanis Parisiensis vniuersitas. Secunda. Congregatio ecclesiastica ad vnum caput Christum copiosior est atque fœcundior quam fuit congregatio synagogæ. Non enim habuit synagoga talem in sacramétis & alijs multis commutationem adiunctionis sicut ecclesia. Nam extra eam stabat salus, quemadmodum saluatus Iob ostendit. Tertia. Congregatio ecclesiastica ad vnum caput secundarium multiplicior est & maior quam sit congregatio ciuilis sub vno rectore vel imperatore vel rege. Cónexio quippe talis politicæ ciuilitatis fit per leges & dona naturæ principaliter, & in illis constituit suam vnitatem. Ecclesia verò vt politia & ordinata habet hanc vnitatem, & vltra hanc habet alteram supernaturalem & diuinam quæ dicta est. Et ita sequitur consequenter, quod ecclesiastica pluribus legibus regitur quã altera politia. Quarta. Congregatio ecclesiastica non habet vel habuit ex se potestatem ordinandi & consumendi per gradus varios atq; hierarchicos dignitatum & administrationũ, quales in ipsa reperimus à summo præsulatu vsq; ad infimum administrationis gradum, quicunque sit ille. Patet, quia supernaturalis est hæc institutio, consurgens ex solo beneplacito liberalissimi conditoris. Nec (vt opinor) voluisset vnquam oppositum sentire præfatus magister Henricus de Halsia, dum ponit quod ecclesia posset sibi instituere summum põtificem: si non fuisset immediatè constitutus à Christo. Addit enim quod hoc potuisset ecclesia à spiritusancto edocta & autorizata, quod est probabiliter sentiendum. Quinta. Congregatio corporis mystici ad vnum caput Christum semper habebit per omnem iuncturam gradus dignitatum & officiorum & administrationum, de quibus dictum est, patet ex illo verbo, donec occurramus omnes &c. Propterea dicitur ecclesia desponsata Christo in sempiternũ Ozee 1. Dicitur præterea habere semper in se semen ad sui propagationem & conseruationem vsque ad consummationem sæculi. Sexta. Congregatio ecclesiastica ad vnum caput Christum lege stante, non remanebit in sola muliere, immo nec in solis laicis, sed erunt vsque ad consummationem sæculi episcopi & sacerdotes aliqui fideles. Septima. Congregatio ecclesiastica dici potest habere duplices partes integrátes eam,

quædam sunt fluentes, quædam permanentes, & vt ita loquamur essentiales. Primæ sunt ipsæ personæ mortales constitutæ in graduum varietate. Aliæ sunt ipsimet gradus dignitatum & administrationum. Exemplum in Papa & papatu, in episcopo & episcopatu, & similibus, Papa fluit, papatus stabilis est. Octaua. Congregatio ecclesiastica constituitur in suis partibus fluentibus & quodammodo materialibus, ministerio hominum secundum legem primitus inditam & insitam ipsi corpori ecclesiastico, & prout ipsum habet in se semen viuum & efficax seipsum multiplicandi atque conseruandi in successione specificatam ad partes fluentes, & in successione eadem materiali quam ad essentiales. Patet veritas ex illo verbo Apostoli: Nemo sibi assumat honorem, &c. Et de prædicatoribus dicit: Quomodo prædicabunt nisi mittantur, &c. Et hæc veritas similiter posset inflecti ad depositiones & degradationes & resecationes partium scandalizantium, sed pro nunc omittatur. Nona. Congregatio ecclesiastica, habet claues ordinis & iurisdictionis alio & alio modo in se & in suis partibus fluentibus. Vt exempli gratia, claues datæ sunt Petro autoritatiue & exercitatiue, sed toti ecclesiæ vniuersaliter & susceptiuè. Vel datæ sunt ecclesiæ vt in actu primo, & Petro in actu secundo. Decima. Congregatio ecclesiastica sic instituta est, vt castrorum acies ordinata, vel vt corpus integerrimè perfectum, sic quod non est in potéstate Papæ, vel alterius cuiuscunque, deordinationem vel multitudinem in suis partibus essentialiter inducere. Vnde nec Papa posset inducere quod nulli essent episcopi nec curati nec cardinales pro quanto sunt successores apostolorum in ecclesia sancta Dei. Sunt enim gradus omnes seminati à Christo in ecclesia primitiua, quamquam paruula, in qua nondum erant sic explicati gradus ecclesiasticæ hierarchiæ, vt nunc inspicimus, quémadmodum spica totos numeros suos habet in grano, & nux arbor in nuce virtualiter continetur. Has vocant Philosophi inchoationes formarum in materia. Vndecima. Congregatio ecclesiastica licet non possit instituere papatum, vel destituere nihilominus potest per se vel per concilium eam repræsentans statuere alium modum eligendi papam quam modo fit, vt alias visum est. Potest insuper remouere papam etiam rite electum & alium constituere, si ita sibi visum fuerit expedire ad ædificationem ecclesiæ, vt in casu grauis scandali vel in dubio aliter interminabili quam per cessionem vel deiectionem papæ, aut alio tali casu. Ipse enim pastor instituitur pro vtilitate gregis, & dum præsidentia sua cedit in graue detrimentum, mercennarius reputandus est, immo latro, immo lupus rapax, si quærit in præsidentia tam damnosa remanere. Et hic fundatur possibilitas practicandi viam cessionis saltem quoad effectum suum contradicentibus, contendentibus & inuitis. Hic fundatur præterea, quomodo in casu veritatis istius congregatio vrgens papam, ad cessionem deijciens eum, si pertinaci libidine dominádi motus renuat, non est iudicanda quod eum persequatur, sed ei potius & Deo & ecclesiæ toti multipliciter obsequatur. Duodecima. Congregatio ecclesiæ licitè &

Hebr. 5.
Rom. 10.

meritoriè potest in casu fieri sine Papa vel autoritate sua. Itaque cum possit dupliciter fieri congregatio, vno modo concordatiuè vel assensiuè seu charitatiuè, alio modo autoritatiuè. Constat de primo congregandi modo, quod sine Papa possibilis est, immo fuit sæpissime practicatus tam apud Apostolos quam apud imperatores sanctos & catholicos, qui sæpe conuenerunt in vnū priusquam essēt euocati vel autorizati à Papa. Patet de quatuor primis concilijs memoratis in Actibus apostolorum. De primo nondum erat adhuc Petrus factus Papa, quin simul erant congregati ad examinationem testimoniorum de resurrectione. Vnde & quælibet congregatio libera non subiecta tyrannidi habet hanc facultatem seipsam congregandi. Patet in confraternitatibus, & alijs multis conuentionibus charitatiuis. Secundus modus conuocationis habet maiorem quæstionem, nihilominus oportet eum concedere possibilem, alioquin periclitaretur respublica ecclesiæ, si necesse esset autoritatem Papæ prius interuenire. Exempli gratia. Immineat casus periclitationis ecclesiæ, sit in temporalibus sit in spiritualibus, & quod tunc nullus esset Papa, nec posset prius institui quam esset prouidendum ecclesiæ per assensum communem. Item in casu quo Papa perdidisset vsum rationis perpetuæ. Item in casu quo Papa depriuatus esset in intellectu per hæresim, & in effectu per enormes & scandalosos mores, quod ad destructionem Ecclesiæ patenter laboraret. Item in casu quo requisitus sufficienter & monitus dare nollet autoritatem concilio, vt forte est in præsenti casu, quia signum est quod non vult audire ecclesiam, si non vult eam congregare. Item vbi probabiliter dubitatur, quod fideles nunquam ei præstabunt obedientiam qualemcunq;, aut nō satis vtiliter atq; concorditer. In talibus & similibus casibus congregatio ecclesiastica sumit autoritatem & virtutem seipsam vniendi ex diuino semine per vniuersum corpus suum diffuso, vt dictum est. Et ad hoc est textus legis Deuter. 17. & notat Christus Matth. 18. resoluens tandem omnia ad ecclesiæ iudicium: Si inquit ecclesiam non audierit. Obmutescit igitur animalis siue litteralis & carnalis homo, & spirituali magis credat deducenti & probanti per priora, quod expedit quoad primam considerationem, & decet quo ad secundam, & licet quo ad hanc quartam, quod congregentur filij Israël & Iuda pariter. Ad quid nimirum vt ponant sibimet caput vnum, non ad disceptandum & discutiendum & arguendum & litigandum, sicut phantasiari videbatur animalis homo. Hoc enim fortassis inducere posset indecētiam & multam turbationis materiam. Cæterum quoad allegationem quæ fiebat ab animali homine, quod necesse & expediēs erat esse scisma, sicut olim dominus voluit dissensionem esse inter filios Israel & filios Iuda. Solutio facilis est quoniā non sunt facienda per homines mala vt eueniant bona. Neque enim sciét ex malis bona elicere, sicut Dominus ex nostris peccatis & scandalis potenter elicit bona, tanquam attingens à fine peccatorum vsque ad finem comprehensorum fortiter, & disponens omnia suauiter facienti, vt omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Deniq; non potest lege stante politia ecclesiastica quæ est monarchica in aliam

A transformari sicut in alia politia. Tandem multis prætermissis neque enim locus neque tempus, nō stilus neq; ingenium, nō memoria patiuntur omnia dicere quæ dicenda essent, fiat ad opuscula & tractatus super his cōfectos recursus liberior. Cōcludamus ergo ex quatuor causis per totidem cōsiderationes tactis potius quam deductis quod expedit, decet & licet quod congregentur filij Israel & Iuda pariter. Cōgratulatur amatrix bonorum omnium Parisiensis vniuersitas, mater mea, vt dicere cepimus, congratulatur vestræ deuotioni,

B vestro zelo feruēti, vestræ religiosissimæ ad matrem ecclesiam pietati, vestræ tandem laudabilissimę legationi ô reuerendissimi & spectabiles viri patres & fratres, det auxilium Deus in progressu egressum felicissimum & votiuum. Deniq; offert seipsam totam & in membris singulis eadem vniuersitas ad omnia communi consensu & deliberatione auisanda, tractanda, communicanda, concludenda, prosequenda cum omni humilitate & fauore, nihil quærendo quod suum esse videatur,

C sed quod omnium, vt habeatur vnum & certū caput secundarium in ecclesia sancta Dei, postpositis contentionibus omnibus & discussionibus odiosis, quæ ad hanc rem non satis attinent, sed magis ad diuisionem, & practicando viam compendiosissimam & sanctissimam cessionis amborum contendentium, vt iurarunt solemniter & vouerunt. Neque prętereà sit contentio quis in hoc negocio prosequendo videatur esse maior vel potior vel doctior. Scit eadem vniuersitas, quod stabimus

D omnes ante tribunal Dei, illic videbitur quo quisq; animo, quo zelo, qua intentione pacem veram suę spōsæ quæsierit. Sit igitur hæc gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ sit gloria Deo. Nā denuncians angelus pacem hominibus permisit, Gloria in excelsis Deo. Deniq; si filij Israel prout scriptura loquitur, ibant animo pacifico ad præliū, Luc. II. quali animo & quam pacifico eundum erit ad hoc pacis concilium, sine ęmulatione, sine contentione sicut decet congregatione sanctorum, sine irascendo in via, quemadmodum monuit Ioseph

E fratres. Præterea nullus detur locus diabolo qui in seditionibus habitat. Fiat in pace locus Deo, qui dirigat pedes nostros in viam pacis, & doceat viam prudentiæ ipse qui est via, veritas & vita, & Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRILOGVS IN MATERIA SCISMATIS eiusdem Cancelarij.

F SÆPE numero sublimem rationis speculam (nec mentior) solus ascendi, quatenus super omnes vitiosarum passionum nebulas positus, eo quoque omnia supergressus quantum fas habui, quæ aspectui vero obstare crederentur, ego liberiores mētis oculos hac illacq; versarem super hoc mare magnum & spaciosum humanæ fluxibilitatis, præsertim ad videnda quę pro sedatione procellarū suarum & elationum contra nauem ecclesiæ hactenus agitantur. Honesto memorans conspicio naucleros ecclesiasticæ nauis huj⁹, strictis quasi gladijs verborū acutorū decertare mutuo, facies insuper ardentes

ardentes contumeliarum & exprobationum scriptis insertarũ, iactare. Omnes se vicissim impetere, ita demum confligere, ita collidi, quod omissis hostibus exteris, & spretis salutaribus studijs id vnum satagere credi possunt, vt quilibet quemlibet extra nauẽ ecclesiæ deijciat, & deturbet, seorsum vos, acclamant isti horrifico boatu seorsum vos, in malam horã vestram procul abscedite; quoniam schismatici estis, viperarum genimina estis. Infelix cuculi proles estis; vos denique omni mulctatione & anathemate, debito parricidis & patriæ proditoribus, digni estis. Aliorum ex aduerso & si mitior sit res, tamen acerba est: immo vos inquiunt, discedite à nobis, vt schismatis nutritores & fautores, vt criminis participes cũ schismatico, cum periuro, cum hæretico, cum ecclesiæ subuersore certissimo. Inter has belligerantium voces, inter literas maledicas hincinde volitantes, timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: mala sunt & valde mala quæ video, sed nesciens interim, quorsum res euadat, deteriora præsagio; væ, væ si hæreses caput extulerint. Iam tamẽ quæstiones fidei iactantur inter eos, multæ quoq; (pro solidis veris hactenus habita) proponũtur vt dubia, & quis nouit si corruptus passione præsenti animus, errabit (vt solet) à vero, seu determinando quæ falsa sunt, aut quæ non expediunt, seu repudiando ea quæ ab aliis verè determinata cognoscentur? Cæterum à nonnullis pugnatur velut in tenebris, ita amicos non secernunt ab hostibus, ita quid feriendum, quidve impugnãdum sit, non vident, oculos petere habent, & feriunt tales palpantes velut cæci, & ambulantes in circuitu. Exẽplo quoque eorum qui domum Loth circumuallabant, ipsi tanquam acrisia percussi, viam neque egrediendi, neq; ingrediendi inueniunt. Ipsi rursus machinas magnas grauissimarum infamiarum cõgerunt, ex iurium allegatione generali. Sed infirmo vel deficiẽte veritatis fundamẽto, in eis qui facti sunt, mutabundæ reddũtur hæ machinæ, immo corruunt, & in eis ædificantes, & egestę, eosdẽ propria mole sternunt, talis est de gigantibus poëtica fabula: hodie præterea, velut olim in ipsa Babylonicę turris ædificatione, fit in ecclesia cõfusio linguarũ, vt se non intelligant hi, qui vel ædificant vel ædificare se dicunt turrim eius. Quid acturus sum miser hæc aspiciens, quid moliar hæc aduertens? obsistere neque fas neque vires habeo, non moueri impossibile.

Sic lugebã mœstus, sic angustiabar anxius, væ & væ crebris plangoribus ingeminans, dũ ex secreto mẽtis triclinio, duæ comites germanæ, cũ fratre vterino, astitisse mihi visæ sunt, familiariter satis notæ: nomen fratris *zelus*, cuius habitatio in camerula irascibilis: nomen vnius sororis *beneuolentia*, cuius locus est in cõcupiscibili: altera vocatur *discretio*, residens in rationali: hæ sibi mutuo datæ erant in adiutorium, tanquã vno germanitatis nexu circumplectẽtes se cum fratre, quoniam zelus absq; beneuolentia nimium rigidus est, grauis, & austerus: Beneuolẽtia absq; zelo, mollis & languida: zelus demum & beneuolẽtia, sunt absque discretione ad seductionem, erroréque valde prona: Porrò absq; discretio quid possit, quid prodest? Hæc trina societas, die noctuq; pluries altercata est, intra secreta domus meæ cubicula, meum quoque frequenter rupit silentium, zelus præcipuè cuius aliquando vehemens adeò improbusq; fit impetus, vt nunc verbis, nũc scriptis erumpere gestiret extrinsecus, non hoc, non illud discrimen aduertẽs, neutri parti satis parcens, dummodo pax pax fiat, acclamaret. Atverò beneuolentiæ tractus quasi contrarius, & si suauior, non multominus validus erat ad ignoscendum omnibus, & de eis fauorabili interpretatione iudicandum. Quibus sic decertantibus, discretio se mediatricem moderatricemque præbebat. Operosum, magis vero impossibile mihi esset hoc certamen describere, nihilominus aliqua stilo mandare curaui, tum ad obliuia vitæ sollicitæ, etenim, *dulce loqui miseris veteresque euoluere questus*; tum præterea, ad exercitium qualecunque otiosi studij: hoc mihi si dabitur, satis erit, & si nemini ex alijs sim allaturus quippiam commodi, attamen si quos iuuat adesse mihi, paulisper secedant à me, & zelum beneuolentiamque & discretionem, nõ me loqui putent, zelum imprimis.

Zelus. Quid superest cõsilij ô sorores, quousque non pudebit inertiæ, vsquequo tandem mẽs placida contenta quiete est? Quale quantumq; sit cõcordiæ bonum, quæ paruæ res crescunt, sicut discordia maximæ dilabuntur? dum etiam atque etiam recogito, quibus non anxietatibus vrgeor? quibus non mordeor doloribus, quando per quatuor lustra & amplius, propriam ego matrem intueor. Et ô qualem matrem Christe? illam tuam sponsam vnicam ecclesiam intueor (dico) non in vna sui parte, non vno lætali vulnere sauciatam, quin insuper eam ipsam non barbarica tantum debacchatione lædi cõspicio, sed per suos introrsum in visceribus suis, eo acerbius, quo delicatior locus est, video (heu) his oculis, per schismaticã beluam infinitorum capitum, illam piam matrem deijci, lacerari, & per omnes artus truculenta rabie, ac plusquam beluina feritate discerpi: ferre nequeo credite, & si ferreus esset animus, si naturales affectus etiam in bestijs, si passiones vitiosæ in reprobis tanta audent, quanta recensere stupor sit, non minas, non ictus, non verbera, non fustes, non ignes, non ipsa demum mortis immania, imminentis horrenda discrimina pauent, dum sequantur, qua sua voluptas quemque trahit, vel sua passio rapit: horum exempla tum in animalibus respectu fœtuum, tum in hominibus philo, captis, in auaris, in vanè gloriosis, in iracundis, & cęteris huiusmodi quotidiana cernuntur. Si hoc inquam ita in furore vel vitio, quid audere debet pietatis, quid posse virtutis affectio? quam tanto vehementiorem ad bonum esse conuenit, quanto diuiniorem, & ex consequenti fortiorem illam esse constat: propterea, nemo dimouerit, quin verus matris ecclesię zelator, neque incedat, quam sibi monstrauerit vel ratio, vel conscientia, vel auctoritas, vel inspiratio, vel tandem ipsa necessitas ad liberationem suę matris ab hac mortifera peste, & à voracibus bestię huius schismaticę faucibus: quod si prodesse sors acerba vetuerit, tum pulcherrimum erit pro matre, pro pace, pro libertate tali occumbere morti: sed neque hoc magnum nobis, quibus pro pręmio spes fida regnandi promittitur, quando gentes quę spem non habent, spontaneę neci sese deuouisse, celebres collaudent historię, tum

Romanorum de duobus Decijs, & Curio; tũ exterorum de Codro. Ipsos subinde martyres nostros, quia singuli singulas animas suas pro fide ecclesiæ tradentes, saluauerunt, nos immortali deuotionis titulo templis extollimus. Quid de labore illo quo non vna anima, non paucæ, sed totum ecclesiæ corpus præsens & futurum sua salute potietur. *Discretio.* Tace frater obsecro, & feruentiorem iusto spiritum comprime. Caueto tu sciens & videns ne nos & te in aperta pericula mittas. Egisti hoc pluries, dum succensus quispiã, feruido spiritu tuo te medium (veluti contentiones sedaturum) inter pugnãtium vtrinque conflictus opposuisti ita Christum comedit zelus domus Dei dum mortuus est, *vt faceret vtraque vnum.* Sic apud poëtam, senior ille Galesus occubuit, *dum medium paci se offert iustissimus vnus qui fuit*, &c. *Et pius Æneas dexteram tendebat inermem*, pacem acclamans, dum iaculo femur transfixus est: hac in negotiatione deterreri potueras, vt sapientis vsus: consilio non misceres te rixæ alienæ, ne vel te & nos omnes, morsibus sæuis odiorum & infamiæ lacerandos obiectares; lacerandos dixerim, aut ab altera partium, seu (vt frequens est) ab vtraque, vulgati dicti memineris, natans inter duas aquas, in vtraque submergitur: Iam experientia propria hoc te docere & si cetera deessent, debuerat. Nonne tutius erat consilium propheticum Amos; vir prudens in illo tempore tacebit, quia dies mali sunt? Nonne præterea salubrius id quod Ezechielis visio habet, lugere & gemere super cunctis abominationibus quæ fiunt; vt cum Hieremia sedere tristem, aut cum regio propheta, optare pennas sicut columbæ, volare & requiescere, & in solitudine saluum fieri à pusillanimitate spiritus & tempestate, dum est contradictio in ciuitate vbi sine passionũ tumultibus se audiant, semet intelligant, se coram videant, fallit me expectatio mea, si non protinus abiectis armis ambulabunt in domo domini cum consensu, aut ostenso signo ad sagittam, hoc est sine debito, ipsum sine diuinatione improuida, medium veritatis attingent: aut si pugnandum fuerit argumentationibus, ipsi exemplo Israëlitarum ibunt omnes animo pacifico ad prælium. *Zelus.* Quid me aspicitis ô sorores, grandia videor polliceri, sed grandiora fides potest, amor audet, doloris materni necessitas inuitat. *Beneuolentia.* Magna prorsus repromittis frater, sed maior in exoluendo difficultas reponitur; tot sapientes hucusque nequeunt id facere quod attentas solus & iustus: ita ne tot animorum varietates, tot votorum mille species adunabis, quando idem homo, plerumque secum dissidet, & in eadem domo rixæ regnant incompescibiles? Quid ages præsertim, vbi animo deliberato placet error, placet diuisio, pax sola voce, non corde conquiritur, vbi denique tanta, quanta esse posset, finium varietas inuenitur. *Zelus.* Noli tandem obsecro ô germana beneuolentia, noli molestum silentium tam pertinaciter indicere, permitte me confabulari in amaritudine animæ meæ, sine illud quod me premit euomere; dolor inclusus vrit acrius: Ego saltem literulis infodiam quæ sentio, nullum ibi discrimen formidatur. *Discretio.* Age ergo frater si detinere non possumus, permittimus interim scribere te omnia quæ

A in animum venerint, tantummodo ab iniuriosa temeritate, ab irreuerẽtia qualibet abstineto. Caue ne deseras germanas tuas, beneuolentiam & discretionem, quatenus beneuolus sit & discretus sermo tuus, nec accusans: nec excusans alio plus debito, sed aureæ mediocritatis semper in te ornatus effulgeat & placeat, mordaci odiosa dicacitate eiecta. *Zelus.* Faciam quod hortaris, soror discretio. Nã & tu beneuolentia significas te huius esse sententiæ, vis enim omnia interpretari beneuolè, sed in nomen tuum, non tamen ita beneuole quod læ-

B datur veritas, sed vt charitas nutriatur, & veniat dies, qua exultantes canere fas sit canticum istud, Misericordia seu beneuolentia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. *Beneuolentia.* Assentio frater, nil aliud sanè magis expostulo, sed ipsum agere supernus arbiter Deus concesserit. Comitabimur ergo te, tu id quod suggesserimus, tuis verbis exprimito, at verò super omnia vide ne sis zelus talis qualem Apostolus nominauit, non secundum scientiam, quem præ-

C terea dixit zelum contemptionis, quia videlicet nec discretionem nec beneuolentiam germanas tuas audiebat zelus talis. *Zelus.* Fiet vtique, ne dubites, & quicquid in vtramque partem dicendum videbitur, illud deliberato, sed breui libramine rationis explicabo. Nunc alloquens omnes in commune, nunc ad particulariora me deflectẽs, quod si post finito verbo deprehenderitis me præuaricatorem pacti huius, vestra erit correctio, & meũ vltro parcere corrigentibus. Multa tamen (id ad-

D uertite) locuturus sum nominatim sub modo triplicis epistolæ, qualia loqui vel posse vel debere personas introductas, nõ me, licentia oratoria cõiecturate. Et in primis omnes in commune conueniam. Si sententiæ diuersæ sint inter vos, vt humana fert fragilitas (quoniam incertæ ac timidæ sunt prouidentię nostræ, pręsertim vbi variatur narratio in eis quæ facta sunt) Nunquid propterea contentiones odiosę regnabunt inter vos? nunquid exemplo mulierculatũ, res iniurijs peragetur? Nonne salubrius est & Christiano dignius vinci à bono

E quam malo vincere? imo hoc pessimum est, illud optandum. Credite mihi, pax malè per schismata quæritur, non vtiliter iniuria iniurijs, sic nec calliditas calliditate, nec morbus morbo repellitur aut sanatur. Si pręterea contentiones & rixæ sint inter vos, nonne carnales estis? ego quidem dico quod vnusquisq; vestrum dicit: Ego sum benedicti ego subtractionis, ego neutrius, & quod venire solet inter oues, dũ cæca nocte prædator lupus irruerit, fugiũt, pars hæc fauces lupi nescia incurrit, hæc in oppositum parietem impingit, hęc nullo certo va-

F gatur attonita. Non aliter spiritu quodã vertiginis agitatur cœtus Ecclesię, pars palpat velut in tenebris ignorans quę petat; pars ambulat in circuitu, pars sistit expectans lucem veritatis certam de tenebris splẽdescere. Pars neq; scit neq; nouit quicquã agere; nihilominus ipsa & agentes vtrinq; ridens dijudicat. Alios rapiunt & transuersos agunt passiones variæ, pessimę consiliatrices, ira, odium, inuidia, cupiditas, ambitio, timor & similes; adeò vt pro personis persequendis, syncerus, amor pacis, & serenissima veritatis amicitia deserantur aut impugnentur: quo facinore, qualc

quale aliud execrabilius cogitari possit, nequaquam inuenio. Per tales, si nõ obuiatum extiterit, A exponetur fides discrimini; si suis litteris fidentes, si eas instrumentum suarum passionum efficere molientes, determinauerint aut asseruerint (leuius debito) in hanc vel illam partem ea quæ melius intractata manerent: vt si diceretur Papã nõ esse caput vniuersale ecclesiæ iure diuino; Papam non expedire esse vnicum pro Ecclesia, Papæ passim in facie resistendum esse; passim & ab eo appellandum: vel ex aduerso, si quis assereret quod in nullo casu Papæ dicere liceret, cur ita facis? & simi- B lia. Quosdam præterea videre est qui tanta animositate suis aut cœptis aut consultis inhæret, vt nullis ad oppositum rationibus, nulla incommodorum experientia flecti possint. Malunt omnia secum ruere, omnia frangi, vel turbari, quàm pedem retroflectere à via sua, etiã inuia, & ob hoc iam non via: quoniã progressui obstare reperiũtur vel spinarum, hoc est vitiorum, sepes horrida, vel fossatorum, hoc est cordiũ profunditas incognita, vel latrunculorum malignitas, vel comi- C tum mutua impugnatio, vel viarum districtus humiles, quos ceruicosa turgidaque præsumptio nequit prætergredi, quia nequit humiliari. Irascũtur deniq; tales odio immortali contra omnes, quos viderint vel audierint, non dicam aduersari sibi, sed non plenis vocibus & totis assentire sententijs. Alios ad omnem ventum instar arundinis videmus mutabiles, qui pro buccella panis, iustitiã desererent. Alios tandem inuenimus (& vtinam multos) qui parati sunt obedire veritati cognitæ, sequi præterea, quod sequi licebit vel expediet. D Multa quidem licent quæ non expediunt: hi nullos odiunt, nullos persequuntur, quos absq; malignitatis admixtione cum puro & simplici oculo veritatem quærere cognouerint, etiam si non datum fuerit inuenire. Reminiscuntur quod Paulus & Barnabas absq; peccato dissenserunt, ita vt discederent ab inuicem, nullo tamen odio seipsos persecuti sunt, nullis maledictis & iniurijs se inuicem consectari legũtur. Qua in re, videntur egisse non satis beneuolè, nec discretè (ne loquamur acerbius) illi qui sub nomine venerabilis vniuersi- E tati Tholosanæ, quandam nuper epistolam grandem, serenissimo Francorum regi transmiserunt, plenam maledictis, pũgentem iniurijs, corruptam opprobrijs, in illos omnes qui non secum sentiũt, qui subtrahendo, non secum in obedientia (vt dicunt) debita perseuerant. Verum sepositis interim proprijs ad seipsos affectionibus, & odijs ad alios (obnubilant enim ista veri iudicium) animaduertant, quid ex opposita subtrahentes possunt rescribere, nominatim illi de alma vniuersitate Pari- F siensi, qui profundiori nota queruntur inuri. Exemplar litterarum responsiuarum ex persona vniuersitatis Parisiensis ad epistolam Tholosanam.

POSTVLATA in primis rex Christianissime maiestatis tuæ licentia, conuertit se humilis filia tua, respondere Tholosanis quibusdam per epistolam, tali sobrietate qualẽ te decet audire, & nos loqui, contextam non qualiter meruerant hi qui maledictis improbis, qui execrandis execrationibus, infamare regiam dignitatem, cum generali cõsilio suo conati sunt; rupto de repẽte diutino silẽtio. Loquimur ergo sic ad eos, rex serenissime te audiente, te iudice.

Ea fratres, super quibus accusamur à vobis, si talia erant, qualia exaggerando declamat (immo satyrica dicacitate mordet) charitatiua illa epistola vestra (nisi canina potius appellanda erat) profectò, vestrum vos accusat quadriennale silentiũ, cur enim tunc confestim, vt nunc serò, neque arguistis, neq; statuistis cõtra faciem nostram, nos fratres vestros, qui tã manifesta & sacrilega impietate vestris iudicijs errabamus? Sed pertinaces nos ac desperatè errãtes linquebatis, quo pacto igitur nunc frustra nos impetitis, si tales iudicamur à vobis, aut si ad regẽ vestrũ & nostrum dũtaxat sermo vester est? qua ratione ipsũ & omnes de generoso sanguine suo, nõ protinus ab errore reuocastis? quos iuratis vos scire, vos firmiter credere nequaquã pertinaces esse in subtractione per eos effecta, & sic palã effecta, vt nulla possit tergiuersatione negari, testis es o rex eorũ quæ dicimus. Qua igitur vel infidelitate vel inertia, nõ monuistis eos continuo, si tam certo & probroso schismatis anathematisque vinculo (vestris iudicijs) nisi resipiscerent, ligabantur? Atqui, stupidos fortè vos & elingues effecerat timor: quis timor? timor cadens in viros constantes: vnde ortus? inde ortus, quod sicut scribitis vir quidã, legatus ex vestris, ferè necatus est in consilio Parisiensi celebrato. O quam prouidere trepidastis! nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Poterat vnicuique vestrum si obmutire præsumpsisset simile contigisse: nondum verò ita desipitis fratres, vt hæc dicatis, & si ita loquimur, alioquin quo animo certare vos pollicemini vsque ad mortem pro iustitia, qui nondum vsque ad sanguinem restitistis: si vos plus triennio pauor puerilis exterruisset, trepidantes timore vbi non erat timor. Nam qualis timori locus seruabitur, vbi tam promptos defensores & propulsores iniuriæ, episcopus ille mox inuenit, dominos Duces, sicut testamini? Quid si cerebrosus, si capitosus, si præsũptuosè loquitur, aut minax erat ille vester Episcopus, nõ est nostrum definire: sed neque est vsquequaq; incredibile, cum si talis erat, dum in turbã alacrium, ingenioq; viuaciũ iuuenũ incautus impegit; quod exagitatus ab eis secundum meritum suum, & exibilatus extitit. Sed ad silẽtiũ vestrũ regredimur: Respondere postulamus, vbi tunc erat dolor ille ingens, qui (sicut ex historijs trahitis, mutos etiã ex natura loqui cogit) dum recentior erat iniuria, dum plaga noua, curationi proximior, dolor iste vester quo nunc æstuare vos iactatis, quorsum abierat? aut vnde nunc subitus emergit? denique dolor iste, dum ab initio erat quasi mustum nouum absq; spiraculo, nonne in strepitus vastos fortius erumpere, nõne clamores horridiores extorquere debuerat? At verò scandalum vobis erat formidini: quale scandalum, passiuum an actiuum, datũ scilicet an acceptũ? & rumorẽ qualẽcunq; paueritis, dẽnat Gregorius qui tradit, *non esse deserendam propter scandalum, veritatem vitæ, doctrinæ, & iustitiæ*, qualem hic asseritis. Sed exitum subtractionis aut (sicut sermo vester loquitur) partum infelicem præstolabamini; quid ita quæsumus? nunquid ab euentu negociorũ, meriti iam actorũ bonitatem congruũ

vel necessarium iudicatis? videre ne fallamini. Quanta sunt optimo initiata principio, quanta in quibus nihil virtuosæ & moralis prudentiæ defuit, quæ tamen successu prospero vel intento caruerunt, ad quod potest violatè traduci illud: *Careat successibus opto, quisquis ab euentu facta notanda putat*: Nostrum est plantare, nostrum est rigare secundum prudentiam à deo nobis inscitam, hęc verò nihil sunt omnia, sed qui incrementi cõsummationem dat, Christus est. Narrat iudicum liber, filios Israel pugnantes Domini monitu, bis magna strage corruisse, quis tamen dixerit eos de aggressu pugnæ propter hoc inculpandos. At forte prolixus sermo epistolæ vestræ, talem temporis tractum vt elaboraretur exigebat, vtque coaceruaretur interim grandis congeries maledicorũ in nos verborum, vt interim grandiloquam tragœdiam contumeliarum, vt sales asperos, satyricæ, improbæque reprobationis, expueret in nos fraterna illa vestra dilectio. Sed profectò si fuisset iniquitas nostra, vt talia audire meruisset (quod libera voce refellimus) certè tamen vestra amicitia ex similitudine quadam studiorum nobis obnoxia, vestraq; prudentia & grauitas, qualis deceret studiosos, digna apparebat, quæ pulchriori, & non illoto obscœnoque sermone vteretur: dignum erat illud speculum, quale vos esse gloriamini, quod radijs purioribus rutilaret; digna deniq; vinea vestra, quę non in has maledictorum labruscas degeneraret. Poëticum est inuolucrum, musas agrestes ideo in picas conuersas esse, & quosdam agrestes in ranas, & alios in simias, Aracnen in araneam, Niobem in silicem, & alios in alia; quia linguis abusi sunt, eas in maledicta laxantes. Præclarè demum ab Aristo. dictum est, honorem esse in honorante, ita proculdubio illiberalis & contumeliosa vituperatio, sordidat exprobrantem. Nam qualis vnusquisq; est, talia dicit, sicut qui de terra est de terra loquitur. Sed vituperare nos sicut tamen epistolæ facies ostendit, vestra nullatenus erat intentio, qualis ergo nimium laudare obedientiam, & inobedientiæ scelus detestari, causam præterea defendere Papæ & ecclesiæ, denique à deuio nos infaustè subtractionis auertere? Est ne igitur vestra fratres prudentia tam oblita sui, vt arroget sibi docẽdi nos officium, in re præsertim notissima, quod obedientia bona est, inobedientia mala, grauitérq; plectenda, quis hoc ignorare præsumi potest? Maximè apud nos, quorum studium antiquius, solemniusque, tam numero, quàm merito & autoritate semper extitisse, nec ipsi negaretis. Nam & inimici nostri sunt iudices, quod tantum cæteris supereminet vniuersitas nostra, quantum inter virgulta cupressi. Amplius verò pro inobedientia (si ita necesse fuerit) nos edocenda erat, ne dispendiosissimus sermo trahendus per autoritates emẽdicatas, ingestasque sine ordine; per pueriles periodos assiduè similes, & plus æquo sonoras; per fastidiosam nugacis repetitionis eiusdem sinistreitatem: denique irascendo, dentibus frendendo, & tabescendo in nos; quasi beluina feritate mox conculcandi, lacerandi, deuorandiq; videremur. Poteratis fratres, poteratis aliter vestram iactare eloquentiam; aliter vestrum officiũ, vel docendi, vel monendi, vel corrigendi ventilare. Nimis elapsum esse à memoria vestra monstratis illud Ciceronis documentum, cui scriptura sæpe concordat, *sit monitio sine contumelia vel exprobatione.*

A Nam & Michaël disputans cum diabolo de corpore Moysi & cæt. Rursus fratres' elocutionis vestræ accuratio, vel deserenda erat penitus, vel accuratius incorruptiusque seruanda. Quod dictandi vitium, non magnopere culparemus, si non vitiosissimo & prorsus intolerabili genere confutationis vteretur, illa elegans eloquentia vestra; quæ enim vitiosior confutatio seu argumentario adduci poterat, quàm quæ ad vtrumque flecti potest? Quem defectum, si per totum

B hunc terminum oculis videre nequiuit vestra solertia, tot literis erudita, quo ausu nos in obscurioribus commonere præsumpserit consideret. Hoc itaque quod dicimus, monstrabimus digito, tantummodo oculos aperire non pudeat. Si obedientia laudãda est, vt totiens inculcatis, quasi non ita sentiremus, si hæc sit gladius vester acutissimus, quo nos iugulare, immo cruentis vulneribus confodere satagitis, attendite quàm facile retorsione gladium vestrum in iugulum vestrum

C conuertimus, obedire siquidem oportet Deo magis quàm hominibus, non hoc inficiabimini. Oportebat ergo (vt Deo iubenti) recedere à consortio vel hæretici, vel schismatici, vel in talibus vehementer notoriè diffamati, aut in nocumentum ecclesiæ præsidenti, vosipsos præstaretis obedientes, quod quia non fecistis, fas habemus ex consequenti more vestro concludere, quod inobedientia hęc vestra plecti debet pœna tali, immo maiori quam nostra facta, vt fieri dicitis eius vicario, nam contemnenda est hæc potestas, vt altera

D superiori honoretur. Scimus his auditis, quid agitis, quid obstrepitis, quid rugatis facibus stomachantes acclamatis? Nos certè nullum fouemus in hac parte schismaticum, nullum hæreticum, nullum depopulatorem ecclesiæ, nullum de his vehementer & notorie diffamatum. Ita excusatis vos fratres, nos è contra proponimus, accusamus, suademus, purgantes nos similiter per negationem eorum quæ nobis imponitis: erat idcirco radix hæc difficultatis, & controuersiæ ad

E quam euellendam totis eloquentię illius vestræ Tullianæ neruis, incumbere debuerat charitas vestra: quæ radix? probare videlicet dominum Benedictum non esse schismaticum, non hęreticum, non aduersantem ecclesiasticæ vnitati, aut non de his meritò vehementer infamatum, aut esse talem, qui non conuertit obedientiæ suæ honorem in instrumentum destructionis ecclesiæ, hoc est quòd in contentione versari, quod vnicũ cõfutari conueniebat, non de obedientiæ præconijs & inobedientię supplicijs, immo de partialibus male-

F dictis membranam occupare. Et istud tamen cur modò & non antea citius effecerit vestra fraternitas, nondum perspicua ratio inuenta est, nisi forte vti voluerimus suspitionibus maleuolis in vos qualiter abutimini in nos. Diceret enim forsan suspitiosus aliquis, quod liuida ęmulatio vestra, ob pręclarissimam studij nostri famam, aut aliũde malè parta, nunc tandem nacta opportunitatem, egesta est, quasi si aperiatur sepulchrum patens, intus spurcidum & olidum. Suspicabitur alius non inuidiam, non odium, non rancorem, sed vel adulationem, vel ambitionem suę promotionis

tionis

tionis auidam, rupisse hoc vestrum silétium, dum spes arrisit nouarum prouisionum habendarum, A si noua restitutio fieret, præsertim vobis petentibus & altercantibus, & vsque ad periculum capitis decertare pollicentibus: longè verò sint à nobis interpretationes huiusmodi maleuolæ & incertæ fratres charissimi. Nũquam id agere nos cõtingat quod in nos fieri rationabiliter inculpamus: Ista quidem est rixatio vel fœminea vel canina seu puerilis dentibus, & vnguibus iniuriarum causam ducere; ista pugna Goliad à contumelioso contemptu certamen inire. Esto tamen, fuerit in B nobis aut nostrum nonnullis intentionis corruptio, quoniam quis potest gloriari se mundum habere cor, cum non sit homo super terram iustus qui non peccet. Nihilominus quale super hac corruptela adducitis efficax argumentum, vt tam certo, tam absoluto, tam in generali vos feriatis iudicio; quasi vocis illius immemores intonantis, nolite iudicare & non iudicabimini. Esto sint inter nos aliqui ambitiosi ad beneficia, aliqui leues ad iudicia, aliqui odiosi ad dominum Benedictum, vnde tamen cõstat subtractionem per tales emersisse? C Omittamus nos respondere, quomodo talia fingere habet vestra discretio de Rege nostro & vestro, de dominis Ducibus consanguineis suis, de Baronibus regni, præterea de consilio regis, de Prælatis & toto clero Franciæ: postremo de toto regno Hispaniæ. Exclamabitis hîc primo, iam exclamastis quod per nos seducti sunt, excęcati sunt, alienati sunt; mirum verò, si vos soli & absentes & pauci, apertos habetis oculos in eorum regimine, si vobis solis sua illuminatio, suaque directio debeatur: D attendite ne intolerabiliter nimis arrogetis. Scitis & creditis firmiter quod Rex & Domini de suo sanguine generoso, non adhærent subtractioni pertinaciter, hoc est vestrum verbum: certe neque nos pertinaciter adhæremus tamen, sicut & ipsi, donec interim nobis (paratis corrigi si erramus) clarius aliquid commodiusque pro ecclesia dilucescat. Aut igitur eos omnes, pari nobiscũ crimine, parique reatu conuoluite, quia subtraxerunt se sicut nos (sed non vultis quia non audetis) aut nos sicut ipsos habetote excusatos; E quoniam pertinaces esse non volumus, quod tamen omnino facere refugitis. Sed dicetis, si non estis pertinaces, cur à damnatæ subtractionis continuatione non cessatis? interrogetis similiter cur ab eadem rex non abscedit: quod si perurgetis quærentes rationem, nostra est communis respõsio, quoniam nostram interim conscientiam sequimur: nam quantum licet dubitare de domino Benedicto, an perdiderit ius in Papatu, aut quod obediẽtia ad ipsum est Ecclesiæ pestifera, tantundem fas est, F ab eius obedientia secederet: Neque enim negabitis, quoniam pro culpa hæresis aut schismatis Papa fieret inferior quolibet christiano; iura sunt ad hoc plenissima: Neque præterea latet vos, potestatem papalem, datam esse in ædificationem ecclesiæ, non in destructionem: quo abusu in destructionem ecclesiæ notorio existente, nonne exemplo Pauli, resistere in facie gerenti se pro Papa, liceret? nonne sibi dici posset, cur ita facis? Athanasius summus olim pontifex, & aliorum nonnulli, super hoc sunt in exemplum. Et ô Deus arbiter æquissime, & quo pacto mirantur istud quidam

hominum, quasi non intelligibilis sit hæc absurditas? A cum in rebus longè minoribus id licere fieri, magno assensu concederent: Si enim palatium suum, siue ciuitatem suam Papa facibus accensis, pro sua libidine quæreret concremare; si paganos armatos, si agrorum depopulatores moliretur apud christianos intromittere (etiam vbi nihil fidei prædicaretur aduersum) si virgines ingenuas, aut matronas honorabiles violare satageret; quis tam indulgentissimus vnquam aut blandis adulator ad Papam fuit, quin negaret his ausibus obuiandum esse; qui Papam ipsum, si verba non sufficerent, B diceret non debere factis arceri? Iure naturali conceditur vim vi repellere: ideóque conceditur personæ singulari fas esse Papam aut regem vel ligare vel carceri mancipare, (eis iniustè persequentibus hanc personam) si sibi non aliunde pateret propriæ mortis, aut impudicæ violationis effugium: si hoc in damnis corporalibus tam liquidum est, quid de spiritualibus incommodis, longè grauioribus, relinquitur æstimandum. Iungamus hanc rationem ad rem quæ agitur: si subtracti habuerunt probabiles vehementesque C coniecturas, aut certas rationes, ex his quæ facta sunt, quod dominus Benedictus aduersabatur ecclesiasticæ vnitati, nunquid non bono fine, & intentione poterat hæc fieri subtractio? quæretis quo pacto, Sic quippe, vt non assumeret obedientiam sibi factam, in velamen aliquod nequitiæ aut protelationis schismaticæ prauitatis: idque mille medijs, aut continuando honores suos sine procuratione vnionis, aut promouendo sibi fauentes in hac libidine dominandi, D aut nunc apertè, nunc occultè, non fauentes sibi persequendo. Videtis clarè, si quid videtis, quod nullis hoc loco vtimur sophismatibus, immo ne sophismatum paralogismi vos decipiant (sicut fefellisse videntur) nos ipsam ad nudum difficultatem reuelamus; cum proprium sit sophistarum se celare, & positiones suas vel inuoluere vel transferre. Nullas præterea legum interpretationes subdolas aut fictas adducimus, solis innitimur regulis iuris diuini & naturalis, quas pro vobis assumitis, E quasque immutabili veritate subsistere, nequaquam ignoratis. Hæ sunt regulæ quas summus Ecclesiæ prælatus, propter Ecclesiæ vtilitatem stabiliuit. *Quod Papa, si apostatet à fide, resistendum est in facie; & si non rectè ambulet ad veritatem Euangelij: & quod vim vi licet repellere; quod Deo magis est obediendum quam hominibus; quod bonum publicum præferendum est bono particulari, quod ad publicum ordinatum est.* Istis inquam innitimur, non vt falsò criminamini talibus, *quod facienda sunt mala vt bona eueniant*; F *quod persequendus est Papa verus, vt schismaticis salus detur:* nondum ita vestri similes sumus, vt ita desipiamus. Quid ergo multos turpiter planè inuoluunt sophismata dum nimis fugiuntur: quia enim videre nequeunt, quomodo Papa verus aut pro tali habitus, desinere possit esse Papa, aut non habendus est pro tali, ipsi non capiunt qua ratione subtractio possit (immo & debeat in casu) iustissima reputari: hoc est inquiunt inobedientem esse, hoc est persecutorem capitis existere; cum tamẽ nulla secessio à capite dici debeat inobedientia, neque persecutio, nisi legi diuinæ fuerit cõtraria. Est autẽ

diuina lex, iubens recedere à tabernaculis impiorum; iubens fratrem, postquam audire noluerit Ecclesiam, habendum esse sicut ethnicum & publicanum; iubens præterea oculum aut mẽbrum aliquod eruendum esse, ne totum corpus sua contagione deprauet: quæ diuina iussio, qualiter ad rẽ quæ tractatur adaptari debeat, insinuatum est. Scimus tamen quid adhuc respondetis, negatis in hoc negocio causas tales in facto. Hoc verò est quod in disceptatione nostra versatur, hoc probare quod negamus aut improbare quod æstimamus debuerat charitatis vestræ prudentia, aut non notissima ingerere; non nos mille conuicijs insectari, non verberare latratibus auras, non nos priusquam intelligeritis arguere. Et quoniam idipsum non peroratis, & res longiori disputatione eget, quam vt sub epistolæ breuitate possit coarctari (quia denique iam pluries tam scripturis quã viuis vocibus declarauimus rationabilitatem nostræ subtractations) si nõ potius epistola vestra libellus diffamatorius appellari meruit, nec latet nos quàm multa alia posuistis, quæ si in rigidũ examen intrarent, illa de errore in fide, de crimine in bonis moribus, de inobediẽtia læsæ Majestatis regiæ, & alijs pluribus damnãda paterẽt: quæ omnia ostendere, sicut & principalẽ causam nostrã iustificare paratos nos offerimus, quantũ & quemadmodũ tu Rex sapientissime iusseris, qui hactenus nos indiuiduos coadiutores tuos assumere dignatus es, neque enim diuersũ à te quicquã agere fas putat discretio nostra. Et si improbe prouocati ad certamen impar, minore numero & virtute sufferre molestum sit, potuerant ista sufficere: si non vicissitudinem referre vellemus, reddentes pro malo bonum, & benedictionem monitoriam pro exprobatione maledica, cum illo qui cum grorificandis ait, maledicimur & benedicimus. Itaque petimus rationem fratres, quo fructu, quave vtilitate complacuerit sciungi à communi regis & regni consilio: Periret quippe omnis politicus ordo, si ea quæ communi sunt assensu conclusa, quilibet pro suo motu capitis, vel inculpare vel ad nouam censuram reuocare contenderet. Vbi enim fuit vnquam tam aperta, tam concors sententia, quæ non aduersis calumniantium linguis carpi posset? alijs amore, alijs ignorantia, alijs sola contrariandi proteruia, aut pruritu nouas res moliendi vexatis: sed neque concilijs generalibus præstitus est olim assensus vnanimis taliter, vt non ex aliqua parte contradictores inuenirentur: æquum est idcirco, legibusque & consuetudine sancitum, vt in ore maioris partis stet omne communitatis iudicium. Alioquin si cuilibet assiduè fas esset obniti, nihilo plus ageretur, quam si inter naucleros eiusdem nauis, odiosum continuaretur iurgium; illis velum tendere, istis laxare, alijs dextrorsum, alijs sinistrorsum ex aduerso conari, implicabili animositate tentantibus: deliberatione enim maioris partis acceptata, nonne consultius est, ei vos opem ferre, vel nequaquam pertinaciter aduersari & ita portum qualẽlibet attingere, quam sub dubia sæpe melioris portus, confundere interim omnia seditione certissima? multa proinde tolerari debẽt iam facta quorum incæptis contradicere dignum erat. Esto, vobis appareant, vel forte sint saniora consilia, nihilominus apud communitatem (cuius estis pars parua) ambulãtem in opposita sententia, quid prodest tractus vester pertinax aliorsum; immo quid aliud operatur, quàm contentiones, scãdala, animositates, & disturbia, ad rem omnẽ quæ agitur, salubriùs finiẽdam. Negotiũ, aliquod grãde priusquam certa coclusione firmetur, opus habet consultatione, in qua sit animus in consulẽdo liber; porrò acceptata conclusione, tunc est tempus faciendi, non dijudicandi. Quod si opposueritis præceptum Domini, vt non peccet aliquis sequendo multitudinem, hoc de criminibus, quæ bene fieri nequeũt, intelligi necesse est; non enim talia vnquã licere faciet quãtuslibet numerus peccantium, & stultorum, quorum infinitus est numerus. An vero secus est in eis quæ fieri bene possunt, in quibus conscientiam propriam ad aliorum formare iudicium, quãdoq; licitum, quandoque debitum est, qualiter esse dicimus in proposito, vbi ea quæ in facto sunt, non quæ fidem immediatè respiciunt, ventilantur. Obijcietis fortassis, quod nõ synceris animis, non medijs vsquequaque iuridicis, non per personas omni vitio carentes conclusio subtractionis excepta est: quasi non ita possit fingi in omni negocio publico, quasi præterea per solos bonos beneplacitum suum operetur Deus, operãtur & per malos, quales etiam inter vos aliqui sunt; & si confirmatos vos Pharisaicè iactetis præ cæteris hominibus, & exceptos ab illa regula, si dixerimus quia peccatum non habemus. Quot principes infideles, quot tyrannos iniquos legimus & vidimus, à quibus æquissimas leges, & edicta, quis nesciat emanasse? qua in re perspicuum esse debet, quod negocij qualitatem magis attendere conueniet, si iusto fine, si pia intentione fieri potuerit, quàm suspitionibus duci, ex agentium hac vel illa voluntate. Præterea fratres, cessant contumeliæ, abeant sinistræ de nobis suspitiones, quales habere de vobis nec vultis nec volumus. Credite fratres, nos bene conscij nobis sumus de processu hoc ad pacem ecclesiæ, qui vtinam tam prosperum successum caperet, quam pie semper optamus; optare autem hoc magis nostrũ est, quàm illud exhibere. Tandem quia res (vt arbitramini) discussionem exigit ampliorem) non enim propter aliud nos ad certamẽ prouocare deberetis (obsecramus te Rex serenissime, sicut iam obsecrauimus pro consilio totius obediẽtiæ celebrãdo, in quo conueniant seniores, videre de factis & de iure (quod ex factis exoritur) examinatissimã veritatem, quàm semper amplecti paratos nos offerimus, in nomine eius qui est veritas, in quo bene valere & sobria modestia sapere omnes optamus fratres nostros in eodẽ Domino charissimos.

Talia in aliorũ personã transfigurata sint (ô sorores) pro recussione eorũ, qui nimia acritate sententiam propriã defendere, & alienã carpere reperti sunt. Et quoniã ita tibi placitũ est (ô soror) beneuolentia (hoc enim nutu tuo significas) conuertatur oratio nostra ad eos, qui acta omniũ præsertim superiorum, tota seueritate recensent atque dijudicãt, nullum eis refugium ad correctionem; nullum locum ad veniam vel excusationem relinquentes: cum profectò malè nimis essent res humanæ, si semel peccãtibus clauderetur misericordiæ sinus: quod si misericordia conceditur hominibus,

nibus, illa obsecro, quibus rationabiliter iudicio præstabitur quã hominibus occupatis, quam hominibus ad regimen reipublicæ constitutis? siquidem ad eos ex omni parte fallendos inuigilat assiduè subditorum quorundã malignitas; nũc mendaciorum fuco, nunc blãditijs adulationum, nunc accusationum cõfictionibus, nunc ingestione suspitionum, vt vel sic rapiant, spolient, & detrahãt, vel vt amorem simulent, tãquam solliciti de salute Domini sui; si multos accusauerint, si mẽdacibus, nouitatibus, aures prurientes principum fricauerint, si accẽsos odijs, si stimulatos ira, animos eorũ magis inflammare vrgereque studuerint. Quamobrem, non abs re videtur dixisse Seneca, consulendum esse bonę mẽti sua de re; quam inquit bonam mentem nemo occupatus inuenit: & alibi, tradit hac ratione esse vel difficile vel impossibile, vt idem sit princeps & vir bonus. Ipsi profectò superiores non tam super homines quam homines super eorum capita positi sunt; & non tam inuidia quàm misericordia digni habendi, tanquam miserabiliores cæteris hominibus; & velut positi ad sagittas causa deceptoriæ iaculationis; quorum multorum stultitiam, adulatio in insaniam vertit; aliorum iracundiam in furorem; aliorum beneuolentiam indulgentemque naturam, trahit ad prodigalitatem crudelissimam: rapiunt enim à pauperibus quod apud ditiores effundunt: parcunt denique delinquẽtibus, lãguida quadã specie benignitatis illecti: sed redit hæc misericordia stulta ad innocentum perniciem truculentam. Quãtus erat ille rex & propheta Dauid, quam sagax, quam peruigil? ipse cum ad vnius serui mendosam vocem seductus est, vt hæreditatem, cuius pater de Dauid optimè meruerat, ad eundem seruum traduceret, postmodum quod etiam monitus non restituit sed diuidẽdam imperauit. Quorsum hæc omnia? nimirum vt commonefacerem tolerãdos esse pia compassione defectus superiorum, magisquam diiudicatione seuera persequendos. Neque mihi quispiam opposuerit illud sapientis, *exiguo conceditur misericordia: Potentes autem tormenta potenter patientur.* Ipsi verò principes in hoc exigui sunt, eoque amplius, si ex ignorantia forte sua, ipsi sibi grandes, sibi fortes & beati videantur. Rursus, si plura in hominibus vitia correctio imposita tolerat, reseruans ea diuini censuræ iudicij idem fieri de principatuum delictis necessitas maior expostulat. Vt non protinus pro quolibet errore spernatur eorum principatus, cum apostolus dominis etiam dyscholis, & Christus Pharisæis hypocritis obedire præceperit: & Aristot. definit principem non debere repercuti. Vidit hoc tragicus ille, qui monuit Athenienses, ne leonem introducerent in ciuitatem, introductum verò eum cum omni mansuetudine & lenitate tractarent, quæ similitudo satis est accommoda rei quam agimus. Quod si de quodlibet principante hæc vera sunt, ipsi Domino omnium, & seruo omnium, de Domino omnium Papa loquor, quis non hoc commune misericordiæ debitum impendendum arbitretur? Esto, Dominus Benedictus errauerit, non offerendo celeriter viã cessionis, attẽdatur in eo potuisse cadere deceptiones quales numeram⁹ prouenietes ex subditis: attẽdatur humani cordis fragilitas ad honores quærẽdos auida, & pertinax ad retinendos, attendatur quantas vires habeant suspitiones ingestæ à maleuolis, nec esse facile illos pro libito diuellere: attendatur insuper pœnitentia ipsius, offerentis iam pridem id quod ab initio quærebatur. Denique si erratũ est ab eo, nunquid sibi ianua pœnitẽtiæ, quæ cuilibet inferiori aperta est, occludetur? nunquid pœnalis carcer, nunquid innumeri dolores alij in corpore, in bonis, & in fama, iam plus quadriennio tolerati, diluere sufficiũt hoc erratum! Viderint si qui sint monstrantes oppositum verbo vel opere, ne plus hostili odio personæ, quàm vnitatis publicæ zelo se prodant inflammatos. Itaque placet hoc loco inserere quandam epistolam, quasi nomine suo ad regem Franciæ destinatam, quæ sic contexta est.

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo filio in Christo Carolo Frãcorum Regi Christianissimo, salutẽ, apostolicamque benedictionem, & miserationis spiritũ assumere. Si demolitio Hierusalẽ terrestris, olim perstrinxit ad lachrymas cor prophetæ Hieremiæ, & saluatoris Iesu: Si præterea corporalis separatio spõsi à spõsa fideli, tantæ est molestiæ, si denique ipsa etiam natura suo docet instinctu turturem assiduos gemitus edere, dum compari viduatam se senserit: nullus mirabitur, si in desolatione miserabili spiritualis Hierusalem, & in acerbissima separatione, quam in ea sensit animus, conqueror & ploro. Quis igitur dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum, ad deflendum iugiter luctuosissimam sacrosanctæ ecclesiæ labefactationẽ diuisionemque. Quis me consolabitur? quis miserebitur? Consilium quale mihi perueniet? ita planctus lugubris, dolor, & angustia tangunt omnes in commune filios ecclesiæ. Sed longè sæuius atque profundius dilacerat infelix cor meum, inaudita miseria, hoc exterminium. Ista perditio nimirum data mihi illa est in sponsam singularem, quæ omnium mater est vniuersalis, his nihilominus oculis aspicio tam nefando schismate eam, quę mater est pacis & vnitatis, tam execranda & atroci persecutione eam fœdari, quæ fons est pietatis, tandẽ vili deiectione & ignominiosa seruitute eã ipsam proteri, quæ libertatem & honores largitur æternos. O pia mater omniũ, ô mea singularis sponsa, quousque durabit pessimus iste languor tuus? quãdiu debacchabitur furor impius in viscera tua, satis nimisque tuis in membris perseuerat hæc horrenda diuisio. Et heu quale tibi ministrabo cõsilium, tuis quo pacto medebor incommodis? Cruẽtum hoc vulnus tuum in me descendit vt vides, quoniam hinc vastatrices curæ, hinc sollicitudines peruigiles, int⁹ timores anxij, foris pugnæ, in tribulatione violẽtia, & diuturno indignoque carcere, qui mihi de propria comparatus est domo, & de specioso olim, nunc domesticorum manu obruto palatio. Quid referã probra? quid diffamationes iniquas? quid sinistras interpretationes dictorũ factorũque meorum? quid mille mei & meorum inenarrabiles afflictiones? Attamen, non est hæc malorum summa, vtinam in caput meum refluerent omnes erumnæ tuæ? O fidelis sponsa vsque ad duræ mortis perpessionem sine detrimẽto animæ. Et tu benedicta libertate foueres in gremio pacis omnes filios tuos, & oues pascuæ tuæ. Et ô pater maxime & optime, ô salutifer Christe, vt quid natus sum

videre mala gentis meæ? vt quid datus sum custos sponsus & pastor si non aliam opem, aliud solamen, & aliud ferri dabatur auxilium. Porrò si sancti patres quibus infausta tempestate succedo, gemebant olim sub verendo pondere curæ pastoralis, sicut Gregorius & aliorum plurimi, etiam dum ecclesia suo honore & prosperitate floreret, quid nunc dicturus sum in sua & mea tam incomparabili calamitate, & in tanta malorum mole? Hinc vel maximè perspicuũ esse debet, me in tali statu afflictionis & mœrorũ perniciosè retinendo, non esse cõtumacem. Alioquin profectò miserabilior & stolidior sum omnibus hominibus, qui miseriã certam cum certa damnatione quærerem: sed auertat hác insaniam à seruo suo misericors Deus. Cæterum, nõne varijs & laboriosis antea legationibus attritus sum, si forte resarciretur truculenta hæc ruptura, & si discussis tenebris, serena veritas oriretur. Sed nunc eleuans me dignitas, grauius allisit, & coangustauit vndique, itaque grauis forinsecus cernitur corporalis afflictio; subter verò introrsus plaga sæuit acrior, dum pia recogitatione considero, quemadmodum omnes conatus mei, omnis zelus pius, omne feruẽs desiderium ad pacem concupiscendam cassati sunt. Et ô mores, ô tempora, ecce quod supra modum auget infelicitatis cumulum, à nonnullis etiam de peruersa intentione notor & inculpor, quid dicã ad hæc, plane & constanter negabo? Potuit aliqua fortassis subrepere ignorantia, quæ tam vicina est humanæ fragilitati, & in hoc me, meáque omnia prorsus iustificare nequaquam audebo. Illud nãque apostolicum verbum, quem hominum non exterreat; *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Cuius dicti quæ alia est ratio? nisi quod in multis offendimus, & quoniam non est homo super terram qui viuat & nõ peccet; & quod incertæ sunt prouidentiæ nostræ, & iustitiæ omnes sordidæ, tãquam pannus menstruatæ, denique quales sumus in oculis diuinæ maiestatis nouit nullus. Et si iustus fuero (inquit Iob) hoc ipsum ignorabit anima mea: verum si maligna fraude, si cupida ambitione, putaui quicquam agere quod ecclesiasticæ vnioni vel obstaret vel eam retardaret, sit in animam iudex Deus, quoniam potius talia ab initio vsque in præsens obtuli, quæ salubria & sufficientia pro vnitatis prosecutione fideliter æstimabam & adhuc existimo, si non obfuisset pater ille mendacij, qui omnia in malum & turbationem euertisset. Nosse potes hæc omnia fili serenissime & Christianissime, coram quo fiducialiter hanc querelam effudi, nec habeo necesse regias aures adimplere longa narratione talium oblationum per me factarum, tam de via conuentionis vtriusque obedientiæ, per consilium à fratribus meis Cardinalibus primitus datum, quam de viã compromissi, & nouissimè de via cessionis. Cui viæ immo & martyrio, sicuti palam testatus sum iugiter adhæsi secundum præparationem animi. Nec ab hac vnquam promptitudine, discessurus sum, si & dum veram parere vnionem cessio videbitur: testes sunt apud te harum oblationum patentes literæ meæ, nisi doloso aliorum silentio contectæ sint. Arbitror autem nunc elucescere, si leuior fuisset & oportunior (pro ineundo tractatu vnionis) prima conuentionis oblatio, quam subito in cursu talem arripere viam, quæ in has truderet angu-

A stias; & cui nullum vnquam præbuerunt assensum aduersarij, absque quibus generalem fieri vnionem, quis expectet? Nolo tamen inclyte fili, ex his dictis vel dicendis, tuam inculpare deuotionem ad pacem ecclesiæ, quæ vtinam deuotio nulla vnquam mendaci informatione (super meis & aliorum gestis) quæsita fuisset illudi & corripi. Sed admirari non sufficio, quo pacto ego qui sic egerim, sic tracter, infamer, includar, & nondum pro liberatione ab indignis carceribus tuum meruerim auxilium. Nonne tui antecessores proprium habuerunt,

B succurrere non solũ vexationibus ecclesiæ, non solum summis pontificibus in sua sede reponendis, sed omnibus communiter iniustè passis, quasi nobilis Franciæ domus, templum tale esset misericordiæ, quale apud Athenas fuisse memoratur, vbi cũctis afflictis erat præsto subsidium. Nunc enim fili charissime, vera regũ Franciæ progenies, & hæres exemplorũ insignium, vides coram oculis tuæ serenitatis; illũ quẽ pro iusto Papa coluisti & colis; illum quem vt patrem summum

C in terris, & animæ tuæ pastorem sanctum frequẽtibus titulis extulisti; Illum præterea, quem tu cum regno tuo successisse confiteris per electionem legitimam Christo & Petro; illum quoque quem viuentem prudentissimus pater tuus viuens coluit vt talem; illum deinceps qui (etiam caduci numerentur honores) nobilis est prosapiæ; illum denique, qui Deo propicio vitam hucusque duxit innocuam, sine quauis infamiæ nota deformis; quia quid intus agatur, iudex erit cordium inspector

D Deus: tu inquã talis vides me, talem (de me enim loquor, & me laudasse coegit necessitas) vides modò sic inclusum, sic contumeliosè tractatum, tanquam essem vnus ex seruis abiectissimus) sine honore, sine dignitate, sine statu, sine genere, & vitæ celebritate. Nihilominus autem dissimulas fili, aut contemnis præbere succursum, neque me expediri iubes, qui vnico mendato tuo, ab his me incommodis potes liberare: quãquam cõpertum habeo non te iubente ita fieri, neque persuaderi sanè potest, vt credam generosum animũ tuum erga meas

E ærumnas tanta duritie stringi: quoniam mollesceret ad compassionem, si profundè & religiosè cõsiderationis oculos ad tãtæ rei indignitatem conuerteret. Quid de te loquor, quoniam ipsos etiam barbaros & paganos pietas naturalis tãgeret, si viderẽt personam, nuper talis auctoritatis, gradus, & honoris, & nobilitatis, repente deijci & concludi intra parietes domesticos, & hostiliter oppugnari. Existimo quod & in regno tuo, maxima pars, meæ calamitati compatitur, sicut & dolorem aliorum

F regnorum experior. Proinde si ex consiliarijs tuis aliqui (vtinam boni sint omnes & fidi) seducere vellet regium animum, ne mihi meóque statui misereretur, videant saltem tales, & ponderent tuam & regni tui famam: quoniã dedecus filij, est pater sine honore, & in subditorum infamiam redũdat præsidentis opprobrium: quale est insuper illud quod ab aduersarijs & æmulis quotidiana insultatione iactatur. Vellem silerent, & ego digitum ponerẽ ori meo, sed vox altior & populosior est, quàm vt tegi possit, & qualis vox? quod à Gallicis tenetur obsessus dirè & hostiliter Papa suus: vox, quod Domino suo supremo aduersi sunt, nec alterum

terum sequatur & suum persequútur, vox quod pro libito mutant papas, nunc instituunt, mox destituunt, vox quod facto ipso & si non verbo fatentur se reos in scismate, & partem corroborant quam impugnant, tales & plures circunuolant rumores & impropria, & quam apparenter id fiat, viderint illi qui talium sunt occasio. At vero fortassis obijcient aliqui, me in causa esse omniū quæ legimus. Nam cur inquiunt dignitatem tuam per fas aut nefas retines? cur non ad ea quæ petuntur condescendis? Possem huic obiectioni planis & validissimis obniti responsionibus ad iustitiā meā (nisi quod propositū hic habeo alterum) & quoniam aduertis quā lubricus & instabilis esset omnis dominij status si repente ad vocem cuiuslibet cedendū esset iuri suo, iure vel iniuria sine discretione, sine fructu, sine manifesta necessitate, sed non hic insistendum decreui. Hoc vnum postulo & exhortor in Domino, pro communi bono totius ecclesiæ quatenus depulsis ira odio & vindicta & quæ retro sunt obliuiscentes, extendamus nos in anteriora ad vnionem promerendam tu præcipue inter cæteros qui singularis protector es & cultor ecclesiæ vt sollicitè cōsulas, quid prodest, immo quantum paci obest quod includor carcere, ego qui tam libero & parato sum animo ad omnia pro eadem pace vbi nihilominus pars aduersa perstat in errore suo, neque verbo significans, neq; facto velle se cognoscere veritatem iustitiæ nostræ, neque offert aut recipit viam aliquā per quam intrusus suam habeat sedem deserere quam occupat vel saltem pari pede pax quæratur, scis tamen quot & quantis legationibus pulsati sunt ex quibus ita esse non ignoras si non ficticijs relationum commentis elusus est. Nunc quali spe prosequimur partem vniuersalem si particularis, si multiplex & iugis sit inter nos diuisio? Qua fiducia resistemus falsitati si veritatem nostram inutiliter confundimus? prodesse quid expectamus in non obediendo ei qui canonicè non dubitatur electus & esse tanquam corpus lacerum membris à capite diuulsis, quando cernimus alios pertinaci animositate in sua vnitate nō verè vna coniūctos. Nec ista dico sit veritas tanta sollicitudine ad liberationem corporalem (quam & si tamē opto quis mirabitur) quantum pro affectu boni & honoris totius ecclesiæ & dignitatis pontificalis sanctæ sedis apostolicæ, tui præterea & regni tui & totius obedientiæ adhærentis veritati. Quamobrē concludēdo precor & obtestor fili charissime in Christo, quatenus hanc querimoniā filiali deuotione & Christiano altoq; animo suscipiens iubeas carceralem circa me cessare custodiam quæ prorsus indigna est, & si non forte de meritis proprijs erga Deum, ecclesiasticæ tamen dignitati illi proinde pater nominatur, & est talis regis, qui demū Christianus est Christus Domini. In quem Christianos immo filios proprios abuti sæuitia tyrannorum quantum qualeque piaculum sit animaduertis. Audent quidam sacrilega impietate (sicut accepi) impurum & procax os laxare, ad notandum me pro hęretico aut scismatico, qui vtinā tam tenacis essent fidei aut religionis quam longe sum ab hac blasphemia. Errare vt cum Augustino fateor potero, sed hæreticus non ero, neq; est alia indignus à me vel impatientius ferenda iniuria. Ideóq; obnitens talibus cum vno sanctorum patrum liberè pronuncio, mentiuntur. Te rursus inuoco filij vt feras mihi sic afflicto velociter auxilium, quemadmodum in tali necessitate (qualis nec tibi vnquam nec sanguini contingat tuo) nequaquā dissimulare, sed totis conatuum viribus obuiare satagere. Pone quæso ante prouidētiæ tuæ oculos qualis futura esset Ecclesiæ facies, & quam fœda negotiorum turbatio perplexitas & inuolutio scaturirent, si nunc migraremus à carne, non habito prius alio rerum stabilimēto, vel ordinis serenitate, sicut haberi potest dum viuo, si nō vel nequiter vel prauiter abijcior. Postremò si hucusque vt humana est ignorantia vel infirmitas quidam irrationabilius processerint, non pudeat vel sero vinci ratione & superari veritate, nec in casu iaceant, sed inde resurgendo cogitent, neq; enim poterit aliter efficacius ostendi simplex conscientiæ puritas in processu, & quod non princeps ira, non tumens ambitio non cæcus odij rancor, vel edax vindictæ furor, sed pacis amor vnicus dominabatur tractātibus ipsum hoc tantæ sobrietatis & reuerētiæ negocium. Et tu pater misericordiarum & Deus totius cōsolationis & pacis, qui promisisti misericordiam misericordibus, qui dimittere pręcipis si nobis dimitti volumus, da clementer veniam delictis proprijs & alienis, sis mihi propitius vt hac vna vindicta contentus sim quod errata corrigas suppleas defectus, & deinceps omnium pedes in viā salutiferæ pacis dirigere, deniq; cor regis quod in manu tua est, ad hoc inclina & inclinatū corrobora, cui des gloriam & honorem nunc & in perpetuum. His ita se habentibus & allegatis sentio quid postulatis ô sorores charissimæ, postulatis itaq; ne tegam silētij velo vnam ex epistolis, quales missæ videri possunt ab inclytissimo Francię rege pridem velut post reditum ab ambasiata facta summo pōtifici, subtractione nondū facta parebo libens, vos assistite. Patere (obsecro sancte pater) perpaucis alloqui pastoralem celsitudinis tuę præsidentiam, patere rogare ea quæ ad pacem sunt Hierusalem, quatenus benignè facias in bona voluntate tua Siō vt ædificentur muri Hierusalem. Nihil hic exprobrando dicturus sum, sed te obsecraturus sum vt patrem, tum hortando, tum commonefaciendo cum instructione filij mei vt ea ante oculos tuos statuantur, quorum attentionem actualem oblitterare potuerunt, seu curæ variæ turbantes rationis oculum suo puluere, seu blāda quorundam assentatio commune magnatibus malum, nihil ad veritatem omnia ad gratiam dicentium. Aut proinde naturalis quidam amor sui quo sui cognitio nonnunquam impeditur, aut deniq; subdolo machinamenta eorum qui sub ouina pelle vulpe tegunt. Quæ enim ex sublimioribus personis se ab his pestibus securam satis esse iactauerit. Vide pater sancte, & si videas non pigeat profundius iterum atq; iterum circumspicere quale quantumve est pacis bonū quod omnes in communi appetunt cōclamitantes, pax pax, adeo sine pacis pulchritudine omnia sunt deformia, anxia, molestáque. Omnia quoque pacem suam quandam non minus quā vitam desiderant, abhorrētes diuisionē, quanto magis ignoscere, immo verò dignam pro meritis laudem rependere te cōuenit pater sancte, omnibus & singulis quos pacem appetere, quærere, perse- Psal. 50.

quique cognoueris, quos audieris persequentes ex aduerso, exitiale scisma præsens quaquauersum via, præsertim quam cõpendiosiorem eis vel ratio vel necessitas cognata rationis ostendunt. Talẽ de te spem tui mores, tua vita à puero bene instituta mundo prębuerunt, hanc insuper expectationem, tua gesta responsaq; in negotio pręsentis scismatis apud omnes genuerunt vt tu præcipuus iudicatus sis, cui pastoralis baculus pro conterendo nequissimum maligni scismatis caput donaretur, quem prætereà papalis sedes susciperet ornando sessione tua si præsideres in ea. Nihilominus vltronea cessio si ita res exigeret, locum liberum ad pastoris vniti collationem apparet. Videbantur hæc sufficere tali omni expectationi, attamen ipsam vallauit iusiurandum quo controuersia omnis finem capit. Sed ô dolor plusquam dolor, ô sancti sanctæque omnes, vnde malum istud irrupit quod cõfunderet nos ab expectatione nostra? Heu quãtum mortalia pectora cæcæ noctis habent, quam terribiliter nullos excipiens enunciauit propheticus sermo: Prauũ cor hominis & imperscrutabile, quis cognoscet illud? Da veniam pater sancte fideli meæ interrogationi, si animis nostris hanc in veritate spẽ tuijpsius ingenueras, si cor in ore & fronte gerebas quid causæ quidue fascinationis irrepsit, quod nos vel falleret vel confunderet ab expectatione, ab illa inquam expectatione, quæ pollicebatur nobis te agente reuersuram pacem ecclesiæ, rediturum seculum aureum in terris. In cuius prætereà assumptione ad papatum noua lux oriri visa est, in hoc quoque diluculo matutino sydus quoddam beneuolum sereno nobis fulgere micare putabamus. At heu expectauimus pacem & ecce turbatio, in deterius quippe versa confusaque sunt omnia. Meruit hoc inquiens subditorum improbitas volens me ipsum patrem eorum ad illud compellere quod vltroneus agere debueram. Primum (pater sancte) non violentia, sed oratio plurima præmissa est, petis à quo, à me filio tuo, cum tota ecclesia regni mei, per tales quales nosti, tales quibus alij supplicant, & quorum fide ac prudentia gubernamur, frater Germanus & duo patrui, quod si suspiciosum forsan erat orare illud ducum quasi foret species violentia iubendi, facilis planè patebat exitus præoccupasses eorum preces, offerens absque vlla procrastinatione illam quæ petebatur. Iuramenti impletionem ostendisses præparationem animi ad cedendum, si & dum cessio tua pacem illatura esset ecclesiæ itaque via cessionis nonne ab omnibus quamtumcunq; tibi vel tuę estimationi fauentibus esse sanctissima & compendiosissima iudicata est? quanquam nõ esse te cogendum ad ipsam fuerit quorũdam sententia, sed te voluntarium te sponte offerente eam quæ cõmuni assensu probatur viam quis oro coegisset? Si qua igitur fuerit coactio ex renisu tuo venit. Affirmant viri sapientes & litterati qui mecum sunt te pro salute gregis astrictum esse secundum præparationem animi nõ solum ad cessionem sed ad martyrium, & hoc modo non est relinquere gregem sed saluare, quid quod vltra communem legis diuinæ obliuionem iuramentum solemne superadditum te ligauit. Dices forte te nec iuramento nec officio constrictum vt confestim papatui renuncies, præsertim non expectato fructu pacis. Profectò pater sancte, neq; hoc quęrebatur, quod si de me meorumque sinceritate quædam maleuolæ suspitiones alienæ ab hac veritate gratis assumptæ sunt, audi quoniam multos supplantauit suspitio illorum qualibus vtiq; suspitionibus præbere leuem auditum nihil magno viro indignius, nihil pro suo & suæ reipublicæ statu incommodius reperitur, hoc quippe agit suspitio talis apud rempublicam quod zelotypia apud domesticam zelotypia autem quales non domos inquietat & turbat, eas aliquando funditus euertens. Esto fuerint qui stillarent auribus tuis quod aliqui magis ad personæ tuæ deiectionem quam ecclesiæ reformationem anhelabant, quod papatum ambiebant alij, quod pars vna papam optabat de cognatione & patria, quod pars altera pro ambitione aut vindicta, aut alijs causis reprobis incedebat in via pacis. Examinandum sanè erat non quid tales dicerent, non quid garrirent incerto autore susurri, sed quid veritas à domino dirigenda postulabat. Neque enim staret omnis politia, si pro adulantium aut malè suspicantium confictione & non pro agendorum veritate regeretur. Et memineris pater si fefellit te talis maleuolorũ suspitio, dum te protestationem publicare suasit, quam postmodum libens retractasti. Protestationis autem hæc erat sententia, quod visis modis præcedendi qui erga te & tuos tenebitur (notabas violentiam) tu omne inde secuturũ & percõcessurum inualidũ reputabas & inane, quasi videlicet te pertinacem facere contenderet, aut blanda adulatio, aut subdola inimicantium confictio, nisi sagaci retractione prouidisses. Quinetiã si quęsisset aliquorum (vt tibi videtur) vel arrogantia vel impietas cogere te ad illud quod sponte agere volueras, nonne satius erat te vincere in bono malum quam à malo vinci? sapientiam enim non vincit malitia. Pessima certè victoria, vincere voluit aliquis homines si ab ira, ab odio, ab impatientia & vindictæ zelo superatur, adeò superatur aliquando vt omissis omnibus quæ alioquin agenda fore cognosceret, ipse se in aperta peccata & in magna mortis huius & æternæ discrimina tradit, dum frendens dentibus ait: Ego ne inuitus compellar ad hoc vel ad illud? ego ne malis gratibus meis hæc & illa sum actutus? Itane ego Dominus obtemperabo subditis tanquam eorum vilis seruus? quis contemptum hunc, quis meæ huius dignitatis vituperium ferre possit, mori satius est quam talia perpeti, fracti prorsus animi & abiecti esset talibus assentire. Has voces pater sancte, scis non esse modestiæ Christianæ, neque de schola illa prodire ad quam inuitans Christus, discite inquit, à me quia mitis sum & humilis corde, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Quid si quis ex ęmulis tuæ dignitatis cognitus magnitudinem cordis tui, aut suspicans forte paruitatem ad suspicationes superserit rumusculos tales pro exagitatione turbida suscitanda per quem omnia sibi suspecta fierent, ac proinde certum discrimen intrares, sic aprum vani catulorum latratus à tuto cubili remouent & offerunt enecandũ, sic qui timet pruinã, irruet super eũ nix, sic postremò trepidãtes auiculæ in veros laqueos cadunt ob inanem motarũ plumarũ formidinem.

At-

At verò suspitionibus his reiectis ne ab eis dũ reprobamus capi videamur, audire te videor & dicere quod viam, æquissimam obtulisti, viam cõuentionis in quam totus etiam cœtus cardinaliũ primitus condescendit. Viam præterea quam appellas iustitiæ, viam primam pater sancte nondũ quaquã repudiasse cognoui, nisi quod per se sufficiens apparebat, propter quod vlterior oblatio viæ cessionis quærebatur, ad quid ita? nimirum vt tantus apparatus conuentionis nequaquam sine congruo fraudaretur, qui finis ex omnium quos consulimus & aliorum pene omnium iudicio nõ aliter commodè quam per vtriusque contendentium cessionem haberi sperabatur. Sufficiebat autem (vt tibi visum est) oblatio tua generalis ne eadem facta in particulari cornua daret aduersæ parti tanquam diffideres de iure tuo qui tam leuiter cedere spopondisses, sed non fallitur, non irridetur inspector cordium Deus, sapiens (vt quidam ait) vitam suam non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur. Quid si quidam imperiti aut superbi aut maleuoli tuam hanc humilitatem sanctissimam, tuam charitatem Christi miratricẽ, zelum tuum feruentissimum in oblatione spontanea viæ cessionis sinistrè detorsissent vt formidas, alij super numerum plures, grauiores insuper, tum fide, tum amicitia tua, tum pietate catholica te hęc agente collaudassent vtentes Salomonis iudicio, quod veram habuisses maternam charitatem qui infantem Christum viuum in ecclesiastica sede sua alteri cedere maluisses quam diuidi. Cæterum verò non parum vrgebat te præstitum iuramentum, nisi glossis corruptis aliquis illud fœdare voluerit aut dicere quod quia in deteriorem exitum vergebat, non erat obseruandũ, absit pater vt nos omnes tuæ obedientiæ filij iudicauerimus vnanimiter, vt qui discors sit nescio, quod via cessionis cæteris eminebat, eratque sancta & Deo accepta si ipsa sub iuramento promissa nequiret salubriter, vel offerri vel exequi, quid verisimilius est decipi vel vnum vel vniuersos? quid probabilius falli paucorum conscientias vel omnium. Addo quod si errasset vniuersitas obedientiæ tuæ in hac sententia nihilominus pastoralis pietas astringebat te potius condescendere nobis piè errantibus quam omnia tam certè turbationi exponere, quippe ad hunc intellectum verè enunciatum est quod communis error facit ius. Non enim præsumere debueras omnes ad tuã sententiam citius attrahendos fore quam ad aliorum iudicium te vnicum vel admodum paucos tecum posse conuerti. Nam hoc vltimum liberum tibi erat non alterum, obsistentibus tot capitibus quot tamen conuenisse in vnam viæ cessionis oblationem, nonne miraculum est & penè diuinũ? Opponet demum aliquis patere satis nunc quam inutilis & cassa fuerit hæc via cessionis quæ nihil hactenus pro pace valuit operari. Hoc argumento viam conuentionis aut illius quam nominas iustitiæ liceret inculpare, quam nihil adhuc profecisse cognoscimus. Sed non acceptæ sunt respondebis, hæ viæ, ideoque non tentatæ ita certè nec viã cessionis acceptasti, cuius intereat eandem primitus offerre. Eandem dico, totiens ante papatum per te pater ventilatam, laudatam & ferè pro vnica commendatam, quod si præsumitur pro via cõuentionis aut altera si fuissent acceptatæ quod dissent pacem ecclesiæ, multò amplius hoc existimare conuenit de acceptione libera via cessionis A quod si post oblationem tuam charitatiuam altera pars contumaciter renuisset peragere, ipsa de suaque salute vidisset, tu liberatus nobiscum, tu gloriosus, tu ab omnibus re nomine benedictus euasisses. Verum ignosce pater sancte si nimis vrget celsitudinem tuam multiloquium zeli mei, talia ego non ad damnandum, sed hortandum pronuncio, quatenus qui pacem ecclesiæ prosequũtur non inculpes sinistris interpretationibus, quasi deprauato animo erga te vel dignitatem tuam B moueatur, quatenus præterea condescendente te capite nostro ad humilem membrorum volũtatem instar Christi ambulemus omnes vno animo, vno passu, vna via, donec occurrat nobis pax vera in eo qui fecit vtraque vnum, domino nostro Iesu Christo qui est Deus benedictus in secula. Quid superest agere ô sorores, dum pars inuenit vtraque causas, tum excusationis propriæ, tum accusationis alienæ? qua ratione potest hoc fieri etiam si tu beneuolentia tanto nisu conareris vt C pars excusanda censeretur, sed neque in tam contrarijs iudicijs videri possunt accidi. Et ô sanctissima mater ecclesia cui sententię interim cessura es, quam amplexaberis, quam probabis? Christiana respublica inter has contentiones animosas & incertas quid aget? interea quò se vertet, quasi poterit regimine gloriari? Dudum contendentib⁹ Põpeio & Iulio Cæsare ciuilibus armis Romana respublica neutrius partem probans remanserat in medio desolata cum Catone qui nulli similiter parti fauens erat. Ita enim dicit Seneca. Vtrum D verò simile sit in scismate nostro tanto deteriori: quanto animæ mors quam corporis plus horroris habet nõ determino, vtinam veniat dominus qui illuminet abscondita tenebrarum & posita in lucem cõpleat in opere, parum quidem videre est si non datur operari. Hoc quidem solum relictum videtur, vt quia cum ignoramus quid agere debeamus humano concilio, confugiamus ad diuinum, nisi vobis aliud o sorores vid_atur. *Beneuolentia.* Mihi beneuolentiæ idẽ prorsus est iudiciũ frater, E vt nullis accusatis maleuolè sicut obseruare (nisi me fallit amor tui) studuisti conuertamus nos ad dominum, quatenus ad nos conuertatur. Ambulans super aquas pręsentis fluctuationis ventisque imperans & mari, & fiat eo iubente tranquillitas, quid tacita recogitas soror nostra discretio, dic & tu quid censes agendum. *Discretio.* Ego verò hoc idem nihilominus nec tentari videatur Deus, conari decet nos ad laborem si forte pijs attentionibus aspiret Deus vires. *Zelus.* Verissimè suades per F meam fidem soror discretio saluberrimè & diuinè, vis igitur vt ea pręlia quæ penes nos seruamus recondita super hoc negocio proferamus in mediũ, tum de medio pacis inueniendo, tum de consilio sic vel non celebrando, tum de papæ accusatione & excusatione cum reliquis, illorum enim inspectio dare posset occasionem sapientibus profundiora cogitandi. *Discretio.* Video te frater ad ingeniũ redis totus flamma es, nequis nõ velle foras erumpere, scio quæ tu loqueris, illa quodam impetu magis proiecta sunt quam digestè ordinata, sine stilo, sine limitatione. Attamen si ita fert animus tuus nec cor[illegible]esci potest, tu in alia, nobiscum concione ea propone,

nos se cedere ad alia tempus vocat & verba tua (vt aspicis) iam popularis concio, iam scholasticus cætus, iam curia regalis expectat tuam rem ergo age & bene habe. *Zelus*. Polliciti memor obedientia vltro, & tu bene habeas soror, nec vllo vnquam in negocio me deserere, tuo quoque spiritu ô germana beneuolentia procul omnis à nobis & cæteris maligna peruersitas exturbetur &c.

EPISTOLA CHRISTIANISSIMI REGIS FRANCIÆ IVSTIFICATIuo *subtractionum factarum à Petro de luna, non obstante obedientia suo prædecessori & sibi quandoque præstita.*

CAROLVS Dei gratia Francorum rex vniuersis Christi fidelibus salutẽ in Domino, & ad eam quam summopere desideramus ecclesiasticam vnionem vnanimiter aspirare. Pax ecclesiastica quæ sub vnico & certo Christi vicario coniungere debet vniuersa membra populi Christiani secundũ ipsius Christi & apostoli sui documentum dum olim post mortem felicis recordationis Gregorij papæ vndecimi conturbari cæpisset, dumque scisma perniciosum monstrum horrendum ingens in eadẽ ecclesia suboriri cerneretur ex causis toto orbe notissimis, Christianissimus tunc ac præclarissimæ memoriæ progenitor noster Carolus quintus suasus multis vehementibusque rationibus deliberauit adhærere, & obedientiam præstare illi quem collegium cardinalium iureiurando asseruit in vita & in morte atque publicauit se canonicẽ in summum pontificem & verum Christi vicarium sponte & concorditer elegisse. Arbitrabatur namque verisimiliter idem progenitor noster vt erat totus feruens in zelo domus Dei, & ex sua fide pia alios dijudicans, quod cæteri principes ac prælati cum vniuerso clero & populo protinus obedirent consimiliter dum electionẽ huiusmodi per collegium præfatum cardinalium sufficienter eis innotesceret, ritè fuisse celebratam, sed aliter euenisse dudum iam deploramus, neque enim potuerũt vsque hodie dicti cardinales hocipsum. Nos idcirco cernentes experientia, temporeque docentibus quod hæc obedientia præstita inualida erat ad tollendum funditus scisma pestiferum quod in exilium grauissimum pacem desideratissimam & optimam detruserat, deliberamus eandem pacem ad proprium cubile suum quod est ecclesia velut ad suam regionem per alias vias totis conatuum viribus reducere, hinc concilia crebra, hinc legationes laboriosissimæ ac sumptuosissimæ per omnes pene Christianitatis regiones frequentatæ, tandem aspirante Deo via cessionis vtrique contendentium pro reuersione pacis turpiter exulantis inuenta est compendiosior absque vlla dubitatione expedientior iudicata. Hanc proinde viam cum omni solemnitate præsentari fecimus successori illius cui progenitor noster (sicut diximus) obedientiam præstiterat quam obediẽtiam ideo maximè postmodum ab eodem successore pro tẽpore subtraximus, quia non satis apertè per viæ cessionis compendium videbatur velle pacem reducere, postpositis disceptationum interminabilium anfractibus & ingressibilibus aliarum viarum labyrinthis. At vbi visus est nobis ad salubriora se conuertisse consilia, rursus absque omni mutabilitatis culpabilis nota obediuimus eidem, ita tamen animo nostro gerentes, si & quamdiu hæc obedientia nostra non obstaret ecclesiasticæ vnioni, quemadmodum in concilio vltimo ecclesię regni nostri meminimus satis datum intelligi neque enim voluimus vnquam scienter (neque fas esse credimus) obedientiam præstare cuiquam mortalium in pacis vniuersalis præiudicium, in scismatis fomitẽ, in discordiæ instrumẽtum. Et ô salutifer Christe princeps pacis, quamdiu iam quæsiuimus pacem & non venit. Expectauimus tempus medelæ? tempus scilicet iuratæ conuentionis vtriusque contendentium pro cessione celebranda, & ecce turbatio. Animaduertite hæc Domini principes Christiani quibus est dolor talis, tantaque matris dissipatio. Attendite insuper vobis & vniuerso populo Christiano vos sacri pontifices in quo posuit vos spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Attendite quæsumus, nolite dissimulanter agere, vbi depopulatur gregem Christi miseris modis, tempestas hæc sæuissima horrendáque vorago. Exurgat in vnum populus vniuersus tollere de medio sui deformissimum hoc portentum vnde fit in opprobrium hostibus incredulis proprijsque animabus damnationis æternæ discrimen apertum decidat vel inuitus vnus aut alter, immo vtrique contendentium ab occupata sede Petri potius quam vnitas eorum contentione depereat. Nam dum neutri populus obediet, neuter amplius de primatu vel frustra contendet, neque audietur vltra vox illa crudelissimæ feminæ nec mihi nec tibi, sed diuidatur sed illa piæ matris, date illi infantem viuum. Nos verò qui nihil ita post animæ salutem desideramus quam videre serenissimam pacis faciem, nostris effulgere temporibus, iudicamus ex præmissorum & similium consideratione nullum ad præsens patere validius in tam desperato malo remedium, quam quod neuter contendentium aut sibi forte successorum pręstetur deinceps obedientia à populo Christiano, deficiente siquidem fomento, tantus ignis iste infernalis in se tandem deficiens dante Deo collabetur. Quapropter præcedentib. & habitis super hoc vicibus repetitis, magnis & maturis deliberationum consilijs cum sapientibus peritis & deuotis hominibus Deum & eorum salutem gerentibus præ oculis. Nos vt ecclesia regni nostri ac Delphinatus Vienensis pro nobis & subditis nostris eorundem regni & Delphinatus decreuimus talem amplecti neutralitatem in festo ascensionis proximæ venturo, nisi interea nobis vltro pax aduenerit, processuri nihilominus vlterius assidua sollicitudine cũalijs principibus & catholicis omnibus, donec euulso scismate pax planteтur. Quod si mirabuntur forsan aliqui ex aliter affectatis vnde nobis ista licent, attendant potius quod hanc nobis legem facit ipsa quæ legem nescit dura necessitas, immo & filialis pietas quæ per medios etiam ignes & gladios matrẽ talẽ ita collaborantem eripere conaretur. Ecce moribus inueteratus & putridus qui ex fomentis leuioribus in deteriora quotidie velut cancer serpit, si ergo ferramentum cauterizans adhibeatur, nullus rectè culpauerit. Demum cum pro hac neutralitate

neutralitate in vnum tractanda principes ac magnates vtriusque obedientiæ commoda celeritate congregari non possent, nullos suo quęsumus cõtemptui deputet ius partis nostræ, quam probabilissima ratione prælibatus progenitor noster & nos hactenus fuimus insecuti, in hac neutralitate condemnatum vel depressum, cum nunc non de iure huius vel illius, sed de cedendo iuri verò vel prætenso pro vnione consequenda res agatur. Quamobrem vos omnes & similes hortamur in Christo & per eam quam de immaculata sponsæ suæ ecclesiæ laceratione fæda compassionem geritis obtestamur, arripite nobiscum validum hoc & efficax sicut expectamus in Dei virtute pestis huius exterminium, vt denegatio hæc obedientiæ vtrique contendentium afferat nobis tandẽ perpetuam vnanimemque obedientiam sub vno & certo Christi vicario, quatenus seruiamus Deo in pulchritudine pacis & requie opulenta. In quorũ omnium fidem & testimonium præsentes literas nostri sigilli fecimus munimine roborari. Datum Parisijs die 12. Ianuarij Anno Domini. M. 407. & regni nostri. 28.

FINIS.

EIVSDEM SERMO HABITVS CORAM CONCILIO CONSTANTIensi in dominica qua erat festum sancti Antonij.

NVPTIÆ factæ sunt in Chana Galilęæ & erat mater Iesu ibi. Scriptum est originaliter. Io. 2. & recitatiuè in euangelio dominicæ currentis, quod ad honorẽ gloriosissimi patris Antonij cuius hodiæ cælebritas agitur inferius deducetur. Sed dum nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ erat mater Iesu ibi. Adsis & tu pia mater Iesu nobiscum in hoc sacro cõcilij loco, vbi est mysticè Chana Galilææ, vbi allegoricè fiunt nuptiæ. Interpretatur enim Chana zelus, & Galilæa transmigratio. Est autẽ hæc zelus transmigrationis, sed quo & vnde? Nimirum ex hoc mundo ad patrem, ex Chana in Hierusalem quę ædificatur vt ciuitas, quia peregrinamur à Domino, nec habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus, quæ est Hierusalem mater nostra. Vides inquit, benedictissima mater Iesu, quemadmodum celebratur synodaliter in hac mystica Chana Galilææ in hoc sacro concilij loco dignissima nuptiarum Christi Iesu filij tui & ecclesię copulatio. Ad quid ita? sanè quatenus ecclesia sponsa agni, neque laceretur amplius scismate, neque deturbetur erroribus, neque deformata maneat vitiorum fęditate. Adsis igitur ad has nuptias ô Maria. Adsit & filius tuus Iesus cum discipulis suis sanctis omnibus inuitatus precibus à nobis, quo veniente commutetur obsecramus apud nos assidentes in his nuptijs aqua grauis & insipida sapientiæ terrenæ animalis & dyabolicæ, in vinum optimum sapientiæ salutaris, quod nos ebria quadam sobrietate lætificet, corroboret, & sit in nobis vinum germinãs virgines, hoc est virginales, puras & integras assertiones, impleantur hydriæ cordium aqua lachrymosæ compunctionis. Fiat hoc intercedente te ô sacer eremi cultor Antoni gloriosissime fili matris ecclesiasticæ, ac vniuersa terra nominatissimæ cuius hodie solemnitas celebratur. Fiat & hoc insinuante & petente te beatissima & misericordissima mater Iesu mat. salutis, quam ideo salutamus depromentes suauissimum illud Gabrielis epithalamium, dum in palatio virginalis vteri tui nupsit humanitati diuinitas. Aue gratia plena Dominus tecum. Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi. Si dicam quod sentio patres apostolici, patres Deo amabiles & spectabiles domini, tanta mysteriorũ præsentis euangelij maiestate, tanta dicendorum numerositate suffunditur & premitur meæ mentis acies inualida, vt quid primum dicam, quid omittam vix discerno? Cadit in me illud Narcissi philocapti iuuenis apud Nasonem, & ad fontem inopem me copia fecit. Ecce nuper in ipso meditationis meæ secreto dum præsentis euangelij verbis intenderem apparuit ipsum velut fons illimis & nitidus fons vitæ verbum Dei in excelsis, tanquam præterea speculum quoddam purissimum sine macula, sanctissimum quam & tale quale dicunt aliquid esse perspectiui in quo relucent ex vnius corporis obiectu quatuor imagines speculo non fracto. Visa est nempe mihi respicienti pręsens euangelium quadruplex expositionis sacræ scripturæ facies, quasi totidem decore virgines filię cælestis sapientię, quarum nomina & officia quidam metro comprehendit, dicens: *Luc. 1.*

Litera gesta docet, quid credas allegoria.
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

His itaque quatuor imaginibus insignitur fons & speculum sapientię diuinę, his quatuor faciebus ornatur in vtroque testamento sacra scriptura, sicut figurat Ezechielis visio in animalibus & rotis. Hęc nempe duo testamenta sunt velut si sit rota in medio rotę. Allegoria fidem, anagogia spem, moralitas charitatem, litera simul tria hæc docet & ędificat. Prudentiam allegoria in fide, fortitudinem anagogia in spe, temperantiam moralitas in charitate, iustitiam littera sub appropriatione quadam tradit. Sapientia enim cuius sunt filiæ, sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem .i. fortitudinem ait Sapiens. Quæret aliquis, quorsum ista, & quid obscurum hoc sibi velit exordium respectu thematis huius, Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilæę, & erat mater Iesu ibi. Dicam vt potero diuersas siquidem nuptias intuitibus meæ considerationis opponebat quamdruplex ista species expositionis sacrę scripturæ, quasi tetras virginalis suadens vnaquęque virgo quatenus de suis nuptijs primum & potissimum haberetur verbum.

Litera corporales nuptias.
Allegoria spirituales & sacramentales.
Moralitas sensuales.
Anagogia æternales obiectabat.

Dicebat litera corporales nuptias honorabiliores esse quas Dominus hodie signorum exordio suáque præsentia cum matre & discipulis honorans consecrauit, quarum fuit prior institutio in paradiso terrestri, nondũ innocentiæ statu deperdito, quando prophetauit patriarcha primus Adã, propterea relinquet homo patrẽ suũ & matrẽ suã & adhęrebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna *Gene. 2.* &c. Per quas nuptias impletur mũdus obediendo *Genesis. 1.*

primæ iussioni, Crescite & multiplicamini & replete terram. Dic igitur tu prędicaturus quales hodiernæ & qualium personarum fuerint nuptię? & si Ioannes euangelista prout opinati sunt aliqui, qua ratione potuit dici virgo si nubere disposuit? Cur ibi fuerit mater Iesu, quæ vagari quæ misceri cum ludentibus non nouerat; Cur illic inuitati Iesus & discipuli, quibus sobrietas & morum grauitas erat amicissima? & quales discipulos cum nondum prædicaret, habebat? Nunquid virginalis Mariæ sponsus Ioseph interfuit? & si non, quæ ratio? si sic curtaceretur? Cur velut austerè respondit Iesus matri verecundè petenti & dicenti, vinum non habent? Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea. Hora qualis erat illa Christe tanquam aliqua tu facti necessitate tenereris: Expone præterea quale fuerit vinum illud, & qualiter ex aqua factum, & si rubeum fuerit, iuxta illud, Aquæ rubescunt hydriæ? Cur vinum bonum & ita inebriatiuum propinauit conuiuis Iesus qui postmodum iussit vt non grauarentur corda nostra crapula & in ebrietate? de qua tamen ebrietate loquitur hic ad sponsum Architriclinus, quasi non reprobet eam in conuiuio sed suaderet. Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est &c. Rursus habet quæstionem, si nuptiæ Ioseph & Mariæ fuerint tempore suo hodierno more Iudæorum & penè omnigentium solénniter cælebratæ quod vtique faciendum esse videtur. Non enim fuit claudestinum matrimonium, sed legitimum. Itaque Ioseph post desponsationē Mariæ in Hierusalem, primò suscepit eam. Postmodum in familiarem conuictū more gentis suæ secundò, deinde tertiò post annunciationē angelicā Ioseph super ea certificatus à Maria & ab angelis in somnis, fecit iuxta textum euangelicum sicut præcepit ei angelus, & accepit Mariam coniugem suam, accepit, intelligite ritu solemni nuptiarum, quæ acceptio dicitur conuentio illa de qua Matthæus: Antequam conuenirent inuenta est(non dubium quin Ioseph) habens in vtero de spiritu sancto. Non quidem ex vteri tumore cognouit hoc Ioseph, eorum honore saluo qui oppositum scripsisse & pinxisse videntur. Quid enim scandalosius apparuisset Iudeis conuenientibus ad celebritatem nuptiarum Mariæ, quam videre tumescentem eius vterum. Sed hæc in epistola quadam super celebratione virginalis cōiugij Ioseph & Mariæ latius notata sunt. Postremò quare dicitur, hoc initium esse signorum quæ fecit Iesus, nunquid ante caruisse miraculis, nunquid ociosus fuisse credendus est? Litera virgo semper integerrima, quia semper verissima, cæteris auctotate prior, qua vacillante reliquæ non substinerēt conquirere suadebat hæc & similia, dum soror eius allegoria profundissimo intelligentiæ spiritu plena subintulit, præferendæ sunt (credere mihi) spirituales, sacramentalesque nuptiæ, quæ sunt Christi sponsi ad ecclesiā sponsam, quarum fit cōuiuium in templo ecclesiæ communione panis & vini in sacramento altaris. Hæ fuerunt initiatæ in primo instāti incarnationis in thalamo vteri virginalis, ratificatæ in instāti mortis Christi per aquā & sanguinē, & consummabuntur in instanti æternitatis per felicitatem perpetuam. Vnde sicut res per

fectior est quā sit signum eius, sic has nuptias digniores esse quā corporales fateri necesse est. Vnde quid dicit apostolus de corporalibus nuptijs audi. Sacramentum inquit hoc magnum est signū signum scilicet rei sacræ, sed qualiter & quomodo? in Christo dico & ecclesia. Figuratur celebriter hæc desponsatio in solemnitate dedicationis templi materialis, & exprimitur à Ioanne in apoca. dum dicit se vidisse Hierusalem nouam descēdentem de cœlo tanquam sponsam ornatam viro suo. Qualiter autem matrimonium Adæ pro statu innocentiæ si non peccasset, quomodo præterea virginale coniugium Ioseph & mariæ nunquam consummatum præsignauerint sacramentaliter matrimonium Christi cum ecclesia docere paratus sum dicit allegoria, si & dum studiositas speculatrix familiaris nostra quæsiuerit. Pensare videbatur allegoria dum, verbū sumpsit soror eius moralis prudentissima & tota secundum nomen suū morigera suadens commemorari debere nuptias sensuales. Nō quidem vt exerceantur (procul hęc impietas) sed vt fugiantur ab hominibus, quæ inabominabili prostibulo concupiscentiæ, & in volutabro luti carnalis fœdissimo spurcissimóque fiunt dū cōtrahit animalis homo cū sensualitate seu concupiscētia sensuali. Initiatur autē matrimoniū hoc adulteriū in illecebrosa cogitatione. Ratificatur in cōsensu verò vel interpretatiuo. Consūmatur in opere voluptatis libidinosæ quæ fœda est, quæ deformis, feralis & sordida, exosa tādē & pœnosa. Propterea singulariter præcepit Isaac, Iacob filio suo ne acciperet vxorem de genere Chanaan. Chanaā interpretatur erubescens, & quid erubescendū quæso magis ipsa libidinum vili voluptate cuius sunt exitus odiosi, tristes & amari, qui plus aloes quam mellis habēt? Figurat hoc nobis Amō, qui nimio amore sororis suæ Thamar succensus procurauit eius concubitū, sed nefario opere cōsummato audi quid sequitur, & exosam habuit eam, ita vt maius esset odiū quo eam oderat, amore quo eā dilexerat. Fugiendas igitur doce tu nuptias istas inquit moralitas, quoniā euenit semper in eis illud Machabæorū. Conuersæ sunt nuptiæ in luctū, & vox musicorū in lamentū. Ecce tamen quod repleuerunt mundū sordibus suis, quoniam corrupit omnis caro viam suā, ita vt quæ in aperto & quæ occulto fiunt turpe sit dicere, vt vix etiam in cōfessione possint extorqueri, nisi obstetricāte manu domini coluber tortuosus extrahatur à corde. Cur enim Sodoma interpretatur muta, nisi quia mulos sine cōfessione consueuit præcipitare in stagnum sulphuris ardētis, cuius fumus tormētorum ascendit in secula. Has à puero nuptias sordidas libidinis execratus Antonius suspirauit cū psal. Quis dabit mihi pennas sicut colūbę & volabo & requiescā. Ecce elōgaui fugiēs, (securè sanè sicut Ioseph procacem fugit Ægyptiā) & mansi in solitudine. Ad hāc de Antonij solitudine cōmemorationē qui totiēs in anagogicus raptus est mentis excessus, exorsa est quarta soror anagogia nil mortale sonans & diuinam in facie monstrans originem, hæc ad cęlestia librans oculos tracto ex imo pectoris deuoto suspirio suggere mihi videbatur & dicere: Eya quid hæsitat animus tuus, quid vacillat dubius an in prioribus nuptijs vel in meis plus debeat insistere sermo tuus?

Ephe. 5.

tus? Certum teneo nuptias meas æternales esse, de quibus in Matthæo: Venit sponsus & quæ paratę erant intrauerunt cum eo ad nuptias. Et clausa est ianua. Et in Apoc. Gaudeamus & exultemus & exultemus & demus gloriam Deo quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se & datum est illi vt operiat se byssinum splendens & candēs byssinum enim iustificationes sunt sanctorū. Sequitur: beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt. Audi tu recogitans & suspira audi suspensus cor ad cælestia exemplo Antonij cuius interpretatio sonat sursum tenens. Sed qui enim ad cænam agni vocati sunt, ita verè beati, si tamen vocati venire vel nō tardauerint vt fatuæ virgines, vel non contempserint sicut ille qui emerat villam mundanæ vanitatis, alter iuga boum terrenæ curiositatis alter quia duxerat vxorem, de qua nunc soror mortalitas loquebatur pessima, quæ est concupiscentia carnalis voluptatis. Ita est per meam fidem (subintulit confestim mortalitas, & erat acris in vitia) hæc carnalis voluptas pessima est meretrix. Figurat enim Dalila seductrix que Samsonem accensum & debilitatum tradidit hostibus Philistæis, ac relicto eo perfida protinus copulata est alteri viro. Ibi igitur nec vt spero fidem aliquā in tali coniugio carnalis concupiscentia cōtrahit ad interitum. Sed neque ibi sacramentum est, sed execramentum. i. execrandæ rei signum. s. adhæsionis animæ cum dæmone. Neque proles denique, quoniam qui tenet eam iuxta verbum Iob, pascit sterilem quæ non parit. Porrò deficit vinū deuotæ compunctionis in nuptijs eius quia non est mater Iesus ibi, neque vocatur Iesus cum discipulis suis ad eas, sed nec vocatus interesse dignaretur, nimirum si fugit eas Antonius. Loquebatur hæc moralitas dum visa est anagogia parum perferre molestè quod suam de nuptijs æternalibus orationem interruperat. Mox etiam litera, mox & allegoria contendere parabant (vt ita loquamur humano more) altera alteram præuenire locutura prius vnaquæque de nuptijs suis integro perfectoque sermone. Tunc ego: quiescite precor interim vos germanæ diuinæque sorores. Nolite tumultuari, nolite contendere, ne fortassis dicendorum ordo turbetur, nihil ægrè tuleritis, satis id mihi fuerit hactenus vos reuelasse oculos meos vt considerarem mirabilia de lege domini, animaduerto quippe velut vnam esse faciem omnium vestrum, quoniam nuptiæ tuæ corporales ô litera significant & sacramentales ecclesiæ & spirituales gratiæ & æternales gloriæ, ex quarum pulcherrima puritate patet execratio nuptiarum sensualiū, quales iure suo detestatur moralitas. Rursus allegoria manuducit ad anagogiam & ad vtrāque litera moralitasque subseruiunt. Similiter videre est in singulis faciebus vestris. Relucet attamen peculiariter in litera facies hominis, quoniā solus inter animalia literis & historijs vti nouit. Relucet in allegoria facies leonis propter fortitudinem illius quam edificat fidei, nonne leonina tibi videtur ista fortitudo quæ vincit mundum, hæc tamen est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Relucet in moralitate facies bouis propter temperantiam & domabilitatem laboriosam quā docet nos. Relucet tandem in anagogia propriissimè facies aquilæ supereminēs, quoniā edocet

Apoc. 5.

A B C D E F

per spem ad cælestia leuare sursum corda. Compressa est his auditis sororia quælibet disceptatio filiarum sacræ sapiētię, quæ suæ sunt quattuor exponendi scripturam sacram modi, age inquiunt vtere deinceps pro arbitrio tuo nobis omnibus & singulis aberit liuor omnis, neque suborietur murmur vllum. Deduc vt libuerit verba thematis tui, Nuptię factæ sunt in Chana Galilęæ, & erat mater Iesu ibi. Ast ego patres sapientissimi. P. orthodoxi & honorabiles domini decreui me cum plus de reliquo procedere iuxta doctrinam allegoriæ, quæ quomodo credendum est, instruit ex his quæ litera tradit esse gesta. Mouet præcipuè consideratio sacrosancti huius generalis concilij repręsentantis ecclesiam quam in fide desponsauit sibi Christus. De quo Ioannes baptista: Qui habet sponsam sponsus est, figuratus in sole qui est tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Hic sponsus omnia condidit omnia reparabit propter coniunctionem nuptiarum istarum. Nam propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cęlis. Propter quam & alias rationes dictus est etiam à philosophis homo finis omniū sub Deo. Initiantur autem hę nuptię per gratiam, fidem, spem in pręsenti de futuris bonis. Ratificantur per adeptionem primę stolę in animalibus sanctis. Consummabuntur in die nouissimo per possessionem stolę duplicis, animę & corporis. Vel dic aptius quod matrimonium istud initiatum est in promissione facta sanctis patribus. Hinc dicitur in Apoca. quod agnus occisus est ab origine mundi. Ratificatum fuit in incarnatione quando verbum caro factum est. Consummatum in passione postquam Christus dixerat. Consummatum est. Vnde Augusti. Nubit sponsa dum sponsus moritur. Figurat hoc Eua de Adę dormientis latere formata. Petet aliquis quale conuiuium habent hæ nuptię? Habent quasi prandium matutinum in conuiuio eucharistię vbi est vinum animę purissimum sanguis Christi conuersione mirabili. Vnde Dauid exultabundus in figura gloriabatur: Parasti in conspectu meo mensam: Sequitur: Et calix meus inebrians quam pręclarus est. Habent cęnam vespertinam indeficientem in conuiuio cęlestis glorię vbi beati sunt (prout allegauit anagogia) qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt. Conformiter hoc ad legisperitum dicentem Christo. Beatus qui comedet panem in regno Dei, vbi etiam vinum bibetur nouum, teste Christo, dum torrente voluptatis tuæ potabis eos domine. Pergebat meditatio cordis mei allegoria duce latius differere de nuptijs istis ecclesiæ ob reuerentiam huius sacrosancti generalis concilij, dum affluit studiositas speculatrix vna ex ancillis sapientiæ familiari dilectione sibi gratissima. Hæc tota videbatur alacris & læta, eam quippe nouit introduxerat rex & Architriclinus in cellam vinariam, de qua proclamans inuitat sapientia: Bibite amici & inebriamini charissimi. Istic biberat studiositas sobriam ebrietatem spiritus, quæ more suo multa conquirens nominatim super his nuptijs hodiernæ diei, nūc à litera nunc ab allegoria, nunc à moralitate, nunc ab anagogia in modum tetralogi. Stetit tandem magis, quoniam ita me velle conspexit in allegoria, cui verbum dirigens dic inquit ô doctrix optima,

Primum quibus adornata est dotibus ecclesia spōsa Christo sponso suo? Deinde qualis est habitudo Christi sponsi ad ecclesiam sponsam? Rursus viceuersa qualis est habitudo spōsæ huius ad spōsum suum, & ad eius vicarium quem appellamus summum pontificem? Amplius quartò qualiter & quam vtiliter Deus carnale coniugium voluit huius spiritalis signum esse? Subinde quo pacto moralis ecclesia spiritualē significat, sic vt mutuas sibi laudes & nomina cōmunicent? Demum sextò quibus modis & locis sacræ scripturæ figurantur hæ nuptiæ Christi & ecclesiæ. Quibus expeditis pergam ad reliqua. Verum rectè admones ô religiosa deuotio celebritas est hodie gloriosissimi & toto orbe famatissimi patris Antonij, cuius vita tot admirandis ornata virtutibus fulsit, vt magna sit institutio, magnum exemplar & forma bonæ vitæ & fidei. Antonium scire quis fuerit. Quãobrem interseras precor nō dicam omnia (hoc itaque fieri nequit) sed vel pauca laudum suarum præconia, vt in tali filio glorificetur mater ecclesia in cuius mirificationem manifestauit gloriam suã. Christus sponsus ecclesiæ. Habet scio litera gestorum suorum quæstiones non inutiles nec infirmas quas perscrutatura sum ego studiositas si & dum vacauerit, sicut de comparatione vitæ solitariæ & eremiticæ cum laudibus suis ad cœnobicam, & vitæ actiuæ ad contemplatiuam, & prælaticæ ad religiosam. Si beatus Antonius sacerdos fuerit. Si subiectus in ordine hierarchico prælatis maioribus & minoribus, sicut tradere videtur Dionysius in ecclesiastica hierarchia. Habet proinde dubium si discretè sumitur eremi solitudo in feruore nouicio, qui est sicut vinū nouū sine spiraculo, hæc enim reprobasse videntur sancti patres, quoniam plurimum habet hæc vita solitaria aduersariç & impugnatoriæ tentationis, prout ex his quæ passus es didicisti ô athleta strenuissime sacer Antoni, nunc in flagellatione etiam visibili dæmonū, nunc in mille insidijs astutiarum suarum, super quibus astutijs infallibiliter agnoscendis & distinguendis, si dabilis est ars certa dignum est inquisitione. Habet rursus quæstionem litera de hypocentauris & satyris. Satyri sunt qui pedes habent caprinos, frontem cornutam, nares aduncas. Hos inuenisse memoratur beatus Antonius dum ad visitationem primi eremitæ Pauli solus pergeret & per vastam illam eremi solitudinem, dij fuerint vel bestiæ vel monstra eremi, vel calodæmones aut cacodæmones, iuxta Platonicorum locutiones, aut homines, suadetur hoc vltimum, quoniã ipsi stridore quodam frendentes se in Christum credere confessos Hieronymi refert narratio. Sed his interim & similibus silentio pressis quæstionibus, illo pergas oro quo sanctificata es ordine, ô allegoria. Quod annuens ipsa, delector inquit in primis ô studiositas cultrix sapientiæ quod fidem, quod religionem, quod deuotionem tuam, quod zelum sciendi sedula monstras, nihilominus quã arcta sit hora loquendi vides. Expediam de propositis quantum dabitur. Reliqua verò quæ iam apud me dictata teneo scriptis interseram. Habet igitur prima quæstio tua quibus adornata est dotibus ecclesia sponsa à Christo sponso suo? Et dotes offerunt in munere. Offert se dos iugis fœcunditatis, ita vt non deficiat vsque in finem generatio sua. Iurauit hoc Christus: Amen quippe dico

A vobis, non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, loquitur de apostolis & discipulis, quibus & ascendens in cælum dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Dos altera est plenariæ potestatis, tantæ siquidem si credis Augustino quantam habet sponsus suus, & quantam decuit & vtile fuit habere talem sponsam iure naptialis copulæ. Habet libet sūmus pōtifex plenitudinē potestatis ecclesiasticæ subiectiuè ordinatiue, regulatiuè & suppletiuè, super singulos de ecclesia, nihilominus habet ecclesia

Luca 21.

Mat. 28.

B synodaliter congregata plenitudinem potestatis etiam super papam ordinatiuè, regulatiuè & suppletiuè, quæ verba quomodo sint accipienda tractatulus quidam nuper editus pandit, qui prodiet in publicum magis ad examinationem quam determinationem, magisque ad elucidationem veritatis quam ostentationem vnitatis, quamuis vltra multiplicare sermones quid opus est super ea veritate cuius decisio clarissima solidissimaque facta est per hoc sacrum concilium, cui non licet obni-

C ti, nec ipsam in argumenta deducere, quoniam disputationum & argumentationum & euasionū friuolarum nullus vnquam esset finis, sed casus assiduus in errores absurdos insanos & impios. Verè & grauiter ecclesiastes introiuit. Quia citò non profertur contra malos sententia, filij hominum absque vllo timore perpetrant mala. Nunquid non ideo sacræ huius synodi Constantiensis impugnantur iudicia quæ sic habent. Primò declarat quod ipsa in spiritu sancto legitimè congregata

D generale concilium faciens & ecclesiam catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si papalis existat obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti scismatis, ac generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris. Item declarat quod quicumque cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si papalis existat qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis huius sanctæ synodi & cuiuscumque alterius con-

E cilij generalis legitimè congregati super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit cōdignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur etiam ad alia iuris subsidia si opus fuerit recurrendo. Hinc veritati fundatæ supra petram sacræ scripturæ quisquis à proposito detrahit, cadit in hæresim iam damnatam, quam nullus vnquam theologus maximè Parisiensis & sanctus asseruit, vidi nuper sanctum Thomam & Bonauenturam hic

F reliquorum libros non habeo dant supremam & plenam summo pontifici potestatē ecclesiasticam rectè proculdubio, sed hoc faciunt in cōparatione ad fideles singulos & particulares ecclesias. Dū etiam comparatio facienda fuisset ad auctoritatē ecclesię synodaliter congregatæ subiecissent papã & vsum potestatis suæ eidem ecclesiæ tanquam matri suæ cuius legem dimitti non debere tradit sapiens, tanquam præterea regulę vel legi directiuæ & regulatiuæ infallibiliter cui se submittere tenetur omnis frater peccabilis de ecclesia, cuius auctoritatem & iudicia si non audierit frater quilibet, etiam papa qui nobiscum dicit pater noster, audiatur

Matth. 18. audiatur quid iusserit omni catholico Christus, sit tibi inquit, sicut ethnicus & publicanus .i. excõmunicatus. Verum hæc, hactenus, alias plura si dabitur. Dotauit insuper tertiò ecclesiam Christus ampla temporalitate, nolens eam opprobriosæ mendicitati subditam esse neque contemptui, absit. Vera sit illa prædicatio quod mendicitas est solum vel præcipuum medium fæcundandi ecclesiam per semen verbi Dei, quia diuitiæ inquit, suffocant semen verbi. Non vtique diuitiæ quæ corporales sunt, sed cura diuitiarum nimia pungens & lacerans adulatrix & ambitiosa, quæ si cadat in mendicitatem non aliud testimonium quã experientiæ mentiri nescientis exquiratur. Quid quantò quod dotata est ecclesia in filijs & in ædificationem corporis sui, tot sacramentis, tot virtutibus moralibus & theologicis, tot donis, tot beatitudinibus, tot fructibus spiritus, tot gratijs gratuitis à spiritu sancto suo distribuente vnicuique prout vult. Nam alios quidem dedit apostolos, alios prophetas. Adde quintò quod affert ad nuptias istas vnusquisque filiorum ferculum suũ, symbolum suum & encænium suum, prout iocũdo satis nec inutili studio descripsisse legitur Cyprianus de nuptijs sacræ scripturę. Sed hanc vnam pro præsenti inuenimus dotem quæ & proposito nostro & euangelio quod tractamus, & Antonij laudibus videtur accommoda. Hæc dos est vini bonitas, tristes certè viderentur nuptiæ si vox ista iugiter insonaret. Vinum non habent. Noluit hoc sponsus ecclesiæ Christus, sed aquam conuertit in vinum & manifestauit gloriam suam. At vero paruam hanc nec reputandam fortassis ecclesiæ dotationem, sed bibulam & ridiculam existimabis ô studiositas, vel si nescieris vel non animaduerteris preciosissimas vini de quo loquimur proprietates. Neque enim de vino materiali quod inebriat & in quo est luxuria literaliter hic loqui-
Eccl. 31. mur, de quo Sapiens, multos exterminauit vinũ. Sed spirituale ac theologicũ vinum intelligimus prorsus optimum, iocundissimum & sanatiuum, hoc est vinum sacræ scripturæ ad quod inuitat sapientia. Venite inquit comedite panem & bibite vinum, cuius vini fortitudinem ex effectibus suis quos decem inuenimus positos in Esdra, si mysticè loqui libuerit colligimus. Vbi primus trium iuuenum dixit forte vinum, & quamuis subdiderit alius, fortior rex, & tertius fortissimæ mulieres. Veritas tamen est quæ super omnia vincit, præcipue veritas fidei, de qua Ioannes. Hæc est est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Vincere mundum profectò non est parua victoria. Sancti verò per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Et quoniam (prout ante notatum est) dies hodie celebris agitur de gloriosissimuo matris ecclesiæ filio beatissimo Antonio, victore strenuissimo. Placet ex operibus eius quæ tradidit nobis litera quæ prætereа moralitas nouit & docuit, quæ tandem anagogia profecit ducens eum super excelsa. Placet inquam etiam exemplum inducere per se sufficientissimum, etiam si aliud deesset quo fortitudinẽ vini huius sacræ sapientiæ concludere fas nobis est. Forsitan inquires vnde beatissimus Anachoretarum Antonius habuit vinum tale qui litteras nõ didicit? Respondet Augustinus proæmio de do-

A ctrina Christiana, quod non ex hominibus, neque per humanum literarum studium hausit illud sed diuinæ reuelationis infusione sibi collatũ est. Cuius odor vini ministratus per literam gestorum suorum quod in Augustino fecerit accipe. Inebriauit quippe eum pia sobrietate, quod mox in virum alterum mutatus est, & fugit ab eo sollicitudo vitæ præteritæ tandem velut luce quadam securitatis infusa post egestum torrentem lachrymarum solidatus est in ipsa lege Christi. Dicebat quid agimus? surgunt indocti & cælum rapiunt, nos autem cum scientijs nostris sine corde &c.
B Quisquis igitur recogitat admiratur & gaudet Augustinum tibi traditum ô sanctissima mater ecclesia, gaudeat oportet & congratuletur, & gratias agat Antonio. Quare? Quoniam ipse tam eximium & præclarissimum doctorem Augustinum tibi dedit, & hoc propter testatissima (sicut idem Augustinus loquitur in confessionibus suis) eiusdem Antonij miracula, propter admirabilem insuper vitę sanctitatem, quia denique considerauit dotes varias ecclesiæ in hoc vno collectas fuisse,
C quales nouem enumerat apostolus ad Corinthi. Sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, grata sanitatum, operatio virtutum in dæmonijs eijciendis, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, & in epistola præsentis dominicæ ad Romanos sumuntur decem & octo, quoniam fuit Antonius tribuens in simplicitate, pręsidens in sollicitudine, misericors in hilaritate, diligens sine simulatione, odiens malum, adhærens bono, charitatem fraternitatis diligens, honore cęteros præueniens, sollicitudine
D non piger, spiritum feruens, domino seruiens, spe gaudens, in tribulatione patiens, orationi instãs, necessitatibus sanctorum communicans scilicet spiritualibus, hospitalitatem talibus sectans apud fratres suos. Benedicens persequentibus, benedicens & non maledicens, gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus, non alta sapiens, sed humilibus consentiens. Hæc omnia operatus est vnus & idem spiritus in Antonio, quem figuraliter vidit Ioannes in Apoca. filium ecclesiæ raptum in Apoc. 12.
E cœlum à facie draconis, de qua quidem ecclesia præmittitur signũ magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta in sole iustitię, & luna totius mutabilitatis sub pedibus eius, & in capite eius coronã stellarum 12. quæ sũt. 12. apostoli vel. 12. articuli fide vel vniuersitas gratiarum. Libet hęc exclamare, felix ista dies tanti patris Antonij, in qua natus est olim illustrissimæ memoriæ Philippus dux quondam Burgundię princeps pacis prudẽtissimus, memorandus cum reuerenti semper suspirio, nedum mi-
F hi, sed toti Galliæ, immo & ecclesiæ, prędicaui sępenumero Parisijs in hac die natiuitatis suæ, dicẽs inter cætera diem hanc celebrem esse, sibi debere, non quia natus erat in mundum filius iræ de matre quæ concepit eum in peccatis, maledicenda potius exemplo Iob & Hieremiæ, recolenda verò dies hæc, quia baptismi regenerationem, quia natus est denuo meruisset, quia rursus patronum talem & tantum quasi specularιter dedisset in animi sui deuotione dominus Deus noster, profuerit tibi tunc & nunc tua hæc deuotio princeps illustrissime ad salutem animæ perpetuam. Profecerit insuper ad inclytę posteritatis tuę bonum &

acceptum Deo statum. Sic opto, sic precor atque desidero sine fictionis aut adulationis spiritu. A Testis est in cœlo iudex meus, coram quo est omne desiderium meum, scis quoniam ita mihi sum conscius in veritate, pereat ergo falsitas, & veritas vincat, veritatem enim vinci falsitate pessima est victoria. Vnde & si iubet proximum diligi Deus sicut seipsum, qui vero diligit iniquitatē odit animam suam & seipsum, consequens est quod ille proximum odit qui iniquitatem in eo nutrit & diligit, prout vidit philosophus in Ethicis, tollens omnem ab impio amicitiam, etiam cum seipso. B Sed videat vnde captus est sermo, doceamus fortitudinem vini sacræ sapientiæ ex effectibus quos operatum est in Antonio. Itaque dicitur in Esdra, quod seducit mentem .i. seorsum ducit, hoc nunquid non in Antonio perspicuè monstratum est, dum ad vnicam euangelici vini prægustationem, ad vnam vt dicitur guttam. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus (Mat. 19.) ipse protinus à terrenis ad spiritualia, ab imis ad summa, à visibilibus ad inuisibilia, à caducis ad æterna seorsum ductus est, quoniam sedens in solitudine leuauit se super se vsque adeò vt viuens docuerit non esse perfectam orationem quæ non ita raperet in Deum quod sui ipsius nequaquam meminerit. Nonne bona tibi videtur & optanda mentis hæc seductio, hæc seorsum ductio quam inducit sapientiæ sacræ vinum? Tradidit super hac mentis seductione doctrinas & industrias diuinus Dionysius in die mystica theologia, memorabile est id quod litera refert de Antonio, qui occurrente sole faciem vertebat ad orientem vbi tandiu fixus stabat suspensus mentem ad cælestia quousque sol oriens feriret radijs oculos eius, quod Antonius modestè ferens, quid impedis ô sol mentē meam cælestia contemplari, testis est huius anagogia soror nostra, quoniam ea duce cernebat in spiritu lucem. De qua Boëtius, hanc quisquis poterit notare lucem candidos Phœbi radios negabit. Sequitur alter effectus vini nuptialis & theologici, quia regis & orphani facit mentem vanam alia litera vnam. Item serui & liberi, pauperis & diuitis. Tollitur hic acceptio personarū, quia pusillum & magnum fecit deus. Nunquid soli diuites euangelizantur euangelizantur & pauperes. Vnde in Hester nuptijs dabatur vinum vnicuique vinum secundum magnificentiam reginam non iuxta diuitias sedentium vel paupertatem. Est autem vanitas aliqua mala vt ibi, vani sunt omnes homines in quibus non est sapientia Dei, hanc nō affert, sed tollit sapientia & addit vanitatem laudabilem quæ ex humilitate fundatur, quemadmodum tu felix eremi cultor & incola Antoni superfusus hoc vino sapientiæ tete reputasti quasi nihilum & inane in conspectu diuinæ maiestatis ex consideratione propriæ fragilitatis dicens cum Psalmista: Ego ad nihilum redactus sum. (Psal. 72.) Et iterū, substantia mea tanquam nihilum est ante te. (Psal. 38.) Beata prorsus & rara vanitas huiusmodi, quam docet, (Mat. 11.) tradit & efficit per vinū sacræ scripturæ summus (Luce 1.) pincerna Christus. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Alioquin euenit illud de Mariæ cantico. Dispersit superbos mente cordis sui. Est autem hæc humilitas parens discretionis & custos, dum non proprio quasi vano, sed sanctorum patrum credit iudicio. De qua discretione saluberrimum est Antonij documentum conclusum ex mutua patrum collatione quod ipsa est directrix, aurigaque virtutum, qua derelicta virtutes cæteræ vix aliud operantur nisi præcipitium casum vel interitum. Hinc est illud Antonio missum cælitus oraculum, dum aspiciens mirabiles mundi laqueos exclamasset: Domine quis euadet illos? Responsum est, humilitas. Conformiter ad illud Psal. Humiliatus sum & liberauit me. (Psal. 144.) Sequitur tertius effectus vini quod loquimur, omnem mentem conuertit in securitatem & iocunditatē, iam idipsum in Augustino meminimus. Hoc in Antonio tradit litera fuisse, quem non prius cognitum nouiter aspicietes cognoscebant inter cæteros patres ex quadam angelica vultus iocunditate, & frontis oculorumque serenitate, quemadmodum cernere est carnaliter quod homo potus vino bono fit hilarior atque iocundior, & vt apud comicum est, videtur aquilæ iuuentus. Propterea iubet in mysterio Salomon mærentibus & his qui in tristitia sunt dari vinum. Quocirca C subditur quartus effectus & non meminit &c. non meminit omnem tristitiam & debitum. Quo (Psal. 39.) pacto sic? certè quoniam vinum illud lætificat cor hominis, & exclamare facit cum propheta: Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ per vinum sapientiæ lætificauerunt animam meam. Sed quid de debiti memoria vel exactoris? Audiatur dominus ad Iob mysticè loquens de solitario (qualium pater dux & velut initium fuit Antonius) loquitur sub o- (Iob. 39.) D nagri similitudine. Quis dimisit onagrum suum liberum, & vincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernaculum eius in terra salsuginis, & contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit, circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque percurrit. Præclara est & accommoda propositio beati Gregorij super hunc locum expositio lata. Sed ad quintum vini transeamus effectum, & omnia præcordia facit honesta, quippe nihil coinquinatum est vbi est sapientia, nihil impurum, sor- E didum vel verecundum. Hinc tu lacerationem tuam, hinc denudationem per dæmonium rabidos insultus non erubuisti agonista fortis Antoni. Propterea nominatum est nomen tuum iuxta promissionem boni Iesu in vniuerso mondo. Propterea rursus dici potest martyr qui tormenta perpessus es eo crudeliora quo truculentior erat tortor dæmon inferens ea. Spectaculum igitur (prout loquitur apostolus) factus es angelis (1. Cor. 4.) Dei & hominibus, immo & dæmonibus, nec F erubuisti tanquam bene ebrius, sicut nec Christus nudus crucem, nec Hypolitus propriam nuditatem, neque Noe in mysterio, nec apostoli vel martyres erubuerunt vincula carcerem & ludibria. Liceat hic carmen ecclesiæ sapphicum de Ioanne factum dicere iubilo cordis ad Antonium, qui simul fuit virgo, martyr & vates.

O nimis fœlix meritique celsi,
Nesciens labem niuei pudoris,
Præpotens martyr, eremique cultor,
Maxime vatum.

Maxime quo ad considerationes aliquas. Veniamus ad sextum vini salutaris effectum quo debriatus

debriatus homo non meminit regem neque magistratum. Quæ ratio? planè quia facit hominem non timere eos qui corpus occidunt, & post hæc non habent quid faciant. Perspicuum fuit hoc in Antonio, quia principibus & imperatoribus tota mentis libertate rescripsit post collaudationem quod credebant in Christum eos debere reminisci, quoniam super se dominum habent terribilẽ qui aufert spiritum principum terribilem apud omnes reges terræ. Verum quid loquimur de regibus hominibus & magistratibus cum non extimuerit Antonius illum qui est rex super omnes filios superbiæ, & cui non est potestas similis super terram qui factus est vt nullum timeret, dæmonis enim certamina nedum non expauit, sed insultãs prouocauit. Tradit litera Antonium dum adolescens impugnaretur à spiritu fornicationis, rogasse Deum, vt videret impugnatorem suum qui in specie pueri teterrimi pedibus suis aduolutus est quasi blandiens & supplicans, quam Antonius mox irrisit & conspuit dicens. Absit deinceps, vt vnquam te timuerim fœdissime atque vilissime. Multa sunt huiusmodi quæ strenuitatem ostendunt Antonij aduersus principes tenebrarum harum, nec minus solertiam discretionis contra suas insidias. Agebat id quod alios docuit facere, & quod Christus tentatus egit, adducebat testimonia scripturarum ad omnem actionem suam. Hoc autem non faciunt qui vel nesciunt vel despiciunt scripturas sacras, aut qui eas deteriori peruersitate corrumpũt. Exẽplo Euæ, quæ de præcepto Dei firmissima fide tenẽdo dubitans ait, ne forte moriamur. Audiuimus de magnanimitate. Sequitur in effectu septimo de magnificẽtia, & omnia per talẽta facit loqui. Rectè prorsus euenit hoc in Antonio, cuius mens ebria vino nuptiali ecclesiæ nihil pusillũ nihil vile, nihil exiguũ cogitare dignata est, sed omnia de cælestibus, quia desursum erat, loquebatur instar apostolorum, qui vino hoc hausto repente loquebantur magnalia Dei. Sunt hæc precor magnalia minuta numismata sapientiæ terrenæ? non, sed talenta magna per quæ loqui facit sapientia quæ desursum est efferens immensam cordis altitudinem, sit hoc anagogia de Antonio, cui tanta fuit bona generosi cordis elatio quod nõ dignabatur adhærere vel nubere sua vis irascibilis potenti alicui nisi summo. Neque sua vis rationalis nubere sapiẽti alicui nisi sũmo. Neque sua vis concupiscibilis nubere alicui bono nisi summo dicens ex sententia: Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum. & iterum: Mihi adhærere Deo bonum est. Si loquebatur igitur per talenta, quid mirandum? Si diuitias & opes hæreditarias, si vas argenteum, si nummos oblatos in deserto contempserit, nullus admiretur. Sed neque miretur illud quod sequitur octauo. Et non meminerunt cum biberint amicitiam neque fraternitatem. Quid ita meminerint cum dicat pincerna vini huius sponsus ecclesiæ Christus: Si quis veniat ad me, & non odit patrem suũ & matrem & vxorem & filios, adhuc autem animam suam, non est me dignus. Compleuit hoc beatissimus Antonius etiam ab adolescentia relinquens domum paternam & sororem, velut immemor carnalis amicitæ. Cui propterea conuenit illud quod sequitur nono. Sed non post multum sumunt gladios, quidni sic fecerit athleta fortissimus Antonius habens in exemplum pincernã & architriclinum vini huius dicentem: Nõ veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiã aduersus matrem suam: & nurum aduersus socrũ suam, & inimici hominis domestici eius. Maledicitur à propheta qui gladium suum prohibuerit à sanguine. Hunc gladium sumpsit & exercuit Antonius tanquam potens crapulatus à vino, nedum aduersus carnem & sanguinem, & aduersus potestates aereas tenebrarum harum, aduersus etiam paganos philosophos, quos mira verborum subtilitate vincebat, aduersus insuper hæreticos, præsertim Arrianos pestiferos, dum accersitus est à sua solicitudine in Alexandrinam ciuitatem magnam, quatenus fidem beatissimæ Trinitatis quam corde credebat ad iustitiam, ore coram toto populo confiteretur ad salutem, quod & factum est. Quamuis enim docuerit quod monachus extra cellam aut solicitudinẽ, est sicut piscis extra aquã. Euicit tamen eum zelus fidei & obedientia prælatis ecclesiæ debita vt iret Alexandriam, in qua ciuitate dum premeretur à turbis certatim irruentibus, vt virum fama nominis celeberrimũ, apud eos ipsi vel visu cernerent vel manu tangerent, timentibus & compatientibus nonnullis vt molestè ferret, fertur respondisse, mihi quidem assueto turbis insultibusque dæmonum nihil affert hic populosus hominum concursus molestiæ vel turbationis. Ecce quomodo contempsit hic onager solitarius multitudinem ciuitatis. Quippe tu scis ô anagogia quoniam inter hæc omnia tota facilitate seruabat Antonius monitionem ecclesiæ salutarem, Sursum corda, responsio populorũ est: Habemus ad dominum, qui habent in patinis vel ad forum. Planè sicut euenit aliquibus vt in vasta solitudine turbulentissimam habẽt cordis inquietudinem ac multiplicitatem, si ex aduerso contulerat Antonio tranquillissimam cordis solitudinẽ in medijs etiam populorum circunstrepentium occursibus, ipsa iugis exercitatio contemplationis anagogiæ cooperante gratia Dei, simplificante & stabiliente mentem cordis sui. Ea demũ vera pax est quam Christus ecclesiæ filijs liquit. Non turbetur cor vestrũ neque formidet, ait Guido Cartu. Sequitur postremò vini nuptialis & theologici mirandus nimis & apud carnales incomprehensibilis effectus, licet de corporali vino quotidie sit expertus. Et cũ à vino emerserint & surrexerint, non meminerunt quæ gesserunt. Ita profecto est quoniam apostolicum exemplum secuti quantumcumque biberint sobriam ebrietatem spiritus, quamtumcumque profecerint in virtutibus strenuis atque magnificis ipsi ad anteriora se extendunt ea quæ posteriora sunt obliuiscentes deputant præcedẽtia opera nullius meriti vel momenti, propterea non obstentant illa, sed cũ Hieremia tanquam pannum mẽstruatæ verecundius abscondunt ab oculis sponsi, cuius hæc est iussio. Cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Et tu Deus æquissime, quis omnia quæ iussa sunt, immo vel pauca se fecisse poterit gloriari? Quis poterit certus esse? Quidni propterea filij hominum qualiacumque fecerint ecclesiæ vino potati libenter obliuiscãtur nec me-

Mat. 10. Mich. 7.

minerunt quæ gesserũt. Et hoc est in præsenti vita perfectionis euangelicæ culmen summũ istud verè & sine fictione ex intimo mẽtis sẽsu cognoscere, medũ proferre solo ore. Animaduerte & sensibus hæc imis (res est nõ parua) repone, quẽadmodũ Paulus post egregia tot certamina, post introductionem eius in superna fluenta vini vitæ, vbi ebriatus quid de vestimẽto corporis sui factũ esse nescio inquit, Deus scit, oblitus fuerat tunicã corporis sui in taberna cœli, proclamabat nõ ex fixione vel mendacio, absit, minimus sum apostolorũ qui non sum dignus vocari apostolus. Et iterum venit Deus saluos facere peccatores, quorũ primus ego sum. Primus peccatorum tu es ô Paule? Et vbi sacrilegi, homicidæ, adulteri, idolatræ, perfidi, vbi facinoribus & flagitijs omnibus oppletissimi? Stat sententia primus sum peccatorum? Quocirca meditandum est, quoniam ostentare conabatur Paulo similiter & Antonio stultus præsumptionis spiritus laudes ipsorum merita gratias & præconia. Respondebat vnusquisque sibijpsi. Quid habes quod non accepisti? si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Tu nonne de massa peccatrice eadem cum cæteris. Tu nunquid non in eadem dãnatione cũ cæteris Quid igitur extollere te vis aut vales præ cæteris? Tibi gratiam multiplicẽ contulit Deus. Esto neque enim ingratũ esse obliuiscendo vel negando te conuenit. Sed esse tãto debes humilior ex munere, quanto te obligatiorẽ esse conspicis in reddenda ratione. At vero nõ es sicut cæteri hominum raptores, adulteri, ieiunas bis in sabbato, cũ reliquis operibus bonis, esto. Sed si tales essent hominũ cæteri sicut tu, si gratias recepissent à Deo sicut tu, ipsi plus in Dei laudes, plus in gratiarũ actiones feruescerent quã tu, neq; inaniter & luciferano more gloriarentur vt tu, denique noli altum sapere sed time. Nunquid scis hodie qualis mox sis futurus? Petrus negauit Christũ quando latro confessus est, væ tibi pauper homũcio qui nescis an amore, vel odio dignus sis. Qui rursus tua quantumcũque bona videantur opera, qua districtione iudicentur ab illo in cuius cõspectu non iustificabitur omnis viuẽs, quali præterea fine terminentur, ignoras. Attẽdas denique quod hæc insensibilitas tua proueniat nõ ex defectu peccati, sed quia totus in peccatis obtorpuisti stupidus, languẽs, cæcus & marcidus. Deijciebatur & obijciebatur apud beatissimos Paulũ & Antoniũ & similes, qui biberant ebriã sobrietatem vini sapientiæ, spiritus arrogantiæ sub increpatione tali, ne surgentes & emergẽtes ab ebrietate spirituali, meminissent per arrogantiã quę gessissẽt, qui iuxta quod prædiximus est effectus pręcipuus vini theologici. Sic oblitus fuerat deuotissimus Bernardus qui senex in seruitio Dei dum ægrotaret aliquãdo gemebat ad dominum, vapulẽ sanè quatenus miserearis afflicto, qui non reperis in me bonũ quod remuneres. Tempus meum perdidi, quia perditè vixi, pro quo quid agam, non habeo nisi quod cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies. Refert litera de Agathone patre sancto qui proximus fuit Antonio, hic veniens ad extrema vitæ, stetit immotis ad cœlũ oculis per triduum, interrogantibus eum discipulis suis, pater vbi es? respõdit ad tribunal iudicis sto. Et tu times pater? In veritate fratres timeo. Et non confidis in operibus tuis quod sunt secundum Deum? Interim inquit studui quantum valui seruare mandata Dei, sed homo sum, & alia sunt iudicia Dei, alia hominum, propterea non confido quousque venero ante eũ. Ecce quemadmodum sanctus Agathon non meminerat quæ gesserat. Cæterum quid de te dicemus ô Maria pia mater Iesu, quæ nuptijs præsens hodiernis, lætitiam vini boni conuiuis impetrasti, neque solis ipsis, sed vniuersis ecclesiæ sponsę filijs mysterium condonasti. Quid de te dicemus inquam, nonne sicut præ cęteris humilior & gratiæ vino plenior inuenta es? sic apud te vilior in oculis tuis extitisti, proclamans toto humilitatis spiritu cum apostolo. Venit Deus saluos facere peccatores, quorum prima ego sum. Existimatio qualis sit aliorum, non diffinio. Ego autem istud sobriè & absque contractione existimo credi posse, non quod pia mater Iesu peccato fuerit vnquam obnoxia vel actuali de quo non dubitatur, vel originali sicut piè creditur, sed peccasset certè si non venisset Deus saluos facere peccatores. Cuius saluationis ipsa particeps prima fuit, prioritate, non temporis, sed dignitatis excellentiæ in modo salutandi. Itaque dimissa sunt ei peccata multa, non dico iam contracta vel acta per eam, sed est dimissio quædam peccati ne contrahatur vel agatur, quomodo loquitur diuinus Dionysius de purgatione angelorum, quam pręterea dicit vnus doctor Anglicanus, quem profundum schola nominat quod plures fiunt à Deo nobis gratiæ priuatiuæ seu negatiuę, propter quas ei tenemur ad gratiarũ actiones quam positiuæ quoniã non est peccatum, non est periculum quod ruere non posset homo, si non esset gratia Dei præseruans proueniens & prohibens. Nec obstat his quæ diximus illud Christi. Cui plus dimittitur, plus diligit probat ea potius & solidat. Quid quod anima quanto biberit amplius de vino sapientiæ si scitè & sobriè fecerit, tanto perspicacior est in videndo, & delicatior atque viuacior in sentiendo turpitudinem & puncturam peccatorum, ideo sane quod aliena peccata sola recogitatio sentit, dolet & deflet plus quam habentis illa. Hoc in Ambro. fuit notissimum, hoc quotidiano docent exemplo viri iusti. Omittamus peccatores, omittamus puros homines. Nonne tu bone Iesu qui peccatum non fecisti, defleas nostra facinora magis quam vulnera tua, cum clamore valido & lachrymis exauditus es pro tua reuerentia? Quid igitur putandum est fieri dũ talis aliquis sanctus peccatum aliquod videtur sibi, crede mihi quod non est dolor sicut dolor suus, pudor sicut suus, & fætor & horror sicut suus, hinc despicit se, abominatur se, exclandescit aduersũ se, factúsque intolerabilis & odiosissimus sibi, flagellet se, rugiens à gemitu cordis sui. Non ita peccatores sceleribus & flagitijs omnibus plenissimi, quorum sensus spiritalis vel obstupuit vel obtorpuit vel penitus emarcuit. Vis tale vinũ cognoscere, lege in lege quid Dominus in Apoc. mandat angelo Laodiciæ, qui neque calidus erat nec frigidus, sed tepidus. Dicis quia diues sum & locupletatus & nullus egeo. Ecce virum sanctum in oculis suis, virum memorem operum suorum. Sed quid sequitur intellige. Et nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus. Accipite narrationem in tanta materiæ seueritate

Marginalia: 1. Cor. 15. — 1. Thim. 1. — Ubi supra. — Luca 7. — Apoc. 3. — A B C D E F


ueritate iocūdā. Erat mulier inclusa cui subseruie-
bat per fenestrā quædam ancilla. Conueniebāt alij
multi, pars ex curiositate, pars ex deuotione, pars
ex miseratione. Audierat fortassis hæc inclusa,
quod iustus in principio accusator est sui. Erat ei
mos demissis oculis rauca & exili voce cū singulti
bus suspirijs & plāgore se peccatricē accusare, se in-
dignam videre lumen cæli præ multitudine ini-
quitatum suarum, se propterea reclusam esse au-
diebat ancilla frequentius hos sermones. Conti-
git tandem aliquando venire quosdam ad locum
illum, quibus petentibus quid domina sua hæc
bona mulier reclausa faceret. Respondit ancilla,
sustinete paulisper quoniam puto quiescit, inter
loquendum vt fit quæsierunt ab ancilla, quid ei de
domina sua videretur? Quid vultis dicam vobis,
hæc est pessima peccatrix, pessima omnium quas
terra sustinet. Subaudiens hunc sermonem reclu-
sa, exilijt de repente furens & insaniens, mentiris
vilissima, mentiris venefica, ego bona sum mulier.
Porrò ancillæ non defuit vafra & acuta respōsio.
Oro per vestram fidem o Domina ne turbemini,
æstimabam vos hactenus vera dixisse, quod eratis
maxima peccatrix. Quid responderet domina, nō
habuit, nisi quod est qui se nequiter humiliat, &
iterum. Est qui cordę loquitur & ore. Redeamus
ad Antonium quem non meminisse arroganter
eorum quæ gesserat in ebrietate vini nuptialis ec-
clesiæ conijcimus, tum ex multis quæ litera tradit,
tamen ex hoc quia moriēs celari voluit sepulchrū
suum, fecit hoc ex humilitate. q. d. Deo, qui lau-
datur ab hominibus vituperāte te, non saluabitur
ab hominibus damnante te. Noluit igitur ab ho-
minibus gloriā quæ est putredo & vermis, noluit
sepulchrum suum Ægyptiaco ritu venerari post
mortem. Verum aliter prouidit qui humilia respi-
cit Deus, immensa illum prout cernere est, tumu-
lauit gloria. O felicem dixerim Viennæ & Bur-
gundiæ regionem, quæ venerandis huius corpo-
ris sacrosancti reliquijs decoratur. O felices qui
religioso & peculiari quodam tanti patris obse-
quio dedicari meruerūt. Quid gloriosissimus iste
sanctus potentissimus in miraculis, præsertim su-
per obsessos à dæmonijs, simplicitatem humilem
& nociuam in discipulo suo Paulo rusticano tan-
tum coluit, tantum veneratus est, vt ad eū remit-
teret energumenos difficilis curationis, se non ad
hocipsum deputans idoneum. Hæc nonne gran-
dis humilitas viri tanti? cuius vita omnis fuit ascē-
dendo de virtute in virtutē per centum & qua-
tuor, vel eò amplius annos. Erant qui sobrietatem
à carnibus, castitatem veneris non vtentem, cri-
minantur abbreuiationis vitæ, immo & quando-
que mortis causas esse in religione viuētibus. Pro-
inde notetur hoc & maneat alta mente repositū
nemo tam peccator est qui non veniam consequi,
qui non saluari posset, si conuersionem haberet
ad Deum pauculo tempore vel momento, qualē
velut assiduè per tot annos habuit Antonius. Ex
quo perpendite quātus in eo fuerit cumulus me-
ritorum in via, quantus modo præmiorum in pa-
tria. O viri num pręcellet vinum quod sic cogit
facere. vel prout habet altera litera. O viri num
præcellet vinum quod sic cogitat facere sicut An-
tonius, hoc est vinum diuinæ sapientiæ vinum fi-
dei. Non illud infame quod fabulam & prouer-
bium fecit in hoc concilio, sed vinum fidei pre-
A ciosissimum quo dotauit ecclesiam Christus spō-
sus suus in nuptijs hodiernis si ad mysticū sensum
traduxeris. Quod iusta præmissa & tanti patris
Antonij certissimum documentum si ritè propi-
natum fuerit, non in aureo calice) Babylonis ter-
renæ animalis & diabolicæ sapientiæ secundum
traditiones hominum veritatem in mendacio de-
tinentium, si pia cum sobrietate bibitum extite-
rit, mentes potantium seducit primò, hoc est se-
orsum ducit, quod assecurat, quod iocundat,
B quod honestat, quod dat magnanimitatem, quod
confert magnificentiam, quod tollit amicitiam
noxiam, quod attulit in strenuitatem mirabilem.
Et tandem posteriorum cogens obliuisci exten-
dere semper in anteriora mentes facit. Erubescāt
igitur detractores sacræ scripturæ, qui vinum suū
miraculosè ministratum nuptijs ecclesiæ, præser-
tim die Pentecostes, quando docti sunt apostoli
omnem veritatem, non volunt primum poni,
sed illud vel abominantur & nauseant, vel sper-
nunt vel negligunt, aut certè miserabiliter dum
C biberunt, in furorem suum & insaniam vertunt,
quemadmodum videre est in febricitantibus, qui-
bus vinum quò melius, eò nocentius, febris autē
altera qualis est deterior ipsa peccati malitia. De
qua sapiens, Et excæcauit illos malitia eorum, ne-
que sperauerunt mercedem iustitiæ. Erubescant
præterea qui laudibus tuis ô gloriosissime & vs-
que ad vltimum terræ nominatissime pater Anto-
ni non applaudunt sed detrahunt, qui ministros
tuos vel non reuerenter suscipiunt, vel irriden-
D tes abijciunt, miscentes contumelijs suis impieta-
tem hæreticam, si veritatem habet accusatio quæ
iudicialiter facta est nuper in hoc sacro concilio,
inuenimus alium tibi fuisse deuotionis honorem
ô sacrosancta mater caput & magistra fideliū om-
ni Romana ecclesia, quæ constituisti vt vnus sem-
per esset ordinis beatissimi patris Antonij? qui Ro-
manam curiam sequens, ipse & fragmenta a men-
sa papæ colligat in eleemosynā pauperum, & cu-
ratus proprius & quasi parochialis omnium qui
vulgari vocabulo curtisani nominantur, existat.
E Mouit ad hoc prius religionis Christianę spiritus,
recogitans quot miraculis in vita, quot post mor-
tem beneficijs & opitulationibus refulsit idē An-
tonius, præsertim in hac quadam speciali præro-
gatiua, quod ignem sacrum fugat ex corporibus
in signum quod ignem concupiscentię libidino-
sæ perniciosiorem inuocatus refrigerat in cordi-
bus. Exclamat ad ardorem ignis huius infernalis
tentatus. O sacer Antoni adiuua me. Confutauit
hæreticos Antonius iam dictum est & repeto quæ
F senex & solitarius, neque populum habens sub-
ditum neque literas didicerat, exiuit eremum &
venit ad Alexandriæ ciuitatis magnæ conuentū.
Attendant obsecro, precor & obtestor in spiritu
lenitatis, attendant exemplum hoc profunda co-
gitatione, qui constituti sunt habere curam gre-
gis dominici, habere sublimitatem simul cum
obligatione pastoralis officij, quique salutem ani-
marum qui pacem regnorum qui pullulantium
assiduè eorum extirpationem, qui catholicæ veri-
tatis elucidationem quærunt, qui præterea robur,
decus & honorem huius sacrosanctæ synodi cu-
piunt integrum seruare, cupiunt ab hæresibus in

sinu suo quotidie nascentibus obuiare, prouideant celeriter ne pontifices sui, ne doctores & vocem habentes vel Dei ignorantia si nesciat, vel de culpabili vecordia & acceptione personarum, si negligant arguentur. Vrgebat hoc loco zelus domus Dei, zelus ecclesiæ, zelus honoris & debiti huius sacri concilij, fortitudo vini nuptialis, declamatoriam, immo satyricam vel tragicam inuectionem in hæreses & errores cum suis defensoribus, cum dissimulatoribus, qui non minus damnosi quam culpandi sunt dilatrare. Sed astitit moderatrix sobrietas expectetur ait tempus aliud oportunius, locus alter aptior & actus capacior. Neque enim desperandum, immo sperandũ est æquanimiter quod hæc sacrosancta synodus prout cœpit hęreses extirpare, sic & perficiet quæ radicem doctrinæ pestiferæ succidendo dedit intelligi consequenter ramorum adulterina noxique genimina debere succidi. Propterea comprimatur vt proposuimus sermo noster ne vel loquacior effluat, vel prolixior attedict, vel mordacior & satyricus exacerbescat. Nam quid opus teneras mordaci radere ferro, auriculas (ait Persius) Succenseat licet ostentatrix sui iactantia submurmurans illud eiusdem satyrici. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Feret nihilominus æquo animo studiositas speculatrix, quæstiunculas ab ea motas cum solutionibus vel supprimi vel in scriptis distribui. Fiat ergo tandem finis in obsecratione qualem ab initio præmisimus. Conuertatur quæsumus ô salutifer Christe nunc apud nos in ecclesiæ nuptijs congregatos turbida grauis & noxia aqua sapientiæ terrenæ animalis & diabolicæ, & fiat vinum sapientiæ salutaris in sobrietate & sanitate potatum. Consequemur autem istud miraculum patres religiosissimi, patres Deo dignissimi, si mysticè fuerimus in Chana Galilæę, hoc est zelum habuerimus trãsmigrationis ex hoc mundo ad patrẽ, si præterea nostri Iesu mater salutis istic affuerit si dixerit pia insinuatione orationis voce ad Iesum per orationes hic vocatum cum discipulis vinum non habent. Si subinde ministri qui sumus nos obseruauerimus monitionem eiusdem matris Iesu. Quodcumque (inquit) dixero vobis (non dubium quin Iesus) facite, quia vinum sapientiæ per virtutem detur obedientiæ. Nam initium sapientiæ timor Domini. Si demum hydrias ad purificationem positas quæ sunt corda nostra, repleuerimus vsque ad summum aqua contritionis & lachrymosæ compunctionis: quæ haurienda est de puteo profundæ considerationis, hinc miseriarum nostrarum, quia cor contritum & humiliatum Deus non despicies, hinc miseriatum Dei quarum non est numerus. Tunc faciet Iesus initium signorum, conuertet aquam hanc in vinum itaque licebit vnicuique nostrum dicere cum propheta. Nunc cœpi nunc est initium, quia cum considerauerit homo supple viuens, hic tunc incipiet. Hæc est mutatio dextræ excelsi. Cuius mutationis sacratissimæ & beatissimæ nos per gratiæ suę miraculũ participes efficiat Iesus Christus ecclesiæ sponsus decorus gloria, qui est benedictus in sæcula Amen.

Eccles. 1.

Finis sermonis facti coram sacrosancto generali Constantiensi concilio per Dominum cancellarium ecclesiæ Parisiensis Anno Domini. M. 427. die dominica. 17. Ianuarij. qua die fuit festum beatissimi patris Antonij.

TRACTATVS EIVSDEM IN QVO SOLVIT QVÆSTIONES IN PRÆcedenti sermone motas, & tunc breuitate temporis vrgente non solutas.



NVPTIÆ factæ sunt in chana Galilææ & erat mater Iesu ibi &c. Adsis & tu nobiscum pia mater Iesu, quatenus te petente ministretur nobis hodie vinum sapientiæ salutari sanctæ deuotionis, quod vt fiat te salutamus dicentes, Aue. Nuptiæ &c. Super quadripartita thematis huius deductione coram sanctam Cõstantiensi synodo tenuimus, alias modum non dialogi solius sed tetralogi, quemadmodum quatuor esse filias sacræ sapientiæ eo tunc notatum est, quorum nomina & officia duplex hoc hexametrum pandit. Litera gesta docet, quid credas allegoria. Moralis quid agas, quo tendas anagogia. Porrò subintroducta est studiosias speculatrix ancilla sapientiæ, non industria, quæ multas ab his sororibus quæstiones super nuptijs hodiernis ab allegoria præcipuè potuerat. Et quando de gloriosissimo anachoritarum Antonio, cuius tunc celebris erat dies, extorsit deuotio verbũ fidei, quoniam insuper breuitatis amor plurima iam dictata linquere iussit, repetit sæpe & multum eadem studiositas auida sciendi, quatenus in medium prodeant omissa hinc morẽ gerere persuasit familiaritas se cum velut à puero traducta. Erat autem sextuplex ad allegoriam studiositatis quæstio. Prima quibus adornata est dotibus ecclesia sponsa Christo sponso suo. Altera qualis est habitudo Christi sponsi ad ecclesiam sponsam. Rursus viceuersa qualis est habitudo sponsę huius ad spõsum, suum & ad eius vicariũ quẽ appellamus summum pontificem. Amplius quartò qualiter & quã vtiliter deus carnale coniugium voluit huius spiritualis signum esse. Subinde quo pacto materialis ecclesia spiritualem significat, sic vt mutuas sibi laudes & nomina communicẽt. Demũ sextò quibus modis & locis sacræ scripturæ figurantur hæ nuptiæ Christi & ecclesiæ. Et quidem allegoria tradidit dotatam ecclesiam à Christo vini bonitate, quod vinum est non materiale, quod multum potatum sicut loquitur sapiens irritationem & irã & ruinas multas facit, & in nouissimo mordebit vt coluber, à quo proposuit sapiens abstinere carnem suam vt animum suum transferret ad sapientiam. Vinum igitur tale sed electissimum spirituale & theologicum intelligimus, prorsus optimum iocundissimum & sanatiuum, quod sensit semiuiuus à Samaritano curatus, hoc est vinum sacræ scripturę recreans, viuificans atque lætificans cor hominis mira iocunditate spiritus. Si fuerit in sobrietate potatum iuxta monitionem apostoli. Nõ plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, quæ sobrietas est humilitas. Defecerat olim vinum istud in nuptijs quas ab Abel iusto, immo ab Adam Deus secundum propositum voluntatis suæ disposuerat celebrare, ita vt iure dici posset. Vinum nõ habent, habebant nec negamus

Eccl. 31.

Rom. 12.

negamus paucissimi admodum vinū istud sapiētię salutaris. Sed quid inter tot & tantos illud erat potabant passim plurimi vinum prostitutionis de aureo calice Babylonis quo meretrix illa magna vanitas secularis in Apocalypsi inebriat reges terræ. De quo apud Moysen. Fel (inquit) draconum vinum eorum, & venenū aspidum insanabile. Et antea. Vua eorū vua fellis, & botrus amarissimus. Vinum istud si nescis, est sapiētiæ terrenæ animalis & diabolicæ mixtum erroribus impijs, hæresibus & blasphemijs quasi totidē reptilibus venenatis, cuius toxicata fex non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ. At verò dū aduenit Christus cū discipulis suis ad mysticas ecclesiæ nuptias dum affuit ibi mater Iesu, quæ illuminata vel illuminatrix interpretatur, propinatum est vinum bonum sapiētiæ quæ desursum est per reuelationem habitum quod reseruatum est vsq; adhuc id est dū aduenit plenitudo temporis, quando gratia & veritas per Iesum Christum facta est, quando præterea tristitiæ & tribulationis aquam conuertit in vinum lætitiæ spiritualis. Audi quomodo? Sed quia inquit hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum, ecce hydrias plenas aqua vsq; ad summū. Sequitur admiranda conuersio dū subiungit. Sed tristitia vestra conuertetur in gaudium, hoc antea prædixerat ipse dum ait: Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Hunc autē luctum has lachrymas inducit vinum sacræ sapientiæ cōpunctiuum, eò quod in multa sapiētia multa sit indignatio, ait ecclesiastes, & qui addit sapientiam, addit & laborem. Ostendit quippe sapientia & sapere facit, quemadmodū nascimur natura filij iræ, filij mortis æternæ, nescientes introitum & exitum nostrū, quia nemo scit an amore vel odio dignus sit in hac valle lachrymarum, quamtumcunq; ascensiones disposuerit in corde suo. Verum sunt hæc abscondita à sapientibus & prudētibus huius seculi, propterea ducunt in bonis dies suos, quærunt hic cōsolationem suam, ideo sequitur quod est omnium pessimum atq; miserrimum, transierunt in affectū cordis, dum dulcescit iam in eis acerbissimum iniquitatis vinum doctrinas bibunt erroneas, impias & blasphemas pro veris, quibus aquæ furtiuæ hæreticorum dulciores sunt, & panis absconsus qui se palam prodere non audet suauior. Nunquid istud est vinum super cuius defectu conquesta es ô misericordissima mater Iesu dicens & insinuās vinum non habent non vtique, sed postulabas vinum aliud pro nuptijs Christi filij tui & ecclesiæ, vinum sacrę scripturæ, vinum theologicum, quod ab initio propinauit ecclesiæ suæ filius tuus frater & sponsus. Sed ecce proh dolor vinum istud euangelicæ doctrinæ merum factum est quasi plenum mixto multiplici mixtione. Miscet auaritia turbidam & scenosam aquam sapientiæ terrenæ, qua exquisierunt filij Agar, secundum traditiones hominum. Hæc est ardens cautela & astutia conquirendi diuitias, accumulando sibi densum lutum in auro & argēto iure vel iniuria, subseruiētibus ei dolis, fraudibus, periurijs, vsura, simoniacāque prauitate. Hanc aquam qui biberit sitiet iterū, vehementius quidem & acrius. Causat enim hydropicam sitim auaritia, apud quam profectò quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Miscet luxuria fœdam, bituminosam atque sulphuream aquam

Deut. 32.
Mat. 5.
Eccl. 9.
Job. 21.
Io. 4.

sapientiæ animalis quæ est ardens astutia pertingendi ad illecebrosas carnis voluptates, non extinguentes scilicet augentes sitibundam carnis pruriginē, sicut dypsas serpēs quæ medijs sitit in aquis, ait Lucanus. Propinat & miscet superbia aquā sapientiæ diabolicæ quæ est curiosa libido cognoscendi subtilia sed inutilia, sed superuacua, sed nociua, quoniā inflat talis sciētia violēto potu suo, generatq; torsiones & enecat corda superborū hinc excogitatio magicarum artium, hinc adinuētio & defēsio nouarum pegrinarumq; doctrinarū. Quo contra vinum sacræ scripturæ liberat à curis, ideo liber dici potest. Purissimum est mūdans ab inquinamentis, sobrium est supprimens omnem superbiam mentis dum in obsequium fidei omnem captiuat intellectum. De quo vino terminetur sub consideratione triplici quæstionis primæ solutio.

Consideratio prima.

In mysticis Christi & ecclesiæ nuptijs debet vinum theologicum tanquam optimum atq; saluberiter inebrians anteponi. Rationem dat Architriclinus in euangelio, vt cum inebriati fuerint, non curent neq; quærant id quod deterius est, cōtenti suauissimo prioris vini gustu, quod satiat, quod lætificat, quod in consolationem etiam amara conuertit. Iustitię enim Domini rectæ lętificantes corda. Sēserat hoc sapiēs qui ait: Nihil est dulcius quā respicere in mādatis Domini. Hinc est illa prophetæ exclamatio, quā dulcia faucibus meis super mel ori meo. Quocirca bibite amici clamat sapientia, & inebriamini charissimi. Obediuerat anima quæ gloriabunda dicebat in epithalamio sponsi & spōsæ. Introduxit me rex in cellam vinariam, & propheta, Calix meus inebrians quam præclarus est. Hinc demum est illud ecclesiasticum in persona fidelium, bibamus sobriam ebrietatem spiritus. Biberat hanc ebrietatem Petrus in monte, qui factus est inde nesciens quid diceret. Bibebant hanc apostoli die Pentecostes in taberna cœnaculi grandis & strati, dum superabundantissimo perfusi sunt vino supernaturalis sapientiæ omnem edocti veritatem salutarem. Sed stulta gens musto madere deputat, quos spiritus repleuerat. Vis scire quantū in vmbra figuraliter docuerit Moyses præponendum esse vinum decalogi quod est vinū fidei. Custodite (inquit) mandata Domini Dei vestri quæ præcipio vobis. Sequitur. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis vt audientes vniuersa præcepta hæc dicant. En populus sapiens & in intelligens, gens magna. Præclarè quidem & diuina voce fertur vnus in quodam generali respondisse, dum quærerentur constitutiones nouæ fieri. Quid sibi vult inquit constitutionum talis multiplicatio ceruicibus imponenda fidelium, euangelio nec cognito nec obseruato, sciatur imprimis & seruetur euangelium. Quid sonat aliud obsecro dictum tale quam istud. Omnis homo primum bonum vinum ponit, verè sic est, sic agere conuenit ecclesiæ synodaliter congregatæ. Dicet aliquis, reprobas ergo decretales & decreta summorum pontificum, constitutiones synodales diocesanorum, & ita de reliquis. Non reprobo fateor scio dictum esse per Christum. Qui vos audit, me audit. Scio legem euangelicam stabilitam. Insuper naturalibus principijs &

Psal. 18.
Eccl. 23.
Psal 118.
Cant. 5.
Cant. 2.
Psal. 22.
Deut. 4.
Iob. 2.
Luca 10.

in regulis vniuersalibus reliquisse particularium agibilium determinationes Apostolis & discipulis suisq; successoribus. Nunc verò qualis insania est deserere legem regis, deserere fontem vini sapientię salutaris, vt stabiliatur primitus lex subditorum & ante ministretur. Non dicam vinum qualecunque, sed aqua sapientiæ animalis & terrenæ. Vnde fit plerumque irritum mandatum Dei, prout se conformans Christus Esaiæ verbis pharisæos arguebat. Inuenies apud eos qui nomen sibi religionis appropriauerunt, plus puniri transgressiones humanæ constitutionis satis friuolæ super delatione vestis huius vel illius, super vsu cibi talis aut talis, quam si blasphemando quis Deum negauerit, deierauerit, violauerit sabbata eius, & vniuersa decalogi præcepta. Quid verò de prælatis sententire debeas, curias suas intra synodalia concilia, lites, punitiones, excommunicationes te docebunt. Quid quod fastidiunt vinum istud sacræ scripturæ conquisitores huius seculi, quoniam animalis homo non percipit quæ Dei sunt, stultia enim est illi, & sicut gustato spiritu desipit caro sic carne gustata desipit spiritus, & fit velut in occasu luminosę veritatis, quoniam prætere tumens per arrogantiam animus dedignatur captiuare intellectum proprium in obsequium fidei, quia rursus videri refugit quasi discipulus sub magisterio theologorum, quos ideo despicit, ne dum ignorare conscius est quæ sciunt, ipse minus sapiens appareat in oculis suis vel alienis, ita quod in Theologiæ contemptum suam ignorantiam consolantur.

Consideratio secunda.

In nuptijs crescentis ecclesiæ dum vinum sacræ scripturæ seu theologicum propinquabatur discubentibus principibus & alijs architriclinis qui fuerunt doctores theologici, tunc ecclesia dotata fuit ampla temporalitate, sic formidandum est ex contemptu vini huius, ne tollantur aut notabiliter minuantur dotes huiusmodi temporales ab eadem ecclesia.

Consideratio tertia.

In nuptijs ecclesiæ nunquam deesse poterit vinum theologicum, quod est vinum fidei vsq; ad cōsummationem seculi, poterit tamen apud plurimos discumbentium & ministrantium in his nuptijs verti vinum istud, vel in contemptum vel in nauseam vel in morbos varios in insaniam & in mortem. Has considerationes in prædicto sermone latius exponerem, nec omitterem perurgebat zelus domus Dei, zelus fidei, zelus præsenti concilij, zelus professionis theologicæ, qui videbatur tanquam potens crapulatus à vino nil metuens, sed obuia quæquam vitia vel errata persequi nitens. Sobrietas verò moderatrix expectetur (ait) tempus aliud, locus alter & actus, melius est nihil quam pro rei magnitudine pauca dicere. Multis autem dicendis vt vides hora non suppetit, simul obseruādum est illud Salustij à Hieronymo commemoratum, frustra niti, neque aliud se fatigando quam odium quærere, extremæ dementiæ est. Quo contra zelus in spiritu vehementi neque tardandum esse, neque dissimulandum, sed importunè & opportunè ingerendam etiam nolentibus esse doctrinæ veritatem. Liberet animā suam quisquis est inductus prædicator aut doctor in

A cathedra non pestilentiæ, sed religionis Christianæ. Quid mihi detractiones, quid odia, quid irrisiones, quid ludibria quid persecutiones? felix mors quam veritas peperit. Parcius ista respondit sobrietas, memineris casuum Petri, Thomæ, & aliorum sine numero, quorum primus ad Christum. Etiam si oportuerit me tecum mori non te negabo, alter ad coapostolos: Eamus & moriamur cum eo. Putas quod in cellam vinariam introdixerit te rex? vide quod ordinauerit in te charitatem secundum sententiam. Itaq; qui se existimat stare, videat ne cadat. Vix tandem isto alioq;
Mat. 14.
Io. 11.

B plurimo sermone compescuit tunc sobrietas zelum feruidum, non vt pacem erroribus daret, absit, sed bellum quæreret eo capitalius, & efficacius, quo moderatius tempora conspicit, personas & loca, ita quidem necesse est vt interim errores & vitia quos tollere nequit zelus à domo Dei, toleret & gemat miserans ecclesiæ vicem horridam, si in nuptijs eius propinare vinum bonum fidei conuiuis symbolicè conuenientibus, vel non vocat vel non licet, vel non expedit, dum illud non prodesse sed obesse comperitur, eò quod pars non exigua

C vinum istud optimum aut cum abominatione reijcit nec bibit, aut bibitum mox euomit cum nauseat, aut forte retentum visceribus illud in felleum virus vertit. Causantibus hoc ira, furore, odio: Dissimulationem tanquam humoribus noxijs, quibus infectus est spiritus bibētis. Porrò studiositas speculatrix subintroducta tunc pro formandis quæstionibus præmissis, postulare videbatur in ipsa meditatione mea dissolutione earum,

D cōtestans nihil illic esse mordacis acrimoniæ, nihil odiosæ vel amaræ veritatis. Consentiens allegoria accipe inquit pro secunda quæstione primò quod sponsus ecclesiæ Christus Deus ipsam se dignam non inuenit, sed effecit, quia non ex operis iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum misericordiā suā saluos nos fecit, & prior dilexit nos, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, seruiens ei cū timore & exultans cū tremore. Accipe pro secundo quod sponsus ecclesiæ Iesus recedēs ex hoc mundo, nō ita dereliquit eam sicut nec matrem propriā dum

E viueret quin habeat custodē continuū, saltē seipsum principaliter & ministerialiter per illos quib⁹ dixit. Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Accipe tertiò quod sponsus Ecclesiæ Iesus dū cōmisit eā Petro custodiendā, illū maiori quoad hoc insigniuit priuilegio & auctoritate, quā Ioseph iustum aut Ioannem euangelistā, dū ei in custodiæ cura propriā cōmisit matrē. Accipe quartò quod sponsus ecclesiæ sibi dedit omnia in manus virtute dilectionis illius, qua maiorem nullus habet, quæ est vt animam suam pro eadem posuerit, quomodo etiā (prout arguit apostolus) si seipsū tradit, nō omnia simul inferiora donauit. Paueāt igitur & cōtremiscāt qui sponsā hāc vel cōtēptui vel odio vel opprobrio, verbis aut operib⁹ habuerint, qui plenitudini potestatis suæ nō erubuerint detrahere, quoniā ira viri sui nō parcet in die vindictæ, zelotes ego sū, dicit Dominus exercituū. Cæterum dum alteram formas quæstionem ô studiositas qualis sit habitudo sponsæ huius ad sponsum suum, & eius vicariū. Trado tibi primo quod ob honorē spōsi debet ecclesia synodaliter, aut nō synodaliter cōgregata tractare summū pōtificem reuerenter
Mat. 28.

F

reuerenter & honorificè cum omnia beneuolentia si laudabiliter, immo & si tolerabiliter ipse pôtifex tractat eam. Dico tolerabiliter, quoniam in multis offendimus omnes, & priusquam abijciatur, expectanda est iudicialis sententia diuortij, quemadmodum in episcopis inferioribus hactenus obseruauit præcedẽtium patrũ discretio. Trado cõsequenter quod ob reuerentiam sponsi debet ecclesia vicarium & custodem sibi datum nominare patrem, & ipsum velut dominum & caput suum honoris & obsequiis per se & filios suos sedulo præuenire, similiter & ecclesiam Romanam peculiari quodam consortio sibi iunctam, neq; talem patrem conuenit detractionibus vel iniuriis exponere, sed operire quoad licuerit turpitudinẽ eius. Sumatur exemplum in beata virgine quę Ioseph appellabat dominũ suum venerans & pręponens in loquendo eum sibi. Ecce ait, pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te &c. Trado nihilominus tertiò, quod si vicarius huiusmodi frigidus fuerit aut maleficiatus, adeò quod ad generationẽ filiorum spiritualem sit inhabilis, talis existimari nõ debet idoneus ecclesiæ spõsus aut sponsi vicarius. Est autem generationis huiusmodi semẽ sanctum verbum Dei seu fidei non varia traditio filiorũ huius seculi. Trado rursus quod ecclesia si fiat vicarius sponsi sui, fornicator aut adulter duces viduam & repudiatam & sordidam & meretricem cõtra iussionem legis in leuitico, si fouerè tractauerit ecclesiam, si spoliauerit eam vestitu suo per dilapidationem, si abuti voluerit per symoniam, si suffocauerit fœtus suos intra vel extra vterum per exempli perniciem, si peremerit gladio mortiferæ scandalosæq; doctrinæ vel operis pestiferi, vel noxiæ dissimulationis in correctione vitiorum & hæresum, tali debet dari libellus repudij, præsertim si vitijs suis incorrigibilitatem addiderit, ne retentio sit in dedecus & contumeliam spõsi sui & in perniciem filiorũ, & ne videatur suę nutrix malitiæ. Quærebas vlterius quartò principaliter ô studiositas qualiter & quam vtiliter Deus carnale coniugium voluit spiritualis signum esse, ego paucis expediam. Nulla imprimis videtur animæ deuotę consideratio suauior, altior atq; benignior, quã si pura cordis simplicitate & humilitate meditetur se spõsam Christi, quoniã sicut in humanis affectibus amorosis præcellit dilectio spõsæ corporalis ad spõsũ, & èconttra reciprocè super amorem patris & matris, sic nõ potuit amor mutuus animæ ad Deũ, & Dei ad animam teneriori vt ita dicamus, feruentiori & intimiori nomine vel exemplo tradi quam sponsi & sponsæ. Hinc est illud epithalamium de canticis canticorum, quod pro contemplatiuis & in anagogicos raptis excessus. Salomon tunc amabilis Domini composuit, prout sanctissimorum doctorum sinceritas exposuit. Porrò nulla videtur ex aduerso periculosior meditatio quam si præsumat anima fœdis adhuc cogitationum desideriorumq; phantasmatibus oppleta sordidaque debere licenter assurgere vt se recogitet sponsam Christi. Intercurrerunt enim protinus nuptiarum carnaliũ turpes imagines, quæ desideria pariunt turpiora. Recogitet potius anima talis. Quoniam Deus vltionum dominus est terribilis in consilijs super filios hominum. Dicat ad eum. Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Luca 2.

Similia denique proponat sibi timoris incussiua. Tunc anima si magis interim profecerit, vocet & habeat Christum vt patrem, ecclesiam vt matrem, clamans in spiritu sancto, Abba pater, deniq; tandem veniet ad oscula & amplexus sponsi. Tradit Hiero. morem apud Hebræos hunc haberi, quod audiendi cantica canticorum nullus admittatur minor annis triginta, ne spiritualibus abutens canticis in carnalem ea vertat lasciuiam. Adde secundò coniugium Adæ si non peccasset illud nõ fuisse sacramentum Christi & ecclesiæ sed bene Dei ac rationalis creaturæ ab eodem gratificè desponsatæ. Tene postremò virginale coniugium Ioseph & Mariæ, licet consummatum non fuerit carnali mixtione, fuit tamen verum sacramentum Christi & ecclesię, tum quia fuit in hoc coniugio cum virginitate maternitas vera & prolis fœcunditas, quẽadmodum est in ecclesia, non sic in consecratione virginum vbi non est fœcunditas, nec in consummatione nuptiarũ carnaliũ, vbi desinit virginitas, fuit insuper ratione prolis vera conformitas naturæ diuinę cum humana. Et hic multa super hoc virginali sacratissimoq; coniugio salubriter & deuotæ meditanda suppetunt purgatis animabus in fide & moribus, quæ præterito inquit allegoria, linquens ea anagogiæ sorori diuinissimæ. Rursus ad aliud quod inquirit ô studiositas, quo pacto materialis ecclesia spiritualem significet. Ratio patet facilis ex institutione consecrationis & dedicationis suæ. Vnde perspicuum redditur quis & quantus honor, quantus reuerentię cultus materiali debetur ecclesiæ contra Begardorum errorem, contra superbiam illorum quos alloquitur Apostolus dicens. An ecclesiam Dei contemnitis, contra dissolutiones indecoras seruientium Deo cum garrulationibus, cũ ineptissimis vanitatibus & insanijs falsis. Deniq; non sine causa Christus eiecisse legitur vendentes & ementes de templo, grauiter intonans illud propheticum, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Faciunt & nũc ô salutifere Christe domum tuã stabulum porcorum grunnientiũ, vel canum latrantium vel ridicularum simiarum, non recogitãtes animo quod exclamauerit Iacob post visionẽ scalę mysticæ, in qua erãt angeli ascẽdẽtes & descendentes, quam terribilis est locus iste verè non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. Hic aptissimè sacrũ cõuiuium nuptiarũ Christi & ecclesiæ celebratur & sumitur. Hic efficaciores sunt cæteris paribus orationes quã in loco vel priuato vel prophano. Hoc pulchre post dedicationẽ templi Salomonis deprecatio sua flexis genibus & manibus eleuatis dum laudaret Deum & populo benediceret dedit intelligi. Similiter in ornatu vario templi, in ordine ministrorum, in cultu multiplici cerimoniarum debet accipi, in quibus singulis tot sunt mysteria quot verba, signa vel opera. Veniamus ad illud quod vltimo quæsitum est. Quibus modis & locis sacræ scripturæ figurantur hæ nuptiæ Christi & ecclesiæ. Animaduerte triplex cõiugiũ, quale tradit soror littera in tribus patriarchis, in Abraham, in Isaac & in Iacob. Attende conformiter mysticè, quoniam nubit Deus humanitati in incarnatione, nubit animæ singulari in fide & deuotione, nubit ecclesiæ vniuersali imperfecta charismatũ omni dotatione, & in elargitione

1. Cor. 11.

Mar. 11. & Luca 19.

bonorum tam vię quam patrię. Vnde licet sit vna sponsa, sunt tamen septuaginta reginę, & ccc. concubinę, & adolescentularum non est numerus. Figuratur hęc triplex coniunctio nuptialis in matrimonijs vt prędiximus trium patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob. Vis scire quomodo certè coniunctus est Abraham cum Sara, quę suis nominis interpretatione sonat idem quod carbo, sed puto quod non extinctus carbo sed ignitus, ignis vero dum incorporatur carboni fit velut vnum ex ambobus, quoniam carbo suscipit actiones ignis factus ardens & lucidus. Oro vide si non fuerit tale aliquid in humana natura, dum vnita supposito diuino factus est sicut ignitus carbo ardens per charitatem, lucens per honestatem. Facta est quoque idiomatum communicatio, virtute cuius homo dicitur creasse cœlos, & Deus portasse dolores nostros. Intende pręterea quoniam habuit Abraham de Sara filium vnicum, cui nomen Isaac, quod interpretatum dicitur risus vel gaudium, in quo toto spes hęreditatis erat reposita. Nos verò nunquid non ex matrimonio Dei cum humana natura risum suscepimus & gaudium reparationis nostræ spem hæreditatis perpetuę? Fallor si non hoc gaudium nunciauerit angelus in die natiuitatis sponsi, dum ait pastoribus. Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. Sed neq; defuerunt encœnia, neq; donaria nuptiarum dum nunciata est, Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Dum in mysterio floruisse perhibentur vineę Engaddi, cum cęteris miraculis. Cęterum pro secũdis nuptijs Christi cum ecclesia, subiungamus figuram matrimonij Isaac cum Rebecca, cuius nominis interpretatio est, multum accipit. Et quæ sponsa quæso maius aliquid accepit à sponso quam à Christo susceperit ecclesia? Potuerant hic dotes seu dotationes suæ numerari supernaturales, naturales, spirituales & temporales, de quibus supra notauimus. Quid quod fuerunt ex hoc matrimonio duo filij variæ sortis & indolis, Iacob bonus & simplex, Esau malus, ferox & discholus. De quibus à Deo dicitur, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Per istos verò fratres quid aliud datur intelligi quam in ecclesia quæ est congregatio fidelium diuersa generatio filiorum, quorum sunt aliqui solo nomine Christiani, alij re simul & nomine. Mali subinde persequuntur bonos, sicut Iacob ab Esau multa perpessus est. Vix est itaq; Iacob in ecclesia quem non exerceat Esau malitia. Deniq; Christi desponsationem cum anima singulari figurant nuptię Iacob cum duabus sororibus Lya & Rachel: Lya actiuè, Rachel contemplatiuè typum gerit anima deuota, quarum filios si numerare & ad figuram traducere studeremus, recensendus esset libellus ille Richardi pulcherrimus de duodecim patriarchis, ad quem remittimus. Adde quod ad prædicta Iesus totus desiderabilis tribus animam sanctam appellat nominibus in canticis, sororem, filiam, sponsam. Sororem propter coniunctionem sui cum humana natura. Filiam propter coniunctionem sui cum ecclesia quæ mater est. Sponsam propter coniunctionem sui per gratiam aut gloriam cum ipsamet anima sancta. Considera tandẽ & inuenies nuptias omnes istas factas esse in Ghana Galilæ. Hinc Esayras. Zelus Domini exercituũ

Lucæ 2. *Malac. 1.* *Esa. 37.*

faciat has videlicet nuptias, & hoc in Galilæa quæ

A transmigrationem significat, vide quam mirabilis quam multiplex transmigratio dum diues fit egenus, æternus, temporalis, Deus passibilis in primo matrimonio. Dum in secũdo dimisit ecclesia suos errores, sua idola culturas deorum, cerimonias Iudæorum. Dum in tertio fit anima de meretrice sponsa Christi, fit vxor regis summi quæ prius erat scortum vel mundi, vel carnis, vel diaboli. Studiositas his auditis gratias agens verita est allegoriam vltra fatigare quomodolibet aut responsis quæ idcirco finem loquendi fecit in imprecatione participationis habendæ cum his nuptijs Christi & ecclesiæ nunc & in secula seculorum. Mihi verò ad

B meipsum reuertenti zelus domus Dei non defuit, qui monitionibus sobrietatis obediens consenserat silentio præteriri tunc declarationem duplicis appositæ considerationis de vino sacræ sapientiæ. Erat enim zelus secundum scientiam, propterea fugiebat & multiloquij tædium & amore redargutionis odium prętolans commodius locum alterum tempus & actum. Extimulauit me nihilominus postmodum crebro quidem & multum si-

C bi vocẽ dari, quæ si negaretur, petebat omnia scriptis inseri, inducebat seruũ fabulosæ Midæ qui Domini videns asininas aures, quia prodere palam timuit, submurmurauit & infodit terræ vnde ferũtur arundines exortę vitium Midæ subsibilantes. Suadebat zelus in proposito saltem ita fieri pronuncians, neq; scientiam sibi quæ tempora, personas & loca circumspicit, neq; compassionis charitatem deesse. Rectè quidem, quoniam hic demum zelus est laudabilis qui mala quęlibet auferre vult quę videt in domo Dei. Sed si tollere ne-

D quit, tolerat & gemit, tolerat secundum scientiam, gemit per compassionem. Est itaque scientia sine zelo languens, esset zelus sine scientia pręcipitens, esset vtrumque si deesset compassio nimis amaricans & inducens non tam correctionem vitij quam irritationem odij, zelus igitur ad vim irascibilem, discretio ad rationalem, compassio ad concupiscibilem mouendas vno mutuoq; consensu spectant, vt ordinatus in se sit totus ho-

E mo potens per zelum, sapiens per discretionem, beneuolus per compassionem, assecutus in hoc appropriata beatissimæ Trinitatis, quæ sunt potẽtię vigor, sapientię fulgor, beneuolentię dulcor, in quibus fundantur apud operationes laudabiles, modus, species & ordo. Item mensura, numerus & pondus. Rursum vnitas, veritas & bonitas referẽdo singula singulis appropriatis beatissimæ Trinitati, ex qua omnia efficienter, per quam omnia exemplariter, in qua omnia finaliter existunt,

F sicut est omnibus causa essendi, ratio discernendi & ordo viuendi. Et quando zelus apud me conscium se fatebatur habere sibi socias, scientiam atque compassionem, pręcipuè quæ nihil per iniuriam, nihil in iram, scandalum, liuorem, odium vel rancorem cuiusuis personæ dicere vellet aut scribere, sed ad extirpationem errorum & emendationem errantium morem ei gerere disposui, scriptis inserens quæ circa duplicis prędictæ considerationis per tractationem de negligentia vini sacræ scripturæ salubri monitione videntur annotanda.

ERAT igitur secunda consideratio, quod in nuptijs crescentis ecclesiæ &c. Feruor itaque deuotionis qui principes & alios dotantes ecclesiam mouit, vnde quæso genitus fuit, si non ex præconcepto calore vini spiritualis sacræ scripturæ, vehentis ad æterna mentes suas, terrenorum amore calcato? Nunc autem, si viderint pincernas vini huius, prælatos & doctores, labi fūditus in inferiora terræ, neque vllā de spiritualibus sollicitudinem gerere, quidni repetant quæ dederunt, causa cessante cōferendi, aut quod à noua saltem donatione tepescant? Ecce iam vidimus plurimos in sacris etiam litteris eruditos, qui vitijs prælatorum irretiti, zelantes domum Dei non secundum sciētiam, nequaquam timuerūt suggerere principibus & populis, vsque ad perpessionem mortis, quod fas erat eis, tollere temporalia clericorum habitualiter delinquentium: rursus quod bona eorum nō erant nisi puræ eleemosynæ: quod insuper non erant tradita nisi sub conditione bene viuendi & vtendi; qua deficiente, peribat titulus iuris, neque quicquam reliquum clerico tali supererat. Adde quod non defuerunt neque desunt seculares cupidis auribus, & assensu talia recipientes, nihil autem facilius, quàm persuadere volentibus spolia clericorum, dum vel auaritia, vel odiū, vel inuidia, vel zelus indiscretus trahit eos. Opponūt alij prælatis & clericis paupertatem ecclesiæ primitiuæ in apostolis & discipulis: autenticant è cœlo missam vocem, dum à Constantino dotata est ecclesia magis * diuino (iuxta prophetiam Danielis de regno Christi) quàm humano constituto. *Hodie venenum effusum est in ecclesiam Dei.* Quæ omnia, quid aliud quàm spoliandam esse loquuntur ecclesiam? Verum quid antiqua? quid sola lectione cognita cōmemoramus? prędicatum est solemniter apertissimis verbis, quod mendicitas erat solum vel præcipuum medium prædicationis verbi Dei: quia spinæ diuitiarum suffocant verbum. Et paulo ante, dum quæreret ipse prædicans, qui sunt prædicantes? Respondit profectò soli mendicantes, quoniam pauperes, inquit, euangelizantur. Taceo quod dixerat antea quidam ex mendicātibus prælatis, *nos pro nobis principes habebimus aduersus prælatos:* superaddidit alius, *ac etiam mulieres*: subintulit alter minaci vultu, *nos tale seminabimus semen in vno die, quod eradicare per annum nescietis, neque poteritis.* Hæc & similia, si nihil penduntur à prælatis secularibus, sibi defensores suos seculares theologos (vinum sacræ sapientiæ ministrantes in puritate) vel abijciunt vel negligunt, vel opprimunt: quid consequentius est, quàm vt principes dicant & statuant apud semetipsos, si mendicitas solum vel præcipuum medium est ad prædicationem verbi Dei? cum nihil magis incumbat ecclesiæ prælatis quam huiusmodi prædicatio; propter quam apostoli dixerunt, *Non est nos æquum relinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Et Paulus ait: *Non misit me Dominus baptizare, sed prædicare:* quid eligibilius nobis est, quam vt prælatos reducamus ad mēdicitatem, sublatis tot diuitijs & donationibus, in quibus ociosi gloriantur, atque superbiunt supra regum & principum potestatem. Nihilominus hæc & similia cum prædicantur, dotationis ecclesiæ subuersiua, fit applausus, significatur vt excurrat sermo: dum verò pro fauore debito prælatorum, pro libertatibus eorum, pro fidei (quam tueri professi sunt vsque ad mortem) defensione prædicatio fit, mox oscitant, inquietātur, submurmurant, exibilant, tumultuātur, finem fugiunt. Attendet pastoralis sollicitudo, ne per impunitatem talium, crescat in ecclesiastica hierarchia deordinatio, horror, atque confusio. Vnde si mendicitas post apostolos & sanctos doctores nouiter subintroducta, ministraret hodie sola vinum prædicationis per populos in ecclesiæ nuptijs; In multis itaque nunc malè est fateor ecclesię, sed in multis deteriora venirent; quemadmodum sumi poterit ex dicendis in altera consideratione parens argumentum.

Luc. 12.

1. Cor. 1.

Ecce verò dum talia meditatio cordis mei secū reuolueret, conspicere visa est hinc mendicitatem religiosorum, hinc proprietatem prælatorū. quarum vtraque prędicabat laudes suas, altera alterius statui præferre se contendens. Pręoccupauit mendicitas, & quis dubitauerit, inquit, me præferendam esse proprietati vel appropriationi temporalium, quæ volens esse perfecta, abij iuxta cōsilium Christi, & vendidi omnia quæ habui, & dedi pauperibus, vt nuda sequerer expeditè nudum Christum. Præcello quidē in multis, sed quinque prærogatiuas enumerasse suffecerit. Mens nonne mihi liberior est ad contemplationem, quoniam egena sum; non potens epulari quotidie lautè & splendidè; propterea neque cibo, neque vino grauor in crapula, & ebrietate, neque somniculosa iaceo, somno vinóque sepulta. Sum insuper aptior ad prædicationem, quoniam doceo nedum verbis studiosissimè haustis ex intimo fonte sacræ scripturæ & artificiosissimè compositis in allegationibus, in rhytmis, in ratiocinationibus, miscendo seculares autores, poëtas, & rhetores. Sed exemplo proprio, quod efficacissimæ doctrinæ genus est, prædico contemnendas esse seculi diuitias, pompas, honores, atque delicias, sequēs Christum, qui prius cœpit facere, post docere. Quid tertiò quod elongatior sum ab adulatione, quia non temporale lucrum, non fauorem diuitum, non applausum populorum, sed spiritualem duntaxat animarum salutem exquiro, quid enim mihi est super terram? Quid præterea quartò quod à formidine resistentium verbo Dei liberata sum, dum ab eis maior effici non ambio, sed refugio, quærens in nuptijs ecclesiæ locum nouissimum, nolens primos recubitus in cœnis, nec salutationes in foro, nec vocari ab hominibus rabbi, neque primas cathedras in synagogis: sæuiat mūdus vniuersus aduersum me, ad quam me poterit sortem viliorem deijcere, quā mendicam, quæram panem meum? Constat denique me liberatam esse ab omni sollicitudine: cur enim de crastino cogitarem, quæ habens alimenta vndecunque quæsita, & quibus tegar, etiam vilissimis resarcitisque saccis contenta dego; considerans aues cœli, quæ neque laborant, neque nent, neque congregant in horrea, & pater cœlestis pascit eas.

Proprietas ex aduerso contendebat, primo iuxta sententiam Arist. arguentis politiam Socratis & Platonis, quod erat expedientior apud homines præsupposito peccato secus in statu gloriæ, secus in originalis statu iustitiæ, vbi fuissent omnia communia, vbi nullus appropriando dixisset, hoc meū

est, hoc est verò tuum, quoniam vnicuique fuissent omnia subiecta sub pedibus eius. Omittatur de singulis hominibus, fiat de prælatis ecclesię tamen sermo, quibus ego proprietas, multum offero fructum spiritus, præsertim quintuplicem in ædificationem subditorum. Habent ex me primò subsidia temporalium, vnde misericordiam exerceant apud subditos, egentes, afflictos, & debiles, pupillos, viduas, neque sub specie pietatis & quæstus, spolia quærunt ouium, neque lac emungunt vsque ad sanguinem: quod vt exercere posset sanctus Thomas Cātuariensis, studuit vsque ad mortem pro seruatione redditiuum ecclesiasticorum decertare. Habent ex me prælati secundò decentem, & honestum statum, fulgentem, & reuerendum coram populis; qui sicut animales, neque satis capiunt cœlestia, neque virtutes interiores plenè considerant, propterea faciliter egenos & pannosos homines, præcipuè si opportunè & importunè quæstuati fuerint, vertunt in opprobrium vel contemptum: maximè dum non adsunt eis operationes heroicæ & miraculosæ, quēadmodum fuit in sanctis apostolis, & plurimis successorum: alioquin si quis ornatum exteriorem splendidum culpat in prælatis, tollat ex consequenti præciosissimos & præclarissimos quoslibet ritus, & ornatus ab ecclesia, quæ incedit sicut regina in tunicis, casulis, cappis & cęteris vestimentis deauratis, circundata varietate. Adde tertiò, quod tyrannis incutio formidinem ego proprietas, dum attendunt me paratam, & potentem, & talem esse quæ sufficiam eis resistere. In subditos præterea dyscholos & insolentes ego disciplinatas punitiones potens exerceo, ne sua contra proborum vitā tam quietam, præualeat effrænis iniquitas, & vt regentis conseruetur autoritas. Postremò, sollicitudinem anxiam, & quandoque fraudium sectatricem, ego proprietas, à prælatis & domesticis suis excludo; distribuens vnicuique prout opus est, ne vel rapere, vel cogitare supra modum de crastino compellat eos egestas, cui parum esse fidei, dicit satyricus & lex. Hæc est ecclesiæ primitiuæ institutio, hæc aurea mediocritas, quam Salomon optando descripsit: *Diuitias inquit, & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*: pusilli animi est (dicit Sene.) non posse pati diuitias, & indicere sibi odium auri vel argenti, refrænetur cupiditas & sufficit.

Prou.30.

Parabat ad hæc mendicitas contentiosa voce responsionem adijcere, præponens se talem esse cui mediocritas amica est, quoniam nihil habens ipsa iure proprietario possidet omnia charitatis & sufficiente titulo, quærit enim primum regnum Dei & iustitiam eius, omnia idcirco apponuntur ei; nihil insuper se timere defendit, nimirum quia nihil perdere habet inculcans illud satyrici: *Cantabit vacuus coram latrone viator*. Concludit proprietatem esse tumidam, elatam, pomposam, iactatricem sui, desidiosam, cæcam, insciam & hebetem, quæ quia tangit picem diuitiarum, inquinatur ab ea, & spinarum aculeis cruentata suffocatur: neque pascit, quia mercēnaria est, oues proprias pabulo doctrinæ, sed emungit vsque ad sanguinem, & excoriat vsque ad interiora ossium, & discrimen vitæ.

Cæterum has impatienter ferens mendicitatis cōtumelias ipsa proprietas dici non potest, qualia quantáque reddere verba parabat. Vocās eam imprimis apostatam à lege qualibet naturæ, scripturę & gratiæ, nec deerat allegationum multiplicatio. Seductricem insuper arguebat eam, fallacem, gyrouagam, quæ penetrat sub obtentu, nedum prolixæ orationis (prout loquitur apostolus) sed confessionis, domos; captiuas ducēs muliereculas onetatas peccatis; quæ rursus nomen humile paupertatis, facit instrumentum sibi & medium sub velamine priuilegiorum ad omnes diuitias, delitias, pompas, cum summo ocio, sine labore plus cæteris hominibus assequendas. Pergebat vltro proprietas inducere testes autenticos pro se, vitas patrum, Augustinum de opere monachorum, librū Gulielmi de sancto amore; propositiones Domini Armachani, cum similibus multis. Quas demum sectas habent inter se, pro diuersitate habituum & doctrinarum, coniungunt ad impugnationem cæterorum secularium, & regularium prælatorū, & doctorum. Tum exhorrui fateor in ipsa meditatione mea, quando talem suboriri contentiosam hostilitatem proprietatis & mendicitatis animaduerti; qui prius in audiendis laudibus vtriusque sedulus delectabat. Exclamo protinus, abite precor hinc, neque iurgijs istis me fatigaueritis. Itaque, *nō nostrum inter vos tantas componere lites*: Ite potius ad experientiam, hęc siquidem mentiri nescit de quibus nouit; nouit autem omnia, & mentientes non patitur non redargui; hæc ideo testis idonea, hæc iudex incorruptissima, quæ si querelam hanc susceperit, suggerat & in sinu & sacrosancto generali Concilio. Quid sentiendum insuper allegatis vtrinque, quid demum faciendum. Etenim si mēdicitas probare voluerit testimonijs operum dilucidis, quod ad illa, per eā proposita, sit efficax mediatrix, ipsa prorsus suscipiēda, fouendáque iudicabitur. Similiter & proprietas laudabitur, in prælatis, si tales in eis, quales proponit effectus, operetur. Verum præclarè dictum est à quodam, respublica vel ecclesiastica non regitur per simile, sed nec solo dictamine speculatiuæ vel imaginatiæ rationis gubernatur, executio requiritur in practicatione operis, quantum res humanæ, pro locis, temporibus, & personis patiuntur. Denique non est inuenire statum, immo nec hominem vnicum, nisi rarissimè, in quo granis virtutū mixtæ, nō sint plures numero paleæ defectuum. Nam & cū tritico crescunt zizania, qualia tolerare conuenit, vel sic eradicare, ne simul euellatur & triticum. Similiter, vinum deuotionis, secū fert acinos & fœces quorundam defectuum humanæ corruptionis. Enitatur status quilibet esse talis, qualem vult se æstimari, atque respectu finis suæ constitutionis, cętera conetur moderari. Sit mendicitas vt prætendit ad contemplationē liberior, sit ad prædicationem vtilem aptior, sit ab adulatione longior, sit à formidine & ambitione remotior, sit ab omnium temporaliū sollicitudine quietior. Proprietas verò, sicut gloriatur, hospitalitatem exerceat, decentem & venerādum absque fastu superfluo statum teneat, formidinem tyrannis incutiat, subditos insolentes coerceat, sollicitudinem noxiam, & anxiā, procul à se suisque familiarib9 abijciat. Meminerit tandem vtraq, iuxta comici sentētiam, quoniā hæc omnia in mēdicitate & proprietate talia

sunt

sunt qualis est animus vtentis, hoc cernere est in vino bono sapientiæ salutaris: cuius odor, sapor, & vsus fit alijs in ægritudinem & mortem: alijs autem proficit ad sanitatem, & vitam perpetuam. Consummata est dictis istis secunda consideratio, sit transitus in tertiam & postremam.

IN nuptijs Ecclesię nũquam deesse poterit, &c. Primam huius considerationis partem affirmat Christus sacerdos in æternum, cuius lex si deficeret, sacerdotium non subsistere consequens esset: sicut è conuerso dicit Apostolus, quod translato sacerdotio necesse est vt legis trãslatio fiat. Altera verò pars considerationis, vtinam falsa esset, sed verissimã esse nimis experiri datum est: alioquin, nunquam tot errores, tot insanias falsas, tot hæreses monstruosissimas consitas fuisse (etiam vsque ad adulterationem primorum principiorum moralium, qui sunt de primis impressionibus & inscriptionibus naturæ) sensissemus hoc Concilio, in cuius gremio per aliquos fouetur, nutriũtur, multiplicantur, & augentur, sicut infra narrabimus. Sunt quibus vinum sacræ sapientiæ, & odor eius, vertitur in abominationem; quorum ista vox est, quid ad nos sermo de fide? satis est quod Christiani sumus, credimus sicut parentes nostri, in simplicitate bona, hoc sufficit & satis est, quia scrutator maiestatis opprimetur à gloria, nec opus est altiora se quærere. Dicuntur hæc nedum à simplicibus & idiotis, sed à magnis prælatis, quibus ex officio competit, *paratos semper esse debere ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in eis est fide*. Vox aliorum est dum propinari quæritur vel deputari vinum sacræ fidei, quærimus pacem, quærimus vnionem & ecce turbatio. Conturbat enim vinum istud plurimos, diuisiones, sectas, odia, dissentiones inducit per vniuersum corpus huius sacri Concilij; dissimulatio vel dilatio, nonne salubrior, nonne discretior existeret? sunt alij nec facile dixerim, si deteriores prioribus, scio quod insaniores. Bibunt illi quidem vinum sacræ scripturæ, sed quia corruptis moribus quasi febrilibus totidem humoribus infecti sunt, delirant apertissimè, & in ipsis vt aiunt ianuis principiorum cespitant, impingunt, palpant, & corruunt incurrentes illam euangelici prophetæ maledictionem, si ad allegoriam traducta sit. Verum hi quoque præ vino nescierunt & præ ebrietate errauerunt, sacerdotes & prophetæ nescieruut, præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Sequitur, Omnes enim mẽsæ repletæ sunt vomitus, sordiumque, ita vt non esset locus vltra. Hic vomitus & hæ sordes, quid aptius quam hæreses ex indigestione vini sanæ fidei prodeuntes significant? quibus mensa sacræ scripturæ redditur abominabilis, & hinc videtur impleta de talibus imprecatio prophetica: Fiat mensa eorum mensa sacræ scripturæ, in laqueum & in retributiones & in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videant. Et iterum. Psalmus alter: Turbati sunt & moti sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Rursus in Hieremia: Sume calicem vini furoris huius, quia scilicet malos furere facit, quod patuit in Iudæis inuidis, & auaris, furentibus ad doctrinam Christi. Sequitur, Et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas mit-

Psal. 68.

Psal. 106.

Hier. 25.

A tam te, & bibent & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Sequitur: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, & nolite consurgere à facie gladij, quem ego mittam inter vos. Per gladium hunc verbum Dei, sicut per vinum doctrinam fidei mysticè designatur: Exempla heu maledictionis huius nimis apparent apud nonnullos in nuptijs etiam huius Concilij positos. Cuius hanc vnam vel maximam causam accipe, quod ad examinationem pestiferarum doctrinarum multipliciter euomitarum, nequaquam datum est Theologis ac iurisperitis sæpe ac liberè conuenire pro hac re: quæsitum est hoc potius vijs & exemplis nimium scandalosis, væ detinentibus veritatem in mendacio: De quo Hieremias, vero mendacio, operatus est stilus scribarum mendax, dum in calice prophano fit vini theologici propinatio. Quocirca, ponatur hic vna ex petitionibus cõpositis, vt nouem assertionum fieret examinatio per singulas nationes, propter causas duodecim. Primò quia tandem sic oportebit examinationem huius doctrinæ fieri, si vera sit & sana, vt dogmatizetur per Christianitatem tam populo quam clero, & an sit in foro conscientiæ salubriter cõsulenda, & fiat hoc in commune per singulas nationes, & sacrum collegium, prius quam feratur in concessione sententia. Rursus secundò, quia materia talis est de qua possunt iudicare nedum theologi, sed canonistæ & legistæ, & boni morales, immo & generaliter omnes habentes sanum & integrum iudicium rationis, & concernunt enim pręcepta moralia, quæ sunt prima principia naturaliter inserta cordibus hominum, licet etiam sint diuina lege repetita & iussa, propter maliciæ nubem, quæ scripturam hanc obtenebrans obfucat in cordibus malignorum. Subinde, quia constat quod assiduè scandala multiplicantur occasione dilationis, quæ fit & facta est iam per annum cum dimidio & vltra in hoc sacro Concilio, dum non est declaratum quid veritas habeat super prædictis. Amplius quartò quod talis dilatio cedere videtur in grande dedecus huius sacri Cõcilij, dicentibus multis vario modo, quod Cõcilium materiam istam determinare vel non audet, quod est timiditatis & ignauiæ; vel nescit, quod est necessitatis & ignorantiæ; vel non vult, quod non est charitatis vel iustitiæ. Amplius, quia si tanta sollicitudine damnati sunt errores & errantes à principio Concilij vsque nunc, de alijs terris & prouincijs vbi multi potentes de illis terris nedum non quærebant hoc, sed totis studijs per litteras & aliter obsistebant: graue nimis videretur & scandalosum in prædictis terris, quod errores in regno Franciæ seminati, in notoriam seditionem & scandalum totius regni, in pernicem incredibilem tam animarum quàm corporum, non declararentur hîc vel damnarentur: cum hoc requirat rex Franciæ Christianissimus, cum consilio suo toto, & præclarissima vniuersitas Parisiensis, cum tanta instantia, tam per litteras patentes quam aliunde, & cum testimoniis nimis credibilibus super scandalis & seditionibus prouenientibus assiduæ ex doctrina tali. Additur hic, quod principes dicere possent, Ioannem Husum, & errores suos fuisse damnatos, quia erant contra præ-

latos & clerum; sed dimittunt istos Ioannis parui, quia sunt contra principes & seculares, licet ad veritatem tangant Ecclesiasticos cum secularibus, sicut scribit Imperator. Proinde sexto, quia serenissimus rex Romanorum & dum præsens erat verbis, & absens litteris attentissimè recommendauit causam istam, & damnari procurauit istam assertionem. *Quilibet tyrannus, &c.* In qua virtualiter & sufficienter hæc doctrina nouem assertionum damnata est, sicut patet intuentibus, & declarabitur manifestius ex inspectione totius propositionis principalis Ioannis parui, productæ ex parte regis Franciæ coram toto Concilio generali, cum instantissima petitione examinationis diligentis de eadem faciendæ. Septimò quia & si forsan secundum aliquorum iudicium hæc materia potuisset ab initio dissimulari ad tempus, hæc dilatio seu dissimulatio non habet modò locum, quia per importunitatem aliquorum, ne durius quid loquimur, effectum est, vt nedum dogmatizaretur hęc doctrina per vnum scilicet magistrum Ioanné parui, sed iam per plurimos in hoc Concilio & alibi quaquauersum, & specialiter per totum regnum Franciæ, cum multiplicatione errorum aliorum non minus periculosorum, & cum autoritate illorum, qui se subscripserunt in modum cõmunitatis seu congregationis, ne dicamus monopolij, vel conspirationis; sicut in schedula fratrum mendicantium de quatuor ordinibus latè patet. Amplius octauò, quia necesse est concludere, quod multi sunt hæretici vel saltem hæreticantes in hoc sacro Concilio & alibi: quoniam multi ex parte dicunt & constanter affirmant, quod hæc doctrina est erronea in fide & moribus, ac multipliciter scãdalosa: Alij sunt in oppositum dicétes, quod hæc doctrina est vera: Alij quod est opinabilis, alij quod est probabilis ad vtramq; partem, alij quod est forsitan vera, alij quod non iudicio fidei reprobanda, quia non pertinet ad fidem. Constat autem quod assertiones istæ sic cõtrariæ, stare non possunt cum fidei puritate, & sine scandalo manifesto totius ecclesiæ. Est igitur de necessitate salutis prouidendum per hoc sacrosanctum concilium. Rursus continuando, quia si fieret vt aliqui quærunt dilatio ad futurum pontificem, vel Cõcilium, esset grauis nota huius sacri Concilij, quia diceretur sicut pertactum est, quod materiam hanc terminare, vel non auderet, vel nesciret, vel non vellet: ergo & futurus summus põtifex rationabilius posset excusationem prætédere, regerendo culpam super prælatos de hoc Cõcilio quod vel timuerunt, vel nescierunt, vel noluerunt ponere terminum tali causæ. Et constat quod non habebit plures clericos vnus Papa, quam habeat hoc concilium, nec maiorem audaciam. Addo decimo, quia necesse est dicere, quod rex Franciæ & vniuersitas Parisiensis, & pene totus clerus Frãciæ decipiuntur circa hanc materiam, quam tanto studio prosequuntur vt damnetur: aut ex altera parte decipiuntur illi, qui ad oppositum tendunt, quærentes absolui & iustificari in hac causa. Potest autem præsens Cõcilium finem opponere declarando veritatem, cui omnes & singuli dicunt se paratos obedire, & ita cessabit omnis discordia. Subiungatur vndecimo, quod iam videtur modus debitus tractandi, debet enim causa fidei tractari

A simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij. Et quod prius ante omnia fiat inquisitio & & determinatio de ipsa veritate fidei, & suo interesse quã de interesse personali cuiuscunq;. Debet insuper audiri liberè quilibet in denunciatione, sine hoc quod quæratur inuolui per lites: debet præterea examinatio fieri non in abscondito, vel per schedulas, nec per cõspirationes, sed in publico corã peritis, vt habeant ad inuicem collationé, & examen diligens, frequens, & liberum: nec debent vota publicari saltem extra Concilium, maximè cum signo notariorum autético, priusquam

B factum taliter extiterit. Demùm, nullus peritus præsertim theologus, potest aut debet in tali materia fidei, tanquam suspectus repelli, quin intersit examini & iudicio, nisi forsitan allegetur & probetur contra eum, quod est in fide meritò suspectus vel infectus. Vtrum verò factum fuerit oppositum omnium prædictorum in processu huius causæ, iam notorium est, & pateret ex processu, quia & propositum est interesse personale & denunciatores quæsiti fuerunt inuolui, & factæ sunt

C inuolutiones processuum, non sine grauibus expensis. Et reuerendissimus in Christo pater Dominus cardinalis Cameracensis summus inter suos theologus, non in fide per Dei gratiam suspectus, commissarius per hoc sacrum concilium repulsus est, & magistri in theologia, nullum inter se potuerunt examen facere deliberationes quoq; secretò prius in sacro positæ sunt priusquam examinarentur, publicatæ per vniuersum regnum Franciæ & alibi, cum signis notariorum: vbi nedum fidei, sed

D personis imminet grande scandalum & periculum, cum materia hæc tangat magnos & potentes. Et apparet satis clarè ex modo & forma cuiuslibet deliberantis, quę persona sit vel quę personæ deliberantes, quamuis non inscripta sint nomina singulorum, sed aliquorum, & specialiter mendicantium quatuor ordines exprimuntur in schedula suas deliberationes continente. Attento etiam quod aliquæ deliberationes loquuntur iniuriosissimè contra magnos & diuersos & innocentes, ita vt magis sint libelli famosi, protinus la-

E cerandi, quam deliberationes recipiendæ vel promulgandæ. Dicatur postremò & vltimò, quod per litteras serenissimi regis Romanorum, & regis Franciæ, ac vniuersitatis Parisiensis, & ex notorietate facti constat: quod sententia annullationis quæ lata est aduersus sententiam episcopi Parisiensis, & inquisitoris, nullatenus explicando causas annullationis, generauit, & generat assiduè scãdala contra fidem, & contra bonum pacis per vniuersum Frãciæ regnum apud doctos & indoctos:

F dum adhuc penderet & pendeat principalis materia fidei coram hoc sacro Concilio, nec debuisset accessorium terminari, priusquam hoc principale. Præterea necesse est necessitate præcepti diuini, affirmatiui, & salutis æternæ, quod ad occurrendum istis & prioribus scandalis hoc sacrosanctum Concilium (quàm citius commodè fieri poterit, sicut fieri commodè citò potest) determinet istud principale, declarando videlicet veritatem, quoniam hoc deciso, cætera faciliter vel decidentur, vel quiescent atque sedabuntur. Sed oportet (vt præmittitur & instanter petitur) examinationem fieri in sacro dominorum Cardinalium collegio & per

per singulas nationes &c. Subiungatur sequens opusculum prò complemento cõsiderationis huius vltimæ, vbi videbit pius & sapiens lector, quanta necessitas incumbit apud reuerendissimos patres ac Deo amabiles episcopos, cum præclaris doctoribus & cæteris spectabilibus dominis de concilio prouisionem apponere. Attento quod ad extirpationem hæresum præcipuè vocati collectique sunt.

ERRORES CIRCA PRÆCEPTVM, Non occides.

HÆRETICORVM sermo sicut cancer serpit, ait Apostolus. Canceris autem morbida tabes nisi cauterio celeri fortique tollatur, crescit assiduè sua contagio. Non aliter hæretica pestis, quæ dum se vult fouere, fit ęgrior, dum defensorem quærit ille mittit verum in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, se non euoluens sed inuoluens, ac pondere suo de errore in errorem means. Verum quippe est illud philosophicum. Vno inconuenienti dato multa sequuntur: præsertim dum error est in principijs, qui paruus crescit in plurimos, & fit velut vna cathena tenebrarum qua colligantur hæretici. Animaduertere si quidem est, quantas hoc vnum inconueniens, quod est iustificatio mortis iniustæ, quales & quot proh nefas, peperit & effuderit errorum tenebras, hæreses, blasphemias & insanias falsas, ita vt iam sedeat hæresis velut autorizata in cathedra pestilentiæ peruagans corpus ecclesiæ, neque videtur remedij locus nisi per censuram iudicialem sacri concilij putrida labes cum omni celeritate cauterizetur, neque audiatur malesuada dissimulatio sua lactatrix & fautrix, quæ speciem discretionis aut pietatis in summa desipentia & impietate mentitur. Enumerabimus ergo nonnullos errorum ramos ab hac vna mortis radice prodeuntes, iungendo quosdam alios in gremio Constantiensis, huius concilij positos, vel in propria forma, vel in audientiam intelligentia, vel in consequentia necessaria & certa, quatenus euitetur error cognitus, quatenus insuper pastoralis sollicitudo prouidere vigilantius animetur. Quod philosophicalia & moralia non sunt de fide, neque spectant ad iudicium fidei. Quod hæreses non possunt aut debent condemnari, nisi simul euocentur & damnentur errantes. Quod ad episcopos nullo modo spectat hæresum damnatio, quoniam maiores omnes causæ quæ sunt fidei, sunt ad sedem apostolicam referendæ. Quod nihil est iudicialiter fidei condemnandum, nisi contra fidei articulos in symbolo positos, quoniam soli tales articuli propriè spectant ad fidem. Quod implicat eandem propositionem esse euidenter & fide credendam, & asserens oppositum est hæreticus. Quod nullus habitus fidei acquiritur per verbum Christi, sed à solo Deo infunditur, & asserens oppositum est hæreticus. Quod allegans iudicialia veteris legis, est eoipso hæreticus. Exemplus de ista: Si quis per industriam occiderit proximum suum aut per insidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Quod demonstrata vna propositione affirmatiua vniuersali vel

A vniuersaliter posita, hæc consequentia est irridenda à logicis & erronea, particularis negatiua quæ opponitur huic vniuersali affirmatiuæ est vera, ergo hæc vniuersalis est falsa. Quod nulla propositio quæ potest ad aliquem sensum verum trahi vel apponi, etiam de vi logicæ vel grammaticæ, debet condemnari, maximè iudicio fidei. Quod iste non sunt condemnandæ: Populares possunt ad arbitrium suum corrigere superiores suos. Temporales Domini possunt auferre bona ecclesiasticorum habitualiter delinquẽtium. Ratio, quia Deus potest concedere prædictis talẽ

B potestatem. Quod nullus alligatur virtute iuramenti præstiti, nisi ad illud duntaxat ad quod tunc aduertebat actualiter se volens obligare. Quod iste terminus præiudicium est analogus ad præiudicium animæ quod est peccatum, & ad præiudicium corporis seu temporale detrimentum, ideo concedenda est ista simpliciter & catholicæ: Iuramentum quomodocunque factum si vergat in præiudicium iurantis vxoris suæ, vel liberorum, non est tenendum. Quod sensus grammaticalis

C vel logicalis est sensus litteralis sacræ scripturæ & ideo sæpe falsus. Quod demonstratis aliquibus assertionibus quas Ioannes theologus tenetur explicita fide credere, falsas esse & contra sacram scripturam. Si dicat idem Ioan. quod etiam angelo de cœlo non crederet si diceret eas esse veras, hæc est blasphemia & luciferiana superbia. Quod demonstratis aliquibus assertionibus quas Martinus theologus & prælatus tenetur explicita fide credere falsas esse & contra sacram scriptu-

D ram, excusatur ab errore vel hæresi vel pertinacia per protestationes conditionatas dicendo vel scribendo, quod vult stare iudicio concilij generalis quantumcunque defendat interim quod ille sunt probabiles, & forsitam veræ. Inducens ad hoc alios & se opponens ne damnentur? Quod assertiones eoipso redduntur probabiles, neque iudicio fidei veniunt reprobandæ, si habuerint doctores deliberãtes pro vtraque parte. Quod propositio habens duos sensus, vnum verum, & alium falsum, nullo modo debet iudicio fidei reprobari,

E etiam si fuerit scandalosa, vel piarum aurium offensiua, vel ad errorem inductiua. Quod assertiones positæ per vnum doctorem in theologia tanquam pro regulis, aut maximis, aut veritatibus ad inferendum cõstitutionem aliquam, nullo modo sunt iudicio fidei reprobandæ, si possint ad vnum sensum trahi vel glossari, quantumcunque conclusio fuerit erronea vel impia, licet bene concedatur cum Hilario quod intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi. Quod dicens se facere conformiter ad legem diuinam naturalem

F & moralem occidendo hominem, non eget alio mandato iudicis cuiuscunque, quoniam autorizatur à triplici lege, prout nec oportet quod assignet expresse talem legem. Quod in occisione hominis non requiritur notorietas allegationum seu probationum quod fecerit talia per quæ debuerat interfici taliter & à tali sit occisus. Quod fur nocturnus, quod insidiator viarum, quod hæreticus & sortilegus occiditur meritoriè à quocunque &c. etiam si potest horum quilibet duci ad iudicem suum, nec immineat certum mortis periculum occisori, propter quod ipse debeat vim

vi repellere occidendo. Quod occisio hominis si fiat bona intentione, redditur iusta vel excusabilis vocando intentionem bonam zelum legis vel sui principis. Quod mors subita & improuisa ac villana, quæ fit .s. sine diffidatione præuia, potest & debet meritoriæ Christianis aliquibus non iudicialiter condemnatis aut bannitis inferri, immo quod hæc est propria mors aliquorum Christianorum. Quod fides quamuis sit hosti seruanda, non tamen tyranno. Quod sortilegia & carmina sine tactu quocunque hominis contra quem fiũt, possint virtute sua hominem occidere, non minus quam gladius defixus in corpore. Quod ab hac lege: Non occides, excipitur tyrannus eo .s. quod occidendus est à quocunque, iuxta illam legem: Maledicos ne patieris viuere. Et est tyrannus qui in republica nõ iure principatur aut principari conatur. Quod Michael occidit luciferum æterna morte sine mandato Dei quocunque vel alterius. Similiter Phinees occidit Zambri sine mandato quoque Dei vel alterius. Et similiter Moyses Ægyptium, & inde meruerunt. Et similiter Petrus volens occidere seruum pontificis. Quod faciens confœderationes & iuramento cõfirmans multipliciter excusatur si non intendat aut vult eas seruare, dum hoc facit vt occidendus non sit, sibi præcaueat, neque percipiat quod debet occidi. Quod quotienscunque aliquis faciat aliquam rem quæ est melior, licet iurauerit illam non facere, hoc non est periurium, sed periurio contrarium. Quod meritorium est quandoque occidere hominem vel occidi facere sponte absque autoritate iudiciaria extra casum necessitatis actualiter instantis seu periculi ineuitabilis, nisi vis vi repelleretur occidendo & seclusa reuelatione diuina. Quod meritorium est quandoque occidere hominem vel occidis facere sponte non sibi subditum, non monitum, non diffidatum, qui neque vim neque mortem intentet actualiter. Quod meritorium est vt prius occidere spõte hominem ex solis coniecturis seu factis quæ non habent euidentem vel notarietatem iuris vel facti. Quod meritorium est quandoque occidere vel occidi facere sponte hominem qui non intentat actualiter vim vel mortem, vbi neque est accusator, neque testis neque pars neque iudex qui hoc mandauerit. Quod meritorium est quandoque occidere, vel occidi facere sponte hominem modis prædictis, sic quod potest cadere sub voto, iuramento vel præcepto, & ex consequenti suo debito quod sic fiat. Quod meritorium est quandoque per insidias falsas occidere hominem voluntariè vel occidi facere, & per blanditias fictas in quibus est vsque ad mortem deceptio. Quod meritorium est quandoque immo debitum, hominem Christianum facere subito & viriliter occidi sicut bestiam, præcludendo quantum in occidente est salutem animæ spiritualem, & eo magis meritorium quo fit à persona maioris status atque dignitatis. Quod meritorium est facere occidi hominem non accusatum, quia præsumitur sortilegia fecisse aduersus regẽ suum, supposito quod non constiterit legitimè de actu vel non effectu huiusmodi sortilegiorum. Quod meritorium est confœderationes deliberatè factas & iuratas non tenere, supposito quod absque præiudicio ac detrimento animę valeant obseruari. A Quod qualibet lege datur cuilibet subiecto licentia tyrãnum occidere. Item peccat grauiter quilibet subiectus habens opportunitatem occidere, & non occidi tyrannum. Et iterum autoritate legis diuinæ & exemplo Christi cuilibet subiecto sine superiori interprete licitum est tyrannum occidere. Quod nulla. ix. assertionum denunciatarum debet iudicio fidei reprobari, immo quamlibet illarum non fore iudicio fidei reprobandam, debet eodem iudicio declarari, quia nulla est contra scripturam sacram, inter quas tamen sunt istæ duæ, scilicet decima B & nona. Ius est ratio & æquitas quod omnis tyrannus occidatur: villane, gallicè vilainement per explorationes & insidias. Et propria mors qua debent mori tyrãni infideles, occidere scilicet eos per bonas cautelas, explorationes & insidias. In casu societatis, iuramẽti, promissionis seu confœderationis factarũ ab vno milite ad alterum, quocunque modo istud fiat aut fieri possit. Si contingat quod istud vertatur in præiudiciũ vnius promittentium aut confœderatorum sponsæ suæ aut C suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas obseruare. Quod nullus episcopus potest de quęstionibus fidei cognoscere, quantumcunque sint notoriæ, falsæ & scandalosæ approbando vel reprobando doctrinam, quia tunc faceret nouos articulos, quamuis bene possit & debeat hæreticos condemnare. Quod non ideo propositiones spectant ad iudicium fidei approbatiuæ vel reprobatiuæ, quia dicitur in eis aliquid licitũ esse vel illicitum, meritorium vel demeritorium fieri secundum legem diuinam. D

SEQVVNTVR errores de alia materia. Quod mystica & sapientia in diuinis sunt formalitates realiter distinctæ. Quod receptio primarum annatarum per Papam & Dominos cardinales nunquam fieri potuit sine simoniaca prauitate. Quod licuit Papæ & dominis cardinalibus quærere solutionem primarum annatarum ab illis qui beneficiabãtur in curia vel alibi, sic quod non expedirentur eis bullæ, nisi prius realiter & de facto E tales annatas soluissent, licuit etiã extorquere per arrestationem bullarum vel aliter, quod se omnibus proprijs soluturos obligarent. Quod nulli quantumcunque multiplicati possint condere legem obligantem, nisi summi pontificis adueniat autoritas. Quod concilium generale sine Papa nunquam habere potest potestatem nisi limitatã, quoniam non est nisi suæ partes, quæ sunt prælati habẽtes potestatem tantũmodo limitatam. Quod gladij spiritualis suprema potestas est in Papa legitimè F præsidente & residente totaliter quò ad executionem talis gladij, & non tunc in concilio generali. Quod gladij spiritualis suprema potestas residet in ecclesia inseparabiliter quo ad iurisditionem, separabiliter autem quoad executionem. Quod gladij spiritualis suprema potestas sic est in Papa legitimè præsidente & residente, quod ad approbanda vel reprobanda in ecclesia, solus ipse haberet definire, & nõ concilium generale. Quod in concilio generali celebrato Hierosolymis super cessatione legalium Petrus non præfuit neque definiuit, quia suspectus erat in illa materia, nec erat tunc legitimè præsidens & residens. Quod omnis

Papa conscius sibi quod est vel fuit hęreticus post papatum tenetur eoipso cedere papatui, quia nullum ius habet in ipso, etiam si de nouo pœniteat & secretum fuerit, & ita de quolibet episcopo vel in ecclesia beneficiato dicēdum videretur. Quod in omni concilio generali in quo Papa legitimæ præsidet & residet, vox sua sic præponderat vocibus totius residui, quod nihil possunt definire sine eo, nec ipsum ad aliquid quomodolibet obligare. Quod papam dum accusatus est, licet non quietus aut damnatus, eoipso non legitimè præsidet & residet circa quęcunque definienda in generali concilio. Quod accusatio Papæ & præcipue mors eius naturalis aut ciuilis, reddunt saltem per indirectum quod ecclesia vel generale concilium maioris sit potestatis in executione & definitione quam Papa, nec accusato nec mortuo. Quod mēdicitas est vnicum vel præcipuum medium prædicationis verbi Dei, quoniam teste Christo spinæ quæ sunt diuitiæ, suffocant semen quod est verbū Dei; & quod profecto soli mendicantes prædicant, quia pauperes euangelizantur. Quod Papa non est immediatus prælatus omnium fidelium, nec sponsus ecclesiæ vniuersalis, sed solius Romanæ. Alioquin quilibet ecclesia cathedralis haberet duos sponsos, papam & episcopum. Quod Papa est sic immediatus prælatus omnium fidelium, quod potest pro libito per se vel alios commissos omnia exercere licitè, quæ potest quicunque prælatus vel curatus inferior, etiam vbi non subest necessitas propter defectum inferiorum, neque rationabilis vtilitas. Quod omnis qui glossare, defendere seu tenere præsumpserit vndecim articulos positos in prætensa bulla mendicantium quæ sic incipit: Regnans in excelsis, illè tanquam hæreticus est cēsendus, & per inuocationem brachij secularis coercendus. Non obstante statuto concilij generalis: Omnis vtriusque sexus, quorum tamen articulorum plures includunt illa quæ solius facti sunt, nec sub fide cadunt, quos insuper si cōcordari debeant, glossare necesse est. Confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, eadem peccata qui confessi fuerint, iterum confiteri proprio sacerdoti tenentur. Stāte statuto, omnis vtriusque sexus, edito in concilio generali, Romanus pontifex non potest facere quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quē dicit esse parochialem curatum, nec Deus posset hoc facere, quia (vt dicebat) implicat contradictionem. Papa non potest dare licentiam generalem audiendi confessiones, sed nec Deus, quin confessus habenti licentiam generalem, teneantur iterum eadem peccata confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit (vt præmittitur, parochialem curatum. Confessus fratri admisso in forma dudum tenetur eadem peccata in numero iterum curato confiteri, damnatur per Ioannem papam. xxii. in statuto quod incipit, Vas electionis. Conclusiones Ioan. de piliato damnatæ per Ioan. xxii. sunt satis veræ, & à quocunque licitè possunt sufficienter teneri. Statutum Ioannis. xxii. editum. Vas electionis, est irritum & inane, quia cum illud fecit, hæreticus erat, & per consequens quicquid quod fecit dictus Ioannes siue mendicantibus siue alijs ante reuocationem inane fuit. Stante statuto omnis vtriusque sexus, nec Deus nec Papa de potentia potest facere, quin confessus fratri

A mendicanti admisso, iterum teneatur confiteri suo curato. Confessio fratribus admissis facta est dubitabilis & incerta, quæ propter homines tenentur dimittere incertum, & sic solum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœna peccati mortalis. Quamuis fratres admissi habeant autoritatem absoluendi & audiēdi confessiones, tamen populus subiectus non habet potestatem accedendi ad mendicantes admissos sine licentia proprij sacerdotis. Fratres petentes

B priuilegia pro confessionibus audiendis & sepulturis habendis, sunt in peccato mortali & Romani pontifices talia priuilegia concedentes mendicantibus, aut eisdem confitentibus confirmantes, sunt in peccato mortali & excommunicati, & non fuerunt pastores, sed fures, latrones & lupi. Sacerdos curatus dans licentiam mendicantibus audiendi confessiones, magis dispensat cum statuto ecclesiæ, omnis vtriusque sexus, quam Papa fratribus dans licentiam mendicantibus iuxta formam decretalis dudum. Quod nulla propositio

C seu constitutio infrascriptarum octo deuiat à vera & sana doctrina fidei, sed à quolibet fidei catholico proponi & recipi potest, absque eo quod poterit vel possit à quoquā zelum fidei habente & sane intelligente de errore vel scandalo, & in sana doctrina reprehendi, prout ex tenore earum apparet euidenter. Quilibet subiectus & vasallus, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui regis & superioris Domini, tollendo sibi

D & subtrahendo ab eo suam nobilissimam & altissimam dominationem, peccat tam grauiter, & committit tam horribile crimen sicut est crimen læsæ maiestatis in primo gradu. Et per consequens est dignus duplici morte & prima & secunda, quia quilibet subiectus & vasallus sic faciens est tyrannus infidelis suo regi & Domino superiori, peccatque mortaliter. Probatur autoritate B. Grego. dicentis. Tyrannus est qui in republica non iure principatur aut principari conatur. Nam sicut re-

E gnum rectus principatus dicitur, sic & tyrannia dominium peruersum nuncupatur. Licet in casu prædicto quilibet vasallus & subiectus sit dignus duplici morte & committat tam horribile crimen quod non possit nimis puniri, tamen plus puniendus est vnus miles quam vnus simplex subiectus, & in isto casu vnus baro quam vnus simplex miles, & vnus comes, quàm vnus baro, vnus dux quam vnus comes, cognatus regis quam extraneus, frater regis quam cognatus, & filius regis quam frater. In casu prædicto licitum est vnicui-

F que subiecto sine quocunque mandato aut præcepto, secundum leges, naturalem moralem & diuinam occidere, aut facere occidi illum eundem proditorem infidelem & tyrannum. Et non solum est licitum, sed honorabile & meritorium, maximè quando est tam grandis potestatis, quod rusticia non potest de eo fieri bono modo per superiorem. Et quando perseuerat in sua malitia, nec se vult corrigere nec emendare, & specialiter quando est periculum in mora. In casu supradicto magis honorabile, licitum & meritorium est, quod ille tyrannus infidelis sit occisus, aut sinax-

tur occidi per vnum de parentibus & subiectis dicti regis, quam per vnum extraneum qui non est de sanguine regali, & per vnum ducem quam per vnum comitem, per vnum comitem quã per vnum baronem, per vnum baronem quam per vnum simplicem militem, per vnum militem quam per vnum simplicem subiectum. In casu allegantiarum iuramentorum, promissionum & considerationum factarum militis ad alterum, quocũque modo sit aut esse possit, si contingat quod eas seruare vergat in præiudicium sui principis, eius spõsæ, suorum liberorum aut reipublicæ, non tenetur talis miles eas obseruare immo in tali casu eas seruare & tenere esset facere contra leges, moralem, naturalem & diuinam. Si contingat quod dictæ alleganti vergant in præiudicium animæ vitæ aut alterius permittentium & confœderatorum suæ sponsæ aut suorum infantium, ipse de nullo tenetur eas seruare. In casu prædicto licitum est vnicuique subiecto honorabile & meritorium occidere seu occidi facere supradictum tyrannum, proditorem & infidelem suo regi & superiori Domino per astutias, cautelas & insidias. Est enim licitum dissimulare & tacere suam voluntatem sic faciendi. Quilibet subiectus & vasallus qui à proposito deliberate machinatur contra salutem sui regis & superioris Domini, pro faciendo ipsum mori in languore cupiditate habendi suam coronam & dominationem, facit consecrari aut magis propriè execrari in nomine dæmonum enses, degas, pugiones aut cultellos, virgas aut annulos aureos facit dedicari in nomine dæmonum per necromanticos facientes inuocationes, characteres, sortilegia, superstitiones & maleficia. Et post facit apponi & figi per corpus mortui dissuspẽsi de patibulo, & dictos annulos facit poni in ore mortui prædicti, facit dimitti spacio plurium dierum cum grandi abominatione & horrore pro perficiendis dictis maleficijs, & vna cum hoc portat supra se in vno panniculo ligato & consuto de ossibus & pilis loci inhonesti dicti mortui dissuspensi, ille & omnes qui hoc faciunt non solum committunt crimen læsæ maiestatis humanæ in primo gradu, immo committunt crimen læsæ maiestatis diuinę etiam in primo gradu, & sunt proditores & infideles regi suo, & Deo suo creatori, & sicut idolatræ, & corruptores falsarij fidei catholicæ sunt digni duplici morte, & prima & secunda, maxime quando dicta sortilegia, superstitiones & maleficia sortiuntur suum effectum in persona regis per medium prauæ crudelitatis dictorum machinatorum, inuocatorum & necromanticorum.

SERMO EIVSDEM IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATISSIMÆ Mariæ, habitus in Concilio Constantiensis.



VSCEPIMVS Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Scriptum est. Psalmus xlvij. & in introitu missæ præsentis iocundissimæ solemnitatis celebriter decantatum. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio tẽpli tui. Adimus cum fiducia thronum gratiæ tuæ, vt misericordiam inueniamus & gratiã in auxilio opportuno. Adimus & te benedictissima virgo, quæ mater es gratiæ, mater & regina misericordiæ, quæ dudum misericordiam incarnatam suscepisti medio virginalis vteri tui, dum domus pudici pectoris templũ repente fit Dei, quam hodie præsentãte suscepimus corporaliter, & quotidie suscepimus sacramentaliter in medio templi materialis. Suscipiamus nũc hanc ipsam misericordiam spiritualiter & inuisibiliter in medio templi cordis nostri, quod est anima nostra, templum Dei sanctum est quod estis vos inquit apostolus. Fiat hoc nobis te pro nobis misericordiam exorante virgo misericordissima, quam ideo salutamus implorantes & dicẽtes: Aue gratia plena. Suscepimus Deus &c. Ecce quod apertis fidei oculis in lumine veritatis euangelicæ conspiciendum nobis offertur gratum & grande spectaculum. Offertur pulcherrima sanctissimáq, processio, dum de Bethleem, vbi natus, vbi circuncisus, vbi adoratus fuerat Iesus expectatio gentiũ, desideriũ cœlestiũ æternorũ, misericordia & salus nostra, aduenit gloriosa mater sua comitata viro suo iusto Ioseph, cui virgo virgini matrimonialiter nõ carnaliter iũcta erat, aduenit ad tẽplum sanctũ Hierusalem, distans à Hierusalem per duas circiter leucas seu quatuor miliaria parua. Baiulabat eadem decora virgo tenero lętóque complexo puerum suum Iesum, tanquam signaculum super cor suum, & quasi signum super brachium suum, dicens ex sententia: Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea cõmorabitur, talis dilectus meus ô filiæ Hierusalem, pulcher & decorus: & ipse totus desiderabilis. Aduenit & ipse Simeon senex, iustus & timoratus, & ideo beatus quia timoratus, nam beatus vir qui semper est pauidus. Aduenit eadem hora in spiritu ad templum vbi erat mulier illa fortis & annosa, quæ nõ recedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte, Anna .s. prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Conuenerunt non dubium & alij multi iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, dum aduenirct ad templum sanctum dominator Dominus quem quærebat ecclesia, & saluator ipse quem volebat, speciosus forma præ filijs hominum, desideratus cunctis gentibus, nobis natus nobis datus ex intacta virgine, quem propheta suspirabundus optabat dicens. Ostende nobis Domine misericordiã tuam, & salutare tuum da nobis, Deus meus inquit misericordia mea. Et rursus: Dic animæ meæ, salus tuà ego sum. Exulta nunc & exhilaresce tu qui perieras miserande homo, exulta satis, iocundare, iubila & gratias age, ecce nedum ostenditur, sed offertur tibi ille qui est misericordia tua & salus tua Iesus benedictus, nam quid Iesus nisi salus, cuius interpretatio est saluator. Hoc sentiens & gratè rememorans omnis ecclesia sanctorum, congratulatur & congaudet ad oblationem tanti doni, concinens & dicens: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Desiderabat itaque peccator & reus homo non sapientiam accusantem, non iustitiam condemnantem, non potentiam punientem, sed misericordiã indulgentem & saluantem. Hominem nimirum sub peccato venundatum, & per inobedientiã criminis læsæ maiestatis reum & miserũ euocabat & accusabat sapiẽtia. Adam vbi es? Genes. iij. Et non inueniebatur

1. Cor. 6.
Prouer. 28.
Psal. 44.
Psal. 84.

inueniebatur excusandi vel latendi locus, dum ait: Quis tibi nũciauit quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Hinc Iob trepidus dicebat: *Iob 9.* Si voluerit mecum in iudicio contendere: non potero respondere vnum pro mille. Et Psal. *Psal. 142.* Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non onero me libenter allegationum quotationibus, vbi nihil est ambiguum vel probandum. Porrò iustitia sic accusatum condẽnabat, ita vt nõ esset locus appellationi, quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno vitæ, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra, &c. Hoc attendens Iob dicebat: *Iob 9.* Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquẽti. Hominem sic denique accusatum per sapientiam, sic damnatum per iustitiam, flagellabat & sententiam executioni demandabat potentia, nec erat locus euasionis. Eiecit quippe Adam & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeũ gladiũ atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Hinc Psal. *Psal. 38.* A fortitudine manus tuæ ego defeci. Et Iob: Non est qui de manu tua possit eruere, &c. Non ergo petebamus sapientiam, cui respondere nesciebamus, non iustitiam, cuius damnationem euadere non poteramus, neque potentiam, cuius punitionẽ & iram ferre nemo poterat, neque in cœlo, neque in paradiso, neq; in mundo, patuit in lucifero, in Adam, in diluuio, in submersione Pentapolis, in momento. Sed misericordiã quærebamus indulgentem quã hodie suscepimus ô benignissime Deus in medio templi tui. Aduenerat prius in medio templi virginalis vteri, quo nullus in terris sanctior locus erat secundum August. dum respondit Maria: *Iob 10.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuũ, sed sibi soli & virginali sponso suo Ioseph, cui reuelatio facta fuerat tam ab Angelo quam à Maria notum erat. Apparuerat in die Natiuitatis, sed paucis scilicet pastoribus. Innotuerat in die Epiphaniæ, sed paucis regibus qui venerant ab Oriente, hodie vero sicut audiuimus, sic vidimus, dum suscepimus misericordiam tuam misericordissime Deus in medio templi tui. Gratias tibi pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quia cœlasti, sapientiã in infantuli ætate, ne accuset, iustitiam in humanitate, ne condemnet, quia pro nobis damnata est, potentiam in infirmitate ne sæuiat & crucies, quibus superatis datur triumphus gratiæ, datur & misericordiæ, vt dominetur & superexaltet iudicium, nam miserationes eius super omnia opera eius. Hac indigebamus, hanc optabamus, hãc hodie suscepimus in medio templi tui Deus, dum verificatum est illud iuuenculæ tympanistriæ sanctæ Mariæ, Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. *Luc. 1.* Hæc sunt viscera misericordiæ Dei nostri quibus visitauit nos oriens ex alto. Gratias tibi pro excellentia doni quod est misericordia, quia etiam laudabili vitæ hominum inquit August. si semota misericordia iudicetur. Gratias & pro congruentia loci, quia in medio templi quod est locus communitatis, ad quem omnes possunt accedere, & æqualitatis medium est quod attingere quisque potest. Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate, ait Gerson. Prima pars.

Psal. *Psal. 64.* Et quid aliud mysticè templum istud quam A Ecclesia sanctorum, quam conciliũ iustorum & congregatio, vbi sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, &c. Decantet nũc igitur hæc Ecclesia sanctorum, hoc cõcilium iustorũ, hæc congregatio taliũ, de quibus dicit Apostolus. *Eph. 2.* Iã non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorũ & domestici Dei, superædificati super fundamento Apostolorum & Prophetarum ipso sũmo angulari lapide Christo Iesu. Sequitur: In quo omnis ædificatio constructæ crescit in tẽplum sanctum in Domino. B Decantet & exultet in iubilo cordis sui dicens: Suscepimus Deus misericordiã tuam in medio tẽpli tui, & ita planè suscepimus, vt impletũ sit quod propheta prædixerat: *Psal. 118.* Misericordia Domini plena est terra, & iterũ: Cõfirmata est super nos misericordia eius, cũ reliquis in hanc sententiam. *Psal. 116.* Dũ hæc in ipsa meditatione mea quæ nunc loquenda fuerant, prius ipse mecũ reuoluerem, pergebam sic erũpere in vocem iocũditatis & laudis, in verba consolationis, lætitiæ ac ædificationis spiritualis, iuxta sensum anagogicũ præassumpti thematis nostri. C Studebam exprimere qualem in templo cordis nostri processionẽ agere, nos hodie cõuenit, in qua mysticè fuit Maria & Ioseph, Simeon & Anna, figurãtes quatuor virtutes Cardinales. In qua sint præterea lucernæ ardentes in manibus, per exemplũ conuersationis luminosæ & honestæ in fide, spe & charitate, quas figurat triplex ignis proprietas, fulgor. s. vigor & ardor, fides fulget in vi rationali, spes roborat in irascibili charitas ardet in concupiscibili, quo ad D tria appropriata Patris & Filij & Spiritus-sancti. In patre vigorem, in filio fulgorem, in Spiritu-sancto ardorem concipimus. Decet rursus offerre par turturum mutuæ dilectionis in omni castitate, & duos pullos columbarum in sancta fœcunditate bonarum operationum. Adornetur templum cordis nostri flosculis piorum desideriorũ, & herbulis virentibus sanctarum meditationum conspergatur. Suscipiamus benedictum puerum, Iesum inter vlnas castissimæ deuotionis, cõfiteamur ei cũ Anna prophetissa leuãtes sursum corda, E & cum iusto Simeone depromamus quisque hoc canticum, Nunc dimittis seruũ tuũ Domine secũdum verbum tuum in pace, &c. *Luc. 2.* Ita pergebam metabundus dictare mecũ quę dicerem vobiscũ, tum ecce studiositas speculatrix astitisse visa est, tũ satis à puero familiaris huic Annæ protinus cognita est, hæc plurimas inculcare quæstiunculas & efflagitare responsiones cœpit & vbi me attentum videt. Dic inquit si Maria legi purificationis erat obnoxia, quia si sic, peccauerat, si non, fingere F videbatur & opere mentiri, simulans quod non erat. Et cur non hoc tempore mulieres eidẽ purificationis legi subditæ sunt? Dic si puer Iesus verè factus est sub lege, sicut dicit Apostolus, quia constat secundum Dominos iuristas quod princeps solutus est legibus. Dic cur Simeon dixit de puero Iesu, quod hic positus erat in ruinam & signum, cui contradicetur? qualiter in ruinam positus erat qui venerat ad salutẽ, quo pacto positus est in scandalum quia væ per quem scandalũ venit? Dic cur iterum dixit ad Mariam, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, &c. *Luc. 2.*

Q

Dic si ex verbo hoc Maria præcognouit acerbissimam filij passionem? quod si sic, nonne consequens fuit vt acerbissimo dolorum gladio iam ex tunc foderetur, quæ tamen eum læta cernebat, gestabat, offerebatque qui se prius obtulerat Deo patri in medio virginalis vteri mox ab instanti cōceptionis suæ benedictæ. Dic cur non fit festiuitas apud Latinos de ipso Ioseph virginali viro Mariæ nutritio & gerulo pueri Iesu fidelissimo cui testimonium dat Euangelica veritas, quod iustus erat quod ei Iesus ipse qui est Deus benedictus (mira rex) subditus erat, & ita de plurimis eius excellentijs & virtutibus egregijs, quemadmodum ætate nostra nonnulli conscripserunt. Si gratitudo rependenda est Deo pro coniunctione Ecclesiæ cum nouo & vnico summo pontifice sponso suo, quæ retributio conuenientior, quam vt de virginali coniugio Ioseph & Mariæ fiat insignis aliqua celebritas in Ecclesia. Dic vnde nos primitus inoleuit, quod ardentes hodie feruntur cerei & candelæ: & si sit hoc fauore ritibus gentilium Proserpinam quasi perditam cū facibus quærentium? Dic cur Maria quæ nuper ditata fuerat ex donis magorum, non obtulit agnum quæ diuitum erat oblatio? Dic qua arte, quibus indicijs cognoscere poterat, quod Anna propheticū habebat spiritum, vbi grandis est de prophetijs sermo, & ad interpretādum difficilis? Dic cur Iesus dicitur nedum misericors, sed ipsa misericordia, cum tamen plurimos deserat in tanta miseria, ita vt plangendum potius esse videatur & dicendū: Suscepimus Deus miseriam & non misericordiā, &c. Dic qualiter stat cum libertate vel meritis id quod de misericordia dicit Apostolus, quod non

Rom. 12. ex operibus dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et iterū: Non est volentis neque cur-

Ibidem. rentis, sed Dei miserentis: Nā si sola misericordia saluat, quid agit arbitrium quid proficit conatus eius ad meritum, cui vult miseretur, & quē vult indurat? Dic cur apud Athenienses templum misericordiæ carebat simulacro, nulliq; inclusa metallo forma Dei, inquit Statius, mentes habitare & pectora gaudet, loquitur de misericordia. Multiplicare magis ac magis videbatur studiositas speculatrix huiusmodi quæstiones, vt de fructibus & vtilitatibus misericordiæ quibus modis conqueritur, quibus etiam ritibus animam purificat verbigenam? qualiter ad eius curiam appellatur à curia iustitiæ, quid in templo cordis est altare, quid atrium, quid sancta Sanctorum, quid cimiterium, & ita de reliquis etiam vsque ad curiositatem vel garrulæ loquacitatis vitium cui dū morem gerere respondendo pararet animus, accommodè satis ad præsentis celebritatis mysteriū (horresco referens) lamentabilis de repente vox insonuit ex ore prophetico clamans & conquerens. Corruit in platea veritas. Obstupui visu subito, gelidúsque pererrat ossa tremor. Nam ô luctuosissimum, ô lugubre spectaculum, videre veritatē quem præualet, quæ super omnia vincit, prostratam positámque in ruinam & in signum cui contradicitur. Hanc subleuare misericordia soror sua nitebatur. Ita enim misericordia & veritas obuiauerunt sibi, sed obsistebat & reclamabat triplex error velatus cortice iurium positiuorum nō rectè intellectorum ad regulam diuini iuris & Catholicæ veritatis. Error primus abijciebat prælatos & ordinarios ne subleuarent misericorditer veritatem. Hoc inquit ad vestrum nequaquā officium pertinet, maiores enim causæ sunt ad solam Apostolicam sedē referendæ, allegabat glossa cum concordantijs decreti. Proclamabat error alter, quod non poterat subleuari misericorditer veritas, nisi prius vel simul euocaretur & assisteret aliquis qui prostrauerat veritatem. Subiungebat tertius error non esse curandum apud iudices fidei, si veritas mores respiciens corruisset in plateis, errant enim talia ab eis quæ fidem respiciunt aliena. Submurmurabat quartus inter hæc humanus timor, cauete à scandalis si subleuaueritis veritatem, cauete ne causam & factū verum (ex quo tamē ius oritur) ponatis in mediū alioquin mors *Psal. 140.* imminet credite mors. At verò misericordia vt erat tota visceribus affluens pietatis, & zelans super veritate & animarum salute, quā optabat propheta di. Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me. Hoc inquam iussit & obtestata est, quatenus aduersus triplicem hunc errorem pestē improbā cæteris prætermissis insurgerem, neque enim aliud opus esse sibi misericordia gratius vel acceptius affirmabat quā ad extirpationem errorum & emendationem errantium opportunè & importunè vigilanter intendere. Exemplificabat de martyribus, quos ego inquit misericordia taliter affecerā, quod tanto succenderam veritatis zelo, quod persecutores suos tortores, tyrannos & interfectores non desinebant ab erroribus tetris auertere conari, quatenus ad eos veritas luminosa veniret, sic Petrus & Paulus Neronem, sic Ioānes Herodem, & ita de reliquis misericordissimè dilexerunt, quos tamen apertè culpauerunt, nō sinere enim peccatores ex sententia agere, magnæ misericordiæ indicium est. Vide oro quoniam crudelior altera non est impietas, quam dum laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, dū iustificatur impius pro muneribus, dū euenit illa prophetæ crudelis lamētatio. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Et heu iam inquit, misericordia, nedū iam nō aperitur iniquitas per prophetas, prælatos. s. doctores & confessores, sed iustificatur, sed attollitur & defenditur etiam in medio templi, in præsentia sacrosancti huius concilij. Longus essem si cūcta prosequerer misericordię verba plena gemitus, plena suspirijs, plena singultibus, lachrymis atque plangoribus. Ego verò reuerendissimi patres & viri celeberrimi, insignes, egregij, sapientes & doctissimi quid dicerem? quid responderem sic pulsatus, sic obtestatus in ipso meditationis meæ secretò per misericordiam condolentem veritati, quæ tam infœliciter & fœdè corruerat in plateis. Enitebar obsequi misericordiæ prout æquū erat, sed de proficiendo vix vlla supererat spes mihi, dum omnia circumquaque reuoluerem, illud pręcipuè quod omnino apud multos verbum de fide & veritate versum est in fabulam, in canticum & nauseam, obtigitq; illud Apostoli de nouissimis tēporibus. Sanam inquit doctrinam non sustinebūt, sed coaceruabūt sibi magistros pruriētes auribus, & à veritate quidē auditum auertent, ad fabulas autem cōuertentur. Item illud Senecæ.

Deest

Deest remedij locus, dum quæ fuerant vitia, mores fiunt. Et non minus dum error veritas reputatur. Quid nobis inquiunt de hæresibus vel erroribus, ecce nos Catholici sumus? Quid eadem iugiter nobis cantilena repetitur? satis est si credimus vt parentes nostri simplices & idiotæ, quid expedit perscrutari profundius? Hæc dicuntur, & in his aliqui etiam magni gloriantur. Inter hæc vrgebat misericordia, dicens: Væ tibi si non Euangelizaueris. Necessitas enim incumbit tibi, necessitas ex professione & talento commisso, necessitas ex legatione, necessitas ex iuramento & fidelitate, necessitas ex veritatis periclitatione & Ecclesiastici ordinis perturbatione, necessitas ex aperta & præcipiti peruersione iustitiæ, necessitas ex allisione Cathedræ vbi veritas sedet, quæ Cathedra est præclarissima Vniuersitas Parisiensis mater studiorum. Væ mihi quia tacui, aut quia non celerius, potentius, crebrius & constantius memet istis erroribus opposuit. Fuerit scio placentior altera multis materia, sed nulla fortassis vtilior vel ad tempus vrgentior, vnde si quæretem solum hominibus placere, si captare famam popularem, si prædicare memetipsum ambularem nunc forte in magnis & mirabilibus super me versans & reuersans fines propositos. Sed oportet imitatorem esse illius qui ait: Ego Deus docens te vtilia, non dicit subtilia. Dicamus igitur cum bona venia, qualiter spectat ad vos patres reuerendissimos Dominos Prælatos super erroribus cognoscere, qualiter errores damnare possitis aliquando non damnatis errantibus qualiter denique teneatur vnusquisque vestrum scire præcepta decalogi & assertiones eius oppositas iudicio fidei reprobare, tandem non oportere trepidare timore, vbi non est timor. Attentissimus obsecro per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, & Pastoralem vestram dignitatem, quoniam vestra res agitur, spectans ad illam quã hodie suscepimus misericordiam in medio temtempli Dei. Extulimus alijs sermonibus authoritatem sacri concilij, & errorem perniciosissimũ reprobauimus quo schisma fouebatur. Nunc efferre studeamus ordinare Prælationis Hierarchicam potestatem, & assignemus aliqua Dominis Prælatis pro veritatis misericordi subleuatione fulcimenta. Et de quatuor ad præsens sufficiet. Ad reuerendos & Deo amabiles Episcopos spectat ex officio pastorali & statu Hierarchico qui fundatus est in iure diuino, cui nullum ius canonicum ritè intellectum contradicit, quod ipsi possunt in suis Diocœsibus errores in fide & moribus palam erroneos & scandalosos iudicialiter condemnare & hæreticare, hoc est hæreticales decernere & anathematizare, authoritate tamen subordinata ad sedem Apostolicam, & particulari circa solam plebem suam. Ad reuerendos & Deo amabiles Episcopos spectat, quod possint errores quandoque damnare, non enodatis prius iudicialiter quibuslibet errantibus. Ad reuerendos & Deo amabiles episcopos spectat ex obligatione suscepti pastoralis officij cognoscere, quod præcepta moralia decalogi cum hoc quod sunt de iure naturali, canonico & ciuili. Sunt nihilominus de iure diuino & de fide propriè dicta, pro quanto data sunt in scriptura sacra per diuinam reuelationem, & ordinãtur ad vitam æternam per operationem eorum ex fide, spe & charitate, & ita sunt assertiones ipsis præceptis oppositæ, iudicio fidei per eos reprobandæ, &c. Ad reuerendos & Deo amabiles Episcopos spectat ex debito pastoralis officij habere præparationẽ animi ad defensionẽ veritatis Catholicæ, etiam vsq; ad mortem, spectat etiam cognoscere cum Grego. quod vtilius scandalum nasci permittitur quam veritas deseratur. Postulemus tandem, &c. Tantumdem de hac oratione repertum fuit Lugduni in monasterio Cælestinorum de manu ipsius Domini Ioãnis de Gerson conscriptum.

Psal. 4? — Esa. 48.

SERMO FACTVS IN LOCO SESSIONIS CONCILII GENERALIS

Constantiensis post nonum recessum Papæ Ioannis 23. eosdem concilio. Anno Domini 1415. Vigilia Dominica Ramis palmarum.

AMBVLATE dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Iubet hoc Christus patres orthodoxi, patres nõ in tabulis æreis vt olim apud Romanos sed in libro vitæ conscripti. Iubet inquam Christus originaliter. Ioan. 12. & recitatiuè in Euangelio Sabbati præsentis. Vos obedientes audite ambulate non passibus corporis, sed gressibus mentis, ambulate de virtute in virtutem dum lucem habetis, & qualem lucem, Respondeat lux vera cuius hoc est verbum. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Ioan. 8. Adsis inuocatus Domine Iesu præclarissimè sol iustitiæ, disijce terræ nebulas & pondera molis, atque tuo splendore mica absq; te enim præcipiti mersa profundo mens habet, & propria luce relicta tendit in externas ire tenebras. Hoc ne fiat tu mediatrix, tu aduocata & exoratrix nostra suppliciter adeũda es virgo gloriosissima, quæ tui nominis interpretatione tam illuminata quam illuminatrix diceris. Et quo lumine? prorsus lumine gratiæ, quo sic illuminata es vt dicaris in Apoca. mulier amicta sole. Apoc. 12. Hoc tu nobis lumen vt infundas de plenitudine tua, suppliciter imploramus salutantes & dicentes: Aue, &c. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Lux ista est iã dixi & repeto lux ista est patres celeberrimi, Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, dicente Psalm. Magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt, Psal. 95. cuius hanc tenemus infallibilem promissionẽ Matt. 18. Vbi duo vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorũ sum. Psal. 110. Sicut vidit Psal. dum cecinit: In cõsilio iustorũ & in congregatione, magna opera Domini. Et magna planè, immo ingentia iam vidimus in hoc consilio iustorum Dei opera spontanea & vix speratam cessionis viam. Porrò cũ propter semetipsum, & vt glorificetur fecerit omnia Deus, quo pacto credendus est præclariori celebritate gloriari quam in consilio iustorum, quæ vera laus est in Ecclesia sanctorum. Tales vos esse cõuenit orthodoxi & Deo amabiles patres ac Dñi, vt cõsiliũ sitis sanctorũ & iustorũ, quos posuit Deus in mundo quasi vera totidem luminaria. Vos inquit estis lux mundi. Matth. 5. Si quidem in hoc constituti

estis alios purgare illuminare atque perficere, nūc maximè cum factus Conuentus iste sacro-sanctus, A dum adunatus est cœtus, cum congregata est Ecclesia, vt de Machabæis scribitur, quatenus orarēt & peterent misericordiam à Deo, & vt opitulante eo decerneretur quid facto opus esset. Exultat animus profectò leuans in circumitu oculos, & videns omnes istos qui congregati sunt tibi, hoc est ad vtilitatem tuam ô popule Christiane, congaudet admirans spiritus meus, & in hanc erumpit Ecclesiastici cantus vocem. Ciues Apostolorum & domestici Dei aduenerunt hodie portantes facem & illuminantes patriam, dare pacem B gentibus & liberare populum Domini. Qualiter liberare? exhortando clamandoq;. Ambulate dū lucē habetis, vt non tenebræ vos comprehendāt. Cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum, ipse tenebræ diuisionū schismatumque tenebrę tot errorum & hæresum, tenebræ demum horridæ tot vitiorum per Ecclesiasticum corpus, vasto quodam turbine miserabiliter exundantium. Ambulate igitur dum lucem habetis, vt non hæ vos tenebræ comprehendant. Lucem itaque habetis C patres luminosissimi Christum, qui verè est in loco isto, vel Emanuel qui interpretatur nobiscum Deus, cuius est hæc certissima promissio. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Deus iste est qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt. Et bene in circumitu tuo Domine res omnes esse dicuntur, quoniam tu velut sphera intelligibilis cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam, tu D vbique es extra non exclusus, intra non conclusus supra non elatus, infra non prostratus, ideo magnus valde, terribilis, gloriosus & superexaltatus in sæcula. Ecce patres orthodoxi quod ad hoc ipsum vt glorificetur Deus & illustretur Ecclesia nunc celeberrima Parisiensis Vniuersitas cultrix & amatrix eorum omnium, quæ Christianæ religionis pietatem, quæ sanam doctrinam respiciūt, ipsa ad exemplar Christianissimi regis Francorum patris sui dignantissimi legationem mittit, quærēs E primò ea quæ pacis sunt, denique secundò quæ fidei sunt, denique tertiò quæ virtutis & Ecclesiasticæ sunt libertatis, quoniam ad hæc tria principaliter Synodus hæc sacra tendit. Iussit hesterno vesperi per ambasiatores & nuncios suos hic præsentes quatenus hoc matutino tempore essem habiturus orationem nomine suo pro veritatis elucidationem circa ea quæ per hoc sacrum concilium agenda videntur occurrere. Nullus opinor mirabitur si ad hanc iussionem ego fragilitatis meæ conscius & temporis arctatione pressus expaui. Nihilominus in Deo cuius glorificatio quęritur visus, & de studio præterito super hac veritatis inquisitione memor regis præterea & Ecclesiæ regni sui voluntate per instructiones cognita. Iussioni denique matris inclytissimæ, cuius legem dimittere nequeo, monitus à sapiente, ego tanquam obedientiæ filius parere desiderans, conatus sum aggredi cum humili dicendorū omnium ad hoc sanctorum concilium submissione, vt iure suo dirigat omnia vel acceptet vel corrigat. Et in primis quatenus habeatur ordo dicendorum lucidus & breuis, quia vel est quod texitur ordine longum, conuertamus interim dilato themate oculos nostræ considerationis ad hoc quod dictum est Deum esse qui glorificatur in concilio sanctorum, qui magnus est & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Defigamus in hoc psalmistæ verbo mentis intuitum ne per multa vagemur, fallor si non ibi videbimus huius sacro-sanctæ Synodi causam quadruplicem efficientem scilicet formalem, finalem & materialem, &c. Vult aliquis cognoscere causam efficientem planè illa est. Deus magnus & terribilis, cuius instinctu miseratione, afflatu & attractu collecta est nunc Ecclesia, sicut eleuatus spiritu præcecinit prius. Deum esse qui dispersiones Israëlis congregabit, qui congregat electos suos à quatuor ventis, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari, tantummodo qui cœpit orandus est vt ipse perficiat. Leua in circuitu tuo ô sacer cœtus oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt venerunt tibi. Quidni contingat tibi quod idem propheta loquitur Esaias. Tunc videbis & afflues & mirabitur ac dilabitur cor tuum, & si dilatetur, nunquid non implebit illud spiritu suo Deus? Porrò causa formalis est hæc ipsa collectio seu connexio concilij sanctorum, vel Spiritu sancto formante & exemplante, qui est nexus & vinculum compaginans in vnū diuersa membra sanctorum, sic agnoscit Ecclesia petens pro seipsa vt Spiritu sancto cōgregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Quærit aliquis præterea finalem huius sacri Conuentus causam, sanè illa est vt glorificetur magnus & terribilis, iuxta vocem Apostoli dicentis. Omnia in gloriam Dei facile. Hęc itaque recta hæc efficax semita ad omnium quæ voluerimus adeptionem, si primo quæsierimus gloriam suam, dedit hoc intelligi dum ait: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Omnes postremò qui in circuitu Dei sunt accipiunt veluti pro causa materiali & de se informi. Nam sicut hominibus per schismata peccantibus consequens est vniuersa sub Deo quodammodo deformari, quoniam homo finis est omnium dicentibus Platone & Aristotele, necesse est autem secundum exigentiam finis omnia moderari, sic ex aduerso veniunt omnia per hoc sanctorum concilium Domino efficiente, formante & finiente reformanda. Ita enim de precioso sanguine Christi canit Ecclesia. Terra, pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine. Quocirca videre fas est deinceps quo titulo relucet in causa efficiente, ac residet infrustrabilis authoritas quæ causa est Deus magnus & terribilis, ex quo omnia in mensura. Relucet in causa formali exemplaris vnitas, vt sint omnes vnum sicut estis nunc in concilio sanctorum, & hoc in Deo per quem omnia in numero. Relucet in causa finali spiritualis vtilitas, quia vt glorificetur Deus in quo omnia in pondere. Demum cōcluditur in causa materiali generalis vniendorum reformandorumque vniuersitas, omnium scilicet quæ in circuitu Dei sunt, quatenus omnia reformentur in numero, pondere & mensura, concedente Deo. Ex quo omnia, hinc modus, vnitas & mensura. Per quem omnia, hinc species, veritas & numerus. In quo omnia, hinc ordo, bonitas & pondus, quo ponde-

ponderere refluũt omnia in causam quæ dedit esse. Cæterum prima triplicitas appropriatur patri, secunda filio, tertia Spiritui sancto, bene habet, iacta sunt fundamenta soliditate quadrangula, superædificare possumus tetras Pythagoricum, hoc est quadruplicem constructionum parietem vel structuram, & dicere pro prima constructione. Deus magnus & terribilis si glorificatur in hoc concilio sanctorum, quod eidem sufficientem præbet & infallibilem authoritatem vt causa efficiens, quoad primum fundamentum. Rursus pro secunda constructione. Deus magnus & terribilis trahit & allicit omnes in cõmuni Christianos ad vnius veri capitis vnitatem, tanquam causa formans & exemplans, quoad secundum fundamentum primum in reformatione. Amplius pro tertia constructione. Deus magnus & terribilis sic glorificari vult in hoc concilio sanctorum, quod omnia præcipuè fiant ad honorẽ & conseruationem suæ legis ac fidei, sine qua ei placere nemo potest, quoad tertium fundamentum, secundũ in reformatione. Demum pro quarta conclusione. Deus magnus & terribilis paratus est rebus omnibus maximè hominibus concedere per hoc concilium sanctorum quandam reformationem, pulchritudinis, glorificationem, ordinem & decorẽ cum prouisionibus idoneis aduersus eos qui non in rectitudine morum, sed in circumitu pergunt vitiorum, & hoc pro quarta constructione super vltimũ fundamentum, quod est tertium in reformatione. Poterat hic ordo teneri sub his terminis, sed aliam progredi viam suaserũt verba thematis, quæ in metaphora lucis fundata sunt. Reuertamur igitur & ponamus lucem diuini præcepti, *Psal. 18.* quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Lucernam insuper dicẽ legis sicut Petrus loquitur vt iubente Deo posita super candelabrum, luceat omnibus qui in domo sunt, quæ domus est Ecclesia, vel hoc sacrum concilium vice sua. Diffundat & spargat consequenter lux ipsa veritas Euangelicas 12. considerationes quasi totidem effulgentissimos radios veritatum particulariũ splẽdidos & choruscantes. Ponamus in primis immo, iam positam digito sicutaiunt, demonstremus lucem Apostoli Symboli quo dicitur. Credo in Spiritum sanctum & viuificantem, quid viuificantẽ? Certam vnã sanctam Catholicam Apostolicã Ecclesiã, vnam, propter colligationẽ & ad vnum caput primariũ Christum & Vicariũ summum pontificem, sanctã, propter sanctorum cõmunionem & remissionẽ peccatorũ, vt infra subditur. Catholicam, hoc est vniuersalẽ quoniã ab eius obligatione nullus viator immunis est Apostolicã, quoniã in Apostolorũ & prophetarũ per quos Spiritussãctus locutus est, doctrinis fundata est, & similiũ filiorũ successione duratura. Certus sum ꝙ nullus qui vel haberi vel dici vult Christianos, caligare se dicit ad hanc lucem. Super addamus lucem alterã Apostoli verbi conformẽ huic luci. Solliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis, vnũ corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominꝰ, vna fides, vnũ baptisma, vnus Deus & pater omniũ, qui super omnes, per omnia & in omnibus nobis. Sequitur, & ipse dedit quosdã quidẽ Apostolos, quosdam aut prophetas, alios vero Euangelistas, alios autẽ pastores & doctores ad consummationẽ sanctorũ in opus A ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitate fidei agnitionis filij Dei, in virũ perfectũ in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sequitur veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexũ per omnem iuncturam subministrationis secũdum operationẽ in mẽsuram vniuscuiusque mẽbri augmentũ corporis facit in ædificationem sui in charitate, hæc Apostolus ad Eph. 4. B Et in hãc sententiã multa ad Col. 1. & 2. & 1. Cor. 12. & ad Roma. 12. posita sunt. Hæc autem cõparatio veri corporis ad mysticũ, multũ luminis affert inquisitoribus veritatis nedum apud phylosophos sicut Aristotelem & Plutarchum, sed apud theologos Paulum præcipuè. Diffunduntur verò sicut præmisimus. 12. considerationes ex hoc Symboli & Apostoli doctrinali luce quasi totidem radij veritatis splendidissimi. Ecclesiastica vnitas ad vnũ caput Christum fit, & agglutinatur per amorosum Spiritus sancti vinculum median- C tibus diuinis charismatibus, tanquam qualitatiuis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam viuificam & decentem ad opera vitæ spiritualiter sufficienter exercenda. Ecclesiastica vnitas ad vnum caput secundariũ, quod dicitur summus pontifex Christi Vicarius fœcundior est, multiplicior copiosior & maior, quam fuerit congregatio Synagogæ, & quam sit congregatio ciuilis sub vno rectore rege vel imperatore. Ecclesia habet potestatem seu facultatem ex viuifico germine sibi in- D sito per Spiritum sanctum, quod seipsam potest continuare in integritate & vnitate membrorum suorum, tam essentialium seu formalium, quam materialium atque fluentium. Ecclesia habet spõsum indefectibilem Christum, sic quod lege stante, nec Christus potest ipsi sponsæ suæ Ecclesiæ dare libellum repudij, nec è conuerso. Ecclesia non ita ligatur matrimoniali vinculo ad Vicarium indefectibilẽ spõsi sui, quin mutuo se possint absoluere & dare libellũ repudij. Ecclesia vel generale E concilium eã repræsentans est regula à Spiritu sancto directa, tradita à Christo, vt quilibet cuiuscũque status etiam Papalis existat, eam audire ac eidem obedire teneatur, alioquin habendus est vt ethnicus & publicanus. Patet ex immutabili lege diuina Matth. 18. promulgata. Concilium generale sic describi potest. Concilium generale est aggregatio legitima authoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ nulla fideli persona quæ audiri requi- F rat exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimẽ eiusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt. Ecclesia vel generale concilium, dum dictat aliqua regimen Ecclesiæ concernentia, Papa non sic est supra iura etiam positiua, quod possit pro libito dissoluere talia dictata per Ecclesiã eo modò & intẽtione quibꝰ dictata conclusaq; sunt. Ecclesia vel generale conciliũ quãuis nõ possit tollere plenitudinẽ potestatis Papalis à Christo super naturaliter & misericorditer collatę, potest tamẽ vsum eius limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationẽ Ecclesiæ, propter quam Papalis authoritas & alterius hominis

collata est. Et in hoc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum. Ecclesia vel generale concilium potuit & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ etiam ritè electi, & viuentis in multis casibus. Vnus inter cæteros est quia accusatus & euocatus sit vt audiat Ecclesiam iuxta Euãgelicam allegatam, cui legi subiectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam conuocare. Alius casus vbi materiæ grandes concernentes regimen Ecclesiæ, veniũt terminandę per generale conciliũ, & Papa renuit cõtumaciter illud euocare. Alius si etiã dictatũ sit per generale conciliũ, quod debeat tali vel tali tẽpore conuocari. Alter casus est, vbi probabilis est dubitatio super contendentia plurium de Papatu. Ecclesia seu generale conciliũ si viam aliquã concluserit seu dictauerit acceptandam esse à Papa pro terminatione schismatis, ipse tenetur illam acceptare, & ita secundum præparationem animi tenetur ad cessionem & dum vltro offert eã & præuenit, ipse redditur multipliciter commendãdus. Ecclesia seu generale concilium præcipuè debet intendere cum prosecutione vnius perfectæ ad extirpationem errorum, & emendationem errantium sine personarum acceptione. Similiter ad hoc quod Hierarchicus ordo Ecclesiasticus prælatorum & curatorum multipliciter turbatus reformetur ad similitudinem diuinæ cœlestis Hierarchiæ, & conformiter ad regulas primitus institutas. Ecclesia non habet efficacius medium ad generalem sui ipsius reformationem, quam si statuatur generalem conciliorum continuatio, celebrationem prouincialium non omittendo. Explicit.

Et attẽdat benignus lector quod prolator huius sermonis Ioannes Cancellarius Parisiẽsis pressus nimia temporis angustia, probationes dictatas nõ apposuit ad has considerationes, sed prout in mentem & linguam ex recordatione præteritorum opusculorum, præsertim tempore concilij Pisani, dum absens ab eo legebat Parisijs, inserẽs materiam hanc quam in tractando quodam sub 20. considerationum numero scriptam reposuit. Cuius initium est. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, vbi prædictæ considerationes & in propositione vna coram legatis Angliæ pergentibus ad concilium Pisanum tunc Parisijs habita, prolixiori solidiorique, manifestatæ sunt argumentatione, qui tractatus & propositio prodierunt in publicum, vt habeat qui voluerit, fas est.

AMPLIVS verò iuxta legationis onus impositum per Christianissimum regem Francorum ac vniuersitatem pręclarissimam Parisiensem proposuerat idem Cancellarius post verbum de Ecclesiastica vnitate subiũgere de errorum extirpatione, sed impẽditus tunc partim amicorum suasione, partim temporis arctatione, & vt in prolixitate non inesset fastidium, silentio præterijt, quorum aliqua summatim hæc subiuncta sunt. Glorificationẽ Dei patres Apostolici patres gloriosi posuimus esse finem huius concilij sanctorũ, quatenus pleni sint cœlum & terra ô Deus magne & terribilis gloria tua, quatenus non iam ambulent in errorum circuitu impij super terram, sed

A agnoscant quoniam magna est gloria (dicente sapiente) sequi te dominum per semitas legis tuæ pacificas, quoniam pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum, & quia si creditur eidem sapienti, nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Sed væ mundo à scandalis, væ tibi mala voluntas, & ideo mala, quoniam arroganti superbia gloriam propriam quærens anteponis eam diuinæ, nolens subijci legi suæ, neque captiuare omnem intellectũ in obsequium fidei. Hinc hæreses & errores impij, hinc scandalorum turbationes horridæ, hinc ordine violato plurima fedáque confusio, hinc tandem in homini-
B bus & ex consequenti per omnia quæ propter homines fecit Deus, suboritur frequenter non gloria Dei, non pax hominibus, sed tetra quædam alteratio mortificans & abijciens viuificantem gratiæ spiritum, & cadauerosam monstrosorum defectuum, non tam formam quam deformitatem inducens. Deplorat hanc peruersissimam rerum vicissitudinem Christianissimus Frãcorum rex, cum Ecclesia tota regni sui miseretur,
C dolet, compatitur, & ab hoc sacrosancto concilio legitimas prouisiones efflagitat. Non confundatur pręcor ab expectatione sua, nolite careat pijssimis desideriorum suorum affectibus, sed & patrem sequitur sua proles, regem videlicet filia sua Parisiensis Vniuersitas, nec tamen sequitur, sed præibit humilitate salua, quandoque consilijs, nunc exhortationibus, aliquando doctrinis sciẽs quod veritas custodit regem, sciens præterea se positam Apostoli iussu vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere,
D quæ posuit Aristo. opera duo sapientis. Denique parata est tanquam posita in lucem Ecclesiæ, ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ in ipsa est fide & spe, vt in omnib⁹ & per omnia glorificetur Deus. Insurrexerunt ecce post aliqua tempora plurimæ doctrinæ peregrinæ variæ pestiferæ & damnatæ, obtenebrantes Ecclesiam per multa Christianitatis membra, per regna, per prouincias, per regiones insignes. Processum est ad expellendas huiusmodi doctrina-
E rum tetras caligines, nunc luce disputationis doctrinalis per Doctores & Vniuersitates, nunc flabello iudicialis reprobationis per Diocesanos & inquisitores hæreticæ prauitatis in Anglia, in Scotia, in Praga, in Francia. Nondum tamen vel illuminari vel emendari sufficiẽter inspeximus cæcam & stultam improbitatem assertorum sectatorúmque suorum, quin error assiduè sicut cancer serpat & alicubi palam quasi nudato ense per nationes & populos imprudenter erumpat. Pro-
F pterea necesse est per splendidissimam & inobfuscabilem huius sacri concilij lucem prouida claritate de remedijs institui, vt qui spreuerunt prælatos & doctores diuisim positos tanquam lucernas in domo Dei reuereantur eos, conspiciant & obediant, dum in vnam hanc Ecclesiæ domum collecti, dabunt authoritatis suæ robur & pondus, ibunt in splendore fulgurantis hastæ reprobationis iudicialis, qualem nemo qui Christianus videri vult, audebit contemnere. Esto contemnat, ipse tamen de contemptu suo fulgurationem cõcremationẽmque subijcit vt iustum est. Et quoniam charitas sicut incipit à se, & à suis dilectionis

exhi-

exhibitione, sic in correctionis & emendationis
procuratione priorem habere locum debet, ne A
subeat illud improperij prouerbium. Medice
cura teipsum. Et illud de Apostoli sententia. Qui
prædicas non furandum, furaris, non occidendũ,
occidis, non periurandum, deieras, & ita de reliquis.
Hinc Christianissimus rex noster suáque per
adoptionem dignatiuam charissima filia Parisiensis
vniuersitas voluerunt hactenus à regno & à
suis peruersa quorum libet errorum zizania mox
vt erumpere seu germinare sentiebantur, diligenter
opprimi resecaríque, nunc falce doctrinæ, nũc B
secari pastoralis sententiæ, ita tamen vt non simul
eradicetur & triticum. Sunt plurima rei quam loquimur
documenta, è quibus vnum quod nouitate
acritatéque præcellit censuimus in medium
deducere. Ecce patentes regis nostri literas quas
audire libeat, legi debebat hæc litera patens, cuius
initium est post intitulationem. Regia maiestas
nostra, dehinc subiungendum erat. Audiuit sacrosanctum
hoc concilium iustorum, quatenus
in Christianissimo rege nostro ferueat zelus, ad ea
quę fidei sunt absque omni personarum acceptione, C
absque respectu propriæ etiam carnis & sanguinis.
Terreat ipse Deus magnus & terribilis qui
glorificatur in concilio iustorum, qui salubriter
& potenter intonat. Ambulate dum lucem habetis,
subdit monitionis causam, ne tenebræ vos
comprehendant. Et quales oro densiores, fugibilioréſque
tenebræ quam errorum & hæresum
circa prima præceptorum moralium principia,
vt sunt. Non periurabis. Non occides.
Non insidiaberis. Terreat ipsos Ecclesiasticos D
pastores & doctores positos in lucem aliorum, si
non ad exemplar tam insigne atque perlucidum
Christianissimi regis nostri, non eos illuminet accendat
& inflammet zelus domus Dei. Vox dicentis
Clama, ne cesses, & annuncia populo meo
peccata sua. Si non vrgeat eos procedere constanti
celeritate ad effugationem errorum tenebrosorum
& ad illuminationem errantium, neque
enim potest integra salubritate fine secundo, primum
fieri, quoniam dum impune pertinacia manet
in errantibus, conualescant & sæuiant errores E
necesse est. Sed in ipsa meditatione mea videtur
occurrere animalis homo non sapiens quæ Dei
sunt, Deum non inuocans. Illic præterea trepidat
timore vbi non est timor, magnus est inquit susurratione
tremula, magnus credite & terribilis,
quem tangunt & notant errores huiusmodi princeps
est. Scimus autem quid sapiens enunciet:
Indignatio principis mors, & vir prudens placabit
eam, quid quæso si sæuiat, si seditiones concitet,
si bella moueat, si secum plurimos hos ter- F
roribus hos promissis in errorem suum trahat, ita
vt si fieri potest, moueantur etiam electi? Vide
sedulò ac iterum iterumque recogita (ait animalis
homo) ne fortassis obinde præstetur tam desyderantissimè
iam iamque in ianuis existenti paci Ecclesiæ
grandis obex vel totalis diruptio. At vero
nihil hic timendum. O strenuissimi pugiles fidei.
O potentissimi legum diuinarum defensores. Nihil
inquam tale timendum timentibus Deum, &
obedientibus iussioni qua dixit: Nolite terreri ab
eis qui corpus occidunt, animam verò occidere
non possunt, ita dico vobis, hunc timere, timeatur
Deus & non terreat. Homo time Deum
(suadet Augustinus) & minantem mundum vniuersum
ridebis. Tollatur hæc suspiciosa pigri formidatio
dicentis, leo est in via deuorandus sum,
quia profectò magna & vnica securitas est nil timere
præter Deum. Cuius hæc iussio est. Vsque
ad mortem certa pro iustitia. Et iterum. Esto fidelis
vsque ad mortem, & similia. Potueramus
rem hanc in longius deducere, pro qua interim
satis sint breues & paucul consyderationes, quasi
totidem radij moralis luminosæque veritatis.

Prouidendum est hæreticali deuiationi dæmoni per Ecclesiastica membra serpenti, non minus celeriter & efficaciter quam schismati super contendentia de papatu. Ecclesia quippe magis in fide quam in secundario capite fundata est. Prouidendum est constantius per hoc sacrum concilium ad extirpationem errorum, emendationem errantium, quanto qui errant plures sunt potentiores & maiores. Quod si quis dixerit quod bella suscitabunt, diffamat eos nimis, neque ei leuiter credi debet. Prouidendum est ad emendationem errantium per eos qui se dicunt amicos eorum vigilantiori sollicitudine quam per extraneos, cæteris paribus. Præstantes scienter impedimentum ne errantes resipiscant & corde credant ad iustitiam, & ore faciant confessionem ad salutem, habendi sunt hostes capitales errantium & salutis eorum. Præstantes scienter impedimentum ne tollantur errores, & errantes corrigantur, reddituri sunt rationem de damnis omnibus tam spiritualibus quam temporalibus, quæ obinde peruenerunt aut venient. Omissio seu dissimulatio præstantium impedimentum nedum positiuè, sed priuatiuè vel omissiuè, directè vel indirectè, per cautelas humanas ne tollantur errores, causat suspitionem de fautoria hæreticæ prauitatis, quandoque leuem, quandoque vehementem, quandoque conuincentem iuxta varietatem obligationum. Inexcusabilior & aliquando perniciosior est error in principijs legis naturalis, sicut sunt præcepta decalogi secundum planum & vsitatum intellectum verborum apud omnes vtentes ratione, quam sit error in articulis fidei qui sunt supra naturæ facultatem, & in agibilibus quam speculabilibus. Conditionalis protestatio vel confessio non sufficit ad purgationem legitimam super publicatione vel defensione vel annotatione errorum quorum oppositas veritates tenetur errans explicita fide tenere. Diffamatus publicè & notoriè super publicatione aut defensione errorum contrariorum rectæ fidei & moribus, tenetur seipsum purgare si potest coram iudice legitimo etiam nemine eum personaliter accusante, tenetur enim seruare famam propriam & ab alijs scandala præstita remouere. Pax regnorum per christianitatem vix potest efficacius & diuinius procurari, quam per legitimam extirpationem errorum & correctionem errantium. Quærere prouisionem super extirpatione errorum & correptione errantium non est impedire prosecutionis vnionem Ecclesiæ, sed est eam iuuare & accelerare multis attentis, ita vt verum sit quod oportet vnum facere & aliud non obmittere.

PROPOSITIO FACTA CORAM CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI *ex parte regis Franciæ, per eximium sacræ Theologiæ professorem dominum Cancellarium Parisiensis Anno Domini 1416. die quinta Maij. Responsiua ad quandam propositionem ex parte domini Burgundiæ per Episcopum Attrabatensem, prius videlicet secunda dicti mensis factam.*

REVERENDISSIMI patres ac domini præclarissimi, Deo insuper amabiles, egregij ac spectabiles viri doctissimi ac sapientissimi. Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis mihi loquuturo, immo nobis humilibus ambassiatoribus Christianissimi Francorum regis pro parte sua & veritatis Catholicæ defensionem loquuturis coram hoc sacrosanctorum concilio, in spiritu pacis & lenitatis congregato, in quo glorificatur Deus, exorandus est in primis ac sibi dicẽdum cum propheta. Deus iudicium tuum regi da. Accommodum satis est quod sequitur, & iustitiam tuam filio regis. Iustè quidem sic exposcimus, ritè sic exordimur, quoniam dicente eodem propheta: Honor regis iudicium diligit. Quæ ratio: Nimirum quia cõstitutus est rex à Deo iudex omnium in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, neq; enim sine causa gladium portat. Confitetur hoc ipsum pia grataque recognitione idem rex suis patentibus literis, prout infra docebimus. Sed væ mundo à scandalis, væ calumniantibus Christianissimum regem superbis, ita vt exclamare fas habeat tam apud Deum, quam apud hoc concilium Dei nutu congregatum. Feci iudiciũ & iustitiam, ne tradas me calumniantibus me. Et illud quod sequitur. Suscipe me seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Et à quibus oro calumniantibus quærit rex eripi? quales sunt istæ calumniæ? Dicemus pauca pro re tanta vt protinus ad rem veniamus, quam exponere atque defendere missi sumus nos humiles & deuoti eiusdem regis ambasiatores. Ecce calumnia dicentium etiam in hoc concilio quam auribus hic accepi. Quid quæritis? Rex vester non fecit iudicium & iustitiam super nece luctuosissima vnici fratris sui, quam dissimulauit vel indulsit. Calumniãtur ex aduerso plurimi dicentes, rex vtique iustificationem mortis illius non iustè dãnari fecit vel permisit, quam mortem nõ reprobare, sed approbare debuerat, auditis calumnias quaquauersum dextrorsũ & sinistrorsum quas quomodò dissoluemus. Attendite patres Orthodoxi, allegatũ nuper hic audistis, & in epistola dominicæ currẽtis scriptum est. Sequimini inquit vestigia eius, qui peccatũ non fecit, & hic est Christus Iesus, quem inuenimus proprias iniurias æquanimiter indulsisse, qui cum malediceretur (sicut subdit Petrus) non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Ipsum verò patris sui Dei diuinæque legis suæ contumelias acriter repulisse legimus semper, adeò quod referẽte Marco, dictum est quandoq; de eo propter feruorem defendendæ legis Dei, quoniã in furorem versus est. Notat ista Chrysost. super illud Matth. Vade retro satanas, vbi nos inculpat qui mites in iniurijs Dei sumus, acres verò & implacabiles, immo crudeles in A nostris vindicandis inuenimur. Non sic Moyses, qui mansuetissimus existens omnium qui erant in terra mira seueritate præuaricatores legis diuinæ vindicare curauit. Rex igitur Christianissimus & verè mansuetissimus atque totus amabilis, sequendo vestigia eius qui peccatum non fecit, pronus fuit ac indulgentissimus in personalibus iniurijs, sicut & fuerat ipse frater suus, quo iubente nemo vnquam vita priuatus est. Recogitat idẽ rex velut ad se dictum, quod reges Israel clementes sunt. Et B illud Salomonis: Misericordia & veritas custodiunt regem, & clemẽtia roboratur thronus eius. Quamobrem sicut tradit in his patentibus litteris, misericordia in eo superexaltauit iudicium, dum de fratribus amantissimi nece vindictam non accepit. At vero dum ad iniurias diuinæ legis ac fidei dum in adulterationem sacrilegam verbi Dei processum est, ipse nulla ratione potuit hactenus induci vt dissimulanter eas ferret, approbando iustificationem sceleratam hæreticalem & impiam huius execrandæ necis tenuit misericordiam in C primo, veritatem in altero custodiuit. Accipite patres conscripti memoriter quemadmodum collaudauit & gratias egit ipse rex huic sacro cõcilio, quod hanc assertionem. Quibus tyrannis, &c. damnauerat vt hæreticam. Quæ quidem assertio sicut referunt prædictæ literæ inuenta est ex testimonio fide digno sufficienter contineri in damnata propositione defuncti Ma. Ioan. parui, qui iustificare mortem hanc nititur horribilem. Et ecce testimonium xvj. magistrorum in Theolo- D gia in his literis quales sunt apud iudices. Lectura verò tam istarum quam aliarum literarum atque schedularum placeat vt reseruetur in finem, ne fiat interim nostra veluti cicatricosa narratio. Porrò licet habeat paruitas mea hoc loco patres celeberrimi grandem & multam aduersus calumniantes me respondendi materiam, nihilominus pudet me & pudere debet, qui sum puluis & cinis, si non ad imitationem Christi capitis nostri, si non exemplo Christianissimi regis vt præfertur, si non ad publicam huius sacri concilij iussionem, E quamquam velut è cœlo, sonantem libens accipio, si non inquam nunc agam dissimulãter circa proprias iniurias, quatenus illas Dei ac fidei morosius & eò efficacius quò patientius possim persequi. Decreui præterea non insistere circa relationem eorum quæ sunt in facto, de quibus constare poterit & potest quis vera vel falsa dixerit in prospectu tam sacri concilij. Nam conari omnia falsa refellere, & mordentes remordere contentio potius canina est, muliebris, proçax & indigna, F quam grauitas Christiana. Christus iam dixi & repeto, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, vbi satis quid sequamur admonuit legi, qui dixit: Verba iniquorum præualuerunt super nos. Sequitur fructus, & impietatibus nostris tu propitiaberis. Fructus planè salubris & vberrimus fuit (ni fallor) rex Dauid, cuius hæc verba sunt: qui cum malediceretur à Semei, dixit ad Abysai volentem eum confodere, Dimitte vt maledicat mihi, si forte reddat mihi dominus bonum pro maledictione hodierna. Porrò si quidem verbis constringam, pusillum vel magnum, neque enim glorior me perfe-

ctum esse qualem Iacobus loquitur dicens: Qui verbo non offendit, hic perfectus est vir, veniam supplex peto. Denique quali zelo vel intentione materiam hanc fidei, castissima mentis integritate tractandam prosecutus vsque modo fuerim, scis ô cordium Deus inspector, testimonium mihi perhibente conscientia, quod nihil mihi conscius sum aliud intendisse principaliter deliberato & recollecto in se animo, nisi dilectionem & emendationem hominum cum odio & extirpatione vitiorum & errorum, etiam vsque ad certa discrimina corporis & vitæ. Hoc odium habebat qui
Psal.138. dixit: Perfecto odio oderam illos. Glo. perfectum odium est diligere naturam vel personam, culpam odisse. Sed quid sequitur? Inimici facti sunt mihi propterea si tale mihi contigerit, admirari non debeo. Vetus enim & tritum vulgo prouerbium
1.Cor.4. est: Veritas odium parit, quod & si nihil mihi conscius sum, nihilominus proclamo tremens & pauidus cum Apostolo, quod non in hoc iustificatus sum. Nam qui me iudicat, dominus est, dominus ille magnus & terribilis, ante cuius tribunal stabimus omnes. Illic apertè videbitur quo quis zelo, qua synceritate & simplicitate fidem ac legem suam seruauerit, defenderit & pro ea certauerit. Fœlix qui nunc dicere poterit ex vero corde: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me, &c. Fœlix qui imitatus fuerit modo quo prædiximus Christum, proprias tolerando & diuinas absque vlla miseratione iniurias persequendo. Fœlix denique cui pro zelo domus Dei dici potuerit: Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat supra firmam petram. His itaque prælocutis liberatus videor ab onerosissima, inutili & fortè probrosa contentione respondendi punctualiter vel articulatim ad omnia quæ sunt in facto circa processum reuerendi patris Episcopi Parisiensis, & inquisitores hæreticæ prauitatis in toto regno Franciæ, qui processus si sit in hac ciuitate Constantiensi, postulamus atque requirimus quod ponatur in manibus concilij, constanter affirmo salua cuiuscunque reuerentia & honore, quod aliter pridie multa dicebantur, quam habeat in se verus processus, qualem autenticum speramus in breui recipere. Proinde quoad processus alios hic habitos, intendimus dum postulatos iudices habuerimus, copiam petere ac deinde procedere, & causam instruere pro parte Christianissimi regis, prout rationis ordo postulabit, & cum omnium debita celeritate, quia procrastinationes nõ quærimus, sed quod iustum est, quærimus iustè fieri, quod iustum est (inquit lex) iustè exequeris. Credite quod talis obinde fuit ad
Psal.71. Deum deprecatio præmissa: Deus iudicium tuum regi da. Verum submisimus ex persona regis eiusdem: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Illis itidem addidimus. Redime me à calumnijs hominum vt custodiam mandata tua. Supersunt itaq; plurimi secundam fouentes calumniam, vt interim de prima sileamus, cuius impugnatio litteris istis inseritur. Hæc est calumnia sicut audiuit cœtus iste sanctissimus, quod propositionem defendentem Mag. Ioan. parui, & assertiones nouem exceptas ab ipsa, rex idem Christianissimus non rectè damnari per ordinarios iudices fidei fecit, permisit vel approbauit. Quæ quidem propositio iustificare nititur mortem fratris sui, iubente domino duce Burgundiæ per alios inflictam. Qua super re conqueritur ipse rex in his patentibus litteris. Testor attamen Deum in primis, non me læto ea sed mœsto ore recitaturum quæ continent, nisi quod ita fieri defensio causæ regis, immo Catholicæ veritatis & fidei nunc impellit. Protestor igitur quod non ad iniuriam cuiuscunque, non in causam criminalem vel personalem recensebo vnam præsentium litterarum particulã, qua sic habetur ex persona regis subinde inquit: Quid iniustius iustificatione criminis? & talis criminis in quo quid laudem⁹, quid remuneremus perpendite. Nunquid auctorem laudamus, sed in eo defuit iudicialis auctoritas, & regiam nostrã spernens, inualidámque prædicans & enormiter lædens vsurpauit, tot abutens beneficijs, tot necessitudinibus quibus maiestati nostræ etiam ipso iactante tenetur obnoxius. Nunquid ministros laudabimus? Sed eorum impietate, proditione, vecordia, crudelitate, sæuitia, cupiditate, nihil execrabilius, fœdius, tetri⁹ excogitari potest. Nunquid facti modum laudabimus? Sed hic per præmeditatas diu insidias, per confœderationem plurium, per simulationes blandas, per mille amicitiarum signa fallacia ad subitum fraterni regiiq; sanguinis exitium tanquã de bestia processum est, & hoc hora tenebrarum, in tali ciuitate vbi securitas plebeis etiam & aduenis esse debuerat. Nunquid operis rationem & causas laudabimus? At nihil ibi probabile prius, nihil posterius inductum est pro testimonio, quod tali notoriè constet qualem secundum leges diuinas & ciuiles esse necesse est, vbi vilissimus etiam homo ritè vita priuatur. Qualis nempe lex non præmonitum, nõ auditum, non conuictum, morte damnauerit, sicut ait Nicodemus, sicut & à festo notatum est. Nunquid tandem facinoris huius euentum laudabimus & remuneratione dotabimus? Sed obinde florentissimum istud pridem regnum nostrum iam per septennium tot calamitatibus infandis attritum est, tantum in eo sanguinis humani fusum fuit, vt æstimationem omnem effugiat. Hic planè est verus casus patres æquissimi atque sapientissimi, hic est casus cum acuto, breuis sed validæ reprobationis, telo positus autenticè. Quo cognito quid adhuc egemus testibus, quid ambagibus verborum, quid circumitionibus friuolis euasionum frustra niti necesse est, vbi mortem hanc comitatæ sunt læsa maiestas regia, Assisinorum crudelitas impia, iuramentorum violatio, fallax & blanda, legum omnium diuinæ naturalis & humanæ præuaricatio notoria, denique regni totius infanda calamitas & fœda. Nihilominus ô mores ô tẽpora sunt etiam in hoc sacro concilio, qui tales circunstantiarum notas vel non aduertentes vel nescientes, vel dissimulantes (negari quippe nõ possunt) calumnias struere nõ cessant aduersus damnationem reprobabilissimæ iustificationis huius latam. Calumnia prima: Calumniantur aliqui primo dicentes assertiones istas assertore caruisse, nec ex consequenti veniunt iudicio fidei reprobandæ. Sed respondemus primò quod in errorum damnatione nõ oportet assertionem dari, vbi notorium est & patens scandalum ex doctrina tali. Et vtinam nec haberent

nec habuissent huiusmodi assertiones assertorem, sed habuisse processus indicat, & nunc plurimos habere in hoc sacro concilio aduersam non pudet partem gloriari. A qua factum est vt à loco hoc sancto & celebri vnde veritatis elucidatio sperabatur, inde proh dolor falsitatis tenebræ depressiores per populum Christianum respersæ sunt. Dedit occasionem decretum publicationis votorum seu deliberationum priusquam examinarentur inter magistros, & conferrentur ad inuicem causæ, rationesque dicendi. Quibus aspectis & libratis, pars aduersa nihil probabilitatis, nihil solidi fundamenti, nullum denique robur auctoritatis comperta fuisset habuisse. Et hoc perspicuè videbitur domino propitio, sed ægrè ferimus quod non citius atque prius. Secunda calumnia: Calumniantur alij secundo quod assertiones iustæ sunt infideliter & perperà præfato magistro Ioāni parui, per emulos attributæ. Monstrant hæ literæ regis contrarium, quod monstrabitur in processu, ex ipsa propositionis inspectione liquebit, quam hic examinandam & damnandam iudicialiter offerimus. Hæc illa est vel similis quam in camera sua se præsente partim pronunciauit, partim pronunciari fecit multis trāscribentibus idem Ioānes parui, quę postmodum per exemplaria multa venditioni publicæ fuit exposita. Veritas est nec negamus quod de conclusione finali propositionis istius sceleratissimæ, quę conclusio est domini ducis Burgundiæ, sicut asseruit sæpe & loquitur singulariter de ipso quòd in nullo culpari debet, dum fecit interfici ducem Aurelianensem, sumptæ sunt quinque sex, septem assertiones non prorsus dolo malo, vel ad veritatis immutationem, sed vt honor ipsius ducis Burgundiæ quantum fieri potuerat, celando nomen eius seruaretur. Quale est igitur ea quæ in obsequium facta sunt in maleficium retorquere? Porrò non secus euenit in hoc concilio dum assertiones absque asserentis nomine nunciatæ sunt, quod versum vidimus in grande præiudiciū causæ fidei & Catholicæ veritatis, quia non ita potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi. Calumnia iij. Sequitur aliorum calumnia tertia idem dicētium quod priores, sed ex alio capite. Contendunt enim magistrum Ioannem parui, veritates octo pro sua maiore posuisse quæ ab ipsis assertionibus plurimum sunt dissimiles. At verò calumnia talis non reuelat in aliquo, sed aggrauat, gladio proprio facientem iugulat. Primò quoniam prætensæ veritates istæ quædam reperiuntur in fide & moribus erroneæ, vt tertia, quarta, sexta & septima. Aliæ vel falsæ vel iniuriosæ, scandalosæ & piarum aurium offensiuæ, immo & sacrilegę si examinatio debita fiat. Fatemur proinde assertiones istas nouem non esse totaliter extractas ex prætensis octo veritatibus, quia ex conclusione principali tres vt pręmittitur sumptæ sūt, reliquas verò cum pluribus alij continent articuli quatuor hac illac sparsim inducti pro maiore cum suis probationibus. Quis præterea nescit potuisse propositiones plures & varias scriptas fuisse pro eadē conclusione iustificanda, immo & sic actum esse bis aut ter forsitā inueniretur testimonio fide digno. Fuit autem vna variationis occasio, propositio facta Parisijs in castro luparæ pro parte dominæ tunc ducissæ Aurelianensis ad impugnationem præfatæ propositionis Ioannis parui, ita

A quod non est verum, salua pace dicentis, quod illa sua propositio non fuerit ipso viuente, quomodolibet impugnata. Cur autem non damnata iudicialiter fuerit, plurima dici possent, sed amica breuitas & loquendi sobrietas non patitur. Notum est illud Ciceronis: Inter arma silent leges, qui audit, intelligat. Denique hanc cum prioribus calumniam vnum verbum dissoluit, quia nihil actum est, nihil processum iudicialiter contra personam aliquam, sed duntaxat contra quaternum

B istum & alios similis tenoris, damnando doctrinam in eis pestiferam, cū assertionibus istis nouem & alijs illic positis, quisquis auctor vel non auctor extiterit. Calumnia iiij. Sequitur aliorum calumnia quarta. Veritatem inquiunt habent assertiones istæ specialiter prima principalis, & hoc in casu diuinæ reuelationis. Sed facilis est responsio dicere, doce me de reuelatione. Nam absurdum & blasphemiæ proximū est detorquere diuinam reuelationem passim in casibus assertionis illius. Bullas è cœlis super hoc non recepimus, sed in

C opposit u scripturas de cœlis habemus autenticas. Calumnia v. Veniamus ad alteram calumniam quintam. Assertiones istæ (dicunt multi) veræ sunt in casu ineuitabilis necessitatis. Hic est principalis locus refugij partis aduersæ, delitescunt in hoc antro subdolę & oberrantes ratiocinationum vulpeculæ. Docuit hoc lectura quaternorum & allegationum fulcire conantium partem istam. In loco hoc publicæ sessionis conuincuntur, & hoc per inspectionem omnium ferè scedularum ratiocinantium pro verificatione huiusmodi asser-

D tionum. At verò creditæ partes orthoxi, defecerunt scrutantes scrutinio, & meditati sunt inania. Repetemus hic pauca pro plurimis quæ aduersus calumniam istam & allegata & scripta sunt. Sunt nimirum assertiones istæ præter octauam vniuersaliter positæ, neque ad casum ineuitabilis necessitatis coarctatæ, immo potius exclusæ, quo casu etiam ineuitabilis necessitatis negaremus eas ex forma loquendi veras esse, quod scilicet meritorium esset nedum occidere, sed occidi facere per insidias & villane sine diffamatione, &c. Omissa

E verò contentione super hoc constat vt prædiximus assertiones istas octo sumendas esse pro vniuersalibus ex quadruplici radice. Primò ex vsu communi & vulgaris acceptionis. Secundò ex forma suę locutionis. Tertiò ex modo syllogisticæ applicationis. Et quartò ex Theologicis sermonibus ac moralibus regulis, in quibus indefinita pro vniuersali solet poni, declamationes omittere fastidij timor cogit, nam in prima multiplex distri-

F butionis signum ponitur dum ait: Licitum est vnicuique subdito, &c. Sed & quarta palam est vniuersalis dicens quod quilibet tyrannus debet interfici per insidias, &c. Porrò quid dicemus de noua quæ sic habet: In casu socialitatis, iuramenti promissionis seu cōfœderationis factarum ab vno milite ad alterum quocunq; modo id fiat aut fieri possit. Si contingat quod istud vertatur in præiudicium vnius promittentium aut confœderatorum, sponsæ suæ aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas obseruare. Oro quid vniuersali' ac proinde quid absurdius, quid falsius, quid dementius dici potest. Sed non minus inepta est defensio

qua dicunt aliqui istam ideo veram esse, quia præiudicium capitur tantummodo pro præiudicio animæ, quod est peccatum mortale vel veniale. At vero forma propositionis vulpeculam hanc interimit, quoniam homo non iurat in præiudicium animæ vxoris suæ vel liberorũ. Confutatur & ex communi modo loquẽdi apud vulgus, apud iuristas & iudices. Vnde & Papias dicit præiudicium esse impedimentum in causa. Rursus æquè turpis & friuola est fuga, dicendo quod præiudicium analogicè dicitur de pręiudicio spirituali & temporali. Postremò etiam vbi præiudicium concederetur non posse dici nisi de pręiudicio animæ quod esset cõtra ius. Veruntamen homo pro conseruatione iuramenti deberet huiusmodi præiudicium non quidem facere, sed ab alio factum pati, pro conseruatione iuramenti, patet in iuramentis per metum extortis. Quanta est igitur ô salutifer Christe scandali materia aduersus hoc concilium & constituentes ipsum, bonos & graues literatissimos & peritissimos vtroque iure, quod iam per vndecim menses vel eo circa ventilari visa est hæc doctrina tam patenter hæreticalis, immo & sacrilega, tanquam de propositione dubitabili vel opinabili aut forsan vera, quæ secularibus illiteratis nedum Christianis, sed & Iudæis, paganis & barbaris debet esse notissima, prout in his patentibus literis rex perorauit. Haberet hoc loco paruitas mea iustissimã inuehẽdi causam aduersus famosos quosdam libellos innitentes super hoc casu ineuitabilis necessitatis, qui traditi sunt per primum ex iudicibus in iudicio, & protinus data copia est habere volẽtibus. In quibus quot atroces iniurię dicantur aduersus hoc concilium super condemnatione errorum aduersus Christianissimum regem Francorum, & enormiter supra modum aduersus præfulgidum illud iubar Ecclesiæ Parisiensis vniuersitatis, demum contra personas diuersæ dignitatis & gradus, recogitare nedum legere prorsus horror est. Quibus tamen addita est hæc iniuria, quod respõdendi locus negatus est vel non datus. Illic auctor inter cætera cadit in foueã quam fecit, dum damnat & irridet ignorantiam logicæ apud illum qui cõsequentiam istã facit. Contradictoria illius, licitum est vnicuique, &c. est vera, ergo ipsa falsa, per legem contradictoriarum, qua nulla melior est consequentia. Nulla verò fallacior illa quã ipse facit ex aduerso saltem implicitè, dum arguit sic: Verum est in aliquo casu possibili, vt puta ineuitabilis necessitatis, quod licet occidere tyrannũ, ergo licitum est vnicuique &c. Nam oppositum consequentis stat cum antecedente in casibus plurimis centum vel mille. Sed hęc interim modestiæ & breuitatis zelus prætereat. Calumnia vj. Veniamus ad sextam calumniam dicentium quod assertiones istę sunt satis exponibiles ad aliquem sensum verum. Respondemus negatiuè, si iuxta regulam Hilarij præallegatam, & in scedula fratrum mendicãtium positam perspicuè pro nostro proposito intelligẽtia doctorum ex causis assumatur dicendi, combinando scilicet conclusionem cum præmissis, & præmissas cum probationibus ad inuicem. Cæterum & si verum esset id quod allegatur de exponibilitate ad aliquem sensum verum, nihilominus propter casus longè plure falsissimos & notoriè scandalosos redderẽtur condem-nandæ, vt aliàs in quodam sermone & in scedulis A quæ legentur deductum est. Calumnia vij. Respondemus alteri calumniæ quæ à veritate vacua per numerositatem conatur euincere, dicens assertiones istas plures habere defensores quam oppugnatores, sunt idcirco veræ vel saltem opinabiles. O fallacissima & hæreticis atque erroribus fauens calumnia. Non insequeris (inquit lex) multitudinem ad faciendum malum, quare? quia stultorum & etiam malorum infinitus est numerus. Nihilominus si ad numerum & meritum placeat attẽ- B dere, non dubitamus multo plures atq; grauioris auctoritatis nos habere tam in hoc sacro concilio quam alibi, attento quod plures magistri præsertim seculares nondum dederunt deliberationes suas vt intelleximus, sicut illa de inclyta natione Anglicana, prout fertur, quos tamen vidimus strenuos & industrios pugiles aduersus hæreticam prauitatem absque vlla acceptione personarum, vel patriæ etiam propriæ. Attento præterea modo deliberandi, quem fecerunt fratres mendicantes de quatuor ordinibus qui sunt illi facientes hunc C numerum. Putamus enim non esse cum eis duos magistros in Theologia seculares, vel si veniant ad ternarium, totum est. Attento rursus multas esse causas extrinsecas quę mouerunt aut mouisse præsumuntur prædictos fratres ad ita deliberandum in modum cuiusdam conuenticuli, ne dicamus conspirationis qualis sit ipsorũ habitudo ad vniuersitatem Parisiensem plures norunt. Sed hoc reserare dimittentes offendiculi formidine, dicimus ad excusationem multorum, quod in for- D matione plenaria caruerunt & in iure, & in facto ex quo ius oritur. Quid igitur mirandũ si ad pauca aspicientes de facili enunciauerunt, quibus si collationi mutuæ maiorum ad inuincem & cum eis interesse datum fuisset, quemadmodum tanta & tam diuturna quanta est instantia à dominis commissarijs in causis fidei, existimare non possumus quin mutassent vota sua. Rursus attendendum est, quod materia præsens non est sic appropriata theologis, quin conueniat dominis canonistis & legistis, apud quos materia pręceptorum decalogi E propter applicationem eorum faciendam ad iudicia, particularius & exquisitius enucleata est quam apud theologos. Quales plurimi sunt qui canones, iura & leges & si speculatiuè studuerunt, ad praxim tamẽ operis iudicialis nequaquam traduxerunt. Erunt igitur tales immo & laici prudentes & boni iudicij, magistri insuper moralibus eruditi super eorum deliberatione quid sentiant consulendi. Calumnia viij. Subiungamus pro calumnia octaua eorum qui dicunt quod assertio- F nes istæ ideo quia reprobatæ ac damnatæ sunt Parisijs, & hic reprobari quæruntur, pepererunt infinita scandala, & parient etiam vsque ad totalem destructionem communitatis. Fatemur cum Christianissimo rege ac vniuersitate Parisiensi, sicut & experientia proh dolor nimis edocuit, quod assertiones istæ & propositio continens ea, dederunt infinita scandala, sed quod ex reprobatione & damnatione sua scandalum tam multiplex datum sit, vel negamus omnino, vel dicimus quod scandalizati per huiusmodi condemnationes, nedũ non habuerunt causam rationabilem scandali, sed ex hoc reddunt se ac de scandalo in fide & de bo-

nis moribus, immo & de pertinacia multipliciter ac vehementer suspectos. Videant igitur qui retorquent iniurias quæ contigerunt & calamitates ad reprobationem huius pestiferæ doctrinæ, ne dum alios inculpare satagunt, assentientes damnationi, ipsi assentientes incidant in foueam & laqueum inextricabilem non solum hæreticæ prauitatis & fautoriæ, homicidiorum, periuriorum, ac insidiarum, ac seditionum sine numero, sed in pertinacis obstinationis damnabilem, & vix egressibilem labyrinthum se detrudant, ac detrusos manifestent. Neque enim certior est errantium pertinacia, quam si ob veritatis publicationem vel damnationē erroris notorij guerras moueat quis, seditiones & bella, aut mouentibus proinde faueat atque consentiat, sed in his pro nunc insistere non est nostrum. Calumnia ix. Superadditur nona calumnia dicentium assertiones istas spectare non ad iudicium fidei, sed ad causam sanguinis, & quia concernunt præcepta decalogi, quæ idcirco ad fidem non pertinent, quia continent euidentiam in lumine naturali. Concedamus in primis quod homicidium in se consideratum spectat ad causam sanguinis criminalem. Sed homicidij iustificatio præsertim per ius diuinum atque canonicum, tanquam illud sit licitum, laudabile & meritorium, pertinet vtiq; ad iudicium & iudices fidei. Est enim longè aliud loqui de homicidio, aliud de homicidij iustificatione, sicut aliud est furtum, aliud est furti approbatio. Porrò dum addit hæc calumnia præcepta decalogi non esse de fide etiam propriè dicta, fallit & fallitur, sicut alibi perspicua & irrefragabili ratione monstratum est. Edocuit hoc tituli formatio obinde proueniens vt fertur, dum quæsitum est vtrum hæ nouem assertiones sint fidei iudicio reprobandæ, sed hoc fieri procurans incidit in foueam quam fecit. Calumnia x. Subinfertur tandē vltima pro nunc calumnia quæ me pariter cum rege quærit inuoluere, tanquam alquid execrabile commiserim. Ecce inquiunt, iste Christianissimum regem exponit discrimini turpis notæ erroris vel hæresis in causa quam non voluit nec vult assumere. Hic respondeo primò quod neque regem neque prudentissimum concilium suum totum, neque vniuersitates, neque prælatos, neque clerum sui regni ita in manu mea teneo, quod eos sufficiam vel debeam prohibere à defensione causæ fidei, neque certè volo. Ob hoc enim rex dicitur Christianissimus velut antonomaticè, quia fidem protegit & defendit. Dico secundò, quod antequam rex veniret hic in causam, assumpsi mihi causam ipsam modo quo decebat Theologum, à quo modo neque discessi, neque discedo, neque discedam Deo mihi propicio, sicut reperiri debet in actis me ita respondisse. Erat modus procedendi per denunciationem Euangelicam, contra doctrinam erroneam in fide & moribus ac multipliciter scandalosam. Dico tertiò quod dum sensi commissarios in causis fidei aliter intendere, quia citabant me vt irem Diuionem, & tutius mihi forte fuisset ire in Babylonem, quia insuper nihil intendebam procedere contra personam qualemcunque nec per strepitum & figuram iudicij interrogatus si facerem meam partem, respondi quod huiusmodi denūciationem contra personam neque

feceram neque faciebam, & retribuat Deus in bonum illis qui contra satagentes oppositum, quibus ignoscat Deus meam innocentiam & simplicitatem reuelauerunt hoc memori gratáque mente retineo. Dico quartò, quod si materia stetisset in puris terminis Theologicis tractando eam stilo Theologico qualis prædescriptus est ita quod de interesse personali cuiuscunq; personæ nequaquā fuisset actum non opus fuisset introducere regis auctoritatem. Nunc autem dum res tractata est, & tractatur per aduocatos & procuratores & notarios, & per strepitum & figuram iudicij sensit aduersa pars, credite sensimus & nos, quod diuitibus & diuitijs opus erat. Et ecce litteras instructionis missas per partem aduersam ex hoc loco in Burgundiam, quæ satis hoc indicant, sed eos propalare iussio sacri huius concilij cum propositi modestia non permittit. Hic verò iuridicus procedendi modus, qualis prædictus est, multos exterruit, ne manifestas hæreses hic dogmatizatas & notoriè prædicatas vellent vel audirent denunciare iudicibus. Quis autem sit stylus in hac fidei materia practicandi scedula, posterius legenda docebit. Concludo tandem & constanter affirmo, me firmiter credere & nullatenus dubitare quod hæc doctrina propositionis defendentis magistrum Ioannem parui, cum suis assertionibus sicut inuenta & in isto codice continetur, est erronea in fide & moribus ac multipliciter scandalosa. Quod si fuerit aliquis vel aliqui quantumcunque multiplices volentes Christianissimum regem calumniari, quod non fecerit in hac parte iudicium & iustitiam, credendo & credi mandando sicut modo dicimus, & sicut operatus est, ego nedum nomine regis Christianissimi, sed etiam proprio nomine constituo me partem defendentem ad pœnam talionis, pro me & mihi adhærere volentibus in hac parte, & coram hoc sacrosancto & vniuersali concilio, Dei nutu congregato. Dico partem defendentem, attendite quia partem accusantem contra personam aliquam neque feci, neque facere pro nunc nisi quid aliud vrgeat, disposui. Non enim mihi colluctatio est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes tenebrarum harum, &c. Faciat igitur similiter pars aduersa, ponat personam propriam in querela domini sui, immo certè consilio meo non faciat, aut si fecerit, conquiescat, absit à me vt gaudeam super iniquitate & non congaudeam veritati. Sed ecce patres Orthodoxi, Deo iure amabiles, dum inter loquendum retorqueo mentis oculos ad præassumptum thema quo diximus: Deus iudicium tuum regi da, rapior quodammodo de viuis ad mortuos dum id quod subditur intueor, & iustitiam tuam filio regis. Et animaduertite precor interim patres benignissimi, viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt. Aduertite nunc paulisper ad me auribus vestræ carnis & oculis, atque spiritualibus oculis & auribus, quid filius regis & frater istius Ludouicus inclytæ memoriæ dux olim Aurelianensis mansuetissimus & benignus elegantis formæ, perspicacissimæ sagacitatis, eloquentiæ singularis & penè incōparabilis, quid inquam nunc ipse, immo quid sanguis suus clamet ad hoc sacrum cōcilium misericordi pietate pensate, compatientes estote

ex innata

ex innata teneritudine miserationis cordialis, reuoluentes vobiscum intra misericordiæ viscera, quo clamore, quo gemitu, quo plangore quæræt modo iustitiam? Non equidem sicut æstimo tantundē pro ipsa morte naturæ, quia scit quod mortuus est quandoque moriturus, quantum pro tali mortis modo, conqueritur: quātum præterea pro crudelissimæ necis suæ iustificatione, quæ est infamiæ mors altera, mors continua, mors indigna; neque minus fugibilis quàm sit ipsa mors naturæ. Hæc si quidem infamiæ mors ciuilis, nedum viuētes interimit, sed desæuit in mortuos, non vnū vel duos interficit, sed posteritatem totam, totum genus & affines, diro lacerat ignominię telo: nos tres præcipuè filios illustres ac ingenuos superstites, quorum vnus obses alter captiuus tenetur in Anglia, non vt proditores quidem, sed vt Regis ac regni fidelissimi defensores. O si datum esset his liberis, pupillis, orphanis & captiuis astare coram reuerendissimo ac celeberrimo cœtu præsenti, si fas alloqui, plus planctibus, plus suspirijs, plus singultibus, lacrymis, & gemitibus, quā ore vel vocibus clamarent. Date patri, date nobis iustitiam. O si procumbentes eos & aduolutos vestris sanctis pedibus cernerēt hi misericordes oculi vestri, concipite quibus iaculis intimę compassionis vulnerarentur pijssima corda vestra: quia neq; verbis extra proferre, neq; intra me pro rei magnitudine cōprehendere sufficio quod cupio, perficite quod nequeo. Cæterum nunquid non obsecro sufficere debuerat patres sapientissimi atque misericordissimi, naturæ mortem immaturam taliter inflixisse patri? Tollatur ergo mors altera, quam sacrilega impietate crudeliter inferre ac reuouare non cessat, tam patri mortuo quam superstiti generosissimæ proli suæ, libellus hic verè famosissimus, vt rex scribit, verè hæreticalis, scandalosus, humani fœderis æmulus, catholice cōdemnatus, sceleratissimus, viperius, legis decalogi impugnatiuus: quin etiam misereamini pereuntium animarum, patres ac Domini misericordes (Illorum vicem multum dolendo) qui dānabiliter (ita profectò est damnabiliter) in perniciē propriæ salutis & alienæ, libellum hunc letiferum pertinaci animositate defendunt, & seruare contendunt ne pereat. Et ego nūc in spiritu lenitatis in spiritu sacri cōcilij præsentis, (qui est spiritus pacis & concordiæ, spiritus charitatis quæ benigna est, quæ nec inflatur nec irritatur) conuerto vocē meam ad vos reuerende pater ac Domine, Domine Attrebatensis, cum quo vixi olim familiariter & benigne: Ad vos similiter, magister Petre vice domini Rhemensis compatriota charissimè, quos ego diligo in veritate, dilexi & diligam Domino propitio (: Nam qui non diligit, manet in morte, optabilius autem esset perdere vitam carnis, quam in tali viuere mortem mētis (Interrogo vos nunc aliqua, respōdete precor, immo tacentibus vobis respōdebo ipse pro vobis: Nōne diligitis salutem temporalem simul & spiritualem illustrissimi principis Domini ducis Burgundiæ? diligitis scio: non diligitis securitatem inclytæ posteritatis suæ, in dominijs hæreditandis? diligitis scio: Nunquid præterea non animaduertitis vero iudicio rationis mortem de qua loquimur, prauo consilio perpetratam: qualem & qualiter nunquam pater prudentissimus recolendæ memoriæ Philippus attentasset? Puto quod sic animaduertitis, neque si affuissetis (eratis enim tunc in Italia) dedissetis tale consilium: de quali, dum aliquando viuente patre præfato fuisset aliquis sermo habitus per nonnullos, continuò cameram exiens, & medicum suum inueniens, mœstus ac turbidus clamauit: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum.* Deniq; cognitum est quod mortem hanc mox vt patefacta est & annotata; sic ipse Dominus dux præsens, exhorruit, detestatúsque est, vt diceret dominis de regio sanguine, *Diabolus inquit, mihi persuasit*: quod si mors iniusta fuit, sit iustificatio peior sit defensio iustificationis pessima, consequens est. Vincat igitur vos, non ego, sed veritas, sed ratio, sed pietas, per salutem animarum vestrarum, & per illam quam vos expauescere ac refugere conuenit, pœnam errātium, per illam denique seueritatem sententiæ, qua Christianissimus rex Francorum supremus Dominus noster communis, per litteras patentes suas (credite dicenti, his oculis vidi, his manibus palpaui eas) dānat hunc libellum, tanquam iniuriosum regię maiestatis suæ: mandátque plecti defendentes illum, pœna crimini tali debita; quæ qualis sit, non latet vos scio; & hæc cohibeat temporalis pœna, si non retrahere sufficit canonica vel æterna. Tandem ego ipse reuertor ad vos patres orthodoxij, supplicans, petens & obtestans, per desiderium illud quod habent reuerendissimæ ac Deo amabiles paternitates vestræ ad salutem animarum, ad extirpationem errorū, & correctionem errantium, si quid mouet illa Ezechielis, immo Dei per Ezechielem expauescenda horribilis tuba; quæ pereuntium in erroribus & peccatis intonat, *sanguinem à speculatore muto requiram*, tollatur per iudicialem huius sacrosancti concilij sententiā, libellus iste famosissimus, mortifer, & hęreticalis, & eradatur memoria eius à populo Christiano. Vt quid etiā membranas occupat, vt quid legentes & audientes sua contagione fœdat, inficit, conculcátque? Hoc in recessu suo quæsiuit serenissimus rex Romanorū: superest schedula patens, cui sigillum suū impressum est. Et quid Parisiensis egerit Episcopus famæ vox insonat: hoc ipsum petit, hoc suadet, hoc obtestatur Christianissimus rex Francorū; hoc præclarissima Parisiensis vniuersitas, & alij quamplurimi: hoc nos postremò humiles sui ambasiatores, supplicibus votis exoramus, quatenus in hoc adiutores sitis, dando regi iudicium, & iustitiam filio regis, sequendo vestigia Christi, qui ad hoc venit in mundum, vt oues errantes ad se reduceret. Sic itaque de prius errantibus, si non obdormiuerint, si non in errore cœpto pertinaces (quod absit) extiterint, dicetur ex sententia illud de epistola dominicæ currentis. Eratis aliquando sicut oues errantes, sed nunc conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. Ad hoc quippe tendit oratio proposita vice thematis: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Terminauimus, in hoc primam præsentis actus partem, reliquam per lecturam litterarum quarundam & scedularum, quantum audire placuerit, finietur.

Finit propositio facta à Domino cancellario Parisiensi coram concilio generali Constantiensi ex parte regis Frāciæ. Et tunc postmodum dictus cancellarius Parisiensis

ac magistri Iordanis Morini. G. pulch. nepotis, & P. de versailles, ambasiatores præfati Christianissimi Francorum regis, & eius nomine, produxerunt coram toto Concilio generali, & in manibus protonotarij Ianuensis, sub custodia Concilij tradiderunt litteras, & alia munimenta subsequentium comprehensiua instrumentorum, ab omnibus protonotarijs & notarijs, & de super dictis datis & protestatis. Primò quemdam paruum sexternum papyreum, continentem tres partes principales. In prima ponebantur sex conclusiones theologicæ contra propositionem cuiusdam Ioannis Parui, & doctrinam in eadem contentam; & incipit, Quia ex parentibus &c. *In secunda erant octo regulæ super stylo theologico tenendo, in condemnatione errorum cum certis requisitis, & incipit:* Super omnia vincit veritas. *In tertia erat breuis schedula, petitiua examinationis faciendæ, de deliberatione quatuor ordinum mendicantium, super nouem assertionibus &c. & incipit,* Attendens Christianissimus: *Cuius quaterni, magna pars fuit, tunc lecta & specialiter requesta. Item magnam litteram regis patentem, super condemnatione dictæ propositionis magistri Ioannis Parui, et incipit:* Regia maiestas nostra. *Item, quemdam magnum quaternum papyreum, signatum signis duorum notariorum, continentem propositionem magistri Ioannis Parui. Item Instrumentum aduocationis Domini cãcellarij Parisiensis, super propositione per eũ ex parte vniuersitatis Parisiẽsis alias facta corã rege Francorũ. Item schedulam papyreã, continentẽ appellationẽ à iudicibus fidei, super publicatione votorũ &c. Itẽ litterã patentem vniuersitatis Parisiensis, super approbatione sententiarum Domini Episcopi Parisiensis. Item quendam quaternum papyreum, in quo continebatur deliberatio fratrum de quatuor ordinibus mendicantium, super nouem assertionibus.*

FINIS.

SERMO EIVSDEM CORAM COMMISSARIIS FIDEI DE ERRORIBUS *contra fidem & mores, circa præceptum Non occides.*

ÆStimo me beatum apud te, O sacrosanctum Constantiense concilium. O cœtus celebris reuerendorũ patrũ, ac cæterorum dominorum in omni sapientia & doctina ac morum honestate fulgentium. Æstimo inquam me beatum apud te, cum sim me defensurus hodie, maximè te sciente omnia, nedum quæ apud Iudæos, sed Christianos sunt consuetudines & quæstiones, propter quod obsecro vt patienter me audias. Vtitur verbis illis beatissimus Lucas, cuius hodie natalis instat celebritas, qui comes indiuiduus fuit egregij doctoris Pauli: Lucas inquit est mecum solus; & alibi, salutat vos Lucas medicus charissimus, cuius verba omnia, secundum Hieronymum, languentis animæ sunt medicina. Vnde cum Paulus fuisset à Festo traditus in vinculis Agrippæ regi, dixit idem rex ei? Permittitur tibi rationem reddere pro temetipso: Tunc Paulus externa manu, *Æstimo me beatum inquit, apud te rex Agrippa, cum sim me defensurus hodie, maximè te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt consuetudines & quæstiones propter quod obsecro vt patienter me audias.* Sic ego de materia

A nouem assertionum reuerendissimis patribus, ac cæteris dominis commissarijs in causis fidei (per me nunciaturus) ex ipsorum nunc ordinatione rationem redditurus, Æstimo me beatum, propter quod obsecro vnumquemque, vt patienter me audiat. Et in primis quidem, donandus est ordo dicendis, & euitenda confusio, habendus est insuper sermo doctrinalis, absque vlla circuitione vel apparatu verborum, qualis est materiæ quæ tractatur accommodus, denique rememoranda est nunc distinctio, ne fallat nos æquiuocatio:
B quam distinctionem memini me notasse, dum prædictas nouem assertiones cum suis reprobationibus nunciaui. Possumus ita materiam hanc dupliciter considerare. Vno, purè theologicè & absolutè per considerationem ad conformitatem vel deformitatem secundum leges diuinas traditas in scriptura sacra: Alio modo, magis respectiuè & secundum terminos iuris positiui. In primo tractatur de interesse ipsius fidei, in secundo de interesse personali: vel ita dicamus, posse nos vno
C modo cõsiderare assertiones, vel alio modo ipsos assertores aut reprobatores: Primum hactenus obseruari in omni iudicio, tam Parisijs quàm in hoc sacro concilio. Recogitãs primo professionẽ meam & officiũ cancellariatus Parisiẽsis, cui indgnus deseruio, quoniam Parisijs sic tractantur viæ fidei per sacram theologiæ facultatem, dum deferuntur frequenter à diuersis mundi partibus, immo & à Romana curia nonnunquam; quatenus habeatur eiusdem facultatis doctrinale iudicium: vbi nihil vnquam agitur de personis, nisi prius saltem
D discussum fuerit de doctrinis. Conscius sum præterea mihi ipsi, quod finalis intentio mea est ad extirpationem errorum, quæ fieri prius potest & debet per eorum reprobationem doctrinalem, seu iudicialem, quam damnentur errantes. Rursus tertio cõstat, quod liberius, purius, verius, & citius exquiritur veritas, & falsitas reprobatur, dum constituitur sola lex diuina iudex, iuxta considerationem Arist. in polit. qui ponit, inquit, legem iudicem, ponit Deum; qui autem addit hominem,
E addit & bestiam; & hoc dicit propter sensualitatẽ bestialem: De qua Virgilius in 6. *Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, timentque*: conformiter ad illud prosaicum. *Confusa sunt hæc omnia, spes, metus, mæror, gaudium.* Quo circa consulit apud Boëtium philosophia. *Tu quoque si vis, lumine claro, cernere verum, tramite recto, carpere callem, gaudia pelle, pelle timorem; spémque fugato, nec dolor adsit, nubila mens est, vinctáque frænis, hæc vbi regnat.* Denique, per hunc modum salubrius obseruatur illud Augustini in regula, quod fiat corre-
F ctio cum dilectione personarum, & odio vitiorum: Nec inde videtur quæri qualiscunque turbatio pacis: Domini quoque iudices facilius se expediunt, si prius instituerunt circa interesse fidei, quam si secundum terminos iuris positiui, prius discutiant materiam, tanquam prophanam, super interesse personali. Quod monstrant apertè quinque menses in tali discussione sola, fere iam occupati: Vnde & nõnulli ex dominis cõmissarijs (sicut reuerẽdissimus pater dominus Cardinalis Cameracẽsis, & ipse promotor cõcilij) etã hoc intendere quomodolibet voluerũt. Hãc ego modestiã

conabor in

in actu pręsenti posse tenus obseruare, quod obsecro neque mihi neque causæ fidei, sed famæ quæ A discutitur officiat vel obsit. Sciunt enim plurimi, quemadmodũ conati sunt aliqui iugiter hanc materiam trahere ad personalia, in pręiudicium nedũ causæ fidei, sed famę per litteras & aliter falsè lęsę: in quibus diluẽdis si sermo flecteretur, cognosceretur aperta veritas, in elucidationẽ clariorẽ causæ fidei, & in laudem non mediocrẽ ipsam tractantiũ aduersus obtrectantes. Quamuis præterea nõ sufficienter extirpantur errores vbi notoriè perseuerant errantes: nihilominus sperandum est, quod B corrigerentur omnes ad sententiã concilij. Quid igitur necesse prouocare vel accusare personam errantis, si damnare satis est errores. His itaq; pręlocutis, veniamus ad materiam quæ nouem assertiones cum suis approbationibus habet. Pro cuius intellectu faciliori ponatur velut in vna decretali casus longus, dehinc breuis sub his literis A. B. C. Casus est C, rex supremus habet A, & B, vasallos suos, quorum vnus non erat subiectus alterius, qui faciunt cõfœderationes ad inuicẽ iuramentis terribilibus firmatas. B, conducit homines prece & C precio qui per insidias præmeditatas interficiunt subito. A, non diffidatum, nec de hoc præmonitũ, neque tale aliquid timentem, & hoc inscio. C, rege: tandem. B, factum auoat, & proponit se laudabiliter egisse, immo fecisse debitum suum erga Deum & regem. Pro cuius iustificatione ponit vel poni facit tanquam pro quibusdã regulis seu maximis nouem has assertiones. Itaq; per primam iustificat mortem ipsius A, quia erat tyrãnus, vt dicit, machinans per fraudes, & sortilegia, ac malum in- D geniũ in mortem sui regis. C. & maximè, quia per ipsum regem nõ poterat bono modo de ipso fieri iustitia. Per secundam assertionem dicit se auctorizatum fuisse vt sic ageret per leges, diuinam, naturalem, & humanã. Deinde per tertiam & quartam, iustificat sub regula generali tyrannorũ, quod A, debeat viliter & per insidias mori. Rursus per quintam, sextam & septimam, iustificat quod rex debet eum auoare, remunerare, & bene famare per epistolas & aliter vbicunque. Perinde iustificat se nihil egisse contra præcepta Dei bene intel- E lecta, non secundũ litteram, sed ad sensum suũ, & hoc in octaua. Postremò iustificat quod in nullo periurus fuit, cõfœderationibus nõ obstãtibus, & hoc per regulam generalẽ in assertione nona datam. Casus breuis. *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque vasallum suum subditum, etiam per insidias & blanditias vel adulationes non obstante quocunque iuramento seu confœderatione factis cum eo: non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque.* Hic ca- F sus quamuis sit decisus per hoc sacrum concilium quod est hæreticus, & sequatur ex tertia & quarta, iunctis prima & vltima: nihilominus videtur aliquibus diminutè poni. Primo, quia non loquitur de auctorizatione per leges diuinam, naturalem, & humanam, vt in secunda. Secundò, non ponit prædictos casus, quod viliter vel ignominiosè & subito. i. sine diffidatione debeat occidi, vt in tertia & quarta? deinde non ponit quod rex debeat auoare, remunerare & honorare, vt in quinta, sexta & septima. Quarto dimittit assertionem octauã de falsitate sensus literalis scripturæ sacræ: & quod quilibet sit interpres vel epikes eius: Denique silet, quod C, rex supremus, non habet talem potentiam in suo regno, quod de A, vasallo suo, non possit facere iustitiam.

Quæritur nũc si hæ nouẽ assertiones in forma, sicut sunt, veniunt iudicio fidei reprobandæ. Et quãuis quæstio & hæc materia determinata sit per iudices fidei inferiores, de consensu & approbatione ipsius C, regis, & fere totius cleri, ex his nouẽ assertionibus tanquã contentus in eis sufficiẽter licet diminui, sicut patere videtur intuentibus diligenter primã tertiam & quartam & vltimã assertiones, nostra quæstio decisa est per hoc sacrũ concilium dum damnauit istam quilibet tyrannus &c. velut hæreticam, nihilominus ponetur hæc quadrimembris conclusio. Nouem assertiones cũ suis reprobationibus iudicialiter iudicatæ spectant ad fidem etiã explicitè. Et sunt duæ prout in scedula continetur rationabiliter qualificatæ. Potuerunt insuper per doctores & ordinarios locorũ doctrinaliter & iudicialiter condemnari. Sunt denique per hoc sacrum cõcilium vel per sedem apostolicã de necessitate salutis reprobandæ, & hoc verè vel interpretatiuè. Ex cuius conclusionis probatione quæ spectat ad theologiam maximè de interesse fidei poterit faciliter apparere quid de interesse personali sentiendum vel agendum erit per sciẽtiam canonicam. Sed priusquam sermo progrediatur vlterius tollendũ est quadruplex scandalum, quod nobis ratiocinationis iter agentibus posset obsistere, & aures aliquorũ querelis opilare, vt obsurdescerent veritati. Ecce inquit querela vna, quãta vilificatio fidei, quanta depressio catholicę doctrinæ, vt in quolibet verbo vel actu, dicatur, hic est error in fide, hic est hæresis. Responsio breuis, deputetur hoc errantibus, qui prius ad ea quæ falsa erant, scripturam sacram & fidem protrahere conati sunt repugnantem. Hinc ista fidei vilificatio, hinc conculcatio veritatis catholicæ, non à defendentibus eam, ne taliter conculcetur. Ecce inquit, aliorum querela, quod nihil hic fit amore fidei, sed odio personali, vel rancore, sed fauore inordinato, sed partialitate. Sed profectò omnium ille infelicissimus iudicandus esset, & miserabilior omnibus hominibus, qui cum certissimis incommodis, nedum bonorum temporalium, sed propriæ vitæ periculo, tenderet in infernum, & quomodo tenderet? vtique per peccatum odij vel fauoris inordinati, quia stipendia peccati mors, non quæcunque sed æterna. Cæterum, non quis in hac re loquitur, vel quo animo loquitur, sed quam verũ sit quod loquitur attendere vos cõcernit. Ecce rursus querulãtur alij, videte, quia nihil hic cũ modestia, vel prudẽtia talis aut talis agit, sed innititur phantasię propriæ & famositati; maledictus furor eius, quia pertinax, & æmulatio, quia dura; cui tales & tales de illa natione vel facultate per literas, vel aliter contradicunt. Atverò consolatur exemplum Christi, quem ob prædicationis feruorem, sui etiam parentes dixerunt in furorem versum esse. Et de propheticis prioribus viris inuenimus dictum vni, quid quærit insanus iste. Denique profectò, qui dicere potest cum propheta Domino, *Consilium meum iustificationes tuæ*: il- *Psal. 118.* le iam non proprio capiti, famositati, vel imprudentiæ inniti dicendus est, sed solidissimę veri-

tatis auctoritati, quãuis in hac parte si testimoniũ hominum recipimus, illud abundantius longè est pro nobis tàm numero quàm merito. Conquerũtur ad extremum quidam, Ecce inquiunt quanta regni Christianissimi diffamatio, in quo tot errores exorti dicuntur & famantur. Immo verò responsum habeat, quisquis hoc obijcit ad opprobrium, quod ad singularẽ & incomparabilem laudem eiusdem regni & incolarum, cedit ista errorũ non quidem publicatio, sed virtuosissima debellatio, quæ neque proprio sanguini, neq; discriminibus innumeris, neq; propriæ parcit vitæ, quãdo protinus vt errores in eodem regno caput (vt ita dicamus) exercere, vel innoxium germen erumpere cœperint. Obseruetur illud de Psal. *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram.* Et illud de Nasone: Apprime dũ noua sunt praui mala semina morbi. Est enim humanum peccare, sed verè diuinum, confestim à peccatis resurgere, eaque proterere virtutis forti pede. His itaque scandalis (ne pergentibus nobis ad veritatis inquisitionem noceant) eiectis, deducemus primam partem conclusionis, ex multiplici radice & principaliter, inuestigando doctrinaliter, & radicaliter, quid propriè sit fides, & vnde quis denominatur fidelis catholicus: Et ex opposito, quid sit error in fide vel hæresis, & quis denominatur errans in fide vel hæreticus. Et primò, reiectis pro nunc acceptionibus alijs de fide, quia fides aliquando dicitur sponsio 1. Thim. 5. quia primam fidem irritam fecerunt. Et quandoque fidelitas. Prouer. 20. Et virum fidelem quis inuenit? Quandoque conscientia. Rom. 14. Omne quod non est ex fide, est peccatum. Quandoque sacramentum fidei. August. ad Bonifacium. Quid est paruulos habere fidem nisi fidei sacramentum? Accipiamus descriptionem fidei de qua locuturi sumus ex verbis apostoli ad Ro. 10. vbi dicit, *quod fides est ex auditu, auditus autẽ per verbum Dei.* Vnde sicut Aristot. describit scientiam, quod est habitus firmus per demõstrationem adquisitus, sic potest describi quid sit fides, *quod est habitus firmus & verus per auditum verbi Dei acquisitus.* Et vocatur hic verbum Dei scriptura sacra, vel inspirata, vel prędicata seu lecta. Pro cuius descriptionis declaratione, sciendum, quod sicùt scientia multipliciter accipitur, sic & fides, quantùm spectat ad propositum. Accipitur enim quandoq; scientiæ pro habitu, vt descriptum est; quandoque pro assensu ex tali habitu procedente; quandoque pro obiecto illius habitus vel actus, & hoc dupliciter sicut est duplex obiectum quod scimus: Vnum est conclusio demonstrata mentalis, vocalis, vel scripta: aliud est res significata per conclusionem: Vnum vocatur obiectum materiale, aliud formale, secundum Thomam. Amplius scientia quocunque prędictorum modorum accipiatur, solet sumi dupliciter vno modo pro vnico vel simplici tali habitu, vel actu, vel obiecto: Alio modo pro collectione multorum huiusmodi habituum, vel actuũ vel obiectorum: quemadmodum dicimus physicam esse vnam scientiam, sic metaphysicam, sic medicinam, & sic de alijs. Conformiter ad prædictas distinctiones dicimus, quod accipitur fides quandoque pro habitu, & sic data est descriptio; quando pro actu ex tali habitu procedente, & pro-

Psal. 136.

priè pro interiori assensu fidei, impropriè pro actu exteriori qui ex hoc interiori procedit, quemadmodũ dicimus iste fideliter agit. Rursus accipitur fides pro obiecto fidei, scilicet propositione credita, sicut est iste articulus. Deus est trinus & vnus; aut etiam res per hanc propositionem significata, sicut dicitur, Deus est fides mea. Et hic de cõplexè significabilibus haberi sermo possit quem obmittimus. Postremò, fides accipitur quolibet modorum prædictorum, quandoque pro vnico habitu vel actu vel obiecto, quandoque pro collatione plurimorum vel omnium, quẽadmodum in symbolo apostolorũ, vel Athanasij vel concilij Nicęni, vel sacræ scripturæ, dicimus fidem catholicã contineri. Vnde & sic loquitur Athanasius dicens: *Quicunque vult salus esse ante omnia opus est vt teneat catholicam fidem.* Et de particulari fide subiungit, *fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, &c.* Consequenter notandum est, quod fides pro habitu dupliciter accipitur, pro infuso scilicet, & pro acquisito; sicut est etiã vna sciẽtia habitualis infusa, patet hoc in Christo & Salomone: alia acquisita, qualiter descripta est, quod est habitus firmus per demonstrationem acquisitus. Dicamus consequenter pro declaratione descriptionis præmissæ de fide habituali acquisita, quæ infusam pręsupponit vel eidem innititur, & ab ea informatur, si perfecta est; quòd fides *dicitur habitus firmus*, ad differentiam opinionis vel suspitionis incertæ; sicut ponebat Petrus Abelardi per beatum Bernar. in hoc redargutus. Hæc autem firmitas vel certitudo, alia est à certitudine spei, quoniam vna respicit intellectum, affectũ altera. Thomas dicit quod certitudo est ex volũtate figente intellectũ. Additur in descriptione, *verus*, ad differentiã habitus hæreticalis ficti, qualem habet hæretici. Subiungitur tãquam pro differentia specifica ad alios omnes habitus intellectuales, *per auditum verbi Dei acquisitus.* Pro quo notandum est, quod ratio specifica fidei est, quod accipiat certitudinẽ suam, & veritatem illustratiuã intellectus humani ab autoritate diuina, quia scilicet Deus ita iussit vel reuelauit mediatè vel immediatè per verbum suum inspiratum interius, vel exterius prædicatũ, auditũ vel lectũ. Et sic loquitur Thomas & antiqui, quod formalis ratio omniũ credibilium vna est scilicet veritas prima; ita quod assentire aliter non est pertinens ad fidem. Et hic requiritur fides infusa ad assentiendum catholicæ, & hoc fieri non potest si quis errat in vna tali veritate pertinaciter, quia iam deest sibi ratio formalis credẽdi, alioquin nõ esset pertinax. Hinc oritur differentia certitudinis fidei ad certitudinem scientiæ, quoniã illa sumitur ab extrinsecis tantũ, modo per locum ab auctoritate: altera deducitur ab intrinsecis, sicut per locũ à definitione & similibus; & ita habemus certitudinẽ ab extrinsecis qualẽ habet fides; alteram ab intrinsecis qualẽ habet scientia. Et hoc sufficit ad propositũ de certitudine, non instituẽdo sermonẽ de aliis habitibus certorũ principiorũ tã intellectualiũ quã moralium; in quibus est certitudo euidẽtię ex terminis: In aliis per experiẽtiam, in aliis per quãdam adhærentiam voluntatis, stabilientis se ac figentis in aliquo, à quo non vult dirimi, sicut dicceremus hominẽ innitẽtem muro solido certũ esse, qualiter etiã dicimus, quod certa est in Deo spes nostra,

noſtra, charitas noſtra, timor noſter & ita de reliquis ad affectum ſpectantibus. Fortaſſis autem quod ipſa fides certitudinem ſuam ſic accipit ex voluntate quæ (Deo iubente ſeu reueláte) credere vult immobiliter; credere autem non poteſt niſi volens. Ex quo fit vt fides & habeat meritum & captiuet omnem intellectum in eius obſequiú, quantumcunque videantur rationes philoſophicæ, vel hiſtoricæ, ſeu grammaticæ, ſeu phantaſticæ fidei repugnantes; & quod ipſæ ſint nullæ, ſaltem ab intrinſecis ſumptæ. Ex quo fit præterea, quod modo viceuerſa, vt ipſam fidem neq; experientia neque intelligentia neceſſario tollat vel euacuet, quoniá ſic innititur auctoritati primæ, ſiue habeat euidentiá rationis, ſiue non habeat euidentiá, credens in auctoritatiua (& non altera permanet) firmitate. Vnde Thomas expreſsè 2. 2. quæſt. 2. art. 1. in reſponſione ad primum argumentum ſic ait. Quando homo habet voluntatem credendi ea quæ ſunt fidei ex ſola auctoritate diuina, etiam ſi habeat rationem demonſtratiuam ad aliquid horum, puta ad hoc quod eſt Deum eſſe, non propter hoc tollitur vel minuitur meritum fidei, hoc ibi. Ex quo fit inſuper, quod fides poteſt in patria manere cú viſione beata, vel hic in via cum raptu, qualis fuit in Paulo, cum intelligétia clariore fidei, qualis fuit & eſt in doctoribus contemplatiuis, & per anagogicos exceſſus illuſtratis mirabiliter à montibus æternis. Nec obuiat illud apoſtoli. *Fides eſt ſubſtátia rerum ſperandarú, argumentum non apparentium.* Nec illud Greg. *Fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum*: quoniá reſponſio patet ex præmiſſis acutè penſatis. Pro quibus facit exemplum quod de iſta, (triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis) poteſt idem homo prius habere certitudinem ex auctoritate dicentis, qualem certitudinem non oportet eum dimittere, habita poſtmodum certitudine alterius generis, ex demonſtratione vel experientia fundata. Denique deducitur ex præmiſſis pro re quam intédimus, quod principia tá intellectualia quam moralia, ſimiliter cóclusiones ex eis demonſtratæ, ſimiliter propoſitiones philoſophicæ per experiétiam habitæ, poſſunt cadere ſub fide, quoniam tradi poſſunt à Deo iubente & auctorizáte, ſic quod detur aſſenſus eis, non quia ſunt euidentes, ſed quia ſic Deus iubet, reuelat, aut dicit, prout eccleſia catholica vel ſcriptura ſacra nobis tradit. Vnde conſequenter ad hoc, dici poteſt non irrationabiliter, quod fides hic in via, ſemper eſt quodammodo non apparentium, ſub ratione formali vel obedientiali ipſius fidei: quoniam licet veritas prima ſit de ſe euidentiſſima & certiſſima cui innititur, nihilominus quod veritas hęc prima tradiderit credibilia ineuidentia, vel alia quælibet ad credédum, ſcitur ex ſola fide eccleſiæ, vel ſcripturæ ſacræ: quia ſcilicet eccleſia & ſcriptura ſacra nobis ita tradunt. Vnde quod Tobias habuit canem & Abraham filium, potuit eſſe notum per experientiam, & ita de innumeris. Sed quod iſtæ veritates ſunt nobis à Deo traditę per ſcriptores librorum continentium talia, & creditum eſt; non ſcitú nec euidens. Altera diſtinctio, quædá ſunt pure de fide, &c. & continet quatuor gradus: Quædá pertinentia (quorú oppoſita ſapiunt hæreſim) quædá impertinétia, tractatu de fide c. 2. Conſonat no-

Heb. 11.

ſtrę deſcriptioni deſcriptiones alię, vna eſt apoſtoli ad Heb. 11. *Fides eſt ſubſtantia*, id eſt, *fundamentum rerum quas ſperamus*, quæ ſunt Deus & Chriſtus, & in quas tendimus per amorem: argumentú, id eſt, certitudo apparentium, vel in ſe, vel in ratione obiectali, ſc. materialiter aut formaliter, vt dictú eſt Ité Aug. in li. de prædeſtinatione, Fides eſt cogitare cum aſſenſione ea quæ ad Chriſtianam pertinent religionem. Ité Iſid. Fides eſt qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valeamus. Item Chryſ. Fides eſt ſanctiſſimæ religionis fundamentum. Item magiſtraliter, Fides eſt virtus, qua ea quę ad fundamentum religionis pertinent rectè firmiterq; credútur. His itaque propoſitis ac declaratis, quæ in lógius trahi poſſunt, dicamus conſequenter quod in propoſito noſtro, fidé accipimus obiectiuè, pro collectione omniú credendarum propoſitionum ex habitu fidei, prout deſcripſimus. Vnde ſtatim concluditur veritas primæ partis noſtrę concluſionis principalis, quod hæ noué aſſertiones quæ ſpectát ad diuina præcepta sút de fide, notádo tamen illud Ariſtotelis: quod oppoſitorú eadem eſt diſciplina. Deniq; pro declaratione maiori, placet annotare ad quos, moralia præcepta in forma morali; præcepta quoq; in forma vel affectu articulos ſymboli ſpeculatiuos reducant: quáuis ita ſit quod cuilibet præcepto correſpódet dictamen practicú verum, quod ita credédum eſt, ſicut articulus fidei in ſpeculatiuis. Huic præcepto, *Diliges Dominum Deum*, correſpondet illud dictamen, Deus eſt diligédus: & iſti *non occides*, proximus nó eſt occidédus. Gloſſa propria voluntate, & ita de reliquis. Dicamus ergo, quod iſte articulus, quod *Chriſtus eſt Deus verus de Deo vero*, eſt de articulis; quicquid igitur iubet, faciendum eſt: Iubet autem præcepta legis, *Non occides &c.* Et Matth. 2. & 26. alibi multis locis, ergo, &c. Ité, articulus eſt quod ſacræ ſcripturæ ſunt veræ, quia producuntur in teſtimoniú reſurrectionis, ibi *ſecundum ſcripturas*; tradunt auté ſcripturæ decem præcepta, igitur, &c. Item, articulus eſt, *quod ſpiritus ſanctus locutus eſt per prophetas*, quicquid igitur prophetæ dicút per ipſum, verum eſt. Fuit autem Moyſes propheta, qui tradit decem præcepta legis, imo & Chriſtus fuit ille propheta magnus, de quo Deut. 18. qui fuit plenus gratiæ & veritatis, & per quem veritas facta eſt. Ité, in duobus pręceptis de dilectione Dei & proximi, quæ tradidit Chriſtus multis locis, tota lex pendet & prophetæ. Sunt igitur de lege & prophetis, & cóſequéter omnia moralia pręcepta quę deducuntur ex ipſis. Ité, finis legis ſecundú apoſtolú eſt, dilectio, & vt vná vitá ęterná cóſequamur: Hoc auté facere nó poſſumus niſi ſeruando pręcepta. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei.* Et iterú. *Hoc fac & viues.* Item, ad aliá parté articuli qui dicit, *& propter noſtram ſalutem*, quæ ſalus non habetur ſine præceptorú obſeruátia, pertinét igitur ad hunc articulú vitá ęterná ſaluté reductiuè. Ité, quodlibet præceptum includit in ſe dictamen rectum, ſecundum quod fit bonus actus pręcepti, ſicut hoc pręceptum, *Non occides*, habuit iſtud dictamen, non licet occidere, fundatú in hoc vniuerſali præcepto, *Non facias alijs quod tibi fieri non vis*, quod principium eſt de ſcriptura ſacra. Mat 5. &c. Item, articulus eſt, *quod eſt vna eccleſia catholica & apoſtolica*, id eſt, fúdata in doctrina apoſtolorú,

Mat. 19.
Luca 10.

quos spiritus sanctus docuit omnem veritatem; & docere non cessat successores; & ideo ecclesia nō potest errare, & ita quicquid iubet est verum. Iubet autem decem præcepta, & cōclusiones ex eis: ergo pertinent ad hunc articulum, *vnam sanctam ecclesiam*. Amplius tertiò, deducamus per exempla & hæresis descriptionem, omnis hæresis pertinet ad fidem, quia secundum Hieronymum, hæresis est dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium. Constat autem ex determinatione ecclesiæ, quod multæ assertiones iudicantur hæreticæ, quæ sunt circa præcepta moralia tantummodo: Exemplum de ista, *vsura non est peccatum mortale*. Item de ista, *fornicatio simplex non est peccatum mortale*. Item de ista, *non est licitum tenere vxorem fratris sui*; pro qua Ioannes martyr fuit. Item de ista, *licitum est vnicuique non misso, imo prohibito prædicare*. Item de ista, *populares possunt dominos suos ad libitum corrigere*. Item, *quilibet tyrannus, &c.* quæ nuper damnata est vt hæretica. Item generaliter, nulla propositio est vera, quæ non possit fieri catholica, dum scilicet traditur credenda in sacra scriptura: sicut ad propositum dicit Hiero. quod apostolus, de versu ethnico vel poëtico fecit catholicum dum ait: *Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ*. Vnde quid minus de fide videtur, quod Tobias habuit canem & Aaron barbam: & tamen qui nunc negaret pertinaciter esset hęreticus, quia repugnaret isti articulo; *Scriptura sacra est vera in se & in suis partibus*: fallit igitur hæc argumentatio, hoc non est de credibilibus nostræ fidei explicitè, igitur non est de fide, &c. Sequitur ex præmissis, quod geometria & philosophia possunt esse & sunt tantùm philosophabilia aut geometricabilia. Secus de moralibus, quoniam illa faciunt ad vnitatem ecclesiæ, quæ debet esse vna, nedum vnitate sacramentorum & credibilium ineuidentium, sed etiā actione, & conuersatione pacifica, in agibilibus moralibus naturali lege cognitis, ita quod vnitas ecclesiæ, præsupponit vnitatem moralem. Nota de fide quæ supereminet rationi semper, sicut oleum aquæ, sic quod incipit fides vbi ratio definit; & non potest tantum crescere ratio naturalis, quin supereminear fides ei, &c. Item cōstat secundum plurimos doctores quod expediuit tradere multa ad credendum generaliter omnibus populis, quorum aliqua sunt euidentia doctis, vt Deum esse. Et hoc propter errores philosophorum & aliorum, sicut in proposito de præceptis moralibus, quæ licet sint euidentia bene dispositis in iudicio rationis, tamen ex consuetudine peruersa & aliunde, multi contingunt errores: vt Stoici dixerunt esse opus maximè virtutis se interficere: & in quibusdam regionibus dicunt esse religiosum occidere parētes senes, &c. Item de multitudine vxorum, de furtis, rapinis, de adulteriis, in quibus errant homines, nisi per legem diuinam doceantur; exemplum posset poni in casu nostro præsenti, &c. Nota tamen, quod ad assentiendum catholicæ cuicunque veritati, quantumcunque sciatur per experientiam vel demonstrationem, requiritur fides infusa, quæ monstrat & ostendit rationem obiectalem credendi istam, quod Deus talem veritatem tradidit aut iussit per se immediatè, vel per ecclesiam aut scripturam sacram. Nota quomodò nulla est noua hæresis, & quod determinatio Papæ non est nisi declaratio vel adiectio pœnę, vt notat Ocham li. 2. primæ partis per

A totum. Nota quid est explicitè de fide, illud scilicet quod verè & clarè sequitur ex his quę sunt purè de fide, & explicite continentur in scriptura sacra. Vnde quod Christus habuit neruos non explicitè sub hac forma. * *. Similiter quod nō omnis mulier habens capillos rufos, non potest interfici à quocunq;, sed sequuntur euidenter ex scriptura. Nota quod nulla est querela dominorū tēporalium, quin possit ad Concilium deduci generale terminanda, si reducatur ad licitum & illicitū,

B iuxta considerationē vltimam illius sermonis, *Prosperum iter, &c.* Deinde notandū est, quod in hoc actu plurimæ rationes sunt inductæ, & ad declarationem secundæ partis: sed quoniā alibi sunt, tam epilogando quam latiori sermone deductæ, istic omittuntur. Tandem reuolando ad principium, recitabatur, quemadmodum Festus ad Paulum se defendentem dixit: insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt. Non insanio respondit Paulus optimè Feste, sed veritatis & sobrietatis

C verba loquor. Dehinc conuersus ad Agrippam: credis inquit, rex Agrippa prophetis, scio quod credis. Sic longè amplius habeo fas dicere vnicuique vestrum, ô reuerendissimi patres & Domini, ac doctores omni sapiētia & doctrina plenissimi, quod creditis prophetis: Illi autem testimonium dant decem pręceptis, & de sequelis eorum, quod diuina veritate fundata sunt, & ad credendum, sc. intelligantur proposita. Gratias igitur agens, (quia patienter vt obsecratio facta erat me audistis) sit ex *Act. 2.*

D oro merces vestra Deus, quia quid retribuam non habeo. Credite vt facitis veritati, & tempore liberabit vos, & in æterna tabernacula sua luce perducet. Præstante eo, per quem veritas & gratia facta est Iesu Christo, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

ALIVS SERMO EIVSDEM CONTRA ASSERTIONES MAGISTRI IOANNIS *parui, circa præceptum*, NON OCCIDES.

E OPORTET hæreses esse, sicut dicit apostolus 1. Co. 11. vt qui probati sunt manifestati fiāt in vobis, probati inquam per fidem in intellectu, per charitatem in affectu; per exercitationem in effectu. Prouidentia nimirum diuinæ sapientiæ, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque disponit omnia. Sapientiæ 8. non fineret mala fieri (teste Aug.) si non posset, sciret, & vellet inde bona elicere; disponens finem amoris peruersi ad finem finis boni atq; gloriosi: quod vidit apostolus dum

F ait, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū. Et sic omnia (inquit Guido Carthusian.) vt etiā aliena mala imo & propria dū ex peccato consurgit quis humilior. Fit autem hîc ex hæresibus hoc salubre, quatenus sicut corde creditur ad iustitiā, ita fiat ore cōfessio ad salutē, ad Ro. 10. profitēdo scilicet fidē suā extrinsecꝰ; quod cadit sub pręcepto obligante ad semper, non pro semper, nisi casibus certis, qui possunt ad presens quatuor nominari. Vnus est corā infidelibus & tyrannis, sicut tēpore martyrum: Alter corā perfidis hęreticis, vt tēpore doctorū: Tertius ad testificādū *Rom. 8.*

vel

vel respondendũ, sicut fit coram iudicibus: Quartus doctrinaliter & iudicialiter erudiendum, sicut fit à prælatis & doctoribus. In casu primo exercetur patientia, vti hymnus loquitur: In secundo sapientia, & plerumque constantia, iuxta dictũ Augustini: In tertio meritũ acquiritur, vt dum Petrus respondit, tu es Christus filius Dei viui, dicit glosa quod hoc fuit ad meritũ: In quarto doctrinale & pastorale officium exercetur. Iob. 10. & Mat. vlt. & Malachiæ 2. & 1. Petri 3. &c. Ex qua distinctione, protinus elicitur, quod quia professio fidei fit extrinsecus ad salutem, nedum ore, sed etiam gestu vel opere (vt assistendo confitentibus vel docentibus veritatem) illi patres reuerendissimi, & cæteri qui pridie remanserunt cum alijs assistentibus, quique nunc remanent vel assistunt, collaudandi sunt tanquam beati qui audiunt verbũ Dei, sicque eorũ merces copiosa Deus, quia quid retribuam non habeo. Qui ex Deo est (inquit Christus) verba Dei audit, timendum est quod sequitur refugientibus, propterea non auditis, quia ex Deo nõ estis: sed reprimo. Cohortor autem per illud apostoli, in epistola dominicæ currẽtis originaliter ad Ephes. 2. Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei, vt dicamus ei. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, quod vtique prohibet fieri triplex sapientia, terrena, animalis, diabolica. Elicitur præterea, quod si quis voluerit testimonium suæ fidei palam dicere, quisquis ille fuerit, præsertim eruditus, audientia sibi publica dari debet: meretur insuper, dũ refugit esse doctor nocturnus & in angulis, aliter quã Nicodemus, qui venit ad Deum nocte: trepidos nempe & obscuros suæ fidei professores arguit Christus dicens: Quæ in tenebris audistis prædicate super tecta, quia qui me erubuerit (Luc. 9.) & sermones meos, & filius hominis erubescet eum corã angelis Dei. Itaque sit fides vniuscuiusque in ore, sit in oculis, sit in frõte. Ex quibus ita prælocutis, protinus eliceretur veritas duplicis vltimæ partis nostræ, conclusionis quadrimẽbris aliàs positæ, quæ talis est.

Matth. 16.

Jo. 8.

Act. 2.

Matth. 6.

Nouem assertiones, cum suis reprobationibus iudicialiter nunciatæ, spectant ad fidem etiam explicitè. Et sunt prout in schedula continentur rationabiliter qualificatæ. Potuerũt insuper per doctores & ordinarios locorum doctrinaliter ac iudicialiter cõdemnari. Sunt denique per hoc sacrũ concilium vel per sedem apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc verè vel interpretatiuè. Ad elucidationem ponebatur casus longus dans intellectum de A. & B. vasallis C. regis. Additus est casus breuis iste, *quilibet tyrannus &c.* Propositæ sunt quatuor conclusiones, responsum est per conclusionem quadrimembrem tam firmiter in sermone quam certitudinaliter apud me est in corde, quia quod scimus loquimur, & credidi propter quod locutus sum. Nam & vbi intenderis (ait Iulius Cæsar) ingenium valet. Nemo autem facere metuit secundum Vegetium, quod optimè didicisse cognoscit. Vis bene loqui dixit Socrates, nil loquere, nisi quod bene didiceris.

Rom. 1.

ET quidem prima pars conclusionis sufficienter probata ex pluribus forte verbis, quàm necesse fuit eruditis in theologicis sermonibus, sed fortassis non pluribus, quàm oportuerat pro non

Gerson. Prima pars.

eruditis. Itaque deducta est hæc pars ex quadruplici radice. Ex fidei descriptione, *quæ est habitus certus & verus per auditum verbi Dei acquisitus*, ad Rom. 10. & Heb. 11. Cuius fidei obiectum est propositio credenda, vel collectio plurimum ac omnium credendorum, sicut accipit Athanasius in hoc symbolo. *Quicunque &c.* Alias fidei acceptationes reijcio, nisi pro quanto fides infusa requiritur ad credendum catholicè. Dehinc scripturæ sacræ testificatione, quoniam omnia in sacris scripturis bibliæ contenta formaliter, vel sententialiter, & in effectum, & per consequens decem præcepta sunt de fide, quoniam cum opposita assertione pertinaci non stat fides. Vnde Gratianus. *Ius naturale est quod in lege & in euangelio continetur, quo quisque iubetur facere quod sibi vult fieri, & prohibetur inferre quod sibi nolit fieri.* Dehinc ex ecclesiæ obseruatione, quæ damnat vt hæreses, nedum illa quæ contrariantur articulis speculatiuis nostræ fidei (vt ista, *Deus est*) verum etiam quæ cõtrariantur principijs & dictaminibus practicis, vt quod *Deus est diligendus super omnia, & proximus sicut nos*: In quibus duobus tota lex pendet & prophetæ; quæ vtique lex est fides nostra, vel de fide. Vnde in scripturis sacris, Augustino teste, quicquid alibi noxium est, damnatur. Denique ex hæresis descriptione, quam Hieronymus dicit esse dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium. Et illic habita est distinctio, quod quædam sunt purè de fide sub quadruplici gradu; quædam pertinent ad fidem, & opposita sapiunt hæresim; quædam sunt impertinentia, quia non apparet quod repugnant vel sequantur ad fidem. Inferebatur hoc corollarium, quod hæc consequentia impossibilis est, & hæreticalis; decem præcepta legis sunt euidentia in lumine naturali, ergo non spectant ad articulos fidei, nec ex eis deducuntur. Ex hinc rationabiliter motus fuit reuerendissimus magister Petrus de Versa, exhibere schedulam quam tradidit. Alij verò dicunt, volunt quibusdam hæreticare, videant ne ex erroribus se inuoluant &c.

CÆTERVM, pro secundæ partis deductione, sunt inductæ contra primam assertionem *licitum est vnicuique &c.* rationes in triplici quaternario &c. Fundatur prima super huius aduerbij significatione: *maximè*, iam præsertim, iam specialiter, gallicè * quia præsupponunt veritatem illius quod præcedit. Altera super hoc complexo: *absque mandato quocunque vel præcepto* deducendo ad contradictionem; quia lex Dei mandata est &c. Tertia super intellectu plano ac resoluto huius præcepti, *Non occides*, scilicet hominem propria voluntate, sed vel iubente Deo per reuelationem, vel per publicę administrationis admissionem. Matth. 25. & 26. *Omnes qui gladium acceperint &c.* glossa propria auctoritate &c. Vnde lex occidit & nõ homo, *mihi vindictam &c.* Quarta super defectu iurisdictionis vel iudiciarię potestatis in occidente tyrannum, sicut ponit assertio. *Quis es qui iudicas alienum seruum &c.* ad Rom 2. Fundatur prima ratio secundi quaternarij super condemnatione trium articulorum Hus & Vviclef, *de prædicantibus absque missione: de popularibus corrigentibus ad libitum Dominum &c: & Do-*

* mesmement.

minus bona ecclesiasticorum rapientibus &c. quoniam occisor in casu assertionis, & peius facit quam in A his casibus tribus fiat. Fundatur altera super omni politia vera, vel prætensa; vt puerorum sub magistro; & inter se, vt latronum vel paganorum, immo vt dæmonum pro statu præsenti, Mat. 20. vt omniũ bonorum, quibus omnia ordinatè fiũt. Est autem ordo pariũ dispariumque rerum vnicuique ius suum tribuens, iniqua nõ vsurpans. Tertia, super comparatione tyrãnidis ad hæresim, & alia vitia deteriora, propter quæ non veniunt homines passim occidẽdi, & quomodolibet & absque mãdato. Quarta & octaua, in ordine super compara- B tione non habentis auctoritatem iudiciariam ad habẽtem, sicut est rex, qui quidem rex non posset sine iuris ordine, non monitum, non vocatum, nõ conuictum interficere, quãto minus ergo censendus est dare auctoritatem implicitã, vel interpretatiuam alteri, cui non mandatum est, immo legibus rectis prohibitum? Pro his loquitur Festus Actor. 25. Et Nicodemus 17. & in lege: quòd iustum est, iustè exequeris. Demũ, prima ratio tertij quaternarij fundabatur super multiplici notorietate C iuris aut facti, quæ requirebatur pro qualibet circunstantia, seu clausula huius assertionis; vt quod notorium esset talem machinari &c. quoniã ex incertis nullo pacto potest certa mors inferri. Et si non potest quis occidi ad testimoniũ vnius, quanto minus nullius? Altera, quod hæc assertio quantumcũque circunstãtionata nõ potest habere veritatẽ de priuata persona extra casum diuinę reuelationis notoriæ, vel casũ ineuitabilis necessitatis, sicut ex rationibus aduersariorũ, quas quidẽ pridẽ D vidimus, satis constat; nec tamen casus iste necessitatis semper excusaret. Fundabatur vndecima ratio, exaggerando quod hæc assertio se præiudicialem ostendit ad omne genus hominum actiuè & passiuè, licet cõtractè poni videatur: extẽdit se ad Papã, ad Episcopos, ad Abbates, ad Principes, ad Patres, ad maritos, ad sacerdotes, ad clericos populares, & ad omnes in cõmuni, patet cõsideranti, quia cuilibet tali, dici potest. *Tu es tyrannus* vel *machinabaris in mortem domini tui.* Postremò pro quarta ratione duodecima in ordine & vltima, fiebat E epilogus sic arguendo: Contradictoria huius assertionis, quæ est particularis vel singularis negatiua, est vera & catholica, igitur ista est falsa & non catholica, & cõsequenter hęretica, quod tenet per legẽ cõtradictoriam, per dicta Aristotelis & Dionys. quod verum & bonum sunt ex omnibus circunstantijs, falsum autem & malũ ex vnicæ: antecedens ęst manifestum in multis casibus, vt dũ occidens non habebit sufficientem notorietatem vt procedat ad certam mortem non moniti, nõ con- F uicti &c. vel dum potest seruare iuramẽtum fidelitatis, vel est sacerdos. Et prouideri potest regi per alterũ, vel alio modo &c. Exclamabit hic aliquis & dicet, ponimus casum necessitatis extremæ, ponimus quod omnia sunt notoria quæ proponuntur: Respõsio, quia hîc non inuestigo quod alij dicãt sed quod ponit assertio, & in quibus terminis se regulat. Replicabit alter dicẽs, trũcata est assertio: Responsio, quia nec hoc pro nunc inquiritur, quamuis non desint testes, hic etiam præsentes omni exceptione maiores, quod nihil truncatum est &c. Supersunt autoritates sanctorum, superest multitudo exemplorum & hystoriarum.

Sed interim discurramus per alias octo assertiones, & ad hæc inducẽda postmodum ponitur ita secunda assertio sic, *leges naturalis, moralis, & diuina, authorizant vnumquemque subditum de occidendo vel occidi faciendo dictum tyrannum:* damnatur vt erronea in fide ac moribus, & legibus naturali, morali, & diuinæ iniuriosa. Deducitur hæc condemnatio ex radice quadruplici, immo quod est insana & sacrilega. Prima, quia leges diuina, naturalis, & humana, prohibent explicitè & expresè, quod nemo accipiat sibi honorem iudiciarium, vel dominandi ius in iurisdictionẽ, sed qui vocatur sicut Aaron, patet in epistola ad Hebræos. Non igitur autorizant non vocatum; alioquin suprema lex, Deus scilicet, dissensionis Deus in quo esset? Est & contra Apostolum. Nec daret vnicuique quod suũ est, & sic esset summa peruersio modi, speciei, & ordinis, dicit lex, iudiciorum vigor, iuris publici tutela, in medio cõstituta est, ne quis de aliquo, quantumcumque sceleribus implicito, assumere valeat vltionem: Hæc est etiam lex puerorũ. Nota de Bruto cur filium occidit. Qui inscio principe, inquit lex, bellum gerit, reus est læsæ maiestatis. Altera radix est, quoniam leges diuina, naturalis, & humana, prohibẽt ne idem sit erga alterũ, pars, iudex, & testis, quod soli Deo proprium videtur. Vnde, dum ex officio procedit iudex contra errores qui sunt sicut leges læsæ maiestatis, pars rea cõstituitur, promouens, vel instigans, tenens locum partis accusantis; propterea reprobari non potest sententia iudicis, in causa appellationis vel aliter, ipso non vocato vel audito. Amplius tertia radix est, quia secundum leges diuinam, naturalẽ, & humanam, nemo debet ex incertis causis & coniecturis, vel ex eis quæ secretè geruntur (sicut sunt machinationes & cogitationes cordis) publicè puniri, præsertim ad mortem, quia cogitationis pœnam nemo meretur quoad forum scilicet, præsentis vitæ, secus quoad forum cõscientiæ. Nemo (inquit lex) ad testimonium vnius morietur. Demũ quarta radix est, quia nemo vellet quod à non iudice suo damnaretur ad mortem, præsertim nõ vocatus, non auditus, nõ monitus. Lex autem naturalis dicta est & sumpta Mat. 7. *Omnia quæcũque vultis vt faciãt vobis homines, & vos eadem facite illis,* glossa velle debetis. Procedamus ad reprobationẽ tertiæ simul, & quartæ assertionum, quia cõnexæ sunt, & sic habent, *licitum est vnicuique subdito, honorabile & meritorium &c.* Et dicunt in sententia, quod *quilibet tyrannus potest & debet occidi à quocũque viliter & per insidias, & quomodo hæc est propria mors qua debent mori, occidere scilicet ita eos.* Assumitur pro reprobatione quadruplex fundamentum, primum sumitur ex causis condendi decretalem illam in concilio Lugdunensi. li. 6. pro humani, quarum prima est, ne quis Christianus subito & improuisè moriatur in periculum damnationis æternæ quod ibi dicitur horrenda inhumanitas, detestandáque sęuitia. Altera quoniam omnis potestas tribuitur à Domino ad iustitiam, rectúmque iudicium exercendum. Tertia, quoniam hoc in Christianitatis opprobrium exit. Alterum fundamentum, ex reprobatione insidiarum, dum frater per mendacia aut periuria, aut per finem illicitum, sicut notat Thomas. 2. 2. qu. de insidijs.

Vnde

Vnde lex dicit, hominē homini insidiari nefas est. Et Exo. 21. *Si quis per industriam & per insidias occiderit proximum suum, euelles eum ab altari meo vt moriatur.* Constat autem quod in insidijs de quibus fit hic mentio, cōcurrunt frequenter hæc tria, mēdacium, periurium, ac finis (scilicet subita mors & vilis) alterius cui fides data erat, vnde etsi quędam possunt esse insidiæ iustæ, non tamen istæ, attentis medijs & fine, & non diffidatione. Sumitur aliud fundamētum ex dictis sanctorum, reprobantium in Iudith. Aod & similibus mendacia, & fictiones falsas, licet in eis collaudetur zelus ad cultum Dei, & saluationem populi, & oppositū sentire hæreticum est, vt deducit Aug. ad premium &c. Demum pro quarto fundamento sumitur descripio tyrāni data ab assertione. *Tyrannus est qui in republica, non iure principatur vel principari conatur.* Constat enim iuxta venerabilem Ægidiū de Roma, in suo de regimine principum, & experientia loquitur, quod vix est aliquis Dominus, qui non tyrannus in aliquo iure vel interpretatione iudicetur. Et ita debebit actiuè & passiuè, viliter & insidiosè per subditos interfici. Cuius falsitatem deducit Oresmius super quinto politi. vbi Aristoteles dicit quod boni non faciunt seditionē. Veniamus consequenter ad quintam, sextam, septimam simul assertiones, quæ dicunt *regem debere amare, remunerare & glorificare talem mortem &c.* hę tres simul ex inconuenienti quadrupliciter reprobātur. Primò quidem quia rex teneretur amare, remunerare & glorificare peccata, qui ideo positus est in vindictam malefactorum: non enim sine causa gladium portat, sicut dicit apostolus. Vnde, & si posset ad templum dissimulare vindictam, sicut fecit Dauid de Ioab, non tamen potest absolutè remittere culpam, præsertim in non pœnitente, sed peccatum iustificante palam, & in eo perseuerante in scādalum subditorū: quę iustificatio, neque in Cain neque in Antiocho scelerastissimo, neq; in Iuda perfido inuenta est, quia dixerunt peccaui. Amplius secūdò, quia rex per has assertiones deducitur nedum ad peccatum mortale committēdum, sed ad hęresim, dum dicitur quod tenetur, tanquam licitum, laudabile, & meritorium amare, remunerare & laudare id quod de se iniquum est. Et quia dicēte sapiēte: Qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Et Claudianus ait? Regis ad exēplum totus cōponitur orbis, sequeretur hęreticatio omnium fere subditorum. Attendāt hic omnes, præsertim domini commissarij, qualiter hæc materia tāgit plures & magnos, immo maximos, quia regē cum toto clero suo, quibus imponitur nedū hæresis, sed quod sunt hæretici, dum eorum sentētia pro nō catholica reprobatur, quia determinare falsā doctrinā pro vera nequit fieri sine pertinacia, vt deducit Ockā quarto primæ partis Dialog. Rursus tertiò includitur his blasphema comparatio de Michaële & Phinees, quasi Michaël occiderit Luciferū sine mādato Dei & præcepto quocunq;: similiter & Phinees ipsum Zambri, quorū patet oppositum, tam ex ratione quam ex epistola Iudæ de Michaële, qui nō est ausus inferre blasphemiā, &c. & de Phinees Num. 25. Vnde si Phinees occidisset licitè sine mandato adulterū vel idolatrā Zambri, cur non similiter tunc, & nunc alter idē posset? Sic argueretur de Moyse respectu litigantiū. Deniq; notatur vt ex affectione tertia (sicut etiā res se habet) quod hæc pestifera doctrina multiplicata est per populos & regna sub epistolis & propositionibus has assertiones continentibus. Deducamus propterea falsitatem octauæ assertionis ad intellectum ponentis, quoniam si liceat vnicuiq; iudicare de lege diuina, vt de illa, *Non occides*, & eā interpretari secundum epijkeiam suam & conscientiam, relinquendo planum, rotundum ac solidum sensum positum per doctores sanctos; epijkeia & conscientia quilibet, poterit scripturam intelligere sacrā aliter, quā spiritus sanctus efflagitet quod est hæresis, secundum descriptionem Hier. Et hæ inconuenientiæ consequitur. Primò quod poterit quilibet interpretari præceptum illud, *Non furaberis*: Sicut inuentus est vnus dogmatizās quod pro nutrione pueri bonæ indolis ad eruditionem theologiæ, vel vtilitatā rei publicæ, poterit rapi pecunia à diuite: alij, quod licebat committere vsurā pro subleuatione pauperum: alij, quod simoniam pro necessitate ecclesiæ: alij, quod rapinā pro fundandis ecclesijs vel hospitalibus, nemo aspiciēs ad malū &c. Amplius secundò, idem arguitur de hoc præcepto, *Non mæchaberis*, quia diceret aliquis rex vel prępotens, sterilis est vxor mea, recipiā alteram ne successione defraudet hæredis: Alter idē faciet pro multiplicatione prolis ad cultum Dei. Rursus tertio contingit hoc idem circa præceptum hoc, *Non mentieris*: Mentiar inquit aliquis, vt saluem proximum, vel meipsum à morte, seu dāno, seu vituperio: Mentiar ad salutem aliorum corporalem vel spiritualem: Mentiar vt licētius perdantur impij tyranni vel hæretici: immo & confessionē reuelabo ne perdātur reliqui. Postremò, licebit etiā sic parētes occidere in senēctute ne lāgueant diutius: sic occidere seipsum ad euitationē indigentiæ seruitutis, vel stupri, vel contumeliæ Dei, sic fuit tempus, dum omnis qui interficiebat Christianos, arbitrabatur se obsequiū præstare Deo. Io. 16. &c. Aduertitis autem quam latè pateat hæc ruina, *si cuilibet, non secundū leges viuere, sed de lege iudicare licuerit*, contra illud decretum vulgatum. Eius est interpretari cuius est cōdere legē. Et illud Augu. de vera religione dist. 4. can. In ipsis tēporalibus legibus, vbi dicit quod dū institutę sunt leges, nō licebit etiā iudici de eis iudicare, sed secundum ipsas: vnde fatemur sensum legis, nō verba facere sensum literalem; sed de sensu periti definiunt, nō quilibet pro seipso. Denique cum ex solo sensu literali scripturæ sumitur efficax argumentum solidū, sic literalis sensus scripturæ in aliquo falsus diceretur &c. Tādem reprobetur assertio nona, quæ in schedula minus dānata est rigidè, in casu societatis iuramenti hæretica est, sacrilega est, perniciosissima est. Primò quidem quia periurium secundum genus suum (si Thomæ creditur) grauius est homicidio, quoniā est immediatius cōtra Deum, & contra præceptum primæ tabulæ. Cedit insuper in subuersionem grauiorem totius reipublicæ, dum vinculum eius, quod est iuramētum, rumpitur & dissoluitur; vnde iuramentum est omnis controuersiæ finis secundum Apostolū. Porrò, si *perdet Deus omnes qui loquuntur mendacium*, ita quod nulla adiectione potest licitū fieri, quid de periurio censebimus iudicandum? Negetur ratio Aug. quare mendaciū nō recipit cōpensationem

vt fieri licitum possit. Rursus exemplis sacræ scripturæ docemur 4.Reg. & 2.Paral. in fine, quod A Sedechias cum toto populo Iudæorum, ideo peremptus est, quia non tenuerit pactum cum idololatra Nabuchodonosore, seductus per sacerdotes dicentes, quod cum idololatra perfido, & tyranno, fœdus initũ non tenebat ex quo erat sine fide. Exemplum aliud est de Symeon & Leui, quibus iam maledixit pater, quia fregerant pactum cũ Sichimitis initum. Exemplum aliud apud gentiles de Regulo & Fabricio, ac multis similibus, de quibus loquitur Cicero 3. de officijs. Notetur quid recitet tempore Hannibalis de duobus remissis per B Romanos. Exemplũ de perfidia Carthaginẽsium, quæ subuertit eos, quibus dictũ est per quos Deus iurabit & vbi? Exemplum de fide militum, de fide mercatorum, de fide Ioãnis regis Franciæ, & aliorum quotidie sine numero, quos cõstat seruasse & hodie seruare confœderationes & vera iuramẽta, nedum in prȩiudicium temporale sui vel suorum, sed etiam in præiudicium vitæ propriæ, quod est vltimum præiudiciorum temporalium. Nota de Lombardis: nota de Lothoringis qui reducerẽtur C captiui à suis si fugerent. Denique quæritur, si cõfœderatus de quo loquitur hæc nona assertio, poterat seruare iuramentũ suum, non occidendo vel occidi faciendo tyrannum illum, cum quo iuramẽtum & fœdus habebat: & si sic, tenebatur illud obseruare, cum nõ cederet in præiudicium animæ suæ vel salutis æternæ: si verò non potuerit obseruare, consequetur primò, quod tenebatur de necessitate salutis tyrannum illum sibi confœderatũ vel occidere vel occidi facere, quod improbatum D est prius, quia nõ erat iudex eius, vt supponitur, & quia iudex etiam obseruare fidem hosti debet. Sequitur præterea, quod talis præsentiens illum esse tyrannum dignum morte, cui nec seruanda fides erat secundum eum, iurauit in mendacio & dolo malo. Vnde literalis intellectus, planus, & grossus apud omnes istius prȩcepti, *Nõ periurabis*, quod est omne iuramentum deliberatè & licitè factum tenendum est, etiam vsque ad præiudiciũ mortis tẽporalis, quoniã plus tenetur obseruare fidẽ suam, E quæ est quædã integritas & virginitas animæ, quã corpus propriũ vel alienũ, & est ordo rectus charitatis. Promiseramus inducere rationes cum auctoritatibus & historijs, summabimus illas plures, itaque cõtinentur 2.2.q.5.& q.8. in Aug. & Hier. plures in summa cõfessorum super his vocabulis, *bellum, homicidium, insidiæ, periurium*. Sanctus Thomas ad idem 2.2. q.64. multis articulis, & q. de insidijs & q. de iuramento. Item q. penul. secundi. Item l. 1. c.6. de regimine principum ad regem Cypri, determinans hanc quæstionem ex intentione, fun- F dans se in hac auctoritate Petri, *serui subditi estote in omni timore Dominis non tanquam bonis & modestis, sed etiam dyscholis*. Exemplificat de multis Romanorum imperatoribus, sub quibus Christiani passi fuerunt sponte, licet eos potuissent occidisse, vt patet de sacra legione Thebæorum Sarreburiensium. Insuper *** qui ab alijs distortè vel trũcatè allegatur, facit pro dictis lib.3.cap.16. vbi dicit quod tyrannus est qui vult contra leges dominari. Et lib.8.cap.19. tradit quod nullus quamtumcunque tyrannus, etiam notorius & intolerabilis, interficiendus est contra iusiurandum, neque per

Genesis 34.

venenum, Exemplificat de Dauid respectu Saül. Et tandem dat consilium simile sancti Thomæ. Sed addi potest quod per generale cõcilium possunt tyrãni iudicari vel de primi non propria præsumptione. Est ad idem Alexander de Hales diffusè, tertia parte summæ super hoc præcepto. Nõ occides. Ad idem Aug. lib. de libero arbitrio, & secunda contra Faustum. Ad idem l. de vitijs, tractatu de ira. c.12. Ad idem leges ciuiles. Exẽpla sunt in scriptura de Caym sceleratissimo, de quo non licuit alteri vt interficeret eũ. Item de Iudæis, qui licet Christum reputarent tyrannum pessimum, noluerunt tamen interficere propria auctoritate. Cõcludamus tandem ex istis omnibus veritatem secundæ partis cõclusionis nostræ principalis, scilicet quod hȩ nouem assertiones, rationabiliter & catholicè, prout in schedula continetur qualificatæ, reprobatæ sunt, immo profiteor cum reuerendissimo patri Domino Cardinali Cameracensi, & firmissimè teneo, & nullatenus dubito, quod hæc doctrina est hæretica, &c. & damnata per hoc cõcilium in ista, *Quilibet tyrannus &c.* Nec super hoc oportet me iudicio concilij tanquam sim dubius submittere, quia crederem me peccare sentiendo de fide certissima rem incertam. Habent ecce criminatores quod intendunt, me cõfidentem quod opponunt &c. Elicitur ex his, quod nullus à commissione circa materiam fidei repellendus est tanquam suspectus, si dixerit hanc esse fidem suam, quemadmodum fecit idem reuerẽdissimus pater Dominus Cardinalis Cameracensis præceptor meus clarissimus, ad requestam serenissimi regis Romanorum. Sic & præfulgidum decus canonistarum, & flos gratissimus Dominus Cardinalis Florensis, confestim vt aliàs me præsente legit has assertiones, admiratus: Et potuerunt inquit, inueniri defensores quin mox fuerint aliqui contradictores? adeò sibi manifestus error videbatur. Sequitur tandem iuramentum fuisse licitum de repugnando talibus erroribus.

Tertia pars conclusionis principalis.

DEMONSTRATIS itaque duabus primis partibus nostræ conclusionis, ita vt non sit relictus dubitationis scrupulus apud illos qui nolunt fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Nam & ratio euidens, & auctoritas conuincens, & hoc sacrum concilium determinans, multipliciter hoc credere tradunt & impellunt &c. Expediamus nos breuiori sermone, de partibus reliquis duabus. Dicit tertia pars, quod hæ nouem assertiones potuerunt per doctores & ordinarios locorum doctrinaliter ac iudicialiter condemnari. Stabiliamus hoc quadrupliciter. Primitus in iure diuino, spectat itaque ad prælatos etiam inferiores pascere gregem pabulo doctrinæ Ioannis 10. *Bonus pastor &c.* & Matth. vltim. *docete omnes gentes &c.* Esa. 58. *Clama ne cesses.* Hiere. 23. *Væ pastoribus &c.* Ezech. 33. *Væ pastoribus Israël.* Et 22. *Si speculator vidit &c.* Et simile eiusdem 3. *Si dicente me ad impium.* Thre. 2. *Prophetæ tui viderunt &c.* Deuter. 13. & 16. Contra hæreticos 1. Timoth. 4. ad Titum 3. ad Gal. 2. 5. & 6. Item Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi &c.* Ex quibus omnibus fundatum est in scriptura sacra, quod doctores & prælati possunt & debent

debent populũ ſubditũ in doctrina ſana paſcere & ne errent prouidere. A Stabiliamus ſecundò partem eandem ex iure naturali & poſitiuo. Ex naturali quidem quo pater debet erudire filios, ſapiens inſipientes docere, videns cæcos ducere, caput in membra ſenſum influere, & ita de reliquis ſimilitudinibus naturalibus. Ex poſitiuis verò iuribus iudicatur extra de hæretic. cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus & ca. ſicut, & extra de ſimo. cap. licet Heli. & lxxxiij. diſtinct. can. nil illo paſtore, &c. Stabiliamus tertiò partem hãc & approbationem huius ſacri concilij per practicam eius: B collaudat enim condemnationes factas contra errores Vvicleff, per vniuerſitates Oxonienſum & Pragenſem, & per ordinarios eorundem locorũ; quas velut temerarias & iniquas reprobare debuerat, ſi nequaquam eis condemnatio talis licuiſſet. Inducerentur ſimilia plura de prioribus concilijs tam generalibus quam prouincialibus etiam ante Nicænum concilium &c. Stabiliamus denique quarto partem eandem ex conſuetudine laudabili in diuerſis diœceſibus, præſertim in Pariſiẽſi. C Illic enim damnati ſunt articuli & damnantur quotidie per doctores ſacrę ſcripturæ, & per Epiſcopos, & iurant baccalaurei prius quã legant ſententias in manu Cancellarij Pariſienſis, quod ſi quid audierint dici in fauorem articulorum Pariſijs condemnatorum, reuelabunt infra octo dies Epiſcopo vel Cancellario Pariſienſi, qui erunt pro tempore. Scripſit & hoc idem ſacræ theologiæ facultas, in Pariſienſi vniuerſitate, in tractatu quem miſit ad Clementem VII. ſoluens rationes vel allegationes in oppoſitum ſumptas ex D iuribus malè intellectis. Cuius facultatis auctoritas maior eſt in hac parte, quam vnius gloſſatorũ, quia decreta ſunt dicta doctorum ſanctorũ theologorum, quę melius intelligi poſſunt à theologis, quam onica ſolis iuriſtis, ſicut archirecta iudicat de cæteris. Concedamus tamen, quod nulli inferiores ad Papã, vel ad generale conciliũ, faciũt determinationes in fide, quæ ligent generaliter õnes Chriſtianos, vt præciſè ſunt taliũ: præterea dicũtur inferiores prę lati cauſas fidei magis vẽtilare: quàm terminare; E quia reſeruatur auctoritas ſuperiori, qui poteſtatem habet vniuerſalem definiendi & obligandi. Quod ſi dicatur, quia prælati inferiores & inquiſitores, quandoq; ſunt ignari ſacrarum literarum (ſicut arguit Ockam, quod planè ita fuerunt quandoque ſummi pontifices) propterea cõcedimus prælatos inferiores non debere quæſtiones fidei iudicialiter decidere, niſi cõcurrentibus iſtis cauſis. Prima, quod ſcãdalum fuit ortũ ex aliquibus aſſertionibus in ſua diœceſi, quia de his quæ foris ſunt nihil ad eos, niſi forte requiſiti ſint F in fidei ſubſidium. Secũda, quod aſſertiones tales ſunt, quæ ſine periculo non poſſunt diu admitti, vel tolerari, nec eorũ falſitas ignorari ſeu dubitari. Tertio, dum habetur ſufficiẽs copia doctorũ in ſacris litteris, & hominũ ſcientium diſcernere, ſi tales aſſertiones ſunt explicitè contra fidem, & per ſacram ſcripturam reprobatæ in ſententia vel affectu. Poſſunt itaq;, immo & debent prælati & doctores, ſcire multa eſſe contra fidem explicitã, qualia populus neſcit, niſi implicitè. Vnde regulariter nec ppa, nec generale cõcilium debet facere determinationes fidei, niſi concurrant hæ tres cauſę: quod ſi dicitur, prælatos & doctores poſſe facere, de aliquibus aſſertionibus declarationes quę ſunt contra fidem, non tamen poſſe determinare; hoc nihil eſt, quia papa vel generale concilium determinando de fide, ſecluſa reuelatione ſpeciali, non faciunt aliud niſi declarare talia eſſe de fide, cum pœnarum adiectione. Deniq; non poteſt allegare contra prælatos vel doctores, ſi prius damnent aſſertiones doctrinaliter & iudicialiter, quam euocent & damnent aſſertores. Exemplum multiplex de numiſmate falſo, & de morbo canceris, & ſimilibus. Hoc inſuper practicatum eſt in hoc ſacro concilio, de erroribus Vvicleff, & de iſto, *quilibet tyrannus &c.* & in alijs concilijs, & de hæreſibus & apocryphis dogmatibus, ſine actione damnatis. Eſt enim prius dãnare hęreſes, quam dãnari poſſint errantes, propterea peruerſiſſimus ac pernicioſiſſimus eſt, non quidem ordo iuris, ſed illius confuſio, nolle quomodolibet tractare prius de intereſſe fidei, quam diſcuſſum vel deciſum fuerit de intereſſe perſonali. Et hic locum habet dictum Chriſti. Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Nunquid non eſt iudicium ſufficienter fundatum, vbi error nunciatus eſt, reus, promotor accuſans, iũdex damnans? Aduertant prælati ea quæ ſequerentur inconuenientia, ſi paſſim ac liberè aliqui prædicarent quicquid vellent; neq; poſſent corrigi, niſi referendo cauſas ad ſedem apoſtolicam, vbi plerumq; pauci ſunt theologi, niſi forte tales, qui poſſunt eſſe rei & pars. Audenter non arroganter affirmo, quod in damnationẽ nouem aſſertionum, plures fuerunt magiſtri in theologia ac licentiati, abſq; baccalaureis formatis, & alijs, quàm ſunt in hoc ſacro concilio: & tribus menſibus durauit eorum deliberatio, quæ fiebat publicè & liberè; proteſtãdo quod ſolum ad extirpationem errorum (ſicut ſua profeſſio requirit) intendebant. Propterea, nõ euocata eſt facultas decretorum tota, ſicut theologi omnes vocati ſunt; quia de ſolo fidei intereſſe quærebatur. Addo, quod nullus vnquam inuentus eſt, me ſciente, qui auderet dicere quod aſſertiones iſtæ & ſimiles eſſent veræ, quamuis aliqui diuerticula confingerent, ne reſponderent ad rem iſtam. Rurſus, executio facta eſt, non per vnum aut per duos, ſed per ſedecim magiſtros, ad hoc iudicialiter deputatos.

SVPEREST declaranda quarta pars & vltima, dicens, quod hæ aſſertiones nouem, ſunt per hoc ſacrum Concilium, vel per ſedem apoſtolicam de neceſſitate ſalutis reprobandæ, & hoc verè vel interpretatiuè. Redditur hæc pars perſpicua, tam ex prioribus reprobationibus, quàm ex probationibus partis pręcedentis, videlicet ex iure diuino, ex iure naturali, & humano. Nõ enim minus, immo amplius, concilium generale obligatur vigilanter intendere ad extirpationem errorum, & emendationem errantium, quàm prælati inferiores, vel etiam ipſi ſeculares principes: qui qualiter obligantur, notum eſt ex prioribus, & ſcientibus legem loquor. Deinde, patet eadem pars ex verbis huius ſacri concilij, poſitis in condemnationem huius aſſertionis. *Quilibet tyrannus &c.* vbi ſic dicitur.

Præcipua ſollicitudine volens ſacroſancta ſynodus ad extirpationem errorum

(in diuersis mũdi partibus inualescentium) procedere, sicut tenetur & ad hoc collecta est: Nuper A accepit &c. Deniq; sumitur probatio partis huius ex notorietate multiplicis scandali, quod verisimiliter tolli nõ potest, nisi per determinationem huius sacri concilij. Scandalum vnum est inter prælatos etiam eiusdem regni, pluribus definientibus vnam, alijs murmurãtibus, & virtualiter reprobantibus; dicẽdo, quod de opinione fidem facere volunt, quod sentẽtiæ Parisijs latę, per regem & vniuersitatem approbatę, ac per regnum acceptæ, sũt iniquæ vt pridie dicebatur in publico. Reuera benedixit apostolus de hæresi, quod ipsa sicut cancer B serpit, quoniã ex vna iã centũ exortæ sunt, ita quod sanguis sanguinem tangit. Scandalum aliud est inter doctores & scholasticos aliquos· sicut pater, quamuis non expressè reprobant sententias istas, sed profectò seducũt se, diffamant se, nec iuramẽtum custodiunt. Scandalum aliud est, & fuit multiplex, & horrẽdũ inter seculares, sed væ per quos, quia nõ per fidei defensores, neq; per hęresum reprobatores (viderint ipsi qui fecerunt & faciunt opere & cõsilio, vnde scandalũ tale venit) quia pro- C fectò non datum fuit, sed acceptum. Est enim pax multa diligentibus legẽ Domini, & non est illis scãdalum. Ego fidenter pro me respondeo, quod nec tam potens sum, quod possim operari destructionem talem totius cõmunitatis aut regni: Nec tam peruersus & nequam, vt hoc vellẽ Deo propitio, & ad veritatem perscrutandam, esset vigilãtius attendendum quid importent voces tales, vt occurreretur destructionis periculo, si tale sit, & vnde sit hæc percussio: est inquiunt, in destructionem cõ- D munitatis totaliter & c. Dicere habet omnis bonus ciuis, ecce si propter me tẽpestas hæc orta est, mittite me in mare &c. Sed reprimo. Cum hæc ita se habeant de tantis scandalis, dum sacrum hoc generale concilium potest occurrere, & opẽ ferre, si dissimulet, si procrastinet, si in personarũ acceptionẽ, velit habere fidem Iesu Christi, nonne iudicabitur in se, & in suis membris reprehensibile? Nõne de reatu apud Deum & homines arguetur? cur ita? quia vnico sententię definitiuè verbo, tãtis malis occurrere potest, deuios ad se reducere, & errã- E tes reuocare. Quod quãti meriti sit, Iacobus ostẽdit. Dicũt itaq; omnes definitiuè perhibemus, rectè quod non perhibetis. Faciunt pro hac parte dicta, scripturæ & sanctorũ, extra de hæret. capit. 2. qui alios cũ potest &c. 23. q. 4. can. ita planè; lxxiij. dist. can. error cui non resistitur approbatur; extra de homici. cap. sicut dignum, qui potuit hominẽ liberare &c. & Mat. 18. de tollendis scandalis & membris nocẽtibus in cropore mystico; ac de illa lege, *dic ecclesiæ, quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: debet etiam ibi loqui sic, vt audiatur: & 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti &c.* Obsecro, peto & obtestor, per matrem omnium bene viuentium charitatem, per illam, sine qua Deo nemo placere potest neq; saluari, fidem scilicet catholicam, per beatam deniq; felicitatis spẽ; nolite fieri (sicut monet apostolus) *Ephes. 5.* imprudentes, sed intelligẽtes quæ sit volũtas Dei. Cõstat autem quantum est ad præsens dicere talis intelligentia in quatuor considerationibus in quibus mox finis erit. Protestor nihilominus solẽniter, & supposito quod mihi non præiudicet modestia mea, quam hactenus tenui coram Dominis commissarijs, & hic nolendo quicquam dicere, & respõdere circa materiam harum nouem assertionum, pręter id quod ad reprobationẽ earũ theologicam spectat, & ad apertionem theologicã materiam, prædicãdo quod altera pars similiter se habeat, aut si contigerit quod fiat descẽsus ad personalia qualiacunq;, tangentia vel Christianissimum Regem Frãciæ, cuius legatione fungor, vel sacram theologiæ facultatem, aut illam cuius pars est vniuersitatẽ Parisiensem, aut personam meã, in fama, doctrina, vel aliter detur, & pateat mihi legitimæ defensionis & respõsionis locus. Sic spero firmiter in Domino, quod potẽtissima veritas vincet, & fides in qua est mundi victoria. Habet veritas similiter & iustitia (dicente Aug.) quandam lucem suã, quæ velut orbiculariter se diffundit, & terminatur ad vmbram: à qua luce, dum quis refugit excæcatur, & magis ac magis in tenebrosa demergitur. Intelligamus igitur quæ sit voluntas Dei sub considerationibus paucissimis. Intelligere conuenit, quod hæreticus est (sicut dicit Aug. in de vtilitate credendi; & habetur 24. q. 3) qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatúsq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones, vel gignit vel sequitur. Ecce quod dicit, & nedum assentiẽs, quoniam dubius in fide, infidelis est, dũ videlicet dubitat in eis quæ explicita & certa fide tenetur credere, profiteri, vel docere, ratione sui status, scientiæ, vel gradus propterea dixi me non dubitare. Intelligere conuenit, quod hæresis sola non facit de per se hæreticum, nisi dum coniungitur deprauatio pertinax ipsius voluntatis, iuxta illud Augu. *Errare potero, hæreticus non ero*, & hic locum habet protestatio ac submissio conditionalis, quæ pertinaciam excludit: Hoc verum est in dubijs, sed in certis, illam inquinat potius quàm saluat, & est duplex iniquitas, & c. patet in hæreticis dicentibus, se fidem catholicã semper velle profiteri. Intelligere conuenit, quod ille censendus est pertinax, qui non dimittit errorem suum, nec quærit cauta solicitudine veritatem, vel quæsitæ & doctæ non obedit: cuius pertinaciæ multa sunt signa, sicut enumerat Ockam, prima parte dialogorum li. 4. ponit decem & nouem signa, ego redigo ad duodecim. Inter quæ illud est præcipuum & pessimum, dum error defenditur verbis & factis, minis & terroribus, cautelis & ambagibus. Aliud signum est in eis, qui consentiunt errantibus, sicut dicitur ad Ro. 1 quanto amplius qui errores vel errantes defendere satagunt malis modis? Intelligere postremò conuenit, quod non licet homines ea nescire quæ spectant ad officium proprium, sicut oportet F iudices cognoscere ea de quibus iudicare habent, vt de homicidijs, furtis, & similibus. Similiter, oportet prælatos & doctores, scire nedum implicitè, sed etiam explicitè veritatem nostræ legis, tam in speculatiuis, quàm imaginabilibus, quæ necessariæ sunt & vtiles ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, sicut dicit apostolus, vt perfectus sit homo Dei ad opus bonum instructus. Nihil autem magis scire conuenit in populo Christiano & in omni republica, quàm quod seruanda sunt pacta seu iuramenta ad Deum & proximum; & quomodo non inferenda sit iniuria proximo, præsertim in re sibi charissima,

charissima, quæ est vita corporalis & spiritualis scilicet animæ; neque occidatur à non vero iudice A suo; neq; impediatur per subitam mortē æterna salus sua. Quod deniq; nō vsurpet, cui non est concessa sibi potestatem, neq; velit esse iudex, testis & pars, & sibi ius dicere, quod nefas est, & ita de similibus præceptis moralibus &c. Hoc attendentes nolite fieri imprudētes, sed intelligētes quæ sit volūtas Dei, & sicut corde creditis ad iustitiā, sic potens & cōstans vestra sit oris confessio ad salutem: quatenus qui probati sunt, manifesti fiāt. Et
Philip. 4. pax Dei quæ exuperat omnē sensū, custodiat corda vestra, & intelligētias vestras, in Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus benedict⁹ in secula Amē. B

ASSERTIONES CONTENTÆ IN PROPOSITIONE DEFVNCTI MAgistri Ioannis parui, & forma condemnationis earundem, quæ facta fuit per Episcopum Parisiensem.



I. Licitvm est vnicuiq; subdito, absque quocunque præcepto, vel mandato, secundum leges, naturalem, moralem, & diuinalem, occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum; qui per cupiditatē, fraudem, sortilegiū, vel malum ingenium, machinatur contra salutem corporalem regis sui, & superiorū omniū, pro auferendo sibi suam nobilissimā & altissimam dominationem: Nedum licitum, sed honorabile & meritoriū, maximè quādo est potentiæ tantæ, quod iustitia nō potest bono modo fieri per supremū. *Erronea in fide & in moribus multipliciter scandalosa.*

II. Leges naturalis, moralis, & diuina, auctorizant vnumquemq; subditum, de occidēdo vel occidi faciendo dictum tyrannū. *Erronea in fide & moribus ac legibus naturali, moralì, & diuinæ iniuriosa.*

III. Licitum est vnicuique subdito, honorabile, & meritoriū, occidere vel occidi facere supra nominatum tyrannū, proditorem, & infidelē suo regi, & supremo Domino, per explorationes & insidias: Et est propria mors qua debent mori tyranni, occidere scilicet eos villane, id est sine diffidatione, per optimas cautelas explorationes & insidias; & est licitū dissimulare, & silere voluntatē suam de sic faciēdo. *Falsa, erronea, & scandalosa.*

IV. Ius est, ratio & æquitas, quod ōnis tyrānus occidatur villane, per explorationes & insidias, & est propria mors qua debēt mori tyranni & infideles, occidere scilicet eos villane, per bonas cautelas, explorationes & insidias. *Erronea, crudelis & impia.*

V. Ille qui occidit vel occidi facit tyrannum supra nominatim modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & rex nō debet solum esse contentus; sed debet habere factū acceptabile, & auctorizare quantum opus vel necessitas esset. *Erronea in fide & moribus, ac regiæ dominationi iniuriosa.*

VI. Rex debet præmiare vel remunerare illum qui occidit modo qui dictus est, vel occidi facit tyrānum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in operibus, honoribus, & diuitijs, exemplo remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione luciferi à regno paradisi, & nobili homini Phinees pro occisione ducis Zambri. *Erronea in fide & moribus, scandalosa, ac regiæ dominationi iniuriosa.*

VII. Rex debet plus amare quam prius, illum qui occidit vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supradictis, & debet facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem suam per regnum suum; & extra facere publicari per literas, in modum epistolæ & aliter. *Erronea in fide & moribus, scandalosa ac regiæ dominationi iniuriosa.*

VIII. Litera occidit, spiritus autem viuificat, hoc est dicere quod semper sensum literalem seruare in in sacra scriptura, est occidere animam suam. *Expositio distorta & erronea.*

IX. In casu societatis, iuramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab vno milite ad alterum, quocunque modo illud fiat, aut fieri possit: si contingat quod illud vertatur in præiudicium vnius, promittentium, ad confœderationem sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas obseruare: hoc probatur ex ordine charitatis, quo quilibet tenetur seipsum plus diligere, vxorem, & liberos. *Falsa, erronea, seditiosa & periurio viam prabens.*

C Pro decleratione primæ assertionis, placeat attendere quod cum bonum, similiter & verum sint ex omnibus circunstantijs, vt dicit Ambr. si deficit circunstantia, propositio vniuersalis redditur falsa: Requiruntur autem multæ circunstantiæ si prędicta propositio debeat reddi vera. Prima circunstantia requiritur ad verificationem eius, quod ille de quo loquitur, sit notorie tyrannus talis sicut describitur, & hoc notorietate iuris vel facti; alioquin quilibet fingere posset de quolibet quod esset tyrannus. Vbi notetur quid sit notorium iuris, D quādo scilicet reus confitetur in iudicio; vel profertur sententia contra eum: Et quid est notorium facti, quod scilicet nulla potest excusatione negari, quia sic semper euenit ex talibus argumentis. Vnde non est procedendum ad certam mortem, ex incertis & leuibus coniecturis, vel suspicationibus non probatis. Item, requiritur quod sit notorium, talem de quo loquitur, non posse comprimi per superiorē suum; & hoc notorietate iuris vel facti, vt prius: alioquin, quilibet posset fingere E vt prius, & ita periret omnis politia & dominationis auctoritas, & in regno & in ciuitate, & generaliter in omni societate, Item, requiritur quod non sit probile, talem de quo loquitur, posse occidi per alium æquè bene; alioquin mille & mille deberent concurrere ad occisionem vnius tyranni, sine lege, & ordine: ex quo ponit assertiō cum suis corollarijs, quod à quolibet debet talis tyrannus occidi. Item, requiritur quod non sit probabile quod expediat tolerare talem tyran- F num, ne deterior exitus proueniat: alioquin periret consilium Christi de non eradicandis zizanijs: Item, requirtur quod non sit probabile talem tyrānum esse faciliter corrigibilem, vel quod possit aliter comprimi cum facilitate maiori: alioquin nō daretur locus correctioni, & timori Domini. Itē, requiritur quod nō fiat occisio talis tyrāni insidiosè, & subdito, cū certo detrimēto animę suę, vbi potest aliter fieri, prout requirit vtilitas reipublicæ & animæ salus; quoniā in hoc fūdatur decretalis, pro humani, de homicidio & assasinis. Itē, requiritur quod ad occisionem talis tyranni, non assumantur media de se mala, vt sunt fictæ cōfœ-

derationes, immo expectationes, & falſa iuramenta, mendacia: quoniam non ſunt facienda mala vt eueniant bona, ſecundum apoſtolum: Et quia ſimulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas & ſimulatio. Pro hac eſt illuc: quia iuſtum eſt, iuſtè exequeris. Item, requiritur cõformiter ad præcedẽtia, circunſtãtia quod bono animo fiat hæc occiſio, non ex vindicta, vel rancore, vel ambitione, ſed intuitu legis diuinæ & ciuilis, ac pro rei cõmunis vtilitate, cum omnibus circũſtantijs alijs moralibus, quãdo & vbi oportet: ratio eſt ſicut ad præcedẽtem, vnde nõ debet occidi per ſacerdotem in loco ſacro, &c. Sed quare nõ appoſitæ ſunt cõditiones præmiſſæ ad aſſertionem illã. Reſpõdetur quod ſubſumptio in minori habuit inſtãtias pro qualibet circũſtantia requiſita in morte Domini Aurelianenſis. Immo etiam ſi prædictæ cõditiones omnes cõcurrerent, quod ſcilicet aliquis notoriè eſſet tyrannus, & incorrigibilis per ſuperiorẽ, & intolerabilis per ſubditos, nihilominus ſanctus Th. in ſuo de regimine principum, ad regẽ Cypri; Magiſter Nicolaus Oreſmenſis, trãſlatione ſua circa principiũ quinti politicorum, & aliorũ plures, dicunt & deducũt ex intentione, quod talis tyrãnus magis eſt iudicio Dei reſeruãdus, quàm per priuatã auctoritatem, vel ſeditionem occidendus, videantur eorum reſponſiones. Cõſtat autẽ quod in hac parte magis credendũ eſt catholicis doctoribus, quã philoſophis infidelibus, ſi forſitã aliter ſentiunt in factis vel in ſcriptis: quemadmodũ iudicãt eſſe opus fortitudinis ſemetipsũ occidere, & multa ſimilia, quæ lex chriſtiana cõdemnat. Attẽdatur quod vltra prædictos errores, ſunt alij plures iſtorum occaſione ſeminati pluſquam ſexaginta, quorum reprobatio non eſt iudicialiter facta, ſed doctrinaliter annotata &c.

Sequitur caſus breuis ſententiæ latæ Pariſijs contra propoſitionem magiſtri Joannis, parui quam intitulauit IVSTIFICATIO DVCIS Burgundiæ &c.

PRÆSVPPOSITIS circũſtantijs mortis improuiſæ Ludouici ducis Aurelianenſis fratris vnici regis Franciæ, & confœderationibus cum eo per Ioannem ducẽ Burgundiæ iuratis, & alijs quæ ſunt notoria in facto, proponere publicè & aſſerere ac defendere quod hæc mors fuit iuſtè facta, & pro bono regis, & regni Franciæ, & quod eam rex debebat habere gratam & laudatam, ac remuneratione dignam; eſt ſcandaloſè ac pernicioſiſſimè errare in fide & moribus; & ſpecialiter contra hæc duo præcepta, *Non occides*, ſcilicet abſque auctoritate iudiciaria: Et illud, *Non periurabis*: vbi omne iuramentum iubetur obſeruari, quod non vergit in detrimentũ animæ. Et contra illud Exod. 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Et contra illud 23. qu. 5. can. Non occides. Quod ſumitur ab Aguſt. lib. de ciuitate Dei, vbi dicitur, his igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ſpiritus ſanctus iuſtitiæ Deus, ſpecialiter iubet occidi; quiſquis hominum, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Et 23. quæſt. 8. can. quicunque, quod ſumitur ab eodem Aug. eodem libro, vbi dicit, qui ſine publica aliqua adminiſtratione, maleficum,

A furem, ſacrilegum, adulterum & periurium, vel quemlibet criminoſum interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur, & tantò acrius, quantò non ſibi à Deo conceſſam poteſtatẽ abuſiuè vſurpare non timuit. Eſt deniq; contra rationem condendi decretalem illam, pro humani, de homicidio lib. 6. editam in concilio Lugdunenſi: vbi cõtra interfectores per aſſiſinos, ponitur pœna excõmunicationis, & depoſitionis, à dignitate, honore, ordine & beneficio ipſo facto. Ex quo quicunq; talis fuerit, à toto Chriſtiano populo perpetuo diffidat⁹ eſt, ſic quod

B poſtquam probabilibus cõſtiterit argumentis, aliquod ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis, vel diffidationis aduerſus eum, ſententia requiritur. Sequitur concluſio quam epiſcopus Pariſienſis miſit nonnullis doctoribus & magiſtris in theologia almæ vniuerſitatis Pariſienſis, cum ſuis reprobationibus, in die veneris 7. Decembris, anni 1413. ad reddendum deliberationem ſuam in die mercurij 13. ſequentibus in forma qua ſequitur &c.

C Ex parte domini Epiſcopi Pariſienſis & Inquiſitoris & Concilij fidei ſolenniſſimè congregati, magiſtri reuerendi, mittitur vobis ſchedula continens aſſertiones aliquas cum ſuis reprobationibus: quare requirimus vos ſub pœnis iuris, vt detis deliberationem veſtram publicè in ſcriptis vel verbotenus, ſi huiuſmodi aſſertiones ex quibus ortum eſt notoriè ſcandalum, ſicut notat concilium fidei, ſint erroneæ & taliter cõdemnandæ, vt conſequenter procedere valeamus, ſicut ordo iuris poſtulat, & hoc infra diem mercurij 13. huius

D huius menſis Decembris &c. *Quilibet tyrannus, poteſt & debet licitè & meritoriè occidi à quocunq; ſuo vaſallo aut ſubdito; & per quemcunque modum, maximè per inſidias, & per ſlaterias; non obſtante quocunque iuramento aut confœderatione facta apud eum; non expectando ſententiã, aut mãdatum iudicis cuiuſcunque.*

Sequitur reprobatio huius concluſionis in forma.

E HÆC aſſertio ſic generaliter poſita, & ſecundum acceptionem huius vocabuli *tyrannus*, eſt error in noſtra fide, & doctrina bonorum morum, & eſt contra præceptum Dei: *Non occides*, gloſſa propria auctoritate. Et contra hoc quod dicit Dominus noſter: *Omnes qui gladium acceperint*, gloſſa, propria auctoritate, *gladio peribunt*. Item, hæc aſſertio vergit in ſubuerſionem totius reipublicæ, & vniuſcuiuſque regis aut principis. Item, dat viam & licentiam ad plurima alia mala, & ad fraudes, & violationes fidei, & iuramenti, & ad

F perditiones, & generaliter ad omnem inobedientiam ſubiecti ad dominum ſuum; & ad omnem infidelitatem, & diffidentiam vnius ad alterum; & conſequenter ad æternam damnationem. Item, ille qui affirmat obſtinatè talem errorem, & alios qui inde ſequuntur, eſt hæreticus, & tanquam hæreticus debet puniri, etiam poſt ſuam mortem: Notetur in decretis 23. q. 5. &c.

Sequitur tenor ſchedulæ ex parte Epiſcopi Pariſienſis, & Inquiſitoris, præfatis doctoribus & magiſtris Anno prædicto die mercurij 7. Feburarij tranſmiſſæ.

MA-

MAGISTRI reuerendi, mittitur vobis, schedula continens assertiones aliquas extractas per deputatos ad hoc, ordinatos per nos ex deliberatione concilij fidei ex quaternis pluribus propositionis magistri Ioãnis parui, quam ipse vocat iustificationem domini Burgundiæ requirentes vos in fauore fidei vt die lunæ proxima de mane compareatis in camera nostra episcopali, ad dandum nobis salubre concilium supra prædictis assertionibus, an sint erroneæ, & rationabiliter condemnandæ, vt cõsequenter procedere valeamus, sicut ordo iuris postulat &c. Prætendunt aliqui defensores doctrinæ hæreticalis nouem assertionum cõdemnationem earum, quam directè non possunt per indirectũ impedire. turbaret inquiunt, pacem sanctam & diuisiones induceret illa dãnatio. Sed respondetur in oppositum primò, quia doctrina hæc radix est diuisionum qua remanente nõ succisa magis ac magis diuisiones pullulabũt. Secundò quia doctrina hæc pestifera tollit & eneruat omnem pacis stabilitatem dum homicidia, insidias & periuria fouet, sicut patet intuenti, præsertim in nona vbi dicitur quod nullus iurans tenetur seruare iuramentum in suum pręiudicium vxoris vel liberorum. Tertia, quia materiam hanc iam in cõtradictione posita solemniter in hoc sacro concilio non condemnare est eam patenter approbare, iuxta illud canonis. Error cui non resistitur, approbatur. Attento quod hęc materia moralis sub probabilitate relinqui non potest, quia sub probabilitate non sunt homines occidendi, neq; insidiandum est, neque periurandum. Quartò, quia sic consueuerunt hæretici postquam effuderunt venenum suorum errorum dicere. Ecce si valeamus ne turbemus pacem, sicut patuit in Arrio & fautoribus eius, sic in proposito, quia defensores aliqui huius doctrinæ mortiferæ persequuntur assiduè verbis & factis impugnatores eius, tã iudicialiter in facto prætensæ appellationis quam persequuntur coram Domino cardinali de Vrsinis quã extraiudicialiter miris modis. Et attendatur quod non potest dici iniuria maior vni Christiano, præsertim prælato vel principi vel professori seu consiliario principum, quam quod suscitabit diuisiones & guerras, si fidei materia discutiatur atq; terminetur. Illi porrò dicendi sunt seditiosi vel scandalosi, qui doctrinas scandalosas seminant, nã qui iam pestiferæ seminatas & nimis proh dolor adultas eradicare contendunt, scientes quod à speculatore silente pereuntium sanguis exquiritur. Denique fidei veritas vbi dicetur si generali concilio subticenda censetur? Nonne Gregorius ait: Vtilius nasci scandalum permittitur quam veritas deseratur. Qualis tandem crudelior impietas quam errantibus in via morum nolle petitum tramitem ostendere veritatis. Alio modo quærunt euasionem aliqui dicentes, quod illæ assertiones possunt exponi rationabiliter, addendo glossas aliquas, sicut exponuntur propositiones morales de sacra scriptura, vt illa, maleficos non patieris viuere, quæ generaliter intellecta esset falsa. Addunt pro regula quod nulla propositio dãnanda est quæ potest trahi ad bonum sensum. Sed illa responsio cum sua additione perniciosissima est, & contra omnem ecclesiasticum ritum, quia sic fundabant se hæretici, prout vidimus in Vvicleff & Husum, qui dum vrgebantur confugiebant ad glossas. A Vnde propositiones vniuersales de sacra pagina possunt & debent aliter exponi quam propositiones magistri Ioannis parui. Primò quia scriptura sacra exponit suas regulas per semetipsas secundum diuersos passus scripturæ & iuxta sacros doctores. Non sic autem inuenitur quod magister Ioannes parui se exposuerit, immo potius oppositum considerando causas dicendi. Secundò, quia scripturę sacrę debetur talis reuerentia quod non licet eam esse falsam in aliquo sensu literali. B Non sic est de propositione prædicti parui vel alterius doctoris &c.

DECLARATIO VERITATUM QUÆ CREDENDÆ SUNT DE NEcessitate salutis, edita per eundem dominum cancellarium Parisiensem.

DECLARATIO compendiosa quæ veritates sint de necessitate salutis credendæ, quæ de sola probabilitate tenendæ, quæ de pietate fidei reputandæ, & quæ sint impertinentes iudicandæ, & hoc sub distinctione vel gradu sextuplici, qui ad quaternarium reducitur. C Pro solutione dubitationis quæ nuper mouebatur in sermone de natiuitate beatæ virginis Mariæ consideratione secunda.

Primus gradus veritatum credendarum est canon totius scripturæ sacræ & singulorum quæ in ea literaliter asserta sunt, sic videlicet quod non stat cum fide vt aliquis dissentiat pertinaciter alicui contento in eadem scriptura ad intellectum spiritus sancti, qui est verè & propriè sensus literalis. D Si allegatio quæritur, sufficit illud Mat. 5. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Sequitur. Amen dico vobis, cœlũ & terra transibunt, verba autem mea non transibũt. Constat autem quod canon bibliæ lex est Dei per reuelationem habita, cuius assertiones literales innituntur huic vnico literali principio. E Omne reuelatum à Deo est verum, & quod scriptura sacra diuinitus est à Deo reuelata, sic quod in omni sua parte est verbum Dei quod transire non potest. Facit ad hoc dist. 9. decreti capitulis. Ego solis. Si ad sacras, & quis nesciat.

Secundus gradus veritatum ab ecclesia determinatarum est, quæ ab indubitata relatione apostolorum per successionem continuam deuenerunt. F Est autem hæc ecclesiæ auctoritas tanta vt diceret August. Euangelio non crederem nisi me auctoritas ecclesiæ compelleret, quamquam vicissim dici possit, ecclesiæ non crederem si non auctoritas sacræ scripturæ impelleret. Et ita diuersis respectibus auctoritas vtraque mutua se confirmat.

Attendendũ tamen est quod nõ omnia quæ tradit vel tolerat ecclesia publicè legenda, sunt de necessitate salutis credenda, sicut patebit ex quinto & sexto gradibus veritatum, sed dum taxat illa quę sub definitione iudiciali tradit esse credenda vel opposita reprobanda concurrenti vniuersali

totius ecclesiæ consensu implicitè vel explicitè, verè vel interpretatiuè. Tertius gradus est veritatum A specialiter aliquibus reuelatarum quæ ab illis quibus reuelatio facta est, absque vlla dubitatione credendæ sunt, alioquin non esset reuelatio de cuius ratione est vt sit certa. Cæteri verò quibus non est huiusmodi reuelatio facta, non obligantur credere nisi per miraculum vel scripturam sacram, & præcipuè per ecclesiam detur certitudo. Sic enim Ioannes Baptista missionem suam ostēdit per scripturam propheticam. Et Apostolus propterea cōtulit euangelium suum quod habuerat per reuelationem cum Petro, & alijs de ecclesia, nō quod dubitaret de illo euāgelio peccasset, etiā si angelus de cœlo aliud vobis euāgelizauerit, anathema sit. Sed ideo cōtulit euangeliū suum vt approbaretur per ecclesiam ad credulitatem aliorum & non ad suā, quia dixit quod nihil sibi cōtulerunt Petrus & cæteri, sed dextras dederunt, cū cognouissent gratiā Dei quæ data erat sibi. Demum triplex huiusmodi gradus veritatū reducitur ad vnum scilicet ad veritates quæ credi debent immediatè & explicitè à Deo reuelatæ esse. Quartus gradus continet veritates omnes & singulas quæ cōcluduntur ex præmissis veritatibus in consequentia certa in lumine fidei, vel in euidēti lumine naturali, quamuis nō in propria forma verborum illic habeantur. Quēadmodum ista veritas est de necessitate salutis tenenda, quod Christus habuit neruos & venas, quāuis in scriptura sacra non habeatur in propria verborū forma. Et ita de similibus sine numero, quoniā ista est euidens cōsequentia nedū in lumine fidei, sed in lumine naturali apud philosophos: Christus fuit verus homo, ergo Christus habuit neruos & venas. Propterea sine temeritate fidei vel discrimine fuerunt aliquando quęstiones fidei ad philosophos paganos per Christianos deductæ, quia videre poterant acuti philosophi, quid ex præsupposita lege nostra, licet ab eis non credita, consequenter esset dicendum in bona & euidenti consequentia. Et hic est secundus gradus principalis primis tribus ad vnum reductis. Quintus gradus. Rursus in quinto gradu qui tertius est modo dicto, reponuntur veritates illę quæ ex veritatibus quadruplicis gradus antedicti vel aliquibus earum deducuntur in consequētia tātummodo probabili vel topica, vel dum in antecedente ponitur propositio quæ ad fidem est impertinens, quāuis supponatur esse vera. Dicit autē Arist. Illud est probabile quod omnibus & maximè sapientibus verū apparet, non autē illud quod indoctis videtur esse verum, dicitur probabile, quia stultorum infinitus est numerus. Veritas autē omnino impertinens ad fidem, illa sola dicitur quæ nec in cōsequentia euidenti, nec in consequentia probabili, neq; certa sequitur vel repugnat. Porrò dum propositionis fidei apponitur aliqua quæ non est de fide, tunc totum quod est vna copulatiua nō potest simpliciter dici de fide, quia sequitur debiliorem partem, vt si in ea esset vna contingens, tota esset contingens, quamuis essent multæ necessariæ. Dicitur nihilominus talis propositio ad cuius verificationem requiritur vna propositio non pertinens ad fidem, quod sapit fidem si sit vera, vel quod sapit hæresim si sit falsa. Et sic potest describi propositio sapiens hæresim, quod est propositio ex cuius cōcessione coassumpto aliquo quod nō potest rationabiliter negari, sequitur hæresis in fide, vt si quis diceret, quod beatus Greg. non fuisset papa quia supposito quod non possint rationabiliter negari historię dicentes ipsum fuisse ritè electum & susceptum in papam, licet non sint de fide, sequitur ista hæresis, quod ritè electus in papam non est nec fuit papa. Vnde non est propositio ita catholica si sibi iūgatur aliquid impertinens ad fidem, quin totum hoc complexum remaneat ad fidem impertinens. Exēplum, vt ista propositio, biblia est falsa, est hęreticalis, & si adderetur quod biblia quam habet Ioānes B est falsa, non esset hæreticalis de se, licet dici posset sapere hæresim, supponendo quod Ioannes non haberet bibliam nisi correctam. Postremò in casibus huius quinti gradus & sexti sequentis, verum est quod causæ fidei referendæ sunt ad papam vel sacrum concilium, si super eas fieri debeat determinatio vel articulus arctans omnes, secus in alijs causis quæ tres primos gradus & quartum respiciunt, nisi forte per appellationem.

Sextus gradus. Demum in sexto gradu qui quartus est modo dicto, collocantur veritates illę quæ C tantummodo faciunt ad neutriendam vel fouendam deuotionis religiosam pietatem, quæ si magis inducuntur ad inflammandum affectum, quā ad instruendum intellectum, vbi pietas deuota magis aspicitur quam veritas certa, vbi hoc vnum reprobatur, si adesset assertionis temeritas priusquā elucidaretur alio modo per ecclesiam vel rationem certam ipsa veritas, aut si superstitionem, hoc est religionem superfluam & vanam induceret. Vnde sicut dicit Aristo. Nihil refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris, ita nihil refert quędam falsa piè credi, non quod ea ratione qua falsa D sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possunt, procul hoc à pietate fidelium. Sed cadit existimatio vel pia credulitas non super veritate vel falsitate, sed tantummodo super apparentia vel probabilitate, & hoc vtiq; non est periculosum vel falsum, quia constat de apparentia & probabilitate, dum falsitas vel veritas ignota est. Propterea sapientissimè dixit Hier. quod de talibus eligibilius est piè dubitare quam temere definire. Sicut stat quodlibet E contradictoriorum esse probabile, & vnum stat cum altero non in veritate sed probabilitate. Sic diuersis respectibus vtrumq; contradictoriorum credi potest cum fidei pietate, dum tamen sit animus ab assertione pertinaci alienus. Respicit autem iste gradus legendas & miracula sanctorum, vitas patrum, visiones deuotarū personarum, recitationes & opiniones sacrorum doctorum quæ omnia suscipit ecclesia & legi permittit, non quod F determinet talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commouendos affectus pios fidelium & in ædificationibus ipsorum, dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamuis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum quod oportet, nec vt tale credendū proponitur, ita quod magis hic attēditur id quam pia recogitatione fieri potuit, quam illud quod factū est. Et hoc apud oratores creberrimum reperitur, qui ex aliorum personis dicunt ea quæ non personæ dixerunt, sed quę dicere potuerunt sicut in legenda beatæ Agnetis & beati Sebastiani & similium continetur.

SE-

SEQVVNTVR ALIÆ PROPOSITIONES COROLLARIÆ QVÆ *particularius materiam elucidant.*

Corollarium primum.

FALSVM blasphemũ & hæreticum est asserere quod sẽsus literalis sacrę scripturæ sit aliquãdo falsus, patet ex dictis in primo gradu. Et quoniam secũdum Aug. solummodo potest ex sensu literali sacræ scripturę efficax argumentum sumi. Nõ autẽ esset efficax argumentum, si sensus literalis nedum in dubium, sed in falsum verteretur. At vero propter concordantiam aliquorum si videantur aliter dixisse, dicimus quod aliud est litera, aliud est sensus literalis, vel quod de sensu literali scripturæ sacræ impropriissimè locuti sunt. Est enim sensus literalis verè & propriè dictus ille, quem spiritus sanctus principaliter intendebat, & qui ex circunstãtijs literæ scripturæ sacræ trahi potest & debet, sicut expositores sacri fecerũt atq; docuerũt. Alioquin periret omnis soliditas probationis à scriptura sacra, sicut arguit August. ad Hieros. & habetur distinct. 9. Si in aliquo sensu suo literali esset falsa, quia perspicuũ est quod falsum nihil probat, & respondens poterit semper dicere ad antecedens sumptum de sensu literali scripturæ, quod sensus literalis bene est falsus, & ita nihil probat quia regula non traditur ab aduersarijs quando est falsus & quando verus.

Corollarium secundum. Falsum blasphemum & hæreticum est asserere quod de notis per experientiam vt euidentibus per rationem naturalem non sit fides etiam propriè dicta. Licet non sic sub eadem ratione experientiæ vel euidentiæ rationis naturalis fides habeatur, sed alio respectu, innitẽdo scilicet diuinæ reuelationi, prout fides est ex auditu fidei per verbum Christi, ad Rom. 10. Patet quoniã præcepta decalogi euidentia sunt in lumine naturali, & ista, Deus est. Similiter quod Roma fuerit vel Hierusalem fuit, notum est per experiẽtiã. Hęc nihilominus prout nobis in scriptura sacra traduntur tanquam approbata per ecclesiam sunt certa fide tenenda, quoniam credulitas omniũ traditorum in sacra scriptura innititur huic principio solum credito & naturaliter euidenti quod tota sacra scriptura à Deo reuelata est, remanet euidens totum sub hac credulitatis ratione. Vnde consequenter inferri posset quod tot sunt articuli fidei quot sunt veritates contentæ in scriptura sacra, nisi forte fiat restrictior acceptio articulorum fidei, pro illis tantummodo veritatibus quæ continentur in symbolo apostolorum, quæ scilicet de directo & immediatè respiciunt mysterium gloriosæ trinitatis & incarnationis benedictæ, quamuis eadem sit vtrobiq; generalis ratio credendi scilicet diuina reuelatio. Intantum quod sub hac ratione non minus aliæ credendę sint firmiter, hoc est absq; formidine de opposito propositiones contingentes de futuro quam propositiones necessariæ. Sicut apparet de ista, resurrectio mortuorum erit. Possent cõsequenter inferri plurima, qualis sit vel non sit auctoritas cõdendi articulos fidei, & si possit fieri nouus articulus. Si præterea possit fieri propositio hæretica de non hæretica, si deniq; possit esse aliquis nescienter hęreticus: & ita de plurimis quæ breuitas iubet omittere.

Corollarium tertiũ. Falsum blasphemũ & hæreticũ asserere quã pręcepta decalogi nõ sint de fide etiam propriè dicta, quamuis reputari debeant euidentia in lumine naturali patet ex declaratione præmissorum. Vnde Matth. 5. Qui igitur soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines minimus vocabitur in regnũ cœlorum. Et accipitur ly minimus negatiuè id est nullus, & ita separatus à regno cœlorum quod est ecclesia; & hæreticus iudicandus si se nolit corrigere.

Corollarium quartum. Falsum blasphemum & hæreticum est asserere quod & assertiones oppositæ pręceptis decalogi non spectant ad fidem tanquam repugnantes fidei, aut quod non sint iudicio fidei reprobandæ. Et quod iudices ordinarij non habeant super his reprobandi & cõdemnandi facultatẽ vbi notoriè scandalizant, patet ex prę-missis. Addito quod assertio propositionis ad vnã partem notat fixam adhæsionem cum remotione probabilitatis alterius partis. Et hoc in falsis propositionibus sine manifesta temeritate & pertinacia nequaquam fieri potest.

Primum corollarium sequẽs ex quarto gradu qui secundus est, si tres primi reducuntur ad vnum.

Corollarium primum.

Obligatur aliquis certa & explicata fide tenere nullatenus dubitare sub pœna hęresis quod aliqua propositio vera est, de quo alius potest ad tempus sine culpa dubitare. Et hoc specialiter in exemplo triplici potest ostendi, sicut in triplici propositione corollaria subsequitur.

Corollarium secundum. Obligatur aliquis vt puta theologus exercitatus in scripturis sacris legendo & considerando eas certa & explicita fide tenere, & nullatenus dubitare multa, de quibus simplex & idiota requisitus rationabiliter si non pertinaciter dubitaret, vt quod Thobias habuerit canem, vel Aaron barbam, vel arca testamenti de pilis caprarum coopertura m. Datur enim circa hæc regula, quod dubius in fide, infidelis est, quod intelligitur vbi dubitat aliquis illa quæ tenetur explicita fide credere, sicut oportet in multis, præsertim in doctoribus & prælatis.

Corollarium tertium. Obligatur aliquis vt puta canonista exercitatus in determinationibus sanctæ ecclesiæ legendo & considerando eas certa & explicita fide tenere, & nullatenus dubitare multa, de quibus simplex & idiota imo & theologus aliquis in casu requisitus rationabiliter si non pertinaciter dubitaret, patet vt præcedens. Et sic diceretur de exercitatis in prædicationibus & narrationibus publicis nostræ fidei, quamuis etiam essent laici, quoniam ad plura explicitè credenda tenentur cæteris paribus quam taliter vel aliter non astricti.

Corollarium quartum. Obligatur aliquis, vt puta doctus & exercitatus in logicalibus, moralibus & prudentialibus scientijs certa & explicita fide tenere, & nullatenus dubitare multa, de quibus simplex & idiota vel sic non exercitatus rationabiliter, dum tamẽ sine pertinacia dubitaret. Ratio autẽ præcedentium omniũ vna est, quia cui plus cõmittitur, ab eodẽ plus exigitur. Vnde reputari debet vna consequentia deducta ex scripturis

sacris vni magno logico vel philosopho vel theologo euidens vel certa esse, quam alius idiota vel inexercitatus poterit ad temporis vel falsam vel solum probabilem & incertam reputare. Deniq; sequitur ex his omnibus quod iudicium & cōclusiones fidei licet auctoritatiuè spectent ad prælatos & doctores, spectare tamen potest ad alios quam theologos deliberatio, sicut & cognitio super his quæ fidem respiciunt, ita etiam vt ad laicos hoc posset extendi, & plus aliquando quam ad multos clericorum.

Corollarium primum.

Rursus corollarium vnum ex præcedentibus. Ex officio dignitatis episcopalis tenetur prælatus cognoscere tenorem præceptorum decalogi, nedum implicitè sed explicitè, præsertim cum in cōsecratione sua profiteatur vtrumq; testamentum se scire, vetus & nouum. Quod si nesciat vel dubitat vbi non est dubitandum, proinde redderetur inexcusabilis, attēto quod de talibus princeps apostolorum dixit parati dare satisfactionem, omni poscenti rationem de ea quę in nobis est fide & spe. Vnde etiam secundum iura humana non admittitur aliquis allegans ignorantiam in illis quæ ex officio suo, statu vel gradu scire debet.

Corollarium secundum. Ex officio doctoralis auctoritatis in theologia tenetur doctor cognoscere tenorem præceptorum decalogi, nedum implicitè sed explicitè, & paratus esse debet reddere saltem doctrinaliter rationem, iuxta intellectum communem doctorum, nec in contrarium excusatio ignorantiæ proficere tali debet.

Corollarium tertium. Stat aliquem posse reputari vehementer & rationabiliter suspectum de hæresi dum dogmatizat doctrinam aliquam, vel de ipsa dubitat, vbi vel quando alius similia faciens vel dogmatizans vel dubitans suspectus in fide nequaquam haberi deberet. Patet in eruditis professoribus sacræ scripturæ & sacrorum canonum, & in habentibus reuelationem specialem respectu non eruditorum rudium atq; simplicium, & in prælatis quibus annexa est obligatio ista sciendi, nedum implicitè sed explicitè.

Corollarium quartum. Stat in hoc sacro concilio Constantiensi reperiri quosdam qui circa dilationem reprobationis nouem assertionum denunciatarum in materia homicidij periurij & insidiarum mortalium nequaquā culpandi sunt, quoniam aliorum expectabant iudicium, vbi tamen non possunt alij de fautoria & suspicione prauitatis hæreticæ vehementi vllatenus excusari, quoniam ad eos spectabat prouisionis modus & pondus huius negotij.

Auctoritates pro primo gradu Augu. ad Hieronymum epistola 8. distinct. 9. decreti. Ego solis illis libris scriptorum id est scriptoribus qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémq; referre, & vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Idem in epistola ad Hieronymum. Si ad sacras scripturas vel causas admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere id est scripturæ auctoritate contentiosæ falsitatis contereretur improbitas. Idem eadem distin. de vnico baptismate lib. 2. Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam veteris quam noui testamēti certis terminis suis contineri, eamq; posterioribus omnibus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit vtrum verum, vel vtrum rectum sit quicquid in ea scriptum constiterit esse. Episcoporum autem literas quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea reperitioris & per aliorum episcopos grauiorem auctoritatem doctorémq; prudentiam, & per concilia licere reprehendi si quid in eis forte à veritate deuiatum est.

Nota descriptiones aliquas quæ sequuntur ex præmissis.

Veritas catholica potest describi quod est veritas habita per diuinam reuelationem immediatè vel mediatè, explicitè in propria forma verborum, vel implicitè in bona & certa consequentia. Fides pro habitu infuso describitur, quod est habitus supernaturaliter infusus inclinans ad credendum catholicis veritatibus. Fides pro actu describitur, quod est assensus verus & certus catholicæ veritatis ex infusa fide proueniens. Fides pro habitu acquisito sic describitur conformiter ad descriptiones quas dat philosophus de sciētia, arte & sapientia, quod est habitus verus & certus per auditum verbi Christi acquisitus, sicut dicit apostolus quod fides est ex auditu, & auditus per verbum Christi. Et Aug. dicit quod per scripturā sacrā fides saluberrima gignitur. Dicitur verus ad differentiā errorum. Certus, ad differentiam opinionum. Acquisitus per auditum verbi Christi, ad differentiā scientiæ, artis, sapientiæ & intellectus. Fides pro obiecto quandoq; dicitur ipsa propositio credita, vel aggregatio multorū credibilium seu veritatum catholicarum, vt hic, Hæc est fides catholica &c. Quandoq; dicitur ipsa res significata per propositionem creditam seu catholicam. Et ita nulla res est quin possit cadere sub fide. Quandoque dicitur ipsa ratio credendi, & hæc est vna omnium credibilium scilicet autoritas primæ veritatis reuelantis quę nunc videtur in ænigmate. Et sub hac ratione dicitur fides argumentum non apparentium, secus erit dum videbimus facie ad faciem. Veritas impertinens ad fidem est quę nec sequitur nec repugnat ad catholicas veritates. Veritas sapiens fidem, est veritas continens aliquod vel aliqua quæ sunt propriè de fide, cum aliquo vel aliquibus adiunctis quæ non pertinent ad fidem seu catholicam veritatem. Et opposita falsitas dicitur sapiens hæresim si id quod adiunctum est, sit tale quod non possit vel debeat rationabiliter negari, quamuis non sit de fide.

Determinatio in concilio Constantiensi.

Ecclesia vel generale concilium dum dictat aliqua regitiua ecclesiam concernentia, papa non est sic supra iura positiua quod possit sic pro libito disponere, dissoluere talia dictata per ecclesiam, eo modo & intentione quibus dictata conclusaq; sunt. Ecclesia vel generale concilium quamuis non possit tollere plenitudinem potestatis papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ, potest tamen vsum eius limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationem ecclesiæ. Et in hoc est totius ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.

TRA-

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS DE GERSON DE PROTESTATIONE CIRCA MATERIAM FIDEI CONTRA HAERESES DIUERSAS.

Prologus.

PROTESTATIO seu reuocatio generalis aut conditionalis, quia quæritur nonnumquam assumi tanquã velamen iniquitatis & ad excusandas excusationes in peccatis, præsertim ab hæreticis, proposuimus declarare sub aliquibus considerationibus quid protestatio generalis, quod conditionalis reuocatio iuuant vel importãt, maximè dum in hoc sacro Cõstantiensi concilio sentimus quod hæreses vt cancer serpunt, & sub huiusmodi protestationibus delitescere quærunt, iunctis pro relationibus quæ sub terminis iuris positiui velut in causis prophanis sedulo procurantur, vt non protinus in lucem prodeat veritatis catholicę species atque decus.

Consideratio prima.

PROTESTATIO circa materiam fidei de qua sola nunc intendimus, est quædam professio seu confessio facta exterius, ad ostendendum quid de fide protestans sentiat interius, iuxta illud apostoli ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et sic ad salutem vt dixerit Christus Luc. 10. Qui me erubuerit & sermones meos, filius hominis hunc erubescet coram angelis Dei. Quo contra Matthæo teste dicebat. Matt. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo. Ex quibus elicitur quod sicut credere cadit sub præcepto, sic cadit fidem exterius profiteri, semper quidem, sed non ad semper, cum sit affirmatiuum præceptum. Obligat autem semper & ad semper dum ex omissione confessionis libera dispendium fidei vel salutis detrimentum probabiliter immineret, vt coram tyrannis, coram hæreticis, coram iudicibus coram populis, fides est diuersimodè palam confitenda, defendenda, testificanda, & ex officio prædicanda. Notetur August. super illud apostoli. Oportet hęreses esse. 1. ad Cor. 2. Et recitatur. 24. q. vlt. c. fi. Faciunt pro hoc dicta scripturæ Io. 16. 2. Petri 3. Malachiæ. 2. Ezech. 3. & 23. & alibi sine numero.

Consideratio secunda.

Protestatio generalis vel specialis de ipsa fide non infert quod protestans errauerit, similiter nec reuocatio cõditionalis. Hoc est itaq; perspicuum, quoniam homo quantumcunque fidelis dicere potest, protestor quod nihil intendo dicere nec puto dixisse contra fidem, & si oppositum contingeret vel contingisset, illud ex nunc reuoco vel retracto. Sic inueniuntur doctores catholici quandoque dixisse, immo & quotidianus mos apud exercitantes se in actibus theologiæ scholasticis sic se habet, in quibus frequenter nullus est aut fuit de errore notatus qui sic protestatur aut reuocat. Nihilominus aduertendum est quod refert protestari vel conditionaliter reuocare circa ea quæ clarissimè & explicitè sunt de fide, sicut quod Deus est omnipotens quod proximus est diligendus.

A Aliter verò circa ea quę disputabilitatem vel difficultatem habent aliquam. In primò siquidem casu fas est dicere cum apostolo ad Galath. 1. Si quis vobis aliud euangelizauerit, etiam angelus de cœlo, anathema sit. Quocirca veniunt irridendi quandoque immo & corripiendi nonnulli qui conclusiones theologicas posituri, dicunt. Protestor quod nihil volo vel intendo asserere, sed tantummodo disputatiuè loqui. Deinde ponunt talẽ aliquam conclusionem. Deus est omnipotens, Deus est trinus & vnus, quasi videlicet conclusiones tales nõ in certissima credulitate, sed sub probabilitate tradi possint.

B Denique sic est iudicandum de omnibus ad quæ profitens fidem suã obligatur explicitè credere, vel ex officio vel ex eruditione, vel ex diuina reuelatione, vel ex aliquo tali modo. Alioquin sicut dubius in fide infidelis est, sic & dubiè profitens certam fidem. Neque tamẽ negandum est quin protestatio seu submissio reuerentialis fieri possit sicut egit apostolus conferendo euangelium suum, de quo per reuelationẽ certus erat cum Petro & alijs apostolis, quibus tamen oppositum si fieri potuisset, dicentibus nequaquam credidisset.

C

Consideratio tertia.

Protestatio generalis de fide stat cum errore particulari circa eam, & similiter conditionalis reuocatio. Vidimus hoc & videmus in ipsis hæreticis qui errant videlicet pertinaciter contra fidem circa ea quæ tenetur explicita fide tenere, exterius profiteri, quorum nihilominus vox ista est, protestor quod esse volo bonus catholicus, & si scirem aliquid esse contra fidem, illud statim vellem reuocare.

D Sic Arrius, sic Sabellius, sic hæretici nostri temporis plerumque dixerunt, quos tamen damnatio iudicialis interimit vel perdidit. Datur ad considerationem hanc ratio talis, quia stat quod aliquis credat aliquid in generali, vt fides catholica vera est, & pro hac mori vellet, qui nihilominus in speciali credit de aliqua veritate catholica quod non sit de fide, errans pertinaciter circa illã. Simile dicit Aristo. quod contingit aliquid scire in generali, & illud vel nescire vel de illo dubitare

E in particulari. Exemplum est de illa. Omnis mula est sterilis, hoc animal non est sterile demonstrata mula, quam aliquis putat esse prægnantem ob turgidum ventrem, & nescit vel non aduertit eam esse mulam, & ita sicut in hoc casu iste nescienter errat, sic & alij de quibus loquimur, dicuntur nescienter hæretici, prout infra docebimus.

Consideratio quarta.

Protestatio generalis de fide non sufficit ad purgationem errantis pertinaciter, sic nec conditionalis protestatio. Sequitur hoc ex præcedenti.

F Cuius etiam ratio talis est quia debet errans particulariter & explicitè circa ea quæ sunt fidei quærere cauta sollicitudine veritatem fidei, & obedire quæsitæ ac sufficienter edoctæ, tam credendo interius quam exterius profitendo, alioquin ostẽdit se non paratum corrigi. Ostendit quoque se non credere sacræ scripturæ catholicæ, dum non credit eis quæ sufficienter contineri monstrantur in eadem scriptura formaliter, vel in consequentia euidenti seu certa, quoniam si non corrigitur per hãc regulam scripturæ, nihil reliquum est per quod ad viam veritatis reducatur secluso miraculo. Deniq;

talis protestans seu conditionaliter reuocans, dum facit vel dicit oppositum suæ protestationis ac reuocationis, patet ipsum non inde iustificari, sed magis infici cum sit ipse sibimet contrarius. Rursus talis alios per huiusmodi protestationes & reuocationes ab errore non reuocat, neque scandalum datum tollit, neque captiuat intellectum sub Deo in obsequium fidei. Stat enim talis protestatio cum infidelitate, cum scandalo, cum tumore & arrogantia. Propterea statutum inuenitur in sacris canonibus quod errantes dum correcti recipiebantur dabant liberum suæ confessionis absolutè de fide, & abiurationis de errore. Rectè quidē sicut & in foro pœnitentiali non sufficit sub conditione facta confessio: dum aliquis scit vel scire debet absolutè quod peccauit, secus vbi non habetur certitudo, sed scrupulus aliquis timidus & vacillans nesciens si hoc fecit, vel malo modo fecit quemadmodum circa cogitationes carnis, quas incontinens sensit, trepidat vel ignorat, si consensit quo casu sufficit conditionalis cōfessio & salua veritate doctrinæ. Grego. Bonarum mentium est inquit, agnoscere culpam vbi culpa non est, hoc est pœnitentiam quasi pro culpa recipere quasi reus esset. Sed opponitur contra considerationē de nescienter hæretico qui mentiretur contra cōscientiam si reuocaret. Responsio plana est, quia tenetur conscientiam deponere ex quo supponitur quod pertinax est, secus vbi quis errat non imputabiliter, quia pro tunc non tenetur conscientiā dimittere, sed bene postmodum dum mouetur legitimè. Facit pro consideratione Calixtus, sicut habetur extra de pe. & re. c. 1. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, nec sub conditione.

Consideratio quinta.

Protestatio generalis & conditionalis, reuocatio veraciter factę sufficiunt ad excusationem aut purgationem dum protestans & conditionaliter reuocans errant circa ea quæ non tenentur explicitè credere vel absolutè confiteri. Declaratur hoc in illis qui promptum habent animum statim obediendi veritati cognitæ, vt si theologus aliquis vel non theologus erraret circa vnam propositionem in biblia positam. Exempli gratia, quod Samuel vnxit in regem ipsum Saül, vel quod Dauid fuit pastor ouium, non ideo diceretur statim hæreticus: quia forte nunquam vidit vel audiuit textum illius scripturæ, sed postquam ostenditur in textu sic haberi, continuò credit & assentit, & ita protestatio & conditionalis reuocatio saluant eum, ne pertinax esse vel fuisse condemnetur præsertim dum de ignorantia sua potest afferre sufficiens documentum, alioquin forte iudicaretur apud homines pertinax fuisse, apud Deum verò maneret innoxius: Propterea positum est in cōsideratione hoc aduerbium veraciter, per quod excluduntur qui non ex animo, sed fictè & inaniter protestantur diffidentes in semetipsis corde, voce & opere.

Consideratio sexta.

Protestatio generalis de fide qua dicunt aliqui, sufficit mihi fides ecclesiæ, sufficit quod saluer in fide parentum, sufficit mihi dicere, Credo in Deū, non saluat semper huiusmodi protestates, etiam si non errant. Deducitur hoc, quia non sufficit sola fides generalis & implicita, sed explicita requiritur, apud iustos quidē minus, apud alios amplius.

A Vnde symbolum generale apud omnes capaces rationis, est illud quod posuit apostol⁹ ad Heb. 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirētibus se remunerator sit. Porrò apud Christianos quibus facta est apertior reuelatio de credendis, non sufficit hoc symbolum, sed debent explicitè credere symbolum apostolorum, & illud addiscere protinus vt veniunt ad annos discretionis, sicut ab initio dum baptizabantur adulti, fiebant prius cathecumini, profitentes explicitè fidē, suā quēadmodum pro paruulis patrini nūc respōdēt.

B Deinde sūt multa de fide per vniuersos penè Christianos promulgatam in prædicationibus, in picturis, in mutuis relationibus seu collationibus, in obseruationibus autenticis celebritatum sanctorum, & ita de reliquis. Hęc autem talia quæ publicè fiunt, nō est licitum (sicut dicit canon) ignorare. Non enim excusarentur laici, si non crederēt infernum esse, si nō bonos angelos, si non malos, si non sāctos & sāctas, si nō præterea decē præcepta legis, iuxta planū & textualem eorum intellectum, vt

C quod non est idolatrandum, quod nō periurādū quod nō occidendū, quod non furandū, quod nō mœchandum, & ita de reliquis primis impressionibus, legibus ac inscriptionibus naturæ, quas nemo capax rationis, maximè postquam sibi traditæ sunt per doctrinā permittitur ignorare. Amplius verò sunt alij quos vltra simplices & commune vulgus hominum necesse est habere fidem explicitam de plurimis multipliciter & specialiter quadruplici ratione. Primò propter officiū pastorale super alios, vt pascant eos in fide & doctrina, & ab

D hæreticorum argutijs sapienter defendant. Constat enim quod aliqui sunt in ecclesia ad hoc obligati ex officio, alioquin non esset sufficienter instituta. Isti autem sunt prælati, iuxta quod profitētur vtrumque se testamentum scire, quod & apostolus sæpius explicuit, dum Tymotheum & Tytum charissimos discipulos instrueret & alios. Act. 20. dicens. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, &c. Deinde secundo sunt doctores in

E sacris litteris professores, quos ignorantia non potest excusare, quin sciant explicitè plurimas veritates contentas in biblia, & alias ex eis deductas. Alioquin doctoris nomen & gradum damnabiliter & inexcusabiliter vsurparent. Proinde sunt alij de statu etiam laicali, quos oportet multa scire de legibus diuinis pręceptorum moralium, de articulatim & explicitè propter susceptum ab eis officium, vt quia rectores populorum, quia iudices eorum, quia consiliarij vel assessores sunt eorundē rectorum & iudicum, in causis varijs criminalibus

F atque ciuilibus. Quod animaduertens Salomon petiuit à Domino cor docile & intelligens ad faciendum iustitiam & ad faciendum iudicium. Est itaq; regula quod nullus ea quę sunt officij sui permittitur ignorare, quæ regula respicit nedum prælatos maiores aut principes superiores, sed minores & inferiores in vtroque statu clericali, vt sunt curati & confessores in foro pœnitentiali, & in statu laicali vt præpositi & balliui. Postremò consurgit quartò generalis obligatio ad credulitatem aliquorum explicitam, non ex solo gradu hierarchico, scilicet ex alijs donis gratuitis, vt sunt viuacitas

citas ingenij naturalis, vt iudicium solers, vt vis gnomica, vel epyeikes, vt particularis eruditio, vt vehemens applicatio ad scripturas sacras, canonicas vel ciuiles. Hic enim veritatem habet illud Grego. Tantum ab vnoquoque Dominus exigit quantum dedit. Quo fit vt perspicua sit consideratio quæ dicta est aduersus reprobam nonnullorum desidiam vel taciturnitatem, qui dum fides confitenda venit explicitè, se in implicita latere tutos putant, aut qui talentum multiplicis doni naturalis vel gratuiti, quod multiplicandum susceperant à Domino spiritualibus incrementis, defodiunt in terram superuacuæ vel noxiæ curiositatis temporalis, sibi blandientes quod in fide non errent, quippe de ea nihil sciunt, curant vel interrogant. Notetur pro consideratione sancti Thomæ secunda secūdæ. q. 5. art. 6. Explicatio, inquit, fidei ad inferiores homines, oportet quod veniat per maiores, quod probat auctoritate Dionys. cōcludens quod oportet eos pleniorem habere notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

Consideratio septima.

Protestatio generalis seu conditionalis reuocatio quę dicitur ab aliquibus pertinaciter errātibus. Si hæc veritas mihi nota esset, scit Deus quod libēter eam corde crederem ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, non excusat tales apud Deum vel homines. Fundatur hoc super illud euāgelij. Ecce venit hora & nunc est, vt omnis qui vos interficit, arbitretur se obsequium pręstare Deo. Sic apostolus prius errās in Christianorum persecutione, iudicabat de seipso sic ad Iudæos loquens dicit: Et nunc scio fratres, quod hæc per ignorantias fecistis, quos tamen non excusabat de nece Christi, dum alibi dicit. Ignorans ignorabitur. Erat quippè iuris ignorantia affectata crassa vel supina. Sic hæretici dum se morti tradunt pro defendendis erroribus suis arbitrantur se catholicos & mereri, habent quippe zelum, prout dat aliquibus testimonium Paulus, sed non secundum scientiam, quare non secundum scientiam? Nimirum quia scientiæ Dei (quæ est scriptura sacra) suam sophisticam scientiam sic præponunt, quod eidem nolunt esse subiecti, quamuis aliter sint sibimet conscij, non tamen in hoc iustificati, quia mentitur iniquitas sibi.

Joan. 5.

Act. 3.
1. Cor. 14.

Consideratio octaua.

Protestatio generalis seu conditionalis reuocatio, quandoque sufficiunt excusare protestationē apud forum exterius, quam nō excusat in interiori fori Deus, & ècontra. Consurgit hæc varietas, quoniam aliter iudicat Deus, aliter homo, Deus inspicit corda & scit quid intus agatur, conformiter ad protestationem seu reuocationem aut difformiter ad eam. Humanum vero iudicium id spectat, quod foris est, & vnde certificari pōt per signa, testes, voces & opera. Quò fit vt verè credēs interius & explicitè quandoque non possit hoc ostendere contra testes & signa aliquando autem fit è contra, vt qui veraciter est hæreticus in corde, ille humano testimonio per allegationem ignorātiæ vel aliter catholicus censeatur & absoluatur. Qualiter autem debeat aliquis probare quod non fuit pertinax per allegationem ignorantiæ vel simplicitatis, hoc magis iuribus positiuis cautum est, quibus inter cætera dicitur quod allegans ignorātiā probare debet illam. Tradunt similiter quibus

A argumentis, testibus & iudicijs possunt & debent iudices ecclesiastici pertinaciam conuincere præsentem vel præteritam in errante.

Consideratio nona.

Protestatio specialis de fide sicut & absoluta reuocatio de errore requiruntur ad iustificationem illius qui particularem errorem absolutè tenuit in verbis & in factis, quod si legitimè monitus facere renuit ipse pertinax censendus est. Ostenditur prima pars tali ratione. Nulla protestatio seu reuocatio quæ communis est omnibus catholicis sufficit ad iustificationem errātis in fide particulariter

B & explicitè, dum hoc scit aut scire debet, quoniam non est idem iudicium de catholico & errante, sicut nec innocente atque peccatore respectu cōfessionis sacramētalis. Constat autē protestationē generalē cū reuocatione cōditionali ab omnibus catholicis sine mendacio, sine diffamatione fieri posse. Requiritur igitur pro errantibus specialior reuocatio. Altera pars manifesta ēst, quia talis non ostendit se quærere cauta sollicitudine veritatem,

C sed forte quadam dissimulatione palliata velamine reuocationis huiusmodi conditionalis quæ ad veritatem non est nisi quędam protestatio fidei generalis & non propriè reuocatio, quia cōditionalis nihil ponit. Facit pro hoc quod dictum est superius consideratione quarta circa finem.

Consideratio decima.

Protestatio catholica de fide cum reuocatione particulari & absoluta de errore, licet iustificet errantē quod modo non sit habendus pertinax aut

D hæreticus, non absoluit tamen quin talis extiterit. Præsupposita notorietate primæ partis in vtroque foro Dei & hominis, quia talis corrigitur & obedit veritati, neque tenet plus errorem quem deserit per absolutam reuocationem deducitur altera pars. Constat itaque hoc solo priuari Deum facere scilicet præteritum non fuisse, vt notat Hieron. & Salomon. Quisquis igitur fuerit de præterito sic adhærens errori suo, cuius oppositum tenebatur explicita fide tenere aliquo modorum prædicto, quod persistebat in illo errore monitus etiam le-

E gitimè vel edoctus seu fraternaliter, seu doctrinaliter, seu iudicialiter per scripturam sacram, per rationem euidentem aut aliter, talis verè fuit pertinax in errore, & ex consequenti nedum hæreticās, sed hæreticus, propterea quātumlibet emendetur nunc potest declarari fuisse talis atque hæreticorū pœnis subijci, sub perpetua carcerali custodia, vel aliter sublatis sibi quibuslibet dignitatis officij vel honoris insignibus. Solet tamen apud ecclesiam misericordiam superexaltare iudicium, præsertim humilitate reuocantis errorem sponte palam &

F absolutè prospecta. Quod si dixerit protestans huiusmodi, ecce paratus fui semper audire ecclesiam, audire determinationem sedis apostolicæ vel sacri concilij, qualiter accusor nunc de pertinacia circa doctrinam aliquam priusquam fuerit hoc modo declarata, diffinita & iudicata. Quid enim mihi de inferioribus iudicibus, quid de doctoribus & errorū diffinitionibus quibus obedire nequaquam astringor, vt qui subiectus ei non sum, sed prelatus vt ipsi, doctor vt ipsi. Sic blanditur pertinax arrogantia sibi, sic se fallit & alludit tāquā videlicet nihil explicitè credendū sit nisi prius, nisi

cardinales illud sub præcisa verborum forma sententialiter damnauerint. Et itaque longè aliter iuxta deductionem illorum qui probant nullam inuenire posse nouam hæresim, quia quæcunq; detur illa prius erat scripturæ sacræ contraria ab ipsaque damnata, sicut modo (dicente Aug.) si quid noxiũ est hic scilicet in scriptura sacra dãnatur. Fatemur nihilominus posse fieri declarationẽ nouam, tam doctrinaliter quam iudicialiter de aliqua hæresi, quod scripturæ sacræ repugnãs est quæ declaratio, & fieri habeat principaliori ac superiori auctoritate generaliter obligante per sedem apostolicam & sacrum concilium, fit nihilominus quotidie legitima declaratio talis per doctores & expositores sacræ scripturæ, ac per prælatos inferiores quos oportet explicite multa scire ad instructionẽ populi sui. Hæc autem declaratio & si non obliget vt præcisè talis est alienos obligat tamen vt conuincitur esse facta conformiter ad sacram scripturam, quæ est antecedens, quo concesso si consequentia negari rationabiliter nequit, concedenda est consequenter explicita conclusio, quæ declaratur & infertur, quoniam ex veris non sequitur nisi verũ. Itaque si quis diceret quod Christus non habuit neruos, aut quod omnis puer non baptizatus potest licenter occidi, aut quod pro bono communi licitum est falsum dicere. Talis perseuerans post declarationem sufficiẽtem sibi factam, non excusaretur à pertinacia quantumcunq; clamaret, peto iudicium ecclesiæ vel sacri concilij, huic me submitto, hanc audio. Potest equidem tali dici quod actum est ne agas, quod iam definitum est, definiendum non expectes, definitum inquam & si non in eadem verborum forma, tamen in effectu & in sententia, vnde fit vt aliquis vno tempore teneatur aliquid explicitè credere ad quod prius fides implicita satis erat secundum Thomã secunda secundæ. q. 2. vbi loquitur de credendis implicitè vel explicitè.

Consideratio vndecima.

Protestatio specialis de fide, vel absoluta reuocatio specialis de errore, non debet fieri necessariò dum quis errat nescienter in fide. Constat itaque quod nullus mentiri tenetur, hic autem nescienter errans si se diceret errare mentiretur, stante tali cõscientia. Talis præterea pœnas hæreticorum vel infamiam etiam posteaquã deprehenditur errasse, & absolutè reuocat non incurrit. Patuit hoc in August. qui multa prius nescienter errata, postmodum absolutè correxerit sub nomine retractionis vel aliquo tali modo loquendi qui reuocationem denotabat, vtendo talibus verbis temere dictum est minus cõsideratè dictũ est, hoc improbo hoc non approbo, hoc mihi non placet. Notetur ad hoc idem Aug. ad Vincentium. 34. q. vlt. c. fi. & Gelasius ibidẽ. q. 2. c. negatur. Elicitur cõsequẽter ex istis differentia multiplex inter scienter & nescienter errantes, & inter sciẽter & nescienter hæreticos, & hoc quo ad tria, quæ sunt crimen, modus & pœna, iuxta quod notetur dictum Aug. 24. q. 3. c. dixit apostolus vbi ait. Qui sententiam suam quãuis falsam aut peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, prçsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos

A reputandi. Vnde colligitur quod quadruplex est modus errandi circa fidem, Vno modo credendo quod fides catholica sit falsa aut scriptura sacra, & sic errans dicitur scienter hæreticus, quia non est paratus corrigi, cum neget regulam per quam habet dirigi seu reuocari. Potest alio modo quis errare credendo generaliter quod fides catholica sit vera, sed æstimat aliquã esse fidẽ catholicã quæ in veritate non est catholica, sicut Arriani recipiẽtes scripturam sacram, sed ad sensum peruersum, qui sectam suã solã putabant esse catholicam, hi sunt

B nescienter hæretici. Errant autẽ præcedentes in vtroque modo contra fidem quã tenẽtur explicitè credere. Sunt alij circa fidem errantes in his quæ non tenentur protũc explicitè credere, & hoc dupliciter. Vno modo pertinaciter, quia non parati sunt corrigi, sed propter superbiã suam aut aliter proprium defendunt errorem. Altero modo dum parati sunt corrigi protinus agnita veritate, quia non pertinaci animositate defendũt errorem, sed ex sola simplicitate vel ignorantia sunt in errore.

C Cæterum inter hos quatuor modos primi magis peccant quam secundi, & secundi quam tertij. Modus errandi similiter diuersus est, quoniam in duobus primis error inuenitur quem tenẽtur explicitè discedere & diffiteri, tertij verò pertinaciter errant in illo cuius oppositum pro tunc non tenetur explicita fide tenere, sed implicita, sed quia renuunt corrigi, dicuntur hæretici. Qualiter autem deprehẽdatur aut cognoscatur talis pertinacia, declaratur summatim in alijs. 12. considerationibus

D quæ ad hanc vnam reducuntur hic ab Aug. positã, quod tales non quærunt cauta sollicitudine veritatem, sed eius declarationi resistunt omissiuè vel commissiuè varijs modis per se vel alios, verbis aut factis, iudicialiter aut extra iudicialiter, terroribus aut muneribus, minis aut blanditijs, propter deprauationem affectus causa alicuius commodi tẽporalis assequẽdi vel incommodi deuitandi circa diuitias, delitias vel honores. Habemus in his tripliciter errantibus diuersitatem in crimine & in modo, pœna similiter diuersa est quoad aliqua. ni-

E hilominus tertij puniẽtur sicut duo primi, si iudicialiter euocati se corrigere, si errorem absolutè reuocare, si veritatem oppositam profiteri noluerint, quia relinquentur curiæ sæculari, aut si se correxerint pœnitẽtia salutari. At verò quarti quia nõ iungunt errori suo pertinaciã nunc vel antea quãuis sint corripiendi per reuocationem erroris, ipsi tamen nequaquã sunt pœnis hæreticorũ plectẽdi, nec infamia notandi, sicut apud scholasticos theologos in prçclara vniuersitate Parisiensi frequẽter

F obseruatur, quos protestatio generalis & conditionalis reuocatio iuuit ad hoc ne de pertinacia notarentur, iuncta humilitate qua protinus reuocant errorem, nedum cõditionaliter, sed absolutè, quæ reuocatio sufficit magistris ad purgationem, nec ab actibus studij legitimis exercendis vel consequendis reuocantes obinde repelluntur.

Consideratio duodecima.

Protestatio generalis aut conditionalis reuocatio non obstat, quin sic protestans aut reuocans dici possit suspectus de hçresi, quandoque leuiter, quandoque vehementer, aliquando violenter. Patebit hæc consideratio per præcedentes, si docuerimus

timus quis est dicendus de hæresi vel leuiter, vel vehementer, vel violenter suspectus. Et hoc aliàs latiori sermone declarauimus, nunc summatim repetatur. Itaque suspicio leuis prouenit ex signis exterioribus operum vel verborum; ex quibus cognitis, accipitur coniectura, qua concludi potest, non quidem frequenter, sed rarò seu contingenter, vt in paucioribus, quod talia agens vel dicēs est hæreticus. Itaque consequentia leuis est & topica: sicut si argueremus, Petrus non venit ad ecclesiam in solemnitate Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, ergo non bene sentit de ea: Vel sic, Petrus assumit nomen Dei frequenter in vanum, deierans & negans eum, ergo non bene credit de eo. Porrò vehemens suspitio prouenit ex signis exterioribus operum vel verborum; ex quibus cognitis accipitur argumentū concludens frequenter, & vt in pluribus, quod talia agens vel dicens est hæreticus: vt si quis neget explicitè, palam & publicè ea quæ debet ex officio scire plus quàm alij; quamuis possit in rei veritate negatio talis ex ignorantia prouenire, vel animi leuitate, non ex hæretica prauitate. Dicimus demum suspitionem esse violentam, quæ sumitur ex signis exteriobus operum vel verborum; ex quibus cognitis concludi solet efficaciter & vt semper, quod talia agens vel dicens est hæreticus: quemadmodum si quis prædicet publicè, quod Christus non fuit verus Deus: quod Deus non est diligendus super omnia: quod licitum est passim homines occidere sicut bestias: quod iuramenta non sunt tenenda: aut si patenter adoret sepulchrum Mahometi: vel si deferat habitum Iudęis appropriatum, non quidem ioco faciens hoc, sed serio. Cōstat nempè quod possibile est talia facientem vel agentem tenere veraciter interius fidem catholicā, sicut de Salomone idololatrante, & de Marcellino idolis sacrificante, dicunt multi quod neuter eorum fuit hæreticus in mente. Nihilominus ecclesia de exterioribus iudicans, non de occultis, arguet in talibus violentam præsumptionem, & secundum eam feret iudicium. Exemplo Salomonis de meretricibus. 3. Reg. 3. & hoc nisi talis violenter suspectus se legitimè purgauerit, allegando vel ignorantiam vel timorem, vel fictionem, vel aliquid huiusmodi, paratum corrigi se demonstrans. Quocirca, patet valere plurimum circa suspitiones huiusmodi assumendas pro argumentis, considerare consuetudines patriarum, locorum, temporum, personarum, modos & indicia. Euenit quippe, quod verbum vnum dabit suspitionem hæresis in vno loco vel in vna persona, quod in alio loco vel persona nihil reputabitur. Exemplum de negantibus & despicientibus Deum quotidianis verbis in certis partibus, quod in alijs partibus multis horridum iudicaretur & hæresi proximum. Has interim considerationes duodecim posuisse velut in transcursu suffecerit. 29. mensis Octobris, anni 1415. in ciuitate Constantiensi, vbi sacrum agebatur generale concilium, præstante eo qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

A SEQVVNTVR DVODECIM CONSIDERATIONES SECVNDVM *totidem signa, quibus solet aliquis de pertinacia notari vel conuinci, circa materiam hæreticæ prauitatis, præmittendo qualis sit pertinaciæ definitio vel ratio.*

Consideratio prima.



ERTINACIÆ propria ratio quæ errantem in fide seu hęreticantem efficit
B hæreticum, consistit in deprauatione voluntatis per superbiam aut aliud officium; dum non vult errans cauta sollicitudine quærere veritatem; aut dum perspectè monstratéque renuit assentire vel errorem dimittere. Dicitur enim pertinax secundum Isidorum quasi imprudenter tenax, qui persistit in illo scilicet quod deberet dimittere. Cæterum pertinaciæ signum exterius multiplex inuenitur.

Cum quis sustinet excommunicationem vltro, II.
C nec potest se sufficienter excusare, & hoc sumitur ex iuris præsumptione.

Alterum citatus pro leui super fide etiam suspi- III.
tione, iudicialiter renuit comparere vel respondere; & amplius si sit præsumptio vehemens aut
violenta, & hæc similiter oritur ex iuris fictione. IV.

Alterum est pertinaciæ signum, dum quis asserit & defendit errorem, cuius oppositam veritatem tenetur explicita fide tenere. Tenetur inquam vel ex publica obseruatione, vel ex cōmuni doctrina
D ecclesiæ, vel ex officio seu statu suo, vel ex informatione sufficiēti, vel ex naturali iudicio rationis: quemadmodum quilibet capax rationis, tenetur explicitè credere, nedum articulos fidei si sit Christianus, sed etiam principia legis naturalis, quæ sūt de primis impressionibus, & inscriptionibus indelibilibus, vt sunt præcepta decalogi recepta secundum planum & vsitatum intellectum apud omnes vtentes ratione, non deprauata in quacunque lege.

Alterum pertinaciæ signum, dum quis verita- V.
E tem fidei, nedum non quærit cauta sollicitudine, sed declarationem eius impedit ne veniat ad lucē: maximè si concilium fidei speciale vel generale propter hoc in se vel in suis impedit directè vel indirectè, molestat atque persequitur.

Alterum pertinaciæ signum, dum quis veritatē VI.
ecclesiæ docentes seu determinantes, odire se mōstrat, & persequi verbis atque factis; etiam si dicat seu protestetur se velle tenere quod ecclesia tenet vel determinabit, & quod paratus est stare iuri:
F quia si facta contradicant, hoc est æquitas simulata, quæ duplex est iniquitas, solent etiam quantumlibet hæretici taliter protestari se catholicos esse, quod eos ab hæresi non excusat, &c.

Alterum pertinaciæ signum, dum quis negat ve- VII.
ritatem quam prius docuit vel confessus est; nec est probabile quod sit etiam oblitus, quoniam secundum iura, primo dicto credi debet.

Alterum pertinaciæ signum, dum quis petit de- VIII.
clarationem veritatis à peritis doctoribus seu iudicibus, quam cum facta est, nihilominus repudiat nulla penitus assignata ratione.

Alterum pertinaciæ signum, dum quis potens IX.

commouet seditiones, suscitat bella in populis & regulis, ideo, quia facta est alicuius veritatis catholicæ declaratio, vel erroris reprobatio.

X. Alterum pertinaciæ signum, dum quis iurat se malle mori quam contra honorem suum quicquã permittere fieri, vel errorem aliquem reuocare: ponit enim obicem primæ veritati.

XI. Alterum pertinaciæ signum, dum quis fouet errantem, & defendit iudicialiter vel extraiudicialiter, sciens nihilominus aut scire debens hunc errare.

XII. Alterum pertinaciæ signum, dum quis non resistit erroribus dum potest & debet, debet inquã, vel ex officio sicut iudex; vel ex fraternali charitate, sicut vniuersi; quoniã agentes & consentientes secundum apostolum pari pœna puniuntur. Consentiunt autem, qui alios dum possunt (vt dicit canon) ab errore non reuocant. Denique ista latius declarat Ockam.3.parte lib.1.dialogorũ: secũdum quę signa, poterit applicatio particulariter fieri &c.

Finiunt duodecim considerationes secundum totidem signa, quibus solet aliquis de pertinacia notari vel conuinci circa materiam hæreticæ prauitatis, præmittendo qualis sit pertinaciæ definitio vel ratio.

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS DE GERSON, QVOMODO *& an liceat in causis fidei à summo pontifice appellare, seu eius iudicium declinare.*



Q VÆRITVR, Vtrum hæc assertio sit catholica, tam iure diuinitus promulgato quam etiam humano, quibus sacrorum canonum auctoritas innititur: *Nulli fas est à supremo iudice, videlicet apostolica sede, seu Romano pontifice Iesu Christi vicario in terris, appellare, aut illius iudicium in causis fidei, (quæ tanquam maiores ad ipsum & sedem apostolicam deferendæ sunt) declinare?* Arguitur quod sic, auctoritate sanctissimi Domini Martini Papæ V. in sua constitutione ad perpetuam rei memoriam facta, & promulgata in consistorio generali celebrato Constantiæ 6. Idus Martij, pontificatus sui anno primo, vbi reperitur hæc assertio, sicut dicitur & videtur in canonum littera manifestè fundari.

ARGVITVR in oppositum, primo autoritate determinationis siue constitutionis generalis concilij Constantiensis: quæ determinatio multipliciter facta est & practicata, & specialiter in sessione publica, celebrata. die 6. Aprilis, anno 1415. qui sic habet inter cætera.

Et primò declarat quod sancta sinodus in spiritusancto legitimè congregata, generale consilium faciens, & ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet; cui quilibet, cuiuscunque status vel dignitatis (etiam si Papalis existat) obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem ecclesiæ Dei, in capite & in membris.

Item declarat, quod quicunque cuiuscunque status vel dignitatis (etiamsi papalis existat) qui mãdatis, statutis, seu ordinationibus huius aut præceptis sanctæ synodi, & cuiuscunque alterius concilij generalis legitimè congregati (super præmissis seu ad ea pertinẽtibus, factis vel faciendis) obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, cõdignè pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. A

Deinceps arguitur rationibus ducentibus ad inconuenientia manifesta, contra ius diuinum pariter & humanum.

SEQVERETVR enim primò, quod Papa nõ subijceretur legi diuinæ vel euangelicæ; quæ generaliter absque omni exceptione promulgata est à Christo Matth.18. dum loqueretur ad personam Petri, sicut tradit ecclesia, & circũstantia textus satis indicat. *Si peccauerit in te frater tuus &c.* Sequitur, *dic ecclesiæ, quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus &c.* Hoc autem cõsequens est erroneum manifestè; quoniam Papa est, est frater noster, alioquin nõ deberet dicere *pater noster*, si non simus fratres ipse & nos, sed haberet dicere, pater meus, vel pater mi: sed nec Cardinales nec Episcopos fratres appellare deberet. Denique, constat quod est proximus noster, & ex consequenti frater, non obstante quod pater sit. Et insuper Papa peccabilis, quoniam circundatus est in infirmitate, sicut notatur ad Heb.5. B C

Sequeretur secundò, quod Paulus egisset contra ius diuinum & humanum, dum restitit Petro in faciem, hoc est publicè; & coram Ecclesiæ congregatione, sicut habetur ad Galat.2. Hęc enim resistentia Pauli, non fuit minor prouocatio contra Petrum, quam fuisset appellatio ad ecclesiam, immo fuit æquiualenter appellatio. Vnde & si Petrus desistere noluisset, fuisset ab ecclesia condẽnandus. Constat autem quod Petrus erat summus pontifex, & secundum doctores, confirmatus in fide & gratia post pentecostem: Propterea dicunt quod Petrus non errabat in fide, nec hæreticabat; sed tantummodo nimis dissimulanter se habebat circa obseruationem legalium. Dicebat ideo Paulus, quod *non rectè ambulabat ad veritatem euangelij, & quod reprehensibilis erat.* Ex quibus palam elicitur, quod summus pontifex qui succedit Petro in apostolatu, reprehendi potest publicè per doctorem theologum, qui in officio prædicationis succedit Paulo, etiam vbi non hæreticaret, vel erraret in fide. Et hoc similiter elicitur generalius & inconuincibilius ex auctoritate proximè allegata. *Si peccauerit in te frater tuus*, quemadmodum plures in sacro Constantiensi concilio latissime deductum est in sermonibus publicis, & multiplicibus scripturis, quorum copiæ sunt apud multos. D E F

Sequeretur tertiò, quod Papa qui est membrum corporis ecclesiæ, sicut homines alij, si scandalizaret totum corpus, ipse non esset rescindendus, vt totum corpus sanum fieret; contra doctrinam Christi euangelicam, fundatam in similitudine iuris naturalis Matth.18. cum glossis & determinationibus doctorum in materia de scandalo, se fundantium in hac lege diuina & naturali.

Sequeretur quartò, quod Petrus summus pontifex nõ debuisset cõpelli reddere rationẽ ab apostolis & fratribus qui erãt in Iudęa, quia visitauerat Cornelium

Cornelium gentilem cuius tamen oppositum dicitur expresse Actu. 11. cum adisset Petrus Hierosolymam.s. vbi erat ecclesia, disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Et statim subiungitur obedientiæ Petri responsio, dans in hoc successoribus suis formam debitæ humilitatis, quam expressit epistolæ suæ primæ ca. 3. Parati, inquit, semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe. Quod si in destructione fidei summus aliquis pontifex volens superbire nollet hoc facere, constat quod à fratribus æquè posset accusari sicut & Petrus.

Sequeretur quinto quod aliqui iniuriato per papam sicut potest euenire, tam in corpore quam in membris, immo & in fama, circa ea puræ fidei sunt non pateret in casu dabili aliqua defensio vel grauaminis subleuatio, quod est contra ius naturale, cui ius diuinum non repugnat. Patet tamen consequentia data casu tali vel simili. Sit Petrus qui prædicet coram papa & multitudine populi copiosa, quod Christus fuit verus propheta, iubeat tunc papa quod detrudatur in carcerem, eo quod prædicat istam veritatem. Sentiat Petrus quod si appellet ad concilium generale submittendo se eidem, quod populus proteget eum, nec scandalizabatur in doctrina eius, sed manebit in recta fide quod Christus fuerit verus propheta, si autem nõ appellauerit, populus reputabit quod papa verum dicat & bene faciat, & ita deserat fidem cum prædicatore suo. Quæritur in casu si Petrus dicere poterit, concilium appello? quemadmodum Paulus timens à seditiosis occidi, clamauit, Cæsarem appello. Hanc autem materiã latissimè & studiosissimè prosecutus est & fundauit Ockam in dialogo suo cuius solius autoritati non oportet initi, quamuis fuerit egregius theologus, sed initendũ est rationibus suis pro quanto robur & autoritatem accipiunt à sacra scriptura, cuius contemptus cum suis professoribus sæpe duxit & ducat in errores.

Sequeretur sextò quod in nullo casu papa posset iudicari vel deponi per generale concilium, quantumcumque criminosus esset vel scandalosus ecclesiæ. Patet consequentia, quoniam ex opposito sequitur oppositum. Si enim papa potest iudicari vel deponi per generale concilium, ipse poterit denunciari per aliquem vel aliquos coram concilio præsenti vel futuro. Qui si velit grauamen inferre talibus denunciare volentibus, nonne poterunt ipsi se ponere extra manus suas vel potestatem, ne de facto grauet eos & opprimat iniustè, hoc autem facere est verè & æquiualenter ab eodem appellare. Et hoc practicatum est in cõcilio Pisano per vtrumque collegiorum duarum obedientiarum.s. Gregorij & Benedicti in suis obedientijs nuncupatorum. Hoc etiam practicatũ est per quosque reges & principes, qui se subtraxerunt ab obedientia illorum quos isti vel illi iudicabant esse summos pontifices, quæ tamen subtractiones approbatæ sunt per sacrum Constantiense concilium, quædam expressè, quædam implicitè vel æquiualenter.

Sequeretur septimò & magis ad hominẽ, quod concilium generale non esset supra papam, vel iudex papæ legitimus, cuius oppositum determinauit & practicauit sacrum Constantiense conciliũ. Non enim processum est ad inchoandum depositionem Ioannis, quousque fuisset articulus iste declaratus, sicut apparet ex actis eiusdem concilij, quoniam aliqui videbantur super hoc hæsitare. Constat autem quod ab omni homine qui habet legitimum superiorem iudicem, siue sit vnus homo siue vna communitas, potest si rationabilis & vrgens immineat causa fieri appellatio ad eũdem iudicem. Et si dicatur prout aliqui fingere volunt, quod concilium non est supra papam, nisi quando est hæreticus seu deuius à fide, in quo casu non est mirum inquiunt, si concilium sit supra talem papam, quia desijt esse papa, & est inferior omni homine, & ita nituntur etiam euadere illam ineuasibilem Christi legem, si peccauerit in te frater tuus. &c. Hoc breuiter ad præsens refellitur. Primò quia Ioannes non est accusatus vel conuictus de hæretica prauitate, & tamen concilium vocauit & iudicauit ipsum tanquam suum subditum. Vnde & in toto processu vsque post sententiam definitiuam suæ depositionis, reputatus est ab eodem concilio verus papa. Amplius non est verum quod papa eo facto quo cadit in hæresim, præsertim latentem, sit depositus à papatu, sicut nec est verum de alijs episcopis, quemadmodum ista materia declarata est alibi latius. Reducendo hanc opinionẽ ad multiplex inconueniẽs, sicut ad incertitudinẽ ecclesiasticæ politiæ & susceptionis sacrosanctorũ. Et ad fauorabilitatem damnatæ doctrinæ Ioannis Vuicleffi quæ principaliter innitebatur tali fundamento, quod nullus existent in peccato mortali erat papa vel episcopus, nec consecrabat &c. & qui bene ponderat causas reprobationis huius doctrinæ & Vuicleff in hac parte, illæ vel similes causæ concludunt quod peccatum hæresis licet reddat vnum prælatum dignum depositione iuncta pertinacia, non tamen reddit eum depositum eo facto, sed requiritur humana depositio. Sicut enim nulla sanctitas quantumcunque magna constituit aliquem in statu papali vel episcopali, nisi per electionem humanam de lege communi, contra opinionem & Valdensium, ita nulla iniquitas remouet aliquẽ ab episcopali gradu vel papals de communi lege, si non interueniat humana depositio. Amplius tertiò quo ad hoc arguitur quod concilium sit iudex papæ, non hæretici, immo sancti assignando casus multos in quibus aliquis episcopus verus papa poterit per multos testes diffamari de hæretica prauitate seu fautoria hæresis, aut per vehementes coniecturas ex operibus & cõuersatione diffamabitur apud multos & graues populos, quod non rectè ambulat ad veritatem euangelij aut quod lapsus est in hęrisim iam damnatam, aut quod nouam velit confingere, constat quod existente generali concilio vel proximè futuro, poterit idem papa iudicialiter compelli vt purget se, quemadmodum exemplificatum est de Petro. Quod si nollet hoc facere prout facere noluit Marcellinus sine accusatione sua de idolatria, nonne concilium posset consequenter ad depositionis suæ sententiam procedere? Et si dicatur quod non, ex quo non est hæreticus. Respondetur quod apud iudiciũ ecclesię vbi circa ea quæ facti sunt, fallere potest & falli. Simile

est iudicium de his quæ non apparent & quæ non sunt. Et per hoc eliditur manifestè friuola responsio dicentium papam non subijci correctioni fraternæ aut iudiciali iussæ à Christo vbi prius. Si peccauerit &c.

Sequeretur octauò & ad hominem multiplex inconueniens in eis quæ facta sunt, & quæ adhærentes prædictæ assertioni, nullatenus existimandi sunt concedere velle. Et primò quod Ioannes olim vicesimustertus reputandus est adhuc papa sicut prius, & ita quod sanctissimus Dominus noster papa Martinus non est legitimè electus neque papa, quam idem Dominus noster & suum collegium noluit ea quæ conciliariter facta sunt per sacrum Constantiense concilium inuiolabiliter obseruare. Cuius tamen oppositum idem Dominus noster pluries palam dixit, quod imperator non est confirmatus in imperium, quod grauiter peccant attendentes prædicta qui dant obedientiam domino nostro summo pontifici tanquam papæ. Denique Petrus de luna fuisset iniustè & perperam accusatus in concilio de materia hæresis præcipuè & principaliter. Quoniam in quadã constitutione quæ de verbo ad verbum ponitur in actis concilij, ipse conatus fuit determinare, quod nunquam licitum est aut fuit facere subtractionem ab eo neque ab alio vero papa, fundans se in hoc quod papa non habeat superius iudicium in terris, nec potest ab aliquo iudicari. Hæc autẽ iudicata fuit hæreticalis constitutio, & ita de plurimis inconuenientibus diceretur.

POSTREMÒ dimissis illis quæ sunt in facto circa iustificationem vel iniustificationis appellationis dominorum Polonorum, nam multa hinc & inde diuersa, immo aduersa & contraria videntur asseri, circa quæ theologicum negotium non versatur, nisi pro quanto sub regulis generalibus, & autenticis daretur ars, sicut & data est cõuincendi aliquem de pertinacia & fautoria hæreticæ prauitatis. Conuertatur tandẽ inquisitio particulatæ quæstionis circa vltimam particulam suã quæ sic habet, quod nulli fas est &c. Illius videlicet apostolicæ sedis seu Romani pontificis iudicium in causis, quæ tanquam maiores ad ipsum & sedem apostolicam deferendæ sunt declinare.


SVNT aliqui sicut dicitur qui minus istam particulam reputant sustinibilẽ quam præcedentem, qualificãtes eam quod est palã hæreticalis, & totius ecclesiasticæ hierarchiæ circa fidei defensionem seu conseruationem finalem & resolutiuam subuersiua. Nituntur aut fundare dictum suum in aliquibus propositionibus quas reputant catholicas veritates.

Prima propositio.

In causis fidei iudicium initi debet infallibili regulæ, sic quod vltimus & supremus iudex, cui sententiæ necessariò standum est tanquam verè catholicæ, non sit à fide deuiabilis, alioquin staret in casu quod homines obligarentur assentire contra fidem.

Secunda propositio. In causis fidei non habetur in terra iudex infallibilis, vel qui non sit deuiabilis à fide de lege communi, præter ipsam ecclesiam vniuersalem vel concilium generale eam sufficienter repræsentans.

A

Tertia propositio. In causis fidei nullus particularis homo per suam determinationem potest de propositione nõ hæretica facere hæreticam, sicut nec de catholica nõ catholicã, ita nec papa nec episcopus propriè & verè loquendo possunt propositionem aliquam hæreticare. Possunt tamen propositionem aliquam quę videtur, aliquibus non hæretica, declarare quod sit hæretica & hoc iudicialiter, sicut doctores scholasticè hoc faciunt vel doctrinaliter. Et hoc appellatur facere articulum, diuersimodè tamen, quia papæ determinatio pœnalis extendit se ad omnes fideles, sed episcopalis tantummodo ad subditos suos, vt præcisè est episcopalis.

B

Quarta propositio. In causis fidei nulla determinatio iudicialis episcopi, immo nec papæ solius præcisè vt est episcopi vel papę, ligat fideles ad credendum quod ita sit de veritate fidei sicut prætẽdi sua declaratio, quoniam tã papa quam episcopus deuiabiles sunt à fide, obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent oppositum talis determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi vel per sacram scripturam vel per reuelationem vel per ecclesiæ seu generalis cõcilij determinationem.

C

Quinta propositio. In causis fidei sicut potest declinari iudicium episcopi si appareat deuius à fide, & requiri iudicium papæ, sic de papa respectu generalis concilij suo modo dici potest. Et hęc est ad formam responsiua sequens ex præmissis, iũcto quod apud summum pontificem & eius sedẽ Romanam potest esse quandoque raritas peritorum in sacris litteris & in vera fide probatorum, magis quam apud quosdam ex ipsis qui generalia habent studia sacræ scripturæ & aliarum facultatum.

D

Sexta propositio. In causis fidei illa causa dicitur maior esse non quæ est de re maiori sicut de Trinitate & vnitate personarum, sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum iuxta textum scripturæ. Exod. 18. Deute. 17. & 2. Paral. 19. In quibus fundantur canones dicentes, quod causæ maiores fidei sunt ad sedem apostolicam referendæ.

E

Septima propositio. In causis fidei poterit vna causa dici maior apud aliquem episcopũ vel diocesim, quæ apud alium episcopum vel diocesim non reputabitur esse maior, vel ad superiorem sicut ad papam remittenda, quia. s. apud talem episcopum vel diocesim propter abundantiam theologorum causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua, sed per sacram scripturam iam damnata vel approbata.

F

Octaua propositio. In causis fidei non minus aliquando occurrendum est siue per episcopum siue per summum pontificem, siue per generale concilium, dum cernuntur oriri scãdala & errores crudeles & impij contra pacificum conuictum Christiani populi, qui maximè consistit in obseruatione mandatorum Dei de seruando iuramento, & de non interficiendo homines autoritate propria, & de non præstando ad vsurã, vel de

non

non rapiendo, vel de non adulterãdo, quam dum insurgunt errores contra aliquos de articulis fidei A qui numerati sunt in symbolo. Formant igitur rationem suam, qui prædictam particulam impugnant, iuxta propositiones præmissas, præsertim iuxta quinque primas. Fas est in casibus concernẽtibus causas fidei, declinare illius iudicium, qui reperiretur deuius à fide, vel eis quæ fidei sunt (cũ suis consiliarijs) vehementer suspectus, per aperta signa nimiæ dissimulationis, vel acceptionis personarum, vel aliunde multis modis: sed (loquendo semper cum reuerentia) staret aliquem summum pontificem cum suo collegio, sic posse deficere B circa ea quæ fidei sunt, quemadmodum Petrus & alij apostoli defecerunt in passione, immo (quod minus probabile videtur) sicut Petrus deficiebat, nec rectè ambulabat ad veritatem euãgelij, & reprehẽsibilis erat, dum Paulus sibi restitit in faciẽ; ac proinde declinabat eius iudiciũ: ergo fas est interdum summi pontificis iudicium in causis fidei declinare. Hæc autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicuius (præsertim sanctissimi domini Martini papæ) C reprehensionem; attento quod constitutio sua, quantum ad illa quæ fundãtur in facto, non iacet sub theologica reprehensione: & quantum ad alia quæ ius concernunt (sicut est prædicta pars excepta) dicerent beneuoli sui, quod non obstantibus allegationibus in oppositum, illa potest suscipere rationabilem & veram interpretationem, sicut recipiunt cõstitutiones positiuè decretis incertè quibus innititur: Sic intelligendo, quod non est fas appellare à Papa, vel eius iudicium in causis D fidei declinare, non quidem pro omni & in omni casu, sed quando facit id quod in se est, & quando non apparet deuius à fide, sed ambulat rectè ad veritatem euangelij, sine personarum acceptione, quemadmodum in prooemio & narratione suæ constitutionis dicit esse faciendum per summum pontificem, & quod ita fecit affirmat. Nam constitutiones & leges, secundum Aristo. feruntur vniuersaliter, quamuis in aliquo casu dabili pati possunt instantiam.

Porrò, Dominus noster tollere poterit efficaci- E ter suspicionem sinistram, quę contra sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compẽset: hoc est, si sponte nullo requirente damnet doctrinam illam pestiferam & crudelem contra Polonos cũ similibus alijs, cum tali celeritate & rigore, qualẽ fidei materia, vergens in scandalum & perniciem reipublicæ postulat & requirit, procul abiecta quauis acceptione personarum.

Finit tractatus magistri Ioan. de Gerson sacræ paginæ professoris eximij, quomodo & an liceat in causis fi- F *dei à summo pontifice appellare, seu eius iudicium declinare.*

LIBELLVS EIVSDEM DOCTORIS, ARTICVLORVM THEOLOGICORVM *& scholasticè compositorum contra Petrum de Luna; ad conuincendum eum fuisse, & esse notoriè hæreticum, & pertinaciter errasse, & errare contra catholicam & euangelicam veritatem, super potestate & autoritate ecclesiæ. Et continet duos tractatus. In primo ponuntur generales articuli. In secundo speciales, & subsumpti specialiter ex generalibus.*

Gerson. Prima pars.

Primus articulus.

ET primò, constat quod iste est articulus fidei *quod est vna sancta catholica & apostolica ecclesia.*

Secundus articulus: Item, quod hæc vnitas ecclesiæ non sic dependet à persona papæ essentialiter, quin posset manere vna, vt manet de facto, quando nullus est papa in ecclesia.

Tertius articulus. Item, quamuis vnitas ecclesiastica essentialis sit ad primarium caput Christum, nihilominus vnitas altera accidentalis vel secũdaria, consistit in obedientia ad vnum summum põtificem, qui est caput secũdarium in ecclesia cum Christo: Sic videlicet, quod quilibet catholicus debet habere prõptitudinem seu præparationem animi, ad obediendum vni summo põtifici, dum constiterit sibi aut constare debuerit, quod sit Papa aliquis legitimè electus. Et vltra secũdò requiritur, quod non ponat scienter impedimentum commissiuè vel omissiuè, ne præficiatur ecclesiæ Dei vnus Papa certus, & legitimè electus. Ideo enim condemnatus est inter cæteras causas Ioannes Hus, quia dicebat, quod ecclesia Dei vsque ad cõsummationẽ seculi, poterat æquè bene regi per sacerdotes dispersos per mũdum, absque vno capite sicut cũ tali capite. Vnde sicut dicunt theologi, quod sacramentum confirmationis est sacramentum necessitatis, non quidem simpliciter (cũ sine illo staret salus) sed sic quod obligatur quilibet ad non contemnendum susceptionem huius sacramenti pro tẽpore & loco oportunis: ita proportionabiliter de vnione vel adhæsione ad vnicũ papam potest intelligi: sicut etiam dici solet apud theologos, quod præceptum affirmatiuum (quale est de habendo papam) obligat ad semper, non pro semper.

Quartus articulus. Itẽ, quod culpabilis in priori articulo primo modo vel secundo, verè dicitur fautor & nutritor schismatis, immo & schismaticus, si iũgat pertinaciam, id est si non velit corrigi: quamuis staret quod ex hoc solo non esset hæreticus, si faceret hoc non ex errore intellectus, sed ex deprauatione affectus: quamuis apud ecclesiam habendus esset ille vel hæreticus, vel de hæresi vehementer suspectus.

Quintus articulus. Itẽ, quod ecclesia sic instituta est à Christo perfecto legislatore, quod potest se continuare, & de facto continuabit in vnitate vsque ad cõsummationem sæculi, hoc intelligendo, nedum de primaria & essentiali vnione, quæ est ad Christum, sed de accidentali & secundaria ad summum pontificem; sic quod potest & poterit sibi instituere caput vnum secundarium quod dicitur papa. Et quicumque impedit scienter, cõmissiuè vel omissiuè talem vnitatem ecclesiæ, agit cõtra articulum iam dictum, *vnam sanctam catholicam &c.* etiam vbi videretur stare cum prima vnitate ad Christum. Inde patet, quod aliquis existens Papa legitimè elect9, potest effici schismaticus, si det impedimentum scienter, commissiuè, vel omissiuè, quod tota ecclesia nõ obediat vni sũmo põtifici: dũ exẽpli gratia papa nõ potest reducere maiorem partẽ christianitatis ad obediendũ vni capiti, nisi cesserit, & alter cõstituatur, ipse verò hoc pertinaciter renuit facere, aut in aliquo multiplici

casu tali. Simile diceretur de obedientibus vero papæ, quod possunt esse schismatici: at alij qui nō obediunt, sed parati sunt obedire modo prædicto & apponunt diligentiam suam quod vniatur ecclesia, sunt immunes à schismate.

Sextus articulus. Item, si probetur de aliquo quod circa præmissa sit hæreticus, hoc est iuxta verba Augu. quod fingat sibi nouum errorem, vel antiquū sequatur, gloriæ siue principatus sui causa, probabitur consequenter manifestissimè quod talis est nedum fautor schismatis, sed verè schismaticus. Et ideo sufficiat in sequentibus coarctare sermonem ad hæresim, quoniam ex isto sufficienter concludetur schisma.

Septimus articulus. Item, quod dum nullus est papa, vel dum lapsus est in hæresim manifestam & iam damnatā, vel dum cōsentire non potest quod ecclesia congregetur (quia scilicet effectus est amēs, & insanus incurrabiliter, vel incarceratus est taliter quod haberi non potest accessus ad eum, etiam si necessitas vel euidens vtilitas immineat) potest se congregare sine papa. Et idem dicēdum est, vbi papa sufficienter summatus & requisitus pro congregando ecclesiam, ad vniendum eam in fide & moribus, vel cōstituendum sibi papam certum, nollet contumaciter eam conuocare. Iste articulus sequitur ex prioribus, & ex negatione eius sequeretur quod ecclesia nō fuisset à Christo perfecte instituta pro sui conseruatione, & vnitate legitima in membris suis, in fide & moribus, & ad vnum caput secūdarium, verum, & certum; quod apertissimè est contra apostolum ad Eph. 4. & alibi multis locis, & Ozeæ. 1.

Octauus articulus. Item ecclesia dicitur catholica id est vniuersalis & apostolica, quoniam omnis homo generaliter obligatur adhærere firmiter illis virtutibus, quas eadem ecclesia tenet, docet, & prædicat: quæ veritates sunt sufficienter in sacra scriptura contentæ, præsertim in euangelio, vel ex contentis in sacra scriptura sufficienter & clarè deducuntur; vel per apostolorum doctrinam, successiuè deductæ sunt de generatione in generationem, vsque ad nos per obseruationem legitimam. Vnde dicitur ecclesia apostolica, quoniam in doctrina apostolorum fundata est, tam verbis quam scriptis.

Nonus articulus. Item, dum est data in euangelio per Christum aliqua regula generalis obseruāda, illa obligat omnem hominem habentem vsum rationis, nisi de exceptione alicuius hominis constiterit per eandem legem euangelicam, & non solum per humanam traditionem, vel exceptionem, quoniam inferioris lex derogare non potest superioris autoritati.

Decimus articulus. Item, quod hæc est lex euangelica generaliter promulgata Mat. xviij. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos testes, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si eos non audierit, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Sequitur continuò, *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram &c.* vbi fundatur potestas supernaturalis ecclesiæ vltra naturalem.

Vndecimus articulus. Item, quod ad prædictum articulum corroborādum, ex alijs sacræ scripturæ

A passibus, possent induci variæ leges, quæ sunt de iure propriè diuino & expresso, immo & de iure propriè naturali præsupposito diuino: vt de abijcēdo partem corporis scandalizantem totum corpus, siue sit pes, siue manus, siue oculus, Matth. xviij. Et ita de reliquis. Sed sufficit ad deducēdum propositum hæc vnica lex prædicta: *Si peccauerit.* Et fortè diceret hic aliquis, quod quicquid sit de membris abijciendis aut rescindēdis, caput tamen non potest abijci vita manente. Respondeo, quod similitudo corporis veri & mystici, non est vsquequaque eadem, quoniam sine capite naturali corpus non potest viuere, sed sine capite secundario,

B corpus mysticum potest habere vitam, sicut in casu nostro patet de papa, quo remoto vel absciso, stat vnitas, & vita in corpore mystico ecclesiæ, & hoc virtute capitis essentialis & primi, quod est Christus.

Duodecimus articulus. Item, sicut summus pōtifex quantumcumque legitimè fuerit electus, est filius ecclesiæ, sic dici potest & debet frater vniuscuiusque hominis de ecclesia: Vnde & ad hoc si-

C gnificandum dedit nobis Christus hanc formam orādi, *Pater noster &c.* Si vnum ergo habemus patrem in cœlis; si vnam matrem ecclesiam in terris, constat quod omnes mutuo sumus fratres. Et oppositum sentire vel dicere de papa, esset apertissima dementia.

Tredecimus articulus. Item quod papa quantūcūque legitimè electus, potest peccare, quia nō est impeccabilis ex assūptione papalis dignitatis. Op-

D positū dicere nisi constaret de aliquo per diuinam reuelationē, esset intolerabiliter superbire, & cōtra testimoniū experientiæ præsentis & præteritæ.

Decimus quartus articulus: Item, prædicta lex, *Si peccauerit*, quamuis data fuerit pro regimine totius ecclesiæ & filiorum suorum, nihilominus appropriatè data est personæ Petri, qui erat futurus summus pastor: sicut promissum fuerat Mat. xvj. & executioni demandatum, Ioannis. xxj.

Decimus-quintus articulus. Item, quod Christus in prædicta lege, *Si peccauerit &c.* non accipiebat ecclesiam quando dixit, DIC ECCLESIÆ, pro

E ipso Petro, vel pro successoribus suis summis pontificibus: patet, quia Petrus non dixisset sibi ipsi, quando frater suus noluisset obedire monitioni suæ, seu fraternæ correctioni. Intelligebat ergo de ecclesia quæ est congregatio fidelium, præsertim quando frater qui peccabat & nolebat corrigi, fuisset talis, quod non habuisset prælatum supra se, sicut est Papa, qui tamen subiectus est legi prædictæ, sicut ipse est frater peccabilis.

Decimus-sextus articulus: Item Christus, dicē-

F do in prædicta lege, *quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, docet manifestè quod ecclesia habet auctoritatem iudiciariam: alioquin si non audiretur, non esset contumacia vel peccatum: Et patet aliunde per illud: *qui vos audit me audit &c:* Et iterum: *quæcunque alligaueritis super terram &c.* Sic subiungitur statim post prædictam legem. *Si peccauerit.*

Decimus-septimus articulus. Item, quod omnis qui potest & debet licitè puniri iudicialiter, potest etiam licitè euocari ad iudicium, etiam per appellationem, aut prouocationē, aut citationē, prout visum

visum fuerit expediens iudici, vel illis qui ad iudicium accusare volũt fratrem delinquentem; præsertim vbi non apparet pro tunc modus conuenientior procedendi contra reum & peccatorem fratrem.

Decimus-octauus articulus, Item, quod nulla constitutio humana potuit aut potest præiudicare legi prædictæ. *Si peccauerit &c.* cum sit de iure diuino, & de iure propriè naturali, præsupposito diuino.

Decimus-nonus articulus, Item, quod constitutiones quæ dicunt quod papa potest deponi, si labatur in hæresim, non sunt censendæ constitutiones purè humanæ vel positiuæ aliquorum summorum pontificum vel alterius: Patet, quia tunc non ligarent papam, quia par in parem non habet imperium.

Vicesimus articulus, Item, quod fundantur hæ constitutiones principaliter in prædicta lege. *Si peccauerit &c.* Et in alijs iuribus cõformibus, sicut prætactum est articulo.11.

Vicesimus-primus articulus, Item, quod sicut hæc constitutio Christi. *Si peccauerit in te &c.* non specificat vel restringit de solo peccato hęresis, sed & generaliter de quolibet peccati genere, quod potest deduci in publicum seu notorium, potest denunciari ecclesiæ, si fraternaliter monitus Papa nolit audire monẽtem, neque testes inductos, nisi daretur ex lege propriè diuina, quod aliquod peccatum Christus istic excluserit, quod vtique fieri non poterit.

Vicesimus-secundus articulus, Item, quicumq; cuiuscumque status fuerit, qui scripserit, vel asseruerit, quod papa nõ possit pro alio crimine accusari coram ecclesia, quàm pro hæresi; ille negandus est simpliciter, tanquam contradicens textui euangelico, vel reuerenter glossandus est, si nõ appareat quod fuerit in hac assertione pertinax, & si in alijs bene sensit. Simile dicitur de scripturis, quæ sonare videntur quod Papa non habet superiorem iudicem in terris, quod ab eo nunquam licuit neque licet appellare, & ita de similibus: quæ si excludunt autoritatem generalis Concilij, sunt hæreses manifestæ. Sed non est leuiter pręsumendum, quod alij doctores sic senserint generaliter, absque omni exceptione possibili, occasione, vel colore.

Vicesimus-tertius articulus, Item, quod glossa quæ dicit quod pro alio crimine quam pro hæresi potest papa accusari vel deponi, non habet auctoritatem vel robur tanquam ab vno glossatore vel homine, sed à Christo immediatè & expressè, alioquin non faceret fidem, sicut prædictum est in altero articulo, *quod par in parem*, & vnus inferior in superiorem non habet iudicium.

Vicesimus-quartus articulus, Itẽ, quod de iure diuino & naturali est, propria defensio suiipsius dum læditur; dum tamen hoc faciat per media nõ prohibita in lege diuina & naturali.

Vicesimus-quintus articulus, Item, quod stare potest in facto quod aliquis molestatus à Papa etiam vero & legitimo, non possit habere sufficiẽtem defensionem, nisi prouocet vel appellet à Papa ad iudicium ecclesiæ; & nisi subtrahat se ab eo, sic quod eius mandatis non obediat: quæ manda-

A ta vel obedientia, tollerent læso iustam defensionem sui ipsius vel suorum, vt esset tuitio propriæ matris, vel patris, aut patriæ suæ, immo & totius catholicæ veritatis, aut vnitatis ecclesiæ, sicut apparuit in subtractionibus multis legitimè factis tempore nostro, & per prius.

Vicesimus-sextus articulus, Item, sicut alias prędicatum est coram hoc sacro Concilio, potest haberi multiplex occasio & quæsitus color, ad hoc, quod possit & debeat per ecclesiam seu cõcilium generale vice sua, dari libellus repudij vero Papæ. quanquam sine culpa Papæ, licet non sine causa; B quandoque cum culpa Papæ, etiam alia quam sit hæresis, & numerati sunt colores vel occasiones decem: quemadmodum viceuersa, summus pontifex potest dare libellum repudij ecclesiæ, sicut patuit in Cælestino cedente: Vxor autem & vir, non videntur hic ad imparia iudicari.

Vicesimus-septimus articulus, Item, quod prædicti omnes & singuli articuli sunt per hoc sacrũ concilium Constantiense solemniter & iudicialiter declarati, & multipliciter practicati, tam in ejectione olim Ioannis.xxiij. quàm in constitutionibus & decretis factis super autoritate generalis C concilij, præsertim.vj. aprilis anno.1415. Et nouissimè in decreto facto, quod prætensa constitutio Petri de Luna, non præiudicat subtractioni factæ sibi in Arragonia. &c.

Vicesimus-octauus articulus, Item, quod docẽs vel asserens nunc oppositum alicuius articulorum præmissorum, cadit in hæresim iam damnatam, & asserit expressè contra prædictam legem euangelicam, *Si peccauerit &c.* Et contra articulum istum, D *Vnam sanctam Catholicam &c.* & contra determinata expressè per hoc sacrum Cõcilium, sicut prætactum est.

Vicesimus-nonus articulus, Item, quod prælatus ecclesiasticus etiam Papa determinãs iudicialiter, aut per modum constitutionis perpetuæ, & pœnalis, oppositum præmissorum articulorum, non potuit aut potest à pertinacia quomodolibet excusari: tum quia demonstrat quod non quærit tota solicitudine veritatem, dum eam scienter impugnat, & ad impugnandum omnes alios inducit E quantum in se, est per excommunicationes & alias pœnas grauissimas; tum rursus in casu præsenti, quia non ostendit se paratum corrigi, dum regulam sui correctricem negat & impugnat scilicet auctoritatem ecclesiæ, vel generalis concilij vice sua.

Tricesimus articulus, Item, quod nullæ protestationes factæ in oppositum releuant talem assertorem vel determinatorem, quominus debeat in errore suo pertinax iudicari: quia cum talibus pro- F testationibus generalibus, de volendo stare in fide ecclesiæ &c. stat de facto particularis erroris assertio, sicut posset latius deduci, tam per rationes, quàm per exempla priorum hæreticorum, & etiam modernorum, dum factum repugnat protestationi.

Finit liber primus.

SECVNDVS LIBER EIVSDEM DOCTOR. ARTICVLORVM SPECIALIVM *subsumptorum specialiter ex generalibus articulis super potestate & auctoritate Ecclesiæ, contra Petrum de luna, ad conuincendum eum vt prius.*



ET primò notandum est, quod Petrus de Luna dudum fecit quandam prætensam constitutionem & eam pluries solemniter publicauit, & publicari fecit: immo & practicauit quantum in se fuit, tam contra Christianissimum regem Franciæ ante Concilium Pisanum, quàm nouissimè contra illustrissimum regem Arrogoniæ; & generaliter contra omnes qui sunt in hoc sacro Constantiensi Concilio, sicut patet ex sua responsione ad citationem, quæ prætensa constitutio incipit. *In dierum successu crescente malitia &c. Datum Massiliæ. 14. Calend. Junij. Anno. 13. Pontificatus nostri:* ita quod sunt decem anni vel circiter.

Secundus articulus: Item, quod in prætensa cõstitutione ponitur in forma talis clausula inter cætera.

Omnes &c. qui à nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus appellare præsumpserint, seu à nostra, seu ipsorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium obedientia recesserint, ac se subtraxerint, vel in præmissa subtractione aut appellatione perseuerint seu perstiterint, seu eis in præmissis impedimentis seu appellationibus, subtractionibus vel prouocationibus scienter per se, vel per alium, vel alios quauis occasione seu quæsito colore dederint auxilium, consilium vel fauorem, & qui pertinaciter asseruerint illos qui præmissa committunt per nostras sententias non ligari, cuiuscunque status, gradus, dignitatis existant vel conditionis, etiam si cardinalatus patriarchali, archiepiscopali, episcopali, imperiali regali, vel alia quauis ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, ex nunc auctoritate apostolica excommunicationis sententiam promulgamus, à qua nullus, præterquam à Romanis Pontificibus, nisi duntaxat in mortis articulo poterit beneficium absolutionis obtinere, &c. Et adduntur pœnæ depositionis &c.

Tertius articulus, Item, quod dicta clausula sicut patet ex forma sua est generaliter absque omni exceptione posita tam de Petro de Luna, quam de quocumque legitimo successore suo, siue labatur aliquis eorum in hæresim, siue in aliud peccatum quodlibet quantumcunque enorme, quia dicit *quauis occasione seu quæsito colore &c.* Et quia si voluisset aliquam exceptionem fuisse, illam explicasset: Sed quia videbat exceptionem redundare potuisse contra seipsum, propterea nullam apposuit vel apponendam iudicauit.

Quartus articulus, Item, quod Petrus de Luna in suis responsionibus datis ad citationem contra eum factam, dat apertè intelligi, quod vult practicare dictam prætensam constitutionem, & tenet firmiter quod habuit, & habet robur, & vim suam contra omnes & singulos qui sunt in hoc sacro Constantiensi concilio, quia sic dicit in forma.

A *Protestandum tamen, quod per quæcunque facta vel facienda, dicta seu dicenda, sub quacunque forma non intendit dictam congregationem aut eius prætensam citationem comprobare, nec ipsam citationem quomodolibet exaudire, aut ei quemcunque seu qualemcunque vigorem (tanquam à notoriè nullam potestatem habentibus emanatam) quoquo modo tribuere seu præstare: immo ipsam & alia quæcunque facta seu facienda ordinata seu ordinanda contra ipsum & Romanam Ecclesiam, cum sint de facto præsumpta per eos, pronunciauit, decreuit, & declarat cassa, nulla & irrita ipso iure; vt de hoc etiam est solemniter protestatus.*

B Postremo cum in prætensa citatione contineatur quod conuenientes in vnum canonicè conuocati, & repræsentantes ipsam vniuersalem ecclesiam, decreuerunt &c. Respondet idem Dominus noster Papa, quod prædicti congregati in Constantia non sunt generalis synodus, nec vniuersalem ecclesiam repręsentant, cum sint excommunicati, & omnibus ecclesiasticis dignitatibus, gradibus & auctoritatibus & iurisdictione priuati, & per consequens nullas partes iudicij potuerunt assumere nec possunt, sicut nec etiam iurisdictionem aliquam exercere, præcipuè cum C minor in maiorem, & permaximè in Papam (quem nec iuris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicuius obligationis necessitas ad hoc arctant) actũ imperiosum exercere non possit.

Ecce temeritatem & pertinaciam aduersus hoc sacrum Concilium, & aduersus omnes indifferẽter, qui sibi non obediũt. Vnde & reputat solam ecclesiam esse apud se, & solum concilium generale, & quod cathedra sua est arca Noë, sicut dixit D verbo, dans intelligi, quod nullus extra hanc arcam saluabitur. Et ita de plurimis.

Quintus articulus, Item, quod hæc prætensa cõstitutio de directo & expressè repugnat omnibus & singulis prioribus articulis qui elucidant hanc legem euangelicam: *Si peccauerit &c.* Et qui fundantur in hac lege cum suis similibus, & hoc notorium est ex terminis.

Sextus articulus, Item, quod Petrus de Luna nõ E excusatur vel releuatur ab hæresi prædicta & pertinacia per generales protestationes quas facit, quæ sic habentur in forma.

Dicit ac etiam profitetur quod in veritate fidei & vnitate Catholica Ecclesiæ semper fuit & est, semperque se fuisse & permansisse firmiter credit, nec ab illis vnquam modo aliquo deuiauit, sicut nec deuiare intendit, nec fauorem schismati vel hæresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit: immo semper tenuit, & tenet firmiterque credidit & credit, quod sancta Romana & catholica ecclesia tenuit & tenet profitetur & F docet; nec aliquid à prædictis decreuit dicere, scribere, docere, tenere seu credere intendit in posterum, gratia eidem diuina assistente, nihilque pertinaciter seu incorrigibiliter dixisse seu dicere voluit, nec intendit. Sed omnia præterita, præsentia, & futura quæcumque dicta & dicenda, facta & facienda, scripta & scribenda, credita & credenda, docta & docenda subijcit, subiectaque esse voluit correctioni & determinationi catholicæ ecclesiæ sacrosanctæ. Et si contra præmissa vel aliquod præmissorum dixerit, scripserit aut fecerit quouis modo quod non credit paratus est semper stare correctioni dictæ sanctæ

sancta matris ecclesia, in cuius vnitate viuere intendit, atque mori sicut catholicus & fidelis; & facere & complere ea ad quæ astringitur in præmissis, & quolibet præmissorum. Constat enim quod cum his protestationibus remaneret particularis error suus non purgatus.

Septimus articulus Item, si nunc prædictus Petrus de Luna vellet à prædicta hæresi sua reuerti, & redire ad gremium ecclesiæ, ipsa posset non claudere sibi gremium, dando indulgentiam de scelere, sed non deberet ipsum impunitum relinquere, vel in Papatu prætenso retinere, etiam vbi fuisset aliunde papa legitimus.

Octauus articulus Item, quòd si mittat nuntios suos, videtur quod in primis & ante omnia proponendi sunt ipsis præcedentes articuli, vt respõdeant sigillatim ad quemlibet; quoniam per hoc fiet abbreuiatio aliorum processuum iuridicorum, qui versarétur in his quæ sunt facti; quoniam per prædictos articulos, potest veraciter vno verbo dici ipsi Petro de Luna, Ex ore tuo te iudico serue nequam, immo videtur quod nuntij si mittantur, erunt interrogandi super præmissis, nedum pro nomine seu vice Petri de Luna, sed etiam pro seipsis, vt videatur quid sentiant super eisdem articulis, vt si malè, habeant & ipsi malè iuxta demeritum & errorem: si bene, condamnabitur eorum magister ex eorum confessione catholica & vera.

ARTICVLATIO PRAETACTAE constitutionis Petri de Luna potest fieri contra ipsum sub propositionibus sequentibus cum probatione summaria, & aliarum quarundam additione conclusionum. Hæc constitutio Petri de Luna est hæreticalis, quæ incipit. In die &c. Hæc constitutio cum suis circunstantijs reddit Petrum de Luna propriè hæreticum, schismaticum, temerarium, scandalosum atque sacrilegum.

PROBATVR prima conclusio sic. Constitutio illa est hæreticalis, quæ directè & expressè præiudicat & contrariatur legi euangelicæ, de correctione iudiciali per auctoritatem ecclesiæ, si fraterna non satisfecerit, quæ habetur Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Sed hæc constitutio Petri de Luna est huiusmodi, igitur est hæreticalis. Deducitur maior per descriptionem hęresis, quæ est dogma peruersum fidei catholicæ contrarium. Constat autem quod euangelium est fides orthodoxa obiectiuè, sicut dicitur in symbolo. *Hæc est fides catholica, &c.* Sed minor in qua stat difficultas, deducitur sic. Lex prædicta de correctione fraterna & iudiciali, aut comprehendit Petrum de Luna & suos successores quos reputat summos pontifices futuros legitimè, vel non cõprehendit. Non potest dici secundum, quoniam lex fertur generaliter de omni fratre, dum peccauerit tali peccato, quod potest deduci in publicũ. Constat autem, quod quilibet christianus est frater noster, etiam si fuerit papa, quia propter hoc non desinit dicere pater noster: si ergo est frater noster, nos pariter sumus fratres; si vero detur primum, sicut dari necesse est, quod scilicet papa cõprehenditur sub lege hac euãgelica & immutabili, quæ cõsonat etiam iuri propriè naturali. Sequitur ergo, si peccauerit in nos etiam frater noster, debet fraternaliter primo corripi, iuxta regulam generaliter ita positam, quod si noluerit audire adhibendi sunt testes, quos si audire noluerit, denunciandus est ecclesię, quam si contempserit, habendus est tanquam ethnicus & publicanus id est excommunicatus, & extra ecclesiam positus. Sequitur ergo consequenter, quod ecclesia est iudex papę, dum peccauerit peccato publico, & ecclesię denunciato. Et potest ecclesia talem papam excommunicare, & eiicere à consortio, multiplici occasione, & multiplici quæsito colore.

Constat autem quod ab inferiori ad superiorem legitimum, potest fieri appellatio, seu prouocatio, seu deductio in causam, seu iudicialis citatio, & euocatio, nunc ad denunciationem alterius, nunc ex puro iudicis officio. Sed manifestum est quod hæc constitutio tollit omnia ista media, dum fert generalem excõmunicationis sententiam, & pœnas depositionis in omnes, qui quacunque occasione, vel quocunque quæsito colore, pręsumpserint à persona Petri de Luna, vel à quocunq; successore, seu appellare seu prouocare, vel ab obedientia se subtrahere &c. quod vtiq; repugnat & contradicit manifestissimè huic legi euangelicæ, prout modò deductum est.

PROBATVR secunda conclusio faciliter ex præcedenti. Ille enim propriè dicitur hæreticus, qui pertinaciter asserit, immo determinat hæresim: sed Petrus de Luna pertinaciter ita fecit; est enim pertinax, qui non est paratus corrigi, & qui non quærit cauta sollicitudine veritatem, sed impugnat, & ad impugnandum omnes inducit sub pœnis terribilibus quantum in ipso est. Sic est in proposito, addendo maximè quod hic impugnatur regula veritatis de directo, per quam errans frater habet corrigi, quę regula est autoritas & potestas iudicialis ipsius Ecclesiæ, vel Concilij generalis vice sua. Vnde tollit quantum in ipso est omnia media per quæ debet errans ad viam & regulam reduci veritatis. Possent addi circunstantiæ quasi sine numero, quæ probãt hanc pertinaciam in Petro de Luna, respectu constitutionis huiusmodi, & aliorum errorum multipliciũ, & scandalosissimorum, sed hæc pro nunc sufficiunt, attento quod tam erga regem Franciæ, quàm erga regem Arrogoniæ, voluit practicare constitutionem istam hæreticalem atque pestiferam: immo & in omnes existentes in hoc Concilio, sicut patet in responsione sua ad citationem.

PROBATVR tertia conclusio, considerando materiam circa quam est hæresis prædicta, quæ de necessitate infert peccatum schismatis: quoniam tendit ad impossibilitandum reunionem ecclesiæ sub vno certo pastore supremo: quia tollit medium conuenientissimũ imo necessariũ scilicet auctoritatem iudicialem Ecclesiæ, seu Cõcilij generalis vice sua, dum prohibet ecclesiam congregari, &c. & dum remouet omnem papam à subiectione auctoritatis iudicialis Ecclesiæ. Confirmantur omnia prędicta per constitutiones huius sacri Concilij factas & publicatas pluries,

Confirmantur etiam per subtractiones licitas illorum principum qui se subtraxerunt. Oportet enim concedere præmissas tres conclusiones, vel dicere quod hoc concilium generale errauit faciendo quæstiones tales, & in approbando nouissimè subtractionem dominorum Arrogoniensiũ: absit autem hoc à nobis ita delirare.

Et si dicatur quod multa iura canonica, multæ constitutiones Papales & aliæ, videntur sonare pro constitutione Petri de luna. Respondetur quod illa iura sunt reuerenter glossanda, & interpretanda conformiter ad inuariabilem legem Christi: Aut si quis vult aliquis illa tenere in suis terminis proterue & regidè, nos cum omni libertate, talia scripta negabimus esse vera, & per consequens nec iura canonica: quoniam nullum ius esse censendum est, quod diuinæ legi conuincitur contraire. Addatur & hic clausula constitutionis quæ ponitur supra in secundo articulo. *Omnes, &c. qui à nobis, &c.* supra.

EXCERPTA DE ARTICVLIS CONTRA PETRVM DE LVNA *in processu productis.*



RIMO in tractatu quem fecit aut fieri fecit, & ab alijs factum approbauit & ratum habuit, intitulato de schismate, ponit hanc conclusionem sequentem, & ponitur cõclusio sequens. *Nulli conuenit potestati nec diuinæ nec humanæ, quod aliquid sit intra vnũ locum & extra eundem.* Dictamque conclusionem pertinaciter asseruit & sustinuit, quæ hęretica est contra sacram scripturam & diuinam potentiam, cum Deus sit intra & extra eundem locum, & hoc est notorium. Item quod dixit scripsit vel scribi fecit, & asseruit idem dominus vocatus vt præmittitur B. *quod si iuisset ad Pisanum concilium vel misisset ad illud ad cedendum papatui: vt aliqui sibi consulebant, iam non essent claues in Ecclesia, nisi Deus incarnatus fuisset & claues de nouo dedisset,* & hoc est notorium. Item in tractatu quem fecit aut fieri fecit & factum approbauit, & ratum habuit contra Pisanum concilium, qui incipit. *Quia nonnulli in quarta parte via tertia.* C. subsequenter, & alibi in dicto tractatu dixit asseruit & pertinaciter sustinuit, *quod stante dubio huius schismatis, illi qui non possunt certificari de veritate & iusticia alterius contendentium de papatu primo electorum, obediendo papæ Benedicto 13. scilicet sibi, quo ad Deum, in conscientia, sunt & essent securi.* Et hoc est notorium. Item dicunt & proponunt dicti prosecutores & ministri, quod idem. P. vocatus vt præmittitur Benedictus, post præmissum per eos prętensum Propinianum concilium, dixit & asseruit pertinaciter & constanter, *quod si totus mundus diceret sibi quod cederet papatu, & sibi videretur quod non sequeretur inde vnio ecclesiæ, aut videretur sibi quod ipse non deberet cedere, ipse non cederet: & si totus mundus diceret sibi quod non cederet, & sibi videretur quod deberet cedere, ipse crederet.* Per hoc suum iudicium, imo potius errorem, pertinaciter præferendo omni humano & ecclesiæ vniuersalis iudicio, quod manifestè probat pertinaciam in errore.

A Item, *quod Christus & Papa sunt vnum caput ecclesiæ*, posuit in quodam tractatu contra decem propositiones stabilientes concilium Pisanum. Item, *quod concilium generale nullo modo, & in nullo casu potest celebrari sine papa, etiam dum papa mortuus est.* Et ita necessariò dicendum esset quod in Constantia post adunationem tot obedientiarum & regionum, nullum est aut fuit generale concilium. Cuius oppositum tanquam catholicum determinatum est,

B & practicatum in hoc sacro concilio. Et quoniam hoc errore dato, sequeretur manifestè quod ecclesia non fuisset sufficienter & perseueranter pro sui conseruatione instituta à Christo. Quia denique non appareret modus condemnandi vel eijciendi Papam schismaticum, incorrigibilem, & hæreticum, contradicentem pertinaciter ecclesiæ. Ponuntur consequenter ad probata de prædictis & alijs articulis tres conclusiones sequentes.

C Hæc assertio Petri de Luna *quod concilium generale non potest in aliquo casu congregari sine Papa*, est hæresis nunc expressè damnata. Hæc assertio Petri de Luna *quod si credidisset aliquibus tempore concilij Pisani, claues hodie non essent in ecclesia*, est manifestè hæretica, præsupposita duratione legis Dei, vsque ad consummationem mundi. Hæc assertio Petri de Luna *quod Christus & papa sunt vnum caput ecclesiæ*, est hæreticalis, nisi reducatur ad aliquem sensum sanum, satis improprium. Ad-

D uertẽdum est postremò quod super materia hæresis, fundatæ sunt principaliter conclusiones prędictæ ex assertionibus Petri de Luna. Primò, quoniã & voces & scripturæ significant manifestius conceptum mentis iuxta dictum Christi. *Ex verbis tuis iustificaberis, &c.* Cui consonat dictum Aristotelis quod voces sunt signa earum quæ in mente sunt passionum. Secundo, quia conuincere hominem hæreticum esse, ex solis operibus sine vocibus difficillimum est, attẽto quod hæresis principaliter consistit in intellectu. Propter quod ter-

E tiò dicitur, quod licet ex prædictis articulis contra Petrum de Luna & sufficienter in facto probatis, possit & debeat sufficienter concludi contra eundem Petrum de Luna quod ipse est notoriè periurius, notoriè schismaticus, notoriè scandalizans vniuersalem ecclesiam sanctam Dei, & per consequens de hæretica prauitate vehementer notandus & suspectus, præsertim circa hunc articulum. *Vnam sanctam, &c.* Et circa præceptum hoc. *Non periurabis, &c.* Ac proinde per huiusmodi suspi-

F tionem vehementem, & scandalum notorium datum in materia schismatis, & periurij, & incorrigibilitatem, sit ab omni officio papatus vero vel pręte̊nso, rationabiliter & iudiciabiliter deponẽdus, prout multi solemniter ex iuribus allegarunt & probauerunt, nihilominus ex solis eisdem productis & probatis, non videtur sufficienter concludi, quod sit hæreticus propriè dictus, nisi confundatur ex proprijs assertionibus suis, constitutionibus & responsionibus datis tam verbo quàm scripto. Quamobrem studiosius scriptum est vel articulatum circa huiusmodi assertiones, attento præcipuè, quod nonnulli reuocant in dubium, an Papa deponi

deponi possit, vel habeat iudicem superiorem in quocumque crimine nisi sit à fide deuius vel hæreticus propriè dictus.

Finis tractatus contra Petrum de Luna.

DISCVSSIO ILLIVS ASSERTIONIS. SENTENTIA PASTORIS *etiam iniusta tenenda est, per eundem cancellarium.*

Casvs est. Quidam se gerens pro commissario papæ posuit in suo processu publico assertionem quæ sequitur. Sententiæ nostræ etiam si essent iniustè sunt tenendæ & timendæ. Quæritur super hac assertione. Primò si sit falsa & erronea. Secundò si sit iudicio fidei reprobanda. Tertio si assertor sit ad iudicium fidei rationabiliter euocandus.

Arguitur quod sit vera, quia secundum beatum Gregorium sententia pastoris siue iusta siue iniusta fuerit, timenda est. Cui consonat Vrbanus papa di. quod valde timenda est sententia episcopi, licet iniustè liget. Sed papa nedum est pastor vel episcopus, sed supremus pastor & episcopus. Sed contra est dictum Hierony. super epistolam Pauli ad Philemonem, & fundatur in dicto Esai. v. Si quis dixerit iniustum iustum, abominabilis est apud Deum. Et Grego. in homilia. xxvij. ipse ligandi atque soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subditorum iuribus exercet. Et idem. Tunc est vera absolutio præsidentis cum interni iudicis sequitur arbitriū. Et idem. Non debet is pœnam sustinere canonicam, in cuius damnationem non est canonica prælata sententia. Constat autem quod sententia iniusta non est canonica &c.

PONVNTVR PRO DECISIONE propositiones quæ sequuntur ad examinandum.

HÆc assertio proposita in processu publico si sit erronea in fide & moribus non est dissimulanter prætereunda cum sit scandalosa & ex deliberatione posita. Hæc assertio est vna propositio conditionalis includens vnam consequentiā talem si sententiæ nostrę sunt iniustæ illæ etiam sunt tenendæ & timendæ. Hæc assertio conditionalis sic resoluta, si sit falsa, est impossibilis, patet hæc propositio sicut & præcedens ex regulis infallibilibus logicorum, addendo quod assertio prædicta continet istam vniuersalem quod omnes sententiæ dicti commissarij quantumcunque iniustæ sunt tenendæ.

Hæc assertio falsa est, quoniam oppositum consequentis stat cum antecedente, quoniam stat aliquas sententias pastoris vel papæ & suorum commissariorum non esse tenendas immo nec timendas dum sunt iniustæ. Et hoc in multis casibus. Primò si sententia lata sit post appellationem legitimam, vt notauit Innocent. iij. in epistola ad archiepiscopum Senonensem. Secundo si contineat errorem intolerabilem, vt notauit idem. Et hoc multipliciter potest euenire, cum nullus pastor viuens in terris, immo nec papa sit impeccabilis, quando possit abuti sua potestate, cum circundatus sit infirmitate, vt dicitur ad Heb. Vnus casus est, si sententiet expressè vel etiā implicitè cōtra fidem & scripturā sacram. Alter si sententiet in præiudicium veritatis vitæ & iustitiæ, vt si volens rapere sponsam alterius ferat in contranitentes sententiam excommunicationes. Aliter si sententiet in præiudicium iustæ libertatis, vt si volēs vsurpare ciuitatem vnius principis ferat sententiā excommunicationis in nolentes eam sibi tradere, & ita de multis similibus, vt si excōmunicare velit illos qui suo regi & suis edictis rationabilibus obediunt. Notauit hæc Inno. vbi prius, & habetur fundamentaliter ex infallibili lege diuina & naturali, cuius deductionem hic omittimus. Hæc assertio est impossibilis. Sequitur hæc ex præcedentibus. Notando quod iura quibus inniti videtur, non loquuntur tali modo conditionali & hypotetico, nec dicunt quod sententia pastoris sit tenenda, quia longè aliud est dicere quod sententia aliqua sit timenda, & quod sit tenenda, quia tyrannica iniquitas etiam timeri potest, sed non teneri debet, immo contemni vel persequi. Hæc assertio censenda est erronea contra bonos mores & canones, patet, quia cum spectet ad mores & canones sicut constat, & non est eis conformis in veritate, immo nec esse potest, sicut patet ex præcedentibus, sequitur quod est eis dissona atque contraria. Hæc assertio debet in fide meritò suspecta reputari, patet ex præcedentibus & hoc accipiendo fidem pro obiecto fidei pro scriptura sacra & iure diuino. Hęc assertio reddit assertorem suum in fide suspectum, & ita communiter ad iudicium fidei rationabiliter euocandum, qui cōpellendus erit vel se exponere, vel reuocare, vel si pertinaciter renuerit, relinquendus erit iustitiæ seculari. Consequenter ad aggrauationem decem assertiones cum protestatione quod hoc fit ad finem ciuilem & ecclesiasticum, & pro defensione catholicæ veritati & ecclesiasticæ libertatis, & non ad ingerendum crimen læsæ regiæ maiestatis inseruntur propositiones quæ sequuntur. Rex Christianissimus Francorum iurauit in sua consecratione defendere & tenere iura & libertates ecclesiarum regni sui. Rex idem pluries à viginti annis citra habuit conuocationem & conciliū prælatorum & vniuersitatum regni sui, ad quorū deliberationem & requestum conclusit solenniter per arestum curię suæ supremæ parlamenti, quod ecclesia Gallicana in se & in membris suis ad suas antiquas & legitimas libertates reduceretur nominatim in collatione beneficiorum per ordinarios & in electionibus faciendis.

Rex idem & legitimus filius suus nunc regens nouissime post quattuor & quinque annos fecerunt idem arestum solenniter publicari cum adiectione pœnarum in rebelles.

Rex idem debet reputare quod sententiæ cuiusque pastoris etiam summi pontificis factæ vel latæ in oppositum mediatè vel immediatè sunt iniustæ, & continent errorem intolerabilem contra publicam iustitiam, & in vsurpationem indebitam, & ex consequenti nec tenendę sibi sunt, nec necessariò timendæ, præsertim cum obtulerit in facie concilij generalis Constantiensis se paratum velle prouidere statui summi pontificis si-

cut alij reges & regna pro parte sua. Dicitur hic quod non necessariò timendę, quia possunt timeri à timoratis conscientijs in aliquo casu, quamuis non ob hoc sint tenendæ. Multum enim refert dicere quod sint tenendæ & dicere quod sint timendæ. Et ideo assertor prædictus qui addit de suo quod sententiæ pastoris iniustæ sunt tenendę, valde temerariè, & scandalosè & erroneè videtur fuisse locutus, nec iura quibus inniti videtur, loquuntur modo suo, immo longè modestius, ita vt possint ad verum sensum reduci, non autem assertio sua modo quo posita est, sicut patet ex propositionibus antedictis. Rex idem potest se tueri contra procedentes in eum vel suos occasione prædicta, sicut contra volentes vsurpare possessiones temporales regni sui, immo magis quãtum spiritualia & ecclesiastica potiora sũt tẽporalibus.

A

B

Rex idem debet habere subditos suos, præsertim ecclesiasticos fauorabiles in dicta prosecutione, & obedientes iuxta monitionem appstolicam debent obedire regi tanquam præcellenti, & hoc præcipuè dum vtitur sua legitima potestate in obseruationem proprij iuramenti & ecclesiasticę libertatis tuitionem. Rex idem debet protegere subditos suos, si præmissorum occasione & propter obedientiam sibi factam pati habeant & assumere causam in se, & sub hac protectione subditi tam seculares quam ecclesiastici debent & possunt in quiete viuere non plus sapientes quam oportet. Rex idem potest rationabiliter conqueri de subditis suis præsertim ecclesiasticis, si in prędicta reductione libertatum inueniantur tepidi & tergiuersatores & claudicãtes, & potest ab eis per se aut suos exigere rationes quibus mouentur sentire contra deliberationes nedum concilij sui, sed suorum prælatorum ac vniuersitatum regni sui. Cœterum de pœnis per eundem infligendis iubet ecclesiastica modestia quiescere, nec habere sermonem.

C

D

Tractatus eiusdem ad Prouincialem Cælestinorum super versiculo cantici Mariæ Suscepit Israel puerum suum. De susceptione humanitatis Christi allegoriè: per xxiiij. veritates. Tropologiçè vero & anagogicè per. xij. veritates.

EPISTOLA CANCELLARII PARISIENSIS DE SVSCEPTIONE humanitatis Christi allegorica & tropologica.

Prologus.

Reverendo in Christo Domino Prouinciali Cælestinorum fratri Ioanni Bassandi suus Ioannes cancellarius Parisiensis ea quæ ad pietatẽ sunt Christianæ religionis & sursum actionis iugiter meditari. Cecinit Maria. Suscepit Israel puerum suum. Cecinit huic notulæ sui cantici canticorum mater ecclesia Christo iubilans. Tu inquit ad liberandũ suscepturus hominem, non horruisti virginis vterum, quod verbum sub hac proprietate suscipi debet. Est enim improprium Christus suscepit humanitatem, qua factum est vt Christus esset homo & homo Deus, quia Christus Deus, sed nõ sẽper Deus fuit Christus, quia nec semper Deus fuit homo, nec ex consequenti Christus, cum nondum susceperat humanitatem Christus Deus. De qua susceptione colligamus aliquas veritates accommodas petitioni tuæ pater honorande.

Prima veritas, Christus per huiusmodi susceptionem quæ dicitur incarnatio, habuit ab instanti suæ conceptionis animam rationalem perfectè beatam secundum portionem mentis superiorẽ. Hæc veritas credi debet de necessitate salutis.

Secunda veritas: Christus in anima beatificata vt sic cognouit totum decursum ecclesiæ cũ meritis futuris & de meritis hominem singulorum, etiam per infusam desuper cognitionẽ aliam quã in verbo, qualis suo modo fuit cognitio infusa Adæ pro statu innocentiæ, & angelis perfectius in sua prima creatione, hæc veritas est certa fide tenenda.

Tertia veritas: Christus vt beatificatus in anima nunquam sensit dolorem pro peccatis hominum quorumcunque, nec pro pœnis alienis aut proprijs in corpore suo, vel in portione rationis inferiore susceptis, patet, quia in beatitudine non est luctus neque dolor.

Quarta veritas: Christus vt beatificus in anima habuit summã de peccatis omnibus singulorum hominum detestationem quæ largo & tropico modo loquendi potest nominari displicentia cordis de peccatis, vel extensiori transsumptione dolor aut tristitia quandoque nominatur, etiam in Deo. Sicut est illud Gen. Tactus dolore cordis intrinsecus, diceretur simili modo de beatis.

Quinta veritas: Christus ab instanti suæ conceptionis quamuis habuerit clarissimam notitiã & apprehensionem suæ passionis futuræ, & quod animam dulcissimæ matris pertransierit gladius accerbissimæ passionis, ipse tamen non habuit huiusmodi passionis dolorem exprimentalem in corpore qualem habuit dum cæpit tædere & mæstus esse, & consequenter ab agonia vsque ad expirationẽ pertulit & sensit. Veritas illa pro prima parte patet ex præcedentibus, sed secundam concedit communis ominum doctorum approbatorum schola, quia sic & non aliter videtur posse saluari illud Lucæ, quod Iesus proficiebat ætate & sapientia. Experiebatur enim per assiduum crementum notitias nouas rerum, & si nouas notitias sensuales, ita nouas tristitias aut delectationes isto modo.

E

Sexta veritas: Christus voluit ab instanti suæ conceptionis quod beatitudo suæ mentis redundaret in corpus per influentiam gaudiosam sicut nunc facit in patria, sicut & anima felicissimæ matris in corpore glorificato vel carne dotata quadruplici dote sua. Veritas hæc conceditur ab omnibus vt catholica.

F

Septima veritas: Christus voluit quod beata mẽs sua vt sic sumeret influxum partis inferioris aut sensualis & hoc passibiliter & pænose, licet bene cognouerit prius pœnas sensus intellectualiter, immo & gaudiosè, alioquin non fuisset passus voluntarie, desyderanter & consonè diuinæ voluntati. Veritas hæc est catholica & concessa.

Octaua veritas. Christus voluit quod præcognitio suæ passionis quam habebat ex visione verbi vel etiam ex reuelatione in ratione inferiori descẽderet

deret aut redundaret in sensualitatem, si quod aperte sensuū dolor experimentalis susciperetur A qualis in agonia vel in tota passione, aut etiā qualis fuit per decursum totius vitæ, nunc autem miscendo læta cum tristibus. Sicut enim puer & inscius flebat sic sugendo beata vbera consolabatur & arridenti matri blandus erat. Stultum est enim dicere quod nunquam gauisus est, aut lætatus experimentali consolatione. Non enim perdiderat gustum ciborum aut tactum suauium, sed nunquam in vitium.

Nona veritas: Christus voluit quod dilectissima B mater sua dolores & consolationes haberet in vita sua iuxta modum suæ conuersationis ad ipsum filium & virginalem sponsum Ioseph, & ita proportionabiliter respectu proximorum. Non enim fuit inciuilis aut agrestis aut lapidea, & in sensibus gloriosa mater sua.

Decima veritas: Christus voluit dilectissimam matrem suam dolores & pœnalitates huius vitæ destitutæ suscipere nedum voluntariè purè sicut suscepit, sed ex conditione naturæ viatricis descédentis ab Adam, & cum necessitate contrahendi C originale peccatum sicut alij per generationem viri & mulieris concepti, nisi gratia supernaturalis peruenisset casum in hoc originalis culpæ præcipitium. Factum est perinde consequenter in Maria quantum ad naturæ debitas ex originali, sicut in alijs sanctificatis aut baptizatis, nisi quantum ex priuilegijs & gratijs spiritualibus fuit adiuuata. Veritas hæc probabili pietate cordis credipotest. Vndecima veritas. Christus præseruando matrē suam ab originali, non ob hoc dedit dignitatem æqua- D lem sibi ipsi, etiam secundum humanitatem viatricem. Ratio, quia nunquam Christus habuit necessitatem originale peccatum contrahendi, quia non descendit per naturalem propagationē, propterea ratio sumpta ex hac æqualitate quod Maria contraxit originale, prorsus est inualida, similiter & altera, quod Maria non indiguisset redemptione. Nec valet apostoli consequentia, Christus pro omnib. mortuus est, ergo omnes mortui sūt, hoc inquam argumentum potius est ad oppositū, quia si Christus fuit omniū perfectissimus redemptor E mortem pro omnibus sustinēs, decuit quod matrem perfectissimè redimeret, hoc autem non potuit conuenientius fieri quam præseruando ne caderet, potius quam iam lapsam releuaret. Veritas hæc probabilis est & pia, super quæ mirū est quod nonnulli volentes virginem benedictam super limites honorare, prædicant nihilominus quod contraxit originale sicut vnus de quo infra. Duodecima veritas: Christus contulit matri suæ ab initio & consequenter illas & tantas gratias quas & F quantas cognouit esse conuenientes secundum ordinem suæ sapientiæ, & in hac veritatis soliditate debet esse cōtentus quilibet christianus quātumcunque sibi deuotus. Attamen quia perticularizata præconia magis ad deuotionem mouent aliquando pios animos placet adiungere aliquas veritates super istis ad vtrumque libratas.

Tredecima veritas: Christus humanitatem suscipiens dolores nostros sola voluntate, non necessitate portauit in corpore suo, & verè lāguores nostros ipse tulit præsertim in cruce, & hæc cum tāta acerbitate quantam voluit Deus secundum ordinem suæ sapientiæ ipsam humanitatem passibilē tolerare. Veritas hæc consonat vltimæ veritati traditæ de Maria. Et sufficit ad salutem quod de Christo teneatur sūmatim fide certa & necessaria. Temerarium verò est asserere quod dolor suus fuit intentior & acerbior qualitatiuè quam afflictio omnium aliorum hominum simul, immo quam & damnatorum.

Decima quarta veritas: Christus non habuit ab instanti conceptionis omnem illum dolorem vsque ad instans mortis suæ qualem pertulit in cruce aut prius per decursum pœnalis vitæ suæ, & oppositum scribendo vel prædicando asserere est temerarium, falsum & præsumptuosum. Decima quinta veritas: Christus potuit dare multas gratias humanitati suæ dilectissimæ matri purè gratis, quas tamen actualiter & de facto non contulit. Et oppositum asserere est falsum & temerarium, immo hæreticale. Patet hæc secūda pars, quia Christus potuit ab vtero matris suę dare de potentia absoluta impassibilitatem suæ humanitati qualem habet de præsenti, similiter & matri suæ, saltem post conceptionem benedictæ prolis suæ: Et constat certa fide quod neutrum fecit.

Decimasexta veritas: Christus potuit dare suæ humanitati & matri suæ pro statu viæ gratias alias quam cōtulerit de facto, & si contulisset hoc, vtique fuisset decens dare vel dedisse, qualiter tunc facere non erat decens secundum ordinem suę sapientiæ. Veritas hæc similis est præcedenti, sed addit aliud de decentia, pro quo sit veritas sequens.

Decimaseptima veritas: Christus potuit & potest multa quæ facere & hoc decet eum, ergo fecit aut faciet, consequentia talis sit a multis sæpe fallit per fallaciam petitionis principij, quia videlicet præsupponit in minori propositione quod est æquè ignotum vel ignotius quam principale. Ratio, quia nihil decet Deum facere nisi secundū quod vult fieri, rectè per oppositam consuetudinem ad volūtates creatas, quæ ideo volūt agere quia præsentatur eis aliquod obiectum sub ratione boni aut conuenientis, & ideo agunt quia videtur eis bonum & non ideo illud est bonum aut decens. Causa est, non enim sunt regulæ primæ sed regulatæ à prima bonitate.

Decima octaua veritas: Christus nescitur aliquid velle quia decens nisi à semetipso, aut si ab altero, hoc est per reuelationem vel operis exhibitionem & hoc argumento à posteriori & nullo modo à priori. Vnde sicut Christus solus nouit patrem & se & spiritum sanctum, non excludendo ipsos patrem & spiritum propter vnitatem essentiæ, sic solus scit quid deceat eum ad extra producere, quia solus scit quid vult agere, & qui voluerit reuelare.

Decimanona veritas: Christus si asseritur aliquid ad extra facere debere, quia decet eum sic facere, fallitur asserens modo tacto, quia præsupponit quod est æquè vel plus ignotum, vt si quis ita paralogizet: Christus potuit communicare matri suę in vtero quod gloriosa & consummata felicitate nasceretur, & hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum matrem honorare, ergo sic fecit. Cōstat quod conclusio hæreticalis est, & tamen præmissæ communiter assumuntur à nonullis in affectionibus suis confirmandis.

Vicesima veritas: Christus non communicauit

matri suæ statim dum concepta vel nata est vsum perfectæ rationis, quamuis hoc potuisset, & si fecisset, decuisset. Et oppositum asserere scribendo vel prædicando est penitus temerarium, sicut & quod nunquam somniauerit, aut quod in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hic in via. Quod autem ex scripturis sanctis autoritatem non habet, iunge nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

Vicesimaprima veritas: Christus potuit conferre dilectissimæ matri suę cognitionem lucidissimã totius decursus vitæ suæ & filij, confestim dum nata est, & si hoc fecisset vtique decuisset, ergo fecit, temerarium est & contrarium sanctis doctoribus hoc inferre. Contrarium insuper vedetur euangelicæ doctrinæ sic asserere factum esse. Siquidem perditus fuit Iesus ignorãte Maria & Ioseph, ideo dolentes per triduum quęsierunt ipsum & non intellexerunt responsum pueri Iesu. Nesciebatis inquit quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse, & ita in multis, sed non ob hoc dicẽda fuit ignorans beata virgo, si non scierit omnia. Dicit enim ignorantia priuationum scientiæ debitæ inesse, & ex consequenti culpam, non sic nescientia quæ in angelis reperitur.

Vicesimasecunda veritas: Christus etiam si dederit accelerationem vsus rationis matri suæ sicut opinantur aliqui piè de exultatione Ioannis in vtero, non oportuit tamen talibus gratijs perseuerantiam esse, quamuis sine pœnitentia & retractione sint dona Dei. Sunt enim sine pœnitentia, supplendum est hoc modo quo donantur, quædem ad morulam patuã, quædam ad tempus maius, quædam in æuũ patet in gratijs gratis datis, in prophetijs & gratijs sanitatum quæ durant ad tempus.

Vicesimatertia veritas: Christus si perquiritur à talibus cur matrem suam honorauit in gratijs istis, & non in alijs omnibus quibus poterat? Respondeas quis es ô homo vt inuestiges sensũ Domini, quis es vt cõsiliarius eius fias, quis es vt præsumas dicere cur ita facis? ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, & terminis suis contenta sit.

Vicesimaquarta veritas: Christus posuit terminos nostrę conquisitionis, vt non liceat de diuinis alia vel aliter asserere, quam quæ ex diuinis scripturis habentur, vel euidenter concluduntur, vel ab ecclesia quę spiritusancto regitur, credẽda traduntur. Hæc est regula beati Dionysij pluries repetita. Cæterum de opinione temeraria vel probabili vel de credulitate pia latius potest dici prout alibi notauimus, & hoc vnum placet repetere hic quid sit pium credere, aut quæ propositiones sũt de pietate fidei sũt cẽsendæ. Omnes illę. s. quæ nec euidenter sequuntur ex cõtentis in sacra scriptura, nec etiam euidenter repugnant & ædificãt charitatem vel deuotionem pij cordis temerariè nihil asserentis, tales sunt narrationes sanctorum patrum, tales deuotæ recogitationes circa totũ euangelij decursum erga Christum & matrẽ suam, consideranda multa non explicita, quemadmodũ fieri potuerunt, vel quid egerint Iesus & Ioseph & Maria ab initio vsque ad mortem Ioseph, qualiter processum est in Iosephino carmine heroicè, qualiter etiam inducunt doctores illud, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatę sunt, quasi sint res animatæ inuicẽ colloquẽtes &
A concludentes Dominus dabit benignitatem, terra nostra dabit fructum suum, quod vtique constat factum, dum suscepit Deus Israel puerum suũ.

Aliæ veritates. 12.



SVBIVNGVNTVR aliæ duodecim veritates propinquius ad interrogationem tuam pater amãtissime terminos non deserendo susceptos. Prima veritas: Susceptio sancti Israel nostri fuit per allegoriã
B incarnatio verbi, per tropologiam verò & anagogiam susceptio sancti Israel pueri sui est hominis per gratiam iustificatio, & ipsius ad contemplationem cælestium eleuatio, nunc per intelligentiam, nunc per simplicem fidem cum deuotione quæ mentem eleuat in Deum per pium & humilẽ affectum, nunc per vtrumque, per intelligentiam s. & deuotionem, fide, spe, charitatéque subnixã. Secunda veritas: Susceptio talis mystica nutritur maximè & roboratur per susceptionem dignã be-
C nedictæ eucharistię sacramenti quo Deus ipse sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, qua super retractatus est specialis in notulam cantici Mariæ. Esurientes impleuit bonis. Tertia veritas: Susceptio Israel pueri sui Dei, quamuis possit agnosci per probabiles coniecturas ab illo qui suscipitur, non tamen euidenter reuelatione super hoc non habita. Signa quædam sunt si quis sit Israel per certam fidei illuminationem seu visionem si sit puer non sensibus sed malicia per hu-
D miliationem, si sit possessio dei. i. seruus per dignatiuam adoptionem in charitate, quæ patiens est & mitis sub suaui iugo Christi. Quarta veritas: Susceptio per gratiam gratum facientem nos semper latet ad certum quatenus impleamus illud. Seruite domino in timore, & ne seruitus mæsta & grauis videatur, exultate ei. Verum ne sit exultatio dissoluta iungitur cũ tremore, & subsequitur, apprehendite disciplinam. Luc. 1.

Quinta veritas: Susceptio gratificans videtur
E hic in via potissimum cognosci per cordis sentimenta, sumendo cor pro toto eius triclinio, secundum triplex cænaculum mentis. s. & orationis & animæ iuxta tractata super hac decachordi psalterij Mariæ fidicula. Dispersit superbos mẽte cordis sui, præsentiã inquit verbi Bernardus ex moto cordis accepi. Sic alij verò omnes contemplationi vacantes signa tradiderunt, nunc hæc, nunc illa multiplicia valde variáque cordis sentimenta vsque ad profusionem lachrymarum, de quibus
F non est hic dicendum per singula, sed sub cautelæ generalis monitione sistendum.

Sexta veritas: Susceptio gratificans stat frequenter sine quibusdam sentimentis actualibus cordis, patet in pueris baptizatis, patet in iustis dormientibus, aut in solo gratiæ habitu sine quauis actione gratis Deo simul & acceptis.

Septima veritas: Susceptio gratificans sæpe fit & est in suo actu intrinseco & formali elicito vel exterius imperato, sine perceptibilibus certitudinaliter gratiæ sentimentis in corde vel sensibus, patet in actiuis per varia distractis nullam in corde suo spiritualium sentimentorum molliciem,

mollicicm, aut liquefactionis suauitatem habentibus, immo maxima Christianorum pars absque A talibus sentimentis aliàs seruit Deo, quos iudicare damnandos vel extra statum salutis ob hoc esse peruersissimè est temeritatis & intolerabilis arrogantiæ apud illos qui sentimentis huiusmodi crebrò gaudent, qui suam in illis totam salutem ponunt & gloriam. Sed heu sæpe quam profundè fallit eos stulta præsumptio cordis sui, quam frequenter illuduntur à dæmonio meridiano, quia superbia meretur illudi, denique meretur etiam dum Eucharistiam suscipit illud imprecatum per B Psalmum : fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, cum cæteris quæ sequuntur sub trinodecimo numero maledictis. Psal. 58.

Octaua veritas: Susceptio Eucharistiæ gratificans quamuis non fiat nisi sit aliquis in gratia gratum faciente, non tamen inducit semper nouum peccatum nisi in contemnente. Contemnit autem qui se scit habere impedimentum legitimum ne suscipiat; aut qui non habuit probabilem suæ conscientiæ examinationem iuxta modum communiter requisitum, vt suum cognosceret impe- C dimentum & cessaret à communione vel tolleret nexum suum sicut per confessionem si conscius est sibi culpæ mortalis. Aut si per statutum regulæ suæ sit arctatus de venialibus confiteri, licet dura videatur hæc hortatio, nisi forte pro grauibus & multis venialibus valde disponentibus ad mortale aut propinquis multum.

Nona veritas: Susceptio Eucharistiæ si dimittatur, quia non percipit accessurus sentiméta deuotionis actualis in lachrymis & similibus, si tamen D aliunde sit sibi bene conscius de carentia impedimenti, stultè agit si sit tempus & locus aliunde. Ratio est, quia magnis bonis se & suos proximos priuat & defraudat damnationem incurrens, de suscepto talento ordinis non multiplicato. Sibi tamen absit gloriari si sentimenta non sentiens deuotionis, si siccus & aridus animo sit mons Gelboe sine rore & pluuia, si non timeat lapsum qualem aliquando patiuntur gloriantes de sentimentis suis quia si dæmones in viridi Dei permissione hoc faciunt, in arido quid fiet E

Decima veritas: Susceptio gratificans si quæritur periculosè cognosci per curiositatem in quolibet homine, tamen hoc maximè periculosum est in fœminis & tenacis apprehensionis & auiditatis temerariè penetrandi secreta Dei. Sunt & lapsus & illusiones procliuissimæ, diligunt tales aliquando Deum velut adulterum concubitu fornicario, quare sanè quia delectationem sentimentorum ipsius Dei solam, non plurificationem bonorum sunt operum requirentes, sed perdes F omnes Deus qui fornicantur abs te.

Vndecima veritas: Susceptio gratificans apud tales de vtroque sexu sæpe fit in laqueum non data, sed accepta occasione scandali, dum fiunt indigniores susceptione dignissimi Sacramenti: quo scilicet post talia sentimenta & non aliter dignos ad suscipiendum semet existimant longè facti, de quo legitur. Neminem iudicans, neminem condemnans, omnibus compatiens, sanctus Martinus erat, nec aliter per Agathon vel pastorem est præceptum. Nam inquit in omni re dic: Tu quis es? Et ne iudices quemquam, sed nec attendunt aliud suę temeritatis repressiuum consilium, non accipe fiduciam, immo accipe fiduciam, sed de sola misericordia Dei, nō dicitur tua sentimentorū iustitia sordida nimis ex se sicut pannis menstruatæ, quem non exterreat illud Apostolicum. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, sed nec meipsum iudico, qui me iudicat, dominus est. Sic habita in adiutorio altissimi securè dices Deo. Susceptor meus es, quia quē suscipis in sacramēto, ipse magis te suscipit, māducat & bibit incorporando. 1. Cor. 4.

Duodecima veritas: Susceptio gratificans dum visa est apud multos colligi per meditationem assiduam passionis Iesu Christi causaliter de per accidens de superbo vsu suo hominibus de vtroque sexu duræ multum austeritatis in vita plurimas hæreses & delitamenta & tandem in abominandissima carnis sentimenta prolapsi sunt & innominaliter maculati sunt in exemplum veteres & noui fratricelli & sorellæ, begardi & begardæ seu beguttæ, de quibus non est hic dicendum per singula. Suffecerit tangere aliquos passus scripturæ cuiusdam, qui non in omnibus satis sobriè videtur esse locutus, quamuis in hac scelerata secta iam tacta fuerit seuerissimus & laudandus, sicut in alijs multis, veruntamen in multis contra prædictas veritates specialiter de priuilegijs Christi & Mariæ & pœnis suis minus sobriè scripsit & docuit. Et quis est homo qui viuat & non peccet? Quis est homo qui non patienter reprehensionem debeat accipere charitatis, qualem conscius ego sum mihi velle fieri qui hæc scribo? Rursus per eum nullus extollitur status nisi ille qualem notat se tenuisse conformiter ad fœminas aliquas magnæ vt asserit eleuationis & prophetici spiritus, quarum tamen doctrinæ sunt suspectæ, iubente Apostolo qui habebat spiritum Dei, mulierem docere non permitto. Secundò addit iterum licet non semper eo ordine quo ponuntur ista, ait inquam quod per tales inueniretur Christus, qui tunc suo tempore perditus erat, & absconsus ab Ecclesia, & quasi iacens mortuus. Rursus quod status iste tertius & cito manifestandus erit destructiuus status Pharisęorum modernorum quos notat prælatos cum clero & religiosos omnes, maximè fratres minores qui non viuunt vita Christi crucifixi, neque vt suus nuncius Franciscus & sancta Clara vexilli fieri Iesu Christi, cum crucifixa vita sua, sunt & iam habitæ reuelationes vt dicit super illo. Rursus attende pater oculatissime quod cœpit error iste à Ioachim ponente triplicem legem secundum tres personas, prima Patris per Moysen, seunda Filij per Christum, tertia Spiritus sancti per Euangelium æternum, cuius non erit finis. Legatur ergo textus expositionis istius super nunc dimittis, in fine, & expositio super illud de perditione & inuentione Iesu, & alibi pluries. Attendatur ergo solus finis in acerrima satyra seu tragedia magnis boatibus inuehente contra status omnes maximè suorum, viderit quo zelo, viderit quo ædificationis auditu fructuoso multi iudicant quod non secundum scientiam. Attento quod pro cognomine vult nominari maximus peccatorum, qualiter ergo non prius auferebat trabē de oculo suo, qualiter obsorbuerat ad illud probrum, medice cura teipsum, diceret quod ex humilitate sic iudicari vult. Sed si non ex veritate,

quid nisi vanitas & damnabilis vanitas? Si ex sensus intimitate se ita iudicari volebat, attenderit ne Paulus immo Maria plus Paulo præcellebat in hac laude; vt non iam ipse maximus aut primus esset peccatorum, quia non humilior plus omnibus. Amplius arguit de hæresi doctores doctissimos cum Innocentio tertio qui ponunt substantiam panis post desitionem corporis Christi destructis panis & vini speciebus iterum de nouo creari. Sunt aliæ super hac re positiones, sed ista quicquid difficultatis habeat seu habere videatur non est hæretica appellanda, potest enim Deus creando reparare destructum idem in numero & si non generando modo naturæ. Quicquid de paruulis affirmare præsumpsit contra omnium Doctorum communem scholam, quod pueri in Lymbo non baptizati acriter puniantur pœna ignis sensuali, ponereque videtur quod in afflictione carent omnino rationis iudicio & libertate arbitrij. Sed nonne documenta plura scripsit bona, & vtilia & deuota scripsit. (Fatemur immo liberè confitemur) & nunc stetisset in isto salus sua, vtinam conformasset se doctrinis illorum quos allegat quandoque. Sæpe enim magnas partes excerpit & rapit in propria forma tacitis auctorum nominibus, nescimus si par esse voluerit Æsopi corniculæ, plumis aliarum volucrum se ornantis, creber fuit apud istum Bonauentura cum suo breuiloquio, sed vix nominatus ex illo. Multi sunt præterea sermones sub contextu suæ locutionis, quos in forma legimus apud libros alios non modicæ vetustatis. Postremò non rememoramus ista detractionis malignantis zelo quantum conscientia testis est, sed cautelæ prudentis & commonentis studio, quatenus religiosi, simplices & inscij theologiæ, nec habentes spiritum discretionis spiritum in deuotis apparentibus sentimentis falli valeant in lectura vel studio sub feruore nouitio sub indiscreto iudicio quod liber totus sit euangelicus, quia de Euangelio loquitur. Sic pater optime notasti mihi de quibusdam, habent enim aquas patentes & publicas sanctæ sapientiæ per Doctores approbatos, non est necesse ipsos obedire meretriculæ dicenti. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconsus suauior. Simul hæc interim scripsimus conformiter ad tractatulum istum qui de examinatione doctrinarum compositus est, quo ad partem primam. Et de reliquis tribus vltroneo & deliberato consilio siluimus. Hæc habuimus pater religiosissime simul & prudentia præstantissime, quæ currente calamo linguam animi feruentis exprimente voluit satisfaciens tuæ petitioni notare per scedulam istam. Sub anno Domini 1426. decimaoctaua Decembris de mane vsque ad prope meridiem consonans textui quod exponendum erat in manibus de cantico Mariæ Canticorum: Suscepit Israël puerum suum, quod inchoabam dum me in capella visitauit benignitas tua mihi iure colenda. Vale vale.

Finit Epistola Cancellarij Parisiensis de susceptione humanitatis Christi allegorica, anagogica & tropologica.

A **EPISTOLA IOANNIS DE GERSON, AD FRATREM BARTHOLOMEUM** *Carthusiensem super tertia parte libri Ruysbroech, de Ornatu spiritualium nuptiarum.*

VENERABILI Patri & bonæ simplicitatis fratri in Christi charitate dilectissimo fratri Bartholomeo Carthusiensi suus Ioannes Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis. Nuptiarum agni participem fieri. Pridem librum quendam parte habitum cuius titulus est de Ornatu spiritualium nuptiarum B in transcursu legeram, nouissimè illum attentius relegens comperi multa ibidem tradi salubria, & alta documẽta. Nam prima pars instruit ad vitam actiuam, secunda ad vitam spiritualem, quæ affectualis dici potest, inducit sub varijs & pulchris similitudinum manuductionibus & tropis quorum intelligentiam soli experti plenè concipient. Sunt nempe ex eis quæ in affectu plus aguntur quam in intellectu, & quæ participantur amplius saporis cuiusdam intimo gustu quam ratiocinatione vel C discursu. Tertia pars notificare nititur quæ sit excellentia vitæ contemplatiuæ, quæ beatificę visioni in anima approximat. Tradũt quidam sicut accepi quod præfatũ librum idiota vnus sine literis composuit. Exinde non sine miraculo & inspiratione diuina ipsum fuisse confectum patenter astruunt. Ex quo consequens esset omnia contenta in eodem esse verissima sanctissimáque. Sed meum quale sit super hac re iudicium, tibi nõ esse celandum decreui ne fortassis incerta aut falsa pro D veritate certa, aut diuina amplecti contigeret. Scis quid iubet Apostolus: Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Sunt vt meum interim est iudicium duę partes priores satis vtiles, in quibus nihil deprehendi quod non possit salua fide & morum puritate saluari, quamquam modestũ lectorem in multis efflagitent, & talem qui non sit, penitus expers earum quæ secunda pars loquitur affectionum. Cæterum stilus ipsius libri non sordidus est, nec abiectus. Certè tamen induci nequeo credere librum ipsum fuisse conflatum per os idiotæ quasi E per miraculum. Stilus enim ipse magis sapit & redolet humanam eloquentiã quam diuinam. Nam & poëtarum verba & Terentij & Boëtij & philosophorum sententiæ & orationis cursus ostẽdunt palam illic studiosam industriam & diligentiæ laborem diuturnum præcessisse. Planè impar valde est stilus diuinæ scripturæ Prophetarum & Euangelistarum ab hoc loquendi genere. Quamuis hic diceret pertinax assertior oppositi, quod Deus scientiarum dominus est, habens facultatem nunc F hoc nunc illo modo scribendi per ora scribarum suorum, fatemur ita possibile fieri. Sic autem in proposito satis cõtigisse nõ elucet, præsertim quia testatur auctor seipsum Latinis verbis plurimum desudasse. Hoc verò cur oportuisset si fuisset tantummodo calamus scribæ velociter scribentis, spiritum sanctũ loquor, qui tarda molimina nescit, & cuius velociter currit sermo. Verum alia potior est ratio, quę me non ita sentire cõpellit. Siquidem tertia pars eiusdẽ libri prorsus repudianda rescindendáq; est tanquam vel malè explicata, vel planè abhorrens & discrepãs à doctrina sana doctorum qui de nostra beatitudine locuti sunt. Nec stat cum

cum determinatione expressa decretalis ponentis beatitudinem nostram consistere in duobus actibus, visione & fruitione cum lumine gloriæ. Et si hoc ita est in beatitudine cōsummata quod Deus nō est visio & claritas nostra essentialis, sed tamen obiectalis, quanto magis erit hoc alienum in beatitudinis quadam assimilatione imperfecta, quam fas haberemus hic degustare in via. Ponit autem tertia pars libri præfati quod anima perfectè contemplans Deum nō solum videt eum per claritatem, quæ est diuina essentia, sed est ipsamet claritas diuina. Imaginatur enim sicut scriptura sonat, B quod anima tunc desinit esse in illa existētia quam prius habuit in proprio genere, & conuertitur seu transformatur, & absorbetur in esse diuinum, & illud esse ideale defluit, quod habuit ab æterno in essentia diuina, de quo esse dicit Ioannes in euangelio. Quod factum est in ipso vita erat. Et hoc esse præsupponit auctor iste causam nostræ existentiæ temporalis, & esse vnum cum eo secūdum essentialem existentiam. Addit quod perditur anima contemplationis in esse tali diuino abyssali, ita vt reperibilis non sit ab aliqua creatura. Similitudo talis posset adduci quæ non tamen ab ipso C ponitur, si gutta modica vini in mare dilabetur constat quod mox absorpta cōuerteretur in illud. Hæc positio deficit in multis quanquam non facile inducebar aliquid falsitatis suspicari in illa tertia parte, quando in alijs prioribus tot vera altáq; conspexeram, quando etiam legebam obtestationes auctoris ne citò damnaretur à non intelligentibus ne pessimarentur. Et quia profectò pronior debet esse doctor omnis ad piè interpretandum D dicta aliena si fieri possit absque fidei & simplicium periculo, quam ad rigidè condemnandum. At verò diligens & repetita inspectio dictorum illorum magis ac magis in illis errorem aperuit. Hęc autem sunt pauca de dictis suis excerpta ad litteram. Ait enim 2.c.3.partis. In ipsa quidem sui vacuitate per fruitiuum amorem spiritus perdit semetipsum, denique claritatem nullo intermediante suscipit, ac sine intermissione ipsa fit ea claritas quam accepit, & 3.c. dependétque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secundum essentialem E existentiam vnum cum illo est. Sequitur. Vniuersi quoque supra sui creationē in vitæ contemplatiuę altitudinem sublimati vnum sunt cum hac deifica claritate, immo ipsa claritas ipsi sunt, vident proinde sentiunt & inueniūt per hoc deificum lumen se secundum esse vitámque suam increatam, eadémque fore simplicem diuinitatis abyssum. Sequitur, atque cum eo quo vident & quod vident lumine idem fiunt. Et primò ca. dixerat. Vniuersi deuoti spiritus vnum cum Deo profundo amoris F defluuio sicut defecti nō quomodolibet quidem vnum, sed idipsum quod est ipsa in se essentia Dei eo modo quo beatifica beatitudo. Et 4.ca. expressius ait. Illuc est spiritus, supra seipsum translatus & Deo vnificatus gustans, vidénsque in vnitate viuidæ abyssus in qua sese secundum esse suum increatum possidet immensas diuitias quæ ipsemet iuxta eum modum quo eas Deus gustat & videt. Et his & similibus dictis intétionem auctoris fuisse qualem diximus. Neq; enim de ipsa quæ latet aliunde quā ex scriptis suis sumi potest certitudo. Quod si deficit auctor in explicando sicut palam aut errat

Ioan.1.

aut deficit, sibi imputet qui non solum litteratis A doctisque, sed indoctis etiam & rudibus taliter locutus est. Sed neque admirari vel indignari quispiam debet, neq; de temerario iudicio arguere eos qui legentes eum, præsertim imbuti in sacris literis intentionem suam ex verbis colligunt collectam examinant, examinatámque se dicunt intelligere, & intellectam si erronea est reprehendere non omittunt. Non enim maioris sanctiorisue auctoritatis est auctor quam sanctissimi diuinissimiq; Theologi doctores nostri, qui tamen dicta sua aliorum examini libero vt August. ait, iudicanda reliquerunt. Deniq; materia tertiæ partis non est de illis quæ per defectum & experientiam, sed per intellectum sanctis inspiratū cognoscūtur & scripta sunt. Horum autem notitia & dijudicatio præcipuè apud exercitatos theologos in sacris literis quærenda est, non apud deuotos solum. Amplius non ignoro fuisse & esse quosdā ex theologis disputantes satis curiosè si posset de absoluta potentia anima rationalis cognoscere, & formaliter beatificare per diuinam essentiam absque medio alio, itaq; quod Deus esset ipsi animæ sua cognitio & fruitio non tantum obiectalis, sed quasi formalis. Hoc est Deus non solum esset cognitio quæ cognosceretur ab anima, sed per quam anima ipsa cognosceretur, & pari modo de fruitione. Quicquid verò sit de possibili nullus ita esse de facto præsumit asserere. Nam Ecclesiastica determinatio ad oppositum est, nullum vsquam inuenio theologum qui non dico posuerit, sed qui vllam omnino fecerit quæstionem quod per talem modū qualis explicatur ab hoc auctore anima posset Deum videre & beatificari in eo, neque de facto, neque de possibili, tanquam videlicet anima desineret existere in esse propriè, & transformaretur in illud esse diuinū ideale quale habuit in Deo ab æterno. Quoniam vt interim disputationem de idearum pluralitate in Deo omittam, quę à multis ignoráter ponitur, si corpus Christi vel aliud corpus beatificatum hoc modo perderet animā suam in sua contemplatione & beatificatione, pro illa haberet essentiam diuinam ipsum formaliter viuificantem alioquin esset absque vita, sed nec anima esset tunc eiusdem speciei sicut prius, quippe non haberet aliud esse & viuere quam habuit ab æterno in arte diuina. In quo esse sicut erat ab æterno anima quælibet etiam damnata vita diuina erat beatitudo sua. Porrò corpus humanum non posset in gloria reperire animam suam ad sui viuificationem formalem, aut si posset iam anima non esset perdita qualiter ipse loquitur, aliæ demum sequerentur innumerabiles absurditates, quas prosequi longum esset. Sed videbitur fortassis pro ista assertione facere illud Apostoli verbum: *1.Cor.6.* Qui adhæret Deo vnus spiritus est. Et multa Christi dicta sunt in hanc sententiam imprecantis patrem, vt fideles vnum sicut pater & filius ipsi sunt vnum. Dudum verò certa est sanctorum patrum super his expositio dicentium illam *Act.4.* vnitatem non esse essentialem, nec per præcisam similitudinem, sed sola ibi notatur assimilatio & participatio, quemadmodum dicit Lucas quod multitudinis credentium erat cor vnum anima vna, & de duobus amicis itidem dici vulgaris versus habet, quemadmodum etiam carbo ignitus &

aër illuminatus vnum appellantur cum suo igne & lumine. Hoc tropo probat Boëtius hominem bonum esse Deum, iuxta illud psalmi: Ego dixi dij estis, non quidem per veritatem & vnitatem diuinæ essentiæ & locutionem propriam, sed participatiuè & assimilatiuè, imitatiuè, & nuncupatiuè, quod si auctor iste pari modo respōderet se dicta sua intellexisse de vnificatione spiritus cum Deo, non contendo neque contradico contra intentionem, sed explicationem aliter sonare non dubito, quoniam præterea nihil magnum diceret de contemplātibus vltra omnes generaliter qui sunt filij Dei per gratiam adoptionis. Miraberis fortè pater in Christo dilectissime, miraberis, hæc audiens quo pacto in talem errorem vel inscitiam vir tam deuotus & instructus corruerit. Noli solum mirari, sed timere humiliter sapere iugiter stude, quando audis non istum tantummodo, sed alios innumeros qui non paruæ videbantur sanctitatis circa veritatem deuiasse, quorum aliquos ipse auctor iustè reprehendit in fine secundæ partis, qui blandiebantur tamen sibi de sublimitate contemplationis legis, quemadmodum probat eos à dæmonio meridiano fuisse seductos. Erat autem de secta Begardorum, quæ olim per Ecclesiastica decreta damnata est. Erat sicut æstimo, auctor iste proximus eo tempori, potuítque fieri vt contra suam imaginationem de beatifica visione vel contemplatiua quæ fortè tunc communis sibi erat cum multis decretalis expressa condita sit, constituens beatitudinem in duobus actibus. Præterea non est necesse vt iudicetur fuisse pertinax hæreticus ante huiusmodi determinationem, si tunc & postea semper paratus erat audire Ecclesiam, nunc verò secus esset in alijs. Postremò attendamus precor quo pacto sibi cauere habent omnes in sacris litteris non satis imbuti neque eruditi per diuturnum ac vehemens studium, vel ne talibus tractatulis insolitis nimis adhęreant, quamquam multa vera sint. Non enim persuadet dæmon falsa sine permixtione verorum. Ne subinde præsumant ipsi theologicas arduásque materias nouis verbis, & pro sua æstimatione affectionéque repertis pertractare, nobis enim ad certam regulam loqui fas est inquit August. alioquin secus agentes facilem ad præcipitium sibi viam sternunt. Ad talium itaque quæstionum determinationem, aut ad eas planè intelligendas vel explicandas non sufficit quod homo sit deuotus & sit adeptus illam contemplationis speciem sanctissimam prorsus & optimam quæ versatur in affectione & feruore charitatis, quādo scilicet homo transit in affectum cordis ad virtutes. Hanc enim speciem contemplationis adipisci & condescendere fas habent etiam ipsæ mulierculæ & idiotæ sine literis præposita fide simplici, & plerumque facilius quam viri magno ingenio & literis sactis præditi, qui in altera cōtemplationis specie longè præcellunt. Hæc autem species altera contemplationis versari ponitur in perscrutatione diuinarum virtutum per quas fides saluberrima, sicut ait August. gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Quod enim secari possint abinuicem hæ contemplationis species & experiētia doctrix est & Hugo significat, dicens: Sæpe amor intrat vbi cognitio foris stat. Nullus tamen proprio vocabulo dici debet contemplatiuus vel sapiens & perfectus theologus qui prima contemplationis specie caruerit. Vult ergo aliquis esse & dici verè sapiens, habeat vtramque contemplationis speciem illam videlicet affectus quæ saporem dat, & illam intellectus quæ scientiæ luminositatem pręstat, vt constituatur sapientia, id est, sapida scientia. Quod si altera carendum esse, eligibilius iudicaretur communicare in prima quam in secunda, sicut optabilius est habere pium affectum, humilem & deuotum ad Deum, quam intellectum frigidum solo studio illuminatum. Scientia quippe inflat, intellige si sola est, charitas ædificat. Nihilominus vbi de veritate fidei quæritur tradita in sacris scripturis, magis interrogandi consulendíque sunt theologi vigentes in contemplatione secunda quam idiotæ pollentes in prima secluso in eis patenti reuelationis miraculo, & nisi fortè manifesta esset in huiusmodi theologis deprauatio intellectus & intolerabilis morum peruersitas, quæ etiam mentiri quandoque facit non tantummodo circa fidem, sed circa morum principia, vt Apostolus & Aristot. cum experientia testantur. Addo adhuc quod sicut ex carentia pij affectus & magis ex infectione eius per vitia errant nonnunquam peritissimi in sacris scripturis, excæcauit enim eos malitia eorum, & dati sunt in reprobum sensum, ita ex paruulo lumine intellectus & parua logica prolabuntur quandoque in errores periculosissimos illi, qui magnorum sunt erga virtutes affectuum, quales Apostolus notauit habere zelum, sed non secundum scientiam, adeò vt si non humiliter sapiant, & nisi sese contrahant intra metas suæ cognitionis, nulli pertinacius inueniuntur neque absurdius errores confingere. Propterea non leuiter scribere debent vel docere, sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, non præuia discussione diligenti & doctorum examinatione. In talibus quippe plurima sæpe reperimus aut falsa, aut malè explicata, ac proinde multam erroris materiā præbentia simplicibus, quamquam in multis diuina altissimáque sint. Inter tales scripturas narrantur aliquæ narrationes aut regulæ vel doctrinæ particulares aliquorum patrum veterum, quæ magis admirandæ quam imitandæ dicuntur. Quemadmodum Ioannes qui Climachus dicitur, ponit virtutes esse impassibilitates & quædam valde austera super pœnitentia & peccatis. Et Cassianus de libero arbitrio notatus, & alij alia parum examinata aut nimis rigida tradunt, quæ communis schola Theologicæ veritatis meritò non admittit aut reijcit. Quamobrem bonum est mel cum fauo, sapor scilicet deuotionis cum lumine eruditionis, aut si alterum duntaxat obtigerit, vtatur quilibet dono suo, ambulet in vocatione sua abundet in sensu suo, & comedat mel quantum satis est, non plus sapiens quam oportet. Rectum quidem verbum enunciat Horatius quod ab ipso postea Hieronymo non longè à materia traductum est. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Conformiter satis ad illam logicorum maximam. Vnicuique in sua arte perito credendum est. Bene vale pater & frater in Christo apud quem tuarum me orationum participem fac. Amen.

LIBELLVS

Psal. 81. — 1. Cor. 8. — A B C D E F

LIBELLUS FRATRIS IOANNIS DE SCHOENHAVIA, QUI NITITUR *defendere quædam dicta fratris Ioannis Ruysbroech, contra magistrum Ioannem de Gerson, Cancellar. Parisiensem.*

QVONIAM quidam doctor eximius Parisiensis artis theologicæ quædam dicta fratris Ioannis de Ruysbroech in libro qui intitulatur de Ornatu spiritualium nuptiarum minus iustè vt opinor calumniatur & reprobat asserens doctinam eiusdem viri in quibusdam passibus, & specialiter in tertia parte præfati libri esse erroneam à regulà Theologicæ veritatis, ac traditione sanctorum Patrum & Doctorum discrepantè, & ob hoc nõ esse recipiẽdam sed abijciendã. Idcirco vt veritatis huius doctrinæ quã à Spiritusancto arbitror effluxisse & emanasse, qui magister est veritatis & non erroris, planius elucescat, inquantum tenuitas mei ingenioli & & exiguitas meæ scientiæ suppetant, tria per ordinem facere Dei gratia aspirante attentabo. Primò intentionem verborum suorum quantum ad ea quæ ibi arguuntur & reprehenduntur, & tanquam erronea iudicantur explicabo. Secundò qualiter hæc doctrina non sit noua adinuentio & superstitiosa, sed omnino sententijs nominatissimis doctorum Catholicæ fidei consona, & ipsorum auctoritate commendata & approbata, prout dominus dederit explanabo. Et tertiò qualiter rationes obiectæ minus efficaces sunt, nec prædictam doctrinam euacuant declarabo.

QVANTVM ad primum est sciendum, quod frater Ioannes de Ruysbroech auctor prædicti libri de Ornatu spiritualium nuptiarum in tertia parte eiusdem libri non loquitur de illa vnione quæ est per identitatem realis existentiæ, de qua dicit Christus Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus, immo in omnibus alijs libris suis protestatur ipse, quod creatura non potest fieri creator. Nec loquitur etiam de illa vnione quæ est solum per consensum & conformitatem voluntatis, quæ est omnibus spiritualem gratiam habentibus, quemadmodum legitur Act. 4. quod multitudinis credentium erat anima vna, & cor vnum in domino. Sed loquitur de illa vnione quæ est per amorem liquefactiuum & excessum contemplationis extaticæ, quæ præ nimia suauitate & magnitudine interni dulcoris & vehementia amoris animam liquefacit & resoluit, & totam virtutem rationis absorbet, de qua dixit Paulus 1. ad Corinth. 7. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Ex præceptione enim diuinæ præsentiæ & degustatione internæ dulcedinis anima deuota in seipsa quietatur, & sibi ac omnibus rebus creatis per desiderium inflammatum, & in Deum totaliter expansum funditus moritur, vt verè possit dicere cum Apostolo. Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus id est, ego totus transformatus in Deum per amorem non sum in me, sed in Christo, & ideo per amorem totus deificatus loquor vt Christus. Quod etiam idem Apostolus dicit Corinthijs: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Quod au-

Gal. 2.

2. Cor. 13.

A tem liquescit & resoluitur in seipso non existit, sed recurrit & transformatur in illam imaginem quæ sibi præsentialiter exhibetur. Ex quo patet quod imago animæ rationalis per efficaciam diuini luminis in suam imaginem increatam deificè poterit transformari, prout docet Apostolus 2. ad Corinth. 3. Nos autem reuelata facie gloriam domini contemplantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu, quia à claritate imaginis creatæ per quandam similitudinem transformabimur in

B claritatem imaginis increatæ. Et in hac transformatione imago rationalis constituitur in tanta conformitate diuinæ assimilationis quæ est inexplicabilis omni linguæ. Quod subtiliter videtur innuere Apostolus cum dicit 1. Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit bonum, scilicet inenarrabile quod præparauit Deus diligentibus se. Hoc enim bonum inenarrabile quod præparauit Deus diligentibus se, potest dici perfecta conformitas & indicibilis charitas diuinæ assimilationis quæ omni linguæ

C indicibilis est, & incomprehensibilis est omni menti, nec vnquam perfectè cognoscitur nisi in speculo æternitatis, quod est verbum diuinum & essentia diuina, & ergo de ista vnione & transformatione credendum est magis notitiam affectualem & experimentalem habentibus quam solum intellectualem, quia nemo hæc scit nisi qui accipit per experientiam vel reuelationem. Et de ista indicibili claritate diuinæ assimilationis locutus est frater Ioannes de Ruysbroech in tertia parte libri

D de ornatu spiritualium nuptiarum, & de hac vnione extatica intelligenda sunt eius verba & recipienda, de qua vnione loquitur beatus Dionys. lib. de diuinis nominibus cap. de amore. Et amor diuinus extasim faciens, & non sinens suipsorum esse amatores sed amandorum. Propter quod Paulus magnus in continentia diuini amoris diuino amore participans. Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus, tanquam sui amati viuens vita, sicut valde diligibiliter. Hæc Dionys. Gal. 2.

E Vnde patet quod amor extaticus duo supponit, scilicet esse naturæ nostræ & esse gratiæ, quæ introducit in tanto gradu vt anima potius Christum sentiat quam seipsam. Gratia enim tanquam deifica habet mentem Deo assimilare, & ipsam deiformi dispositione inducere. Ad hos deiformes habitus tam excelsos, tam à nostra infirmitate longinquos & visui nostro tam absconditos exponendos omnino minores sumus, quia ista sunt mysteria regni Dei, quæ vt existimo, non communiter omnibus, sed puritate intelligentiæ

F diuinis illuminationibus & gratia priuilegiatis communicanda sunt. Intus audiuntur, ibique dicuntur, ideo his qui foris sunt dici non debuerunt. Ne tamen hi qui foris sunt delinquerentur, si ab his qui intus sunt non vocarent aliqualiter erant innotescenda, vt discerent infirmi quantum eis desit, & ad quam perfectionem aspirare deberent. Hæc enim arcana & profunda si non gustantur non amantur, si non amantur non intelliguntur, & ergo dijudicanda non sunt ab his qui non gustauerunt, vnusquisque enim bene iudicat qui nouit, & horum est bonus iudex, vt ait philosophus. Et hoc de primo.

SECVNDO videndum est qualiter doctrina præfati viri à sententijs sanctorum patrum non discrepat, sed per omnia ipsis consonat & concordat. De hac enim vnitate dicit beatus Bernardus in epistola ad fratres de monte Dei: Vnitas spiritus cum Deo hominis cor sursum habentis proficientis in Deum volūtatis est perfectio, cum iam non solummodo vult quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus perfectus, sed etiam in effectu perfectus vt non possit velle nisi quod Deus vult, velle autem quod vult Deus hoc iam simile Deo esse est, non posse velle nisi quod vult Deus, hoc est iam esse quod Deus est, cui iam velle & esse idipsum est, vnde bene dicitur, quia tunc videbimus eum sicuti est cum sic similes ei erimus hoc erimus quod ille est. Quibus enim potestas data est filios Dei fieri, data est potestas non quidem vt sint Deus, sed sint tamen quod Deus est. Postmodum loquitur de triplici similitudine hominum cum Deo, & deinde subiungit: Dicitur autem hęc similitudo Dei vnitas spiritus, non tantum quia afficit spiritum hominis Spiritus sanctus, sed quia ipsa est Spiritus sanctus Deus charitas, qui cum sit amor patris & filij, & vnitas, & suauitas, & bonū, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis, hoc idē homini suo modo fit Deum quod consubstantiali vnitate filio est ad patrem vel patri ad filium, cum in amplexu patris & filij mediam quodammodo se inuenit hominis beata conscientia, cum modo ineffabili cogitabilique fieri meretur homo Dei, nō Deus, sed tamen quod Deus est. Ecce quomodo ista sententia bene omninò concordat doctrinæ fratris Ioannis de Ruysbroech & mutuo sibi consonant. Hoc idem patet ex epistola inferius annotata quam quidam vir deuotissimus & doctissimus composuit in qua sub breuibus verbis descriptus est totus processus libri fratris Ioannis Ruysbroech de ornatu spiritualium nuptiarum. Cum his cōcordat Gilbertus super Cantica sermone 2. vbi distinguit de triplici lectulo. Primus est proprius sponsæ. Secundus est communis sponsæ & sponsi. Tertius proprius est sponsi. Sponsæ lectulus est cū quietis & pacatis & compositis moribus intra se collecta requiescit. Communis est cū iam incipit oblectari in sponso. Sed proprius sponsi est, quando sui oblita penitus & ex se exuta tota transijt in ipsum, & quasi induitur ipso dilecta ipsius. In lectulo suo non effluit sponsa extra se, nec turbatur in se. In lectulo cōmuni affluūt illi delitiæ quædam de præsentia sponsi. In illo lectulo qui solus est spōsi amoris exagitata incendium ebullit & excrescit, effusa & effluens tota transfunditur in idipsum, & in similem absorbetur qualitatē. In primo pœnes se est. In secundo pœnes illam spōsus. In tertio pœnitus est ipsa pœnes ipsum, & si dici potest non est nisi ipse. In primo quærit. In secundo adhæret. In tertio vnitur illi. In primo tranquillitatem propriam possidet. In secundo quandam meretur cōmunitatem cum dilecto. In tertio absumitur & absorbetur in quādam charitatis & gratiæ vnitatem. Hæc Gilbertus vbi supra. Cum prædictis concordat Dionys. magnus, sicut patet in auctoritate superius allegata & pluribus locis librorum suorum. Et Hugo de sancto Victore commentator præfati Dionys. super septimum angelicæ hierarchiæ, dicens: Sic intelligas quanta est vis veri amoris & dilectionis si tamē intelligi potest, quoniā dilectio supereminet scientiæ & maior est intelligentia, plus enim diligitur quam intelligitur. Intrat dilectio & appropinquat vbi sciētia foris stat. Et reddit rationem istius, quia verus amor siue charitatis nullum patitur medium inter se & obiectum quod Deus, sed vehementer tendit in ipsum immediatè, & ideo nunquā quiescit, donec omnia transeat & ad ipsum dilectum, & in ipsum veniat. Vnde subdit ibidem: Dilectio siue amor impetum sequens ardentes desyderij sui, nec dissimulare valens, donec ad amatum peruenerit, amato appropinquat quantum potest, & eò amplius sitiens intrare ipsum cupit & esse cum ipso, & esse tam probè vt fieri posset hoc idem ipsum sit quod ipse. Nihil enim velocius, nihil acutius, nihil subtilius amore aut penetrabilius, quia natura sua non quiescit donec naturaliter amabilis totam penetrauerit virtutem & profunditatem & totalitatem quantū potest. Huic etiam sententiæ alludit per omnia Vercellensis super Cantica dicens: quod affectus & intellectus simul coambulant vsque ad nouissimum defectum intellectus, vbi habet suæ cognitionis & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria & superintellectuales extensiones & immissiones, feruidos vulgares & fulgidos feruores ad quorum omnia sublimes excessus, & excedentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solus principalis affectus Deo vnibilis & postea ibidem dicit. Tanta est virtus veri amoris & pulchritudinis quod non solum facit homines & angelos exercere naturam propriam vt in Deum ascendant, sed etiam Deum quasi naturam propriam egredi, vt ad creaturas quasi infra naturam suam producendo descendant, ecce quomodo omnes isti excellentissimi doctores in hoc conueniunt, quod anima quando rapitur in diuini luminis abyssum, tota deficit à seipsa, & in illum quem diligit tota liquescit & superintellectualiter ei vnitur & vnitissimè transformatur in ipsum, ita vt in anima dum à seipsa alienatur, dum in istud diuini arcani secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circundatur, intimè penetratur, & inflammatur seipsam penitus exuit, & diuinum quendam affectum induit & inspectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam transit.

HIS prælibatis respondendum est tertiò ad obiectiones & rationes quibus dominus Cancellarius Doctor venerabilis & vir eloquentissimus doctrinam præfati viri videlicet fratris Ioānis de Ruysbroech videtur aliqualiter calumniari & rebrobare. Sciēdum est ergo quod auctor præfati libri de ornatu spiritualium nuptiarum, non sicut ille magister arbitrabatur homo idiota fuit & sine literis, in hoc malè erat informatus, sed erat sacerdos vt spero Deo acceptissimus, primus Prior & fundator cuiusdam monasterij Canonicorum regularium in Brabantia appellati viridis vallis Cameracensis diocesis, & siti in quadam sylua quæ vocatur zonia iuxta ciuitatē famosam quæ dicitur Bruxella. Qui doctrinam suam

non

non Latino sermone, sed theutonico conscripsit, licet enim competentis scientiæ fuerit, non tamen tam eminentis scientiæ erat, quod præfatam doctrinam Latino sermone tam composito & stilo tam eleganti scribere potuisset, nisi speciali dono Dei sibi datum hoc fuisset. Sed quidã frater eiusdem monasterij vir valde ingeniosus & literatus postmodum ob profectum omnium nationum, quosdam librorum suorum Latino sermone trãsferre in persona ipsius curauit. Admirantes ergo doctrinam eius laico sermone conscriptam faciliter perpendere possunt ipsum, nequaquam hanc didicisse ab homine aut ab humana scientia, sed accepisse à Deo & à diuina sapientia & magistra vnctione, à fratribus enim eius cognosci potest ꝙ fuit homo missus à Deo, cui in his nouissimis diebus hæc deuota arcana & profunda atque diuina Deus dispensanda largitus est, vt noua admonitio suos melius attraheret auditores, & vt sectã illorum liberorum spirituum qui tẽpore vitæ suæ multum in Brabantia & illis partibus pullulabant, extirparet & errores ipsorum denudaret. Vixit enim homo iste Dei postquam illud lamentabile schisma in Ecclesia surrexit, nam à tempore mortis suæ. 25. anni fluxerunt vel circiter. Hac ergo occasione & necessitate compulsus, hæc profunda & subtilia theutonico sermone cõtexuit, qui quidem hanc doctrinam absque aliquo labore studij sola gratia Spiritus sancti eius mentem docente & perlustrante eructauit, sicut bene compertum est illis qui secum conuersati sunt & secretorum suorum conscij fuerunt. Si ergo stilus libri in Latinũ translati magis redoleat humanam eloquentiam, quam diuinam hoc non imputãdum est authori, sed translatori, qui quidem trãslator pro eo quod ornatui & eloquẽtiæ sermonum plus operam dedit quam forte expedit, & quædam pro arbitrio suo addidit in prædicti libri translatione multum desudauit, licet author ab hac desudatione liber & expers fuerit, cui omnia quæ docuit prout piè credimus Spiritus-sanctus inspirauit & administrauit, licet etiam doctrina istius viri in Latinum translata sit multum gratiosa, compunctiua & deuotionis excitatiua, tamẽ ignitum eloquium Domini vehementer, quod in verbis illius theutonicis inuenitur multo gratiosius est, magis mouens afficiens & accendens legentem, ita vt durissimus corde sit qui non ex eorum lectione compungatur, ad deuotionem excitetur, & ad meliora prouehatur & sublimetur. Verumtamen quod dictus doctor egregius sentiat tertiam partem huius libri penitus rescindendam tanquam discrepantem à doctrina sanctorum doctorum non consentio sibi in hoc, sed videtur mihi esse approbanda doctrina huius tertiæ partis, & asserenda tanquam consona & concordans per omnia doctrinis & sententijs sanctissimorum & famosissimorũ doctorum totius Ecclesiæ, sicut satis declaratum est cap. præcedenti. Doctrina enim huius tertiæ partis intelligenda est de illa vnione extatica, sicut superius dictum est in primo cap. de qua vnione iste magister nullam facit mentionem in epistola sua. Quod etiam dicit quod tertia pars eiusdem libri repudianda est tanquam malè explicata, notandũ est quod de Deo melius possumus cogitare quam loqui, conantes ergo homines sancti de Deo loqui, nec valentes nisi verbis aptioribus, verbis quæ dicenda sunt exprimunt, & modum loquẽdi quẽ vsus sanctorum patrum tenuit, imitantur, & sic author huius libri in ista materia altissimæ & summæ contemplationis imitatus est modum loquẽdi sanctorum patrum qui de hac materia locuti sunt, vtendo quibusdam verbis non propriè, sed transsumptiuè, sicut ista materia exigit, secundum exigentiam materiæ sermones sunt expetendi, sic enim Diony. in libris suis caliginem vocat quando spiritus rationales inducuntur in istud interius cœnaculum diuinæ claritatis, vbi clausis sensuum ostijs secretius castissimo amplexu conueniunt cum dilecto, & tamen maxima illustratione ibi irradiantur. Similiter quando mentem contingit rapi, & in sui ipsius extasim perduci, tũc annihilari dicitur, quia mens in extasi posita sibi & omnibus creaturis funditus moritur, inquantum seipsam nesciens sui & omnium creaturarũ obliuiscitur, ideo de talibus mentibus dicit Apostolus Col. 2. Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic etiam spiritus rationales seipsos perdere est omnino non sentire semetipsos, & à seipsis exinaniri, & penè annullari, vbi tamen melius secum sunt, cum sic sunt quod tamen vbi sint nesciant, & licet hucusque seipsos habent, tamẽ se modo prædictã perdiderunt. Quod vtique videtur contigisse Apostolo cum in raptu constitutus, an in corpore vel extra corpus esset prorsus se asserit ignorare. Scriptura sacra eo spiritu exponenda & intelligenda est quo prolata, & sic arbitror quod si dicta huius prioris secundũ illum sensum diuinum & spiritum intelligantur, quo prolata sunt quod in eis error non apparebit, sed mera & clara veritas relucebit. Sæpe sancti viri de altissima contemplatione quædam proferunt, quæ minus perfecti, quia penetrare non possunt, lapsum erroris putant. Non puto dici potuisse quod hunc priorem puto sensisse. Est enim iste modus sentiendi alienus ab omni modo vsitato sentiendi, vnde nec vsitatis verbis potest aliquatenus explicari. Et ideo quando viri perfecti nostra instantia & importunitate ac charitate deuicti aliquid nobis de tali affectione vel intelligentia tentauerunt reuelare, succumbunt verbis vel talia verba loquuntur quæ nostrum intellectum excedunt. Suauitas hæc quæ deuotis mẽtibus in vnione intima Dei propinatur, tam sublimis est, quod nec vocali nec mentali verbo est expressibilis, sed sola attingibilis est experientia, & ergo nõ est mirum si illud quod dicitur de iudiciali, eo modo quo dici potest, sit minus gratum, minus placeat, minus acceptetur ab his qui talia non sunt experti. Et quia hanc vnionem intimam & extaticam in qua spiritus rationalis perfecta assimilatione conformatur imagini suæ increatæ, prædictus author conatus est explicare, quæ tamen difficillima est ad disserendum, idcirco quędam verba protulit quæ à quam pluribus non capiuntur. Quæ tamen si rectè fuerint intellecta, & ad intentionẽ dicentis respectus habeatur, non errorem, sed cõcessam puto continent veritatem. Pro quorum verborum pleniori intellectu habendo, sciendum est quod hæc vnio extatica quæ consistit in amplexu vnitiuo summi boni, tripliciter & sub triplici habitudine percipitur in hac vita. Aliquando

enim percipitur ex diuinæ claritatis & essentiæ trāsitoria visione & contemplatione. Interdum ex diuinæ suauitatis prælibatoria fruitione. Interdū verò ex diuinæ immensitatis iocunda admiratione, & de aliquo istorum trium modorum siue de vnoquoq; puto esse intelligenda dicta tertiæ partis illius libri de ornatu spiritualium nuptiarum, potissimè tamen de primo modo, videlicet de illa vnione & contemplatione quæ fit in raptu. Primum horum liquet in Paulo qui fuit in raptu intuitiua contemplatione diuinæ essentiæ transitoriè illustratus, & licet Paulus in illo raptu habuerit actum beatificum, tamen ex hoc non potuit dici perfectè beatus, quia non habuit statum beatificūm, nec etiam illum actum modo comprehensorum, puto permanenter & immobiliter, sicut habent beati, sed fluxibiliter & transitoriè, sicut lumen continuatur in aëre ad solam præsentiam solis, quare non debuit dici ex hoc perfectè beatus. Secundus modus apparet in propheta Dauid qui tanta dulcedine diuinæ suauitatis repletus fuit, quod tanquam ebrius clamauit. Delectationes in dextera tua vsque in finem, innuēs per hoc quod mensura & magnitudo huius suauitatis nullo termino vel fine poterit coarctari. Tertius modus patebit in regina Saba, quæ visa gloria & magnificentia regis Salomonis, præ magnitudine admirationis defecit, & in extasim rapta fuit. De talibus mentibus verificatur illud quod scribitur Esa. 60. Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quia in illo lumine tearchico tibi diuinitus influxo videbis illa quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit &c. in quo excellentia illius visionis & cognitionis designatur.

PRo ampliori verò declaratione illius dicti quod præfatus magister dicit doctrina illius tertiæ partis non stat cum determinatione decretalis. Sciendum est quod quicunque piè librum alicuius Ecclesiastici doctoris legit, si quid in eo quasi dubium & scrupulosum inuenerit, non statim exardescendo inuadit, sed inspicit & discernit & retractat ex circunstantijs & ex scriptis eiusdē authoris, & ad vltimum prius elegit confiteri se ignorare vel non intelligere quam illi erroris notam impingere, nisi manifesta in eo hæresis deprehendatur. Constat enim Catholicos patres qui diuersos libros conscripserunt de eadem sententia nunc obscurius, nunc apertius fuisse locutos, nec hoc ducitur pro inconuenienti. Varietas enim affert pulchritudinem, & delectat audientes siue legentes rara & difficilia bis delectant ait Horatius poëta. Sic igitur sæpedictus frater Ioannes de Ruysbroech, licet in tertia parte libri de ornatu spiritualium nuptiarum de illa sublimissima materia & obscurissima obscurius sit locutus, in alijs tamen locis & libris suis vbi de eadē materia dogmatizat, planius & apertius suam intentionem explanauit. Vnde in libro suo qui dicitur de calculo vel de perfectione filiorum Dei, ipse manifestè protestatur quod impossibile est nos ex toto deificari, nostramque creationem in creatorem mutatos amittere. Diuina enim natura sicut in se est immutabilis & inconuertibilis, ita non sinit aliam naturam in se essentialiter conuerti. Impossibile est enim vt creatura Deus vel creator efficiatur. Verumtamen Deo per medium & sine medio vnimur, per medium videlicet gratiæ suæ & nostrorum operum. Gratia enim Dei mentē nostram irradians docet nos veritatem, dirigítque nos ad omnes virtutes & in æternā Dei dilectionem & amoris exercitium. Verumtamē vltra has gratiam & virtutes inter Deum & nos mediantes, Deo etiam sine medio vnimur quando impetu ardentis amoris excedimus omne creatum vsque in ipsas superstantiales Dei diuitias, vbi in amore cuncta transimus morientes omni consideratione in quandam inscientiam & caliginem, ibi agimur & super informamur ipsi verbo æterno, quod est imago patris. Huic sententiæ omnes patres superius nominati concordant, cúmque sic Deo vnimur, remanet tamen in nobis scitus viuus & amor actiuus. Quoniam absque scitu nostro Deū videre non possumus, nec sine amoris exercitio Deo vniri vnitionémque seruare valemus, si me ignorante totius mūdi Dominus essem, quid mihi præstaret solatij? Idcirco sentiemus nos æternaliter gustantes & possidentes, teste Christo qui ait: Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, &c. Sic ergo patet vitam nostram æternam consistere in discreta siue distinctiua cognitione Dei & contemplatione Dei intuitiua. Vltra omnia tamen hæc erimus quasi expirati supra spiritum sine spiritu in abyssali & incomprehensibili & immensa Dei gloria. Item spiritus Dei qui nobis flat, effluit & inspirat vt Deū diligamus & virtutes operemur, nos enim ad se & in se attrahit & intrahit, vt in ipso quiescamus & eo perfruamur, & in his duobus æterna vita stat, quemadmodum per aëris inspirationem & expirationem diastole & sistole nostra vita perseuerat materialis. Et ex his patet quod non contradicit decretali, quia ipse ponit sicut decretalis asserit beatitudinem nostram consistere in visione Dei intuitiua, & fruitione diuinæ essentiæ. Præterea scio quod beatus Thomas de Aquino clare dicit, quod in visione qua videtur Deus per essentiam, oportet quod Deus sit forma intellectus nostri, quia quacunque alia informaretur, illa non duceret nos in essentiam diuinam, & ergo in ipsa essentia diuina erit quasi forma intellectus qua intelliget. Quod quidem non oportet ita intelligi quod diuina essentia sit vera forma intellectus nostri, vel quod ex ea & intellectu nostro efficiatur vnum simpliciter, sicut in naturalibus ex forma & materia naturali, sed quia proportio diuinæ essentiæ ad intellectum nostrum est sicut proportio formę ad materiam, & quod fiant vnum quantum pertinet ad actum intelligendi. Et vlterius dicit, quod Deus in patria non tantum erit cognitio quæ cognoscetur ab anima, sed etiam per quam anima cognoscet. Ex quo cōcluditur quod beatus Thomas fuit istius opinionis, quod Deus per suam essentiam est coniungibilis intellectui nostro, non tamen sic quin ibi erit lumen gloriæ, mediū quod eleuabit intellectum nostrum ad hoc quod possit coniungi essentiæ increatæ, sed ab hoc medio nō dicitur cognitio mediata, quia non cadit inter cognoscentem & rem cognitam, sed est istud quod dat cognoscenti vim cognoscendi. Istud erit in patria, sed in statu viæ nullatenus intellectus purę creaturæ potest in visione Dei per essentiam peruenire

uenire per aliquam dispositionem sibi inhærentē, sed contingit aliquando diuina virtute quod aliqua res miraculosè perducitur in aliquod in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhærentes perduci, sicut quod virgo pariat, & quod ignis in anima comburat. Et similiter potest miraculosè fieri, quod diuina virtute aliquis intellectus creatus nō habens nisi dispositiones viæ eleuetur ad videndum Deum per essentiam, nec tamen ex tali visione dicitur beatus simpliciter, sed secundum quid tantum quantum communicat in actu beati. Puto quod hæc dicta beati Thomæ probabiliter substineri possunt absque periculo hæresis & præiudicio fidei. Insuper prædictus magister dicit quod nullus theologorum vnquam talem modum beatitudinis posuerit qualis ab isto authore explicatur, videlicet quod anima tunc desinit esse in illa existentia quam prius habuit in proprio genere, & conuertitur seu trāsformatur & absorbetur in esse diuinum, & in illud esse ideale defluit, quod habuit ab æterno in essentia diuina. Pro cuius dicti euidentia est considerandum, quod quando aliqua scriptura est mystica & obscura, tunc obseruandum est quod interpretatio fiat secundum intentionem dicētis. Nihil est enim ita benedictum, quod non possit malè interpretando & narrando deprauari. Fateor ergo verum esse quod nullus doctorum nodum beatitudinis ponit secundum quem iste magister sua verba intelligit & recipit. Sed nequaquam arbitror authorem huius libri ita desipuisse quod ipse sic sentiret sicut iste magister sibi imponit, nec illum sensum verba sua prætendunt si diligenter inspiciantur, sed potius sic intelligenda sunt quod mens dulcedine verbi diuini illecta rapitur & illabitur à seipsa vt verbo fruatur, illicque ibi nosmetipsos excedimus in caliginem & in modi carentiam inscrutabilem ibi nos Deus ex nobisipsis trahit, transformat & deglutit in ipsam profundissimam diuinitatis tranquillitatem, in ipsam sui superessentiam & sui spiritus vnitatē amorisque absorptionem, vbi vi amoris extatici assequimur illam conformitatem & Dei formitatem, quam secundum rationem idealem habuimus ab æterno in mente diuina, ibique vnum effecti sumus cum Deo. Hæc vnitas non intelligenda secundum identitatem realis existentiæ, sed secundum quandam conformitatis & transformationis similitudinem nequaquam ergo æstimandum est præfatum fratrē Ioānem de Ruysbroech, fuisse istius opinionis vel erroris quod voluisset asserere spiritum rationalem in beatifico vniri diuinæ essentiæ per transformationem essentialem in identitatem diuinæ naturæ, aut quod non sit necessarium quod potentia intellectiua creata sit eleuata per habitum supernaturalem luminis gloriæ ad eliciendum actum beatæ visionis. Sed ita videtur sapere quod quia ipse Deus propter summam eius simplicitatem menti illabitur, ideo cognoscemus eum in seipso obiectiuè, & etiam per seipsum repræsentatiuè, vt ly in ipso, excludat mediationem speciei, quia in patria Deus absque specie & similitudine cognoscetur, & ly per ipsum excludat mediationem luminis extranei diuinam essentiam repræsentantis, quia essentia diuina in suo proprio lumine videbitur. Non enim requiritur aliud lumen deforis ab essentia sicut lumen

A solis requiritur ad videndum colores & rerū species, quas in tenebris videre non possumus, sed per hoc non vult dicere quin actu nostro creato ipsum Deum cognoscamus, & per consequens oportet quod ipsa potentia intellectiua sit per habitum supernaturalem informata, vt possit pertingere ad istud obiectum finitum, ad quod ex se pertingere non potest. Et quia in visione beatifica ipsum visum non videtur per similitudinem, sed per essentiam efficitur quodammodo intra videntem.

B Ex hoc autem quod ipsum visum receptum est intra videntem, vnit sibi ipsum videntem vt fiat quasi quædam penetratio mutua per amorē, sicut dicitur. 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Ad vnionem autē maximè conuenientis sequitur delectatio summa, & in hoc perficitur nostra fœlicitas. Ex quo patet quod gaudium fruitionis in actu diuinæ visionis quo videtur diuina essentia nudè in seipsa inchoatur, sed in dilectione & amplexu vnitiuo & gustu affectuali diuinæ dulcedinis perficitur & consum-

C matur. Quamuis enim fruitio non sit sine visione, perfectius est tamen in dilectione. Sicut enim hic perfectius est diligere quam agnoscere, sic & ibi intellectus noster implebitur lætitia visionis, sed affectus noster implebitur lætitia dilectionis, cui conuenit conuenire & transformare. Ad gaudiū beatitudinis tria concurrunt, perfecta visio plena comprehensio, inhæsio amoris consumati. Et in isto stat tota summa dictorum fratris Ioannis de Ruysbroech concernentium præsentem materiā.

D Vnde sicut ex ipsis dictis manifestè colligi & elici potest ipse ponit beatitudinem nostram consistere in distinctiua siue discretiua cognitione, & cōtemplatione Dei intuitiua, & hanc vocat beatitudinem actualem, & in fruitione Dei quiescitiua, vbi anima igne diuini amoris resoluta liquescit & deficit à seipsa, & spoliata omnium virium suarū propria & naturali actiuitate mentalem simplicitatem induit & imaginis increatę assequitur assimilationem. Gaudium fruitionis est tantæ magnitudinis & tam indicibilis suauitatis quod mēs

E beata vel humana plenè comprehendere nō potest, sed tota absorbetur ex plenitudine illius gaudij, sicut stilla aquæ absorbetur à vino forti, vt dicit Bern. Et istum gustum fruitionis omnes vires animæ indicibili gaudio absorbent, & hanc inhęsionem & amplexum mellifluum indissolubilis charitatis & absorptionem abyssalem amoris vbi anima inabissatur & totaliter in Deum traijcitur & transformatur appellat beatitudinem essentialem, quia ibi anima omnium virium suarum acti-

F uitate spoliatur, & vtitur sola consolatione diuinæ suauitatis. Ibi inquit, in pace in idipsum dormit & requiescit, dormit in quietatione plena intellectus, requiescit in plena satiatione affectus. *Psal. 4.*
Et sic patet quod sensus eius est verissimus, nec discrepat à sententia sanctorum patrum. Et si est aliquis error in dictis suis, ille solum stat in quid nominis nomina autem sunt ad placitum, & ideo talis error non est magni ponderis. Quod autem dicitur quod ad fruitionem spectat plena comprehensio, hoc non est intelligendum quod beati comprehendunt totaliter ipsum Deum secundum omnem modum quo est cognoscibilis, talis

enim modus comprehensionis diuinæ naturæ est impossibilis omni creaturæ, vt patet Ioan. 1. vbi dicitur. Deum nemo vidit vnquam. Sed iste modus comprehensionis attenditur quantum ad immediationem cognitionis, de qua superius dictū est, quia beati verbum æternum & omnia alia in seipso & per ipsum comprehēdent & cognoscēt, iuxta illud. Psal. In lumine tuo videbimus lumen, hoc est teipsum qui es lumen subsistens dicit Augustinus. Psal. 35.

RESTAT nunc vlterius videre qualiter sane intelligenda sunt illa dicta fratris Ioannis de Ruysbroech, quæ Dominus Cancellarius in epistola iudicat esse repudianda taquam erronea vel malè explicata, quorum primum est istud quo dicitur. Perditur anima contemplantis in esse tali diuino abyssali, ita quod non sit reperibilis in aliqua creatura. Hoc verum est si sanè intelligatur. Sic quippe intelligendum est quod in hoc gradu contemplationis, quoniam mens rapitur in diuini luminis abyssum omnium exteriorum obliuiscitur, nescitque penitus seipsam, seipsam exuit & diuinum induit quendam affectum & super mundanum, totáque transit in Deum suum & in aliā gloriam quam creaturam subesse creaturali non attingit, quia in tali statu esse suum creatum & suæ naturæ homo excedit, & subesse diuinæ gratiæ ita sublimiter diuinæ substantiæ vnitur, quod omnes vires & potentiæ rationales supra se eleuantur & in diuinam claritatem transformantur, & sic non est reperibilis ibi ab aliqua creatura. Supra intellectum enim & mentem ibidem Deum cognoscit. Intellectus enim noster & sensus corporeus intra terminos creaturæ exercentur, nec etiam intellectus excedit ens aut speculum. Vnitio autem excedit sublimius intellectum theoricū quam intellectus imaginationem vel sensum. Mēs enim in hac vnione diuina & exatica transcendit omnem creaturam & seipsam, & omnem actum virium apprehensiuarum, & pro tanto dicitur ꝙ non est reperibilis ab aliqua creatura. Ad hanc abstractionem Dionysius inuitabat Timotheum in mystica theologia, dicens: Tu autem amice Timothee circa mysticas visiones forti contritione & sensus relinqueret intellectuales operationes, & omnia sensibilia & intelligibilia, & omnia existentia & non existētia, & sicut est possibile ignote consurge ad eius vnitionem quæ est super omnem substantiam & cognitionem, etenim excessus tui ipsius ab omni irretentibili & absoluto munde, ac supersubstantialem diuinarum tenebrarum radium sursum ageris. Vide autem vt nullus in doctorum hæc audiat. In hoc verbo Dionysij sapientia summa includitur, & culmen totius perfectionis vt possibile est via & profunditas librorum Dionysij Ariopagitæ. Quod præterea subiungit quod intentio auctoris præfati videtur esse quod anima desinit esse in illa existentia quam prius habuit, claret ex supradictis quod intentio authoris talis non fuit qualis exprimitur à prædicto magistro, sed ex abundanti, licet non inconuenienter possumus dicere quod intentio authoris talis est quod excellentia rationalis creaturæ in hoc perficitur & consummatur quando cōsurrectione amoris extatici in illud principiū reuertitur, vnde primordialiter exiuit, & quādo anima intrat in istud diuinitatis arcanum & in illud intimæ quietis secretum, tunc nō oportet quod ibi fiat corporis & animæ dissolutio, sed in huiusmodi transformatione anima diuiditur à spiritu per hunc modum, vt quod animale corpulentum & fœtulentum est deorsum remaneat. Spiritus autem & quod spirituale est ad summa euolet, & vsque ad speculationem diuinæ gloriæ sublimetur & in eandem imaginem transformetur. Nihil in creaturis (vt dicit Richardus in li. de exterminatione) hac diuisione mirabilius cernitur, vbi illud quod est essentialiter vnum atque indiuiduū in seipsum in quandam portionem diuiditur, neque in homine vno alia est essentia eius spiritus, atque alia eius anima, sed vna eadémque substantia simplicis naturæ, non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur, sed tamen ad distinctionem ponitur gemina portio eiusdem essentiæ. Vnde superior per spiritum alia inferior per animam designatur. Vnde pro planiori intellectu istorum habendo est considerandum, quod spiritus noster quandoque intantū à corpore & anima diuiditur, vt spiritus in spiritu esse asseratur, & quandoque spiritus supra spiritum esse dicatur, & quandoque spiritus sine spiritu esse credatur. Primum patet in Ioanne qui de se ipso dicit Apoc. 1. Ego fui in spiritu Dominica die. Quod exponens Haymo super Apocalypsim dicit sic: Ioannes sic in spiritu fuit, quod tamen ipsam carnem funditus non deseruit, sed spiritui æternitatis spiritus eius adhæsit, & à spiritu docente assumptus fuit spiritus docendus. Ideo tam mirabilia & profunda vidit. Richard. autem exponens idem verbum dicit sic, an hoc est spiritum in spiritu esse semetipsum intra seipsum totum colligere, & ea quæ circa carnem seu etiam in carne geruntur interim penitus ignorare. Secundum liquet in Petro, de quo in actibus cap. 12. dicitur. Et Petrus ad se reuersus dixit, &c. Quod exponens Richard. li. 2. de contemplatione. Hoc sanè non insipienter dicitur quod Petrus longè supra hominem fuerit, quia longè à semetipso, & supra semetipsum recessit. Alioquin non erat à quo ad se reuerteretur. Hoc idem ostendit Hugo super septimū Hierarchiæ dicens? Acutū amoris est cum omnia transcendendo despicit. Superferuidum autem amoris est, cum etiam semetipsum contemplando relinquit & in contemplatione dilecti se despicit, & miro modo fit vt per dilectionis ignem in illum sustollitur qui est supra se, & per vim amoris expellitur & exeat à se, nec se cogitat dum Deū solum amat. Tertium apparebat in regina Saba, de qua legitur 3. re. 4. c. quod regina Saba videns sapientiam Salomonis & domum & habitacula & ordinem ministrantium nō habebat vltra spiritū. Quod exponens Richardus li. 5. de cōtemplatione. c. 2. Recte nōne dicitur spiritus seipsum nō habere, quando incipit à seipso omnino deficere, & à suo esse in supermundanum quendam & verè plusquam humanū statū transire in mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videatur in diuinum deficere, ita vt ipse iam non ipse eo duntaxat tempore quo Domino incipit altius inhærere. 1. Cor. 6. Qui autem adhæret Deo vnus spiritus est. Et sic totum in istud diuinitatis arcanum intrat clamans cum

Esa. 118. cum Psal. Deficit in salutare tuum anima mea. Hæc ille. Isto habito & intellecto facillimè omnia illa dicta huius tertiæ partis de nuptijs intelliguntur & exponuntur. Ex isto patet facillimè intellectus clausulæ illius quæ subiungitur. In ipsa quidem sui vacuitate per fruitiuum amorem spiritus perdit semetipsum, Deiq; claritatem nullo intermediante suscipit. Spiritus semetipsum pro tanto dicitur perdere, quia in tali statu vbi spiritus humanus in tãtum amoris feruorem supra se rapitur vt meritò sine spiritu esse dicatur factus est, tanquam vas perditum eo quod semetipsum nõ sentit, sed penitus à seipsa exinanitur, absorbetur & deficit, luce clarius constat quod congruè dicitur quod regina Saba spirituum suum perdidit, quæ vltra spiritum non habebat. Sic similiter Paulus conuenienter dicitur spiritum suum perdidisse, quando in raptu constitutus, vtrũ in corpore vel extra corpus esset, ignorauit. Quando autẽ mens humana hunc supremũ verticem, id est mẽtis excessum attigerit, tunc Dei claritatem nullo intermediante suscipit, quia ab omnibus imaginibus & symbolis absoluitur, & ab omnibus operationibus omnium viriũ apprehensiuarum tam inferiorum quam superiorũ ociatur, atque in supersubstantialem radiũ diuinæ luciditatis ducitur remoto omni velamine & immediate Deo vnitur, sicque Dei claritatem nullo intermediante suscipit. Istud autem quod dicit, ac sine intermissione ipse fit ea claritas quam accipit, satis claret ex prædictis non sic intelligendum, & qualiter doctores sancti idem sentiunt. Vnde in epistola inferius annotata sic habetur. Hac hora incensi sicut aquæ gutta vniatur infusa multo vino. Sic ista efficitur lux in Domino optimata in optimo. Optima quippe ac omnipotens efficitur quando in optimum ac in omnipotentem tota traijcitur. Cui satis cõcordat super septimũ Angelicæ Hierarchiæ dicens. Contemplatio est deifica similitudo, quia dum per eam illuminati lucentes, fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt. Quomodo enim aër solis perfusus in eandem trãsformatur luminis claritatem adeò vt tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur. Et sicut ferrum in ipsum ignem missum magis efficitur ignis quam ignitum. Sic viri perfecti charitate induti siue imbuti (charitas videntur potius) vt emphaticè loquar quam charitate succensi. Induimini ergo dominum sicut aër lucem, sicut ferrũ ignem, & eritis lux in Domino. Sicut enim ferrũ inflammatum accipit in se formam ignis, & dat se totum & non partem, & eripit se sibi remanendo in se substantialiter inflammatum, ita anima vnita Deo per ignem diuini amoris quasi totam dat se & mittit se in Deum, & in Deum transformata nõ mutata substantia propria transformat se totã in Deo amore qui est vita sua, & per amorẽ fit quasi tota diuina. Naturale namque est quandocũque aliquid transformatur in aliud, istud accipiet proprietates & conditiones illius naturæ in quã trãsformatur. Sic igitur mens deuota cum in lumen thearchicum transformatur, fit quodãmodo claritas quam accipit. Item quod sequitur dependẽtque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secũdum essentialem existẽtiam vnum cum illo est, sic accipiendum est, quod menti nostræ diuina essentia realiter & præsentialiter communicatur. Vbique totus est Deus per existentiam, sed non in singulis æqualiter. per efficientiam. Et licet ex toto se vbique operetur, tamen non totum quod potẽtiæ suæ est vbique immo potius nusquã operatur. Vnde quia propriũ est diuinæ naturæ rebus illabi & eorum intimis commorari & per sui illapsum cõseruare rerũ naturas ne decidant in non esse, idcirco dicit, quod nostrũ esse creatum depẽdet ab esse æterno, iuxta illud quod philosophus dicit in lib. de cœlo & mundo. Ab hoc quidẽ ente.s. Deo dependet cœlum & terra, & quia ex naturæ suæ proprietate competit ipsi Deo vt inhabitet in intimo animæ rationalis, propter quod dicit Aug. tu intimior intimo meo, propterea dicit quod esse nostrum creatum secundũ essentialem existentiam, vnum cum illo est, diuersæ substantiæ sunt spiritus Dei & spiritus hominis, & ergo hominis nõ est ita vnus cũ spiritu Dei sicut filius cum patre vnus est Deus. Sed quia illapsu suæ præsentialitatis inhabitat animã rationalem, quã inter omnia creata imagine sua insigniuit, penes quam imaginẽ transformatur Trinitati personarũ, & participabilis est diuinæ naturæ & beatitudinis illius, ideo dicit quod omne nostrũ creatum secundum essentialem existentiam vnum cũ illo est. Deus enim sanctis suis triplicem vnionem tribuit.s. naturæ gratiæ & gloriæ, & de hac vnione naturali per quam Deus cõmoratur in intimo animę rationalis, dictum istud est intelligendum. Qualiter autẽ illud sit accipiẽdum. Vniuersi quoque supra sui creationẽ in vitæ contemplatiuæ altitudine sublimati vnum sunt cum hac deifica claritate, immo ipsa claritas ipsi sunt, atque in eo quo vident & quod vident lumine idem fiunt, satis patet ex prædictis & specialiter ex his quæ dicta sunt in illa clausula: Ac sine intermissione fit ipsa claritas quam accipit. Non enim vult auctor iste dicere quod spiritus adhærẽs Deo per amplexum vnitiuum & supra se raptus virtute extatici amoris quod fiat vnus vel idem cũ Deo simpliciter substantiæ identitate, quia hoc est impossibile, sed fit vnus cum Deo transformationis similitudine, gratiæque & beatitudinis participatione feruidi amoris amplexu & inhæsione. Et hoc satis innuit in his verbis quæ postea subiungit, vniuersi deuoti spiritus vnum cum Deo profundo amoris defluuio sunt effecti non quomodolibet quidem vnum, sed idipsum quod est ipsa in se essentia Dei, eo modo quem deifica beatitudo requirit. Et istud idem multi sancti doctores dixerunt scilicet beatus Dionysius, Bernardus Hugo, sicut patet ex supra allegatis, sicut in ipsa beatissima Trinitate à patre filius egreditur, ab vtroque Spiritus-sanctus amor verus procedens connectit patrem & filium, sic à fonte bonitatis supernæ sapientia vnitiua procedens menti deuotæ illapsa tanta vnione ipsam connectit spiritui in tanto vt mereatur vt vnum dicatur esse cum ipso. Hanc vnionem petebat Christus cum dicebat: Rogo pater vt ipsi vnum sint sicut ego & tu vnum sumus. Proinde his verbis quæ sequuntur: vident insuper, sentiunt & inueniunt per hoc deificum lumen secundum esse vitámque suam increatam eandem fore simplicem diuinitatis abyssum, satis mihi concordare videtur sententia sancti August. in lib. 6. confessionum vbi di-

cit: Inde admonitus redire ad meipsum intraui in intima mea duce te & potuit, quoniam factus es adiutor meus & intraui & vidi qualicunque oculo animæ meæ supra eundem oculū animæ meæ, supra mentem meam lucem Domini incommutabilem, nec ita erat supra mentem meam sicut oleum supra aquã, nec sicut cœlum supra terrā sed superior quia ipse fecit me, & ego inferior quia factus sum ab eo. Qui nouit veritatem nouit eam, nouit æternitatem charitas nouit eam. Ad cuius euidentiam est sciendum quod creaturæ præexistunt in mente diuina siue in Deo simpliciter & vnicè, & hoc quantum ad tria exemplaria secundum rationem distincta. Primò præexistunt creaturæ in diuina essentia secundum rationes suas perfectionales, & quia omnes perfectiones sunt in Deo vnitissimè, ideo sic sub omnimoda distinctione in essentia præexistunt diuina essentialiter, potentialiter & causaliter. Secundò præexistunt in mente paterna originaliter secundū rationes suas ideales, & ideo ibi puto apparet creaturarū distinctio secundum rationem intelligendi. Tertiò præexistunt in verbo æterno tanquam in exemplari proprio quantū ad rationes suas factiuas & exemplares, & ideo ibi apparent similitudines rerū sub distinctione perfecta. Est autem intelligendum quod cū creatura dicitur in Deo præexistere secūdum similitudinē suam exemplarem nō est intelligendum quod illa similitudo sit aliquod additum essentiæ, quia sic aliquod accidēs caderet in Deū. Sed illa similitudo est realiter ipsa diuina essentia & ipsum verbum, intellectū tamen cum habitudine prout est imitabile & participabile à creatura. Vult ergo author in verbis prætactis dicere ꝙ quando mens rationalis rapitur in diuinæ lucis abyssum, & supra se eleuatur, statim Deū sentit & inuenit & experimentali suauitate degustat, quod ipsa creatura non est aliud in Deo secundum suū ideale quam ipsa creatrix essentia, prout dicit Anselmus. Porrò illud vltimum dictū quod sæpe dictus magister censet calumniandū & reprobandū videlicet. Illic spiritus est supra semetipsum trāslatus & Dei viuificatus, gustans vidénsque in vnitate viuidæ abyssus, in qua sese secūdum esse suum increatū possidet immensas diuitias quæ ipsemet est iuxta eum modum quo eas Deus gustat & videt non discrepat à veritate si rectè intelligatur & piè interpretetur. Intellectus enim horum verborum talis est, quod quando sponsus cœlestis introducit sponsam suam in cellam vinariā, id est abyssum suæ dulcedinis ei concedit degustare, tūc plenum gaudium & perfecta delectatio sponsę, id est menti deuotæ propinantur, ex quibus totum desiderium eius perfectè quietatur, quia tunc introducitur in gaudium Domini sui, & in cubiculum genitricis suæ, quod nihil aliud est quā ipsa diuina essentia sub ratione obiecti beatifici, & vt exēplar & idea rationalis creaturæ, quia vt sic habet mentem rationalē propriè quietare, & tunc assequitur vbertatem & affluentiā diuinæ gratiæ à qua omnis satietas & gratiæ fœcunditas in animam deriuatur, quia in claritatem verbi diuini transformata deificatur, vbi gustat immensas diuitias quæ ipsemet est, quoniam quidem anima infinitatem illius gaudij non comprehendit, sed tamen beatificam eius identitatem raptim apprehendit iuxta modum supra expositum. Istud maximè fit in raptu. Pro declaratione autē illius dicti quod subiungitur, gustans & videns immensas diuitias iuxta eum modū quo eas Deus gustat & videt. Est diligenter aduertendum quod verbum æternum est quædam refectio mentalis & quoddam gaudium intellectuale ipsorum Angelorum & omniū beatorum, qui pari voto & concordia plenè possidēt omnem thesaurum cœlestis sapientiæ, & bonitatis diuinæ, qui de torrente diuinæ voluptatis continuè potantur, & ab vbertate suauitatis in ea degustant puritate obiectiua, qua Deus fruitur in seipso, ideo dicit quod gustant & vident immensas diuitias iuxta eum modum quo eas Deus gustat ei videt. Vt autem finem loquendi faciam & textum cum glossa proferam, conclusio finalis omnium prædictorum & explanatio præclara dictorum illius tertiæ partis de ornatu spiritualium nuptiarum stat in isto quod sancti iuxta vaticiniū Esaiæ Prophetæ in terra sua duplicia possidebūt, quia sancti in patria dupliciter reficientur & beatificabuntur hoc modo, quia vires & potentiæ rationales ad imaginem pertinentes scilicet memoria, intelligentia & voluntas bibent de fonte viuo in ea puritate obiectiuè, sicut Deus sua fontali bonitate fruitur in seipso, & istæ eædem vires satiabuntur & inebriabuntur, & hoc essentialiter gaudio fruitionis & gustu intellectuali diuinæ dulcedinis, vbi per efficaciam diuini luminis absorptæ in diuinæ suauitatis degustatione, & amplexu & inhæsione consummati amoris sopientur & requiescent ab omni operatione intellectuali, & sic istæ vires semper erunt actiuæ & operosæ cum hoc quiescentes & ociosæ, semper famelicæ, semper saturatæ diuersis tamen respectibus. Istud donum quibusdam sanctis licet paucissimis conceditur in hac vita, sicut Paulo datum fuit in raptu, sed hoc non fixè, non immobiliter, sed raptim transitoriè & fluxibiliter, sicut supra dictum est. Istius opinionis fuit auctor istius libri de ornatu spiritualium nuptiarum, & eiusdem opinionis arbitror fuisse beatum Dionysium, sicut patet inspicienti librum suum de mystica theologia. Et huic opinioni ego adhæreo sed non pertinaciter, si quid enim hic dictum videtur quod appareat repugnare veritatibus articulorum fidei, hoc totum reuoco, & correctioni sanctæ matris Ecclesiæ, in qua Christus suam sanctissimam authoritatem transfundit me & quicquid hic dictum est, submitto. Ad extremum hoc infero quod magistra intelligendi est experientia, prout sancti testantur. Et ille optimè veritatem iudicij nouit, qui eam non audiendo solum, sed gustando & faciendo didicit. Qui enim veritati vnitus est, ex ipsa vnione bene nouit quod bene sentit, quamuis eum multi corripiant tanquam mentis excessum passum. In tali ergo materia quæ solum per experientiam & gustum cognoscitur, magis est credēdum his qui notitia experimentali hæc gustauerunt, quam his qui solo lumine intellectus & literarū studio pollent. Hæc autem sapientia vnitiua & anagogica quæ omnem rationis apprehensionem transcendit, sola diuina immissione percipitur, quæ non tantū affectum supra se erigit & amore extatico sponso altissimo creaturam perfectè vnit, sed insuper intan-

intantum eleuat intellectum, vt multo plus omni prudentia & cognitione diuinis fulgoribus A illustretur, quam aliquo ingenij exercitio valeat obtineri. Et ergo non videntur mihi rectè sapere qui nolunt quod aliquis de diuinis scientijs differat nisi fuerit physicis & naturalibus scientijs præditus & imbutus. Incongruum enim videtur intantum naturæ deferre studio artis & solertiæ hominum, quod plus possint hominibus afferre quam gratia quæ repente agit, subitò imprimit, infallibiliter docet, & inhæsitanter facit existere mentes in his quæ docet, & luce clarius quæ alijs B videntur obscura demonstrat. Ipsa enim sapientia & scientia quæ sola sancti spiritus influxione percipitur, certissima & amantissima comprobatur, quia sine omni dubitatione & opinione procedit, & omnem alterius disciplinæ leuitatem excedit. Hanc doctrinam præclaræ sapientiæ sibi soli increata sapientia reseruare voluit, vt sciat omnis mortalis creatura quod est doctor in cœlo qui solam veram sapientiam solis electis scholaribus per cœlestes emissiones & suæ claritatis radios manifestat, & omnes mundi sa- C pientes confutet, cum simplex vetula vel idiota ad istius sapientiæ vnitiuæ consurrectionem perfectè possit attingere, quam nulla physica scientia vel moralis industria apprehendit. Quæ melius intelligimus, melius proferemus. Spiritualis omnia dijudicat & ipse à nemine iudicatur. Patet ergo ex his quomodo sanctissimi & excellentissimi doctores qui in vtraque specie contemplationis perfecti fuerunt, eadem docuerunt & senserunt, quæ tertia pars libri de ornatu spi- D ritualium nuptiarum dogmatizat, licet forte sub alijs verbis. Non autem refert diuersitas narrationis vbi eadem res narratur, sicut dicit beatus Augustinus. Et ergo prædicta doctrina non est abijcienda & eliminanda, sed vbique sustineri potest absque periculo erroris tanquam consona & conformis sanctorum patrum traditionibus. Vnde quia verba huius libri ex feruido affectu & vigore dilectionis prolata sunt, non sunt recipienda secundum sensum quem secundum sonũ vocis videntur facere, sed secundum sensum pro E quo fiunt intelligenda sunt & interpretanda, & secundum materiam subiectam sermones eius expetendi. Ista sunt spiritualia & mystica, & ideo solis spiritualibus sunt comparanda & communicanda, nec huiusmodi in scholis sunt tractanda. Sed esto quod prædictus auctor in aliquibus forte non ita dixisset sicut aliqui vellent, quoniam melius vel verius dici quiuisset, quæ cura de hoc. In opusculis tractatorum multa corrigenda inueniuntur. Si ad obiectionem alicuius tractatus suf- F ficeret aliquod dictum in eo corrigendum, pauci tractatus recipiendi essent. Negare nõ possum, nec debeo ait August. sicut in ipsis moribus meis, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari. Item idem. Noli meis literis quasi canonicis scripturis inseruire, sed in illis & quod non credebas, incunctanter tibi inueniendum crede, in istis autem quod certum habebas, nisi certum vel certè intellexeris, noli firmiter tenere. Non enim par auctoritas scripturæ canonicæ debetur & earum expositionibus. In omnibus bene agere &

Gerson. Prima pars.

in nullo deuiare, non est humanitatis sed deitatis. Æstimo tamen quod doctrina eius quantum ad intellectum suum in paucis calumniam patiatur, licet fortè quædam planius & irreprehensibilius potuisset dixisse. Hæc dicta sufficiant contra eos qui doctrinam prædicti viri videntur calumniari, sub correctione tamen semper melius sentientium.

Sed dicet aliquis, quis est iste qui ausus est os suum ponere in cœlum & respondere Domino Cancellario Parisiensi discretissimo & eruditissimo viro? Fateor charissime quod ego sum minimus clericorum & religiosorum, qui non sum dignus vt soluam corrigiam calciamentorum Domini mei Cancellarij, qui incomparabiliter vita, moribus & scientijs me præcellit. Protestor tamen, quod non ostentationis gratia, nec temeritatis motus audacia præsumpsi respondere obiectionibus tanti viri. Sed duo sunt quæ me mouerunt & incitauerunt ad scribendum ista. Primum est quod æmulator existens paternæ traditionis, & zelum gerens pro doctrina patris, non potui patienter sustinere vt ille liber quem per spiritum sanctum spero fuisse compilatum vilipenderetur, abijceretur & contemptui haberetur. Secundum est, quia annuens pijs precibus & desiderijs fratris Bartholomei qui instanter prout quibusdam referentibus intellexi rogauit sibi intellectũ verborum illius tertiæ partis libri de ornatu spiritualium nuptiarum exponi & reserari, institi, & laboraui, in quantum potui dicta tertiæ partis præfati libri explanare, & ad quem intellectum essent capienda enodare. Si scripsi vt debui, approba tu & tui. Si verò non vt debui, ignosce Christe tu & tui. Amen.

Finis libelli Ioannis de Schonhauia, in quo defendit dicta fratris Ioannis de Ruysbroech contra magistrũ Ioannem de Gerson Cancellarium Parisiensem.

EPISTOLA MAGISTRI IOANNIS DE GERSON AD FRATREM *Bartholomeum Carthus. contra prædictam defensionem.*

GRATIA tibi & pax vir exemplo Iob simplex & rectus & timens Deũ. Oblata est mihi nuper sicut nosti, grandis epistola tendens saluare modos locutionum positos in tertia parte tractatus cuiusdam intitulati de ornatu spiritualium nuptiarum. Quos ego modos alias pro Catholicæ veritatis sinceritate seruanda apud animos minus instructorũ ostẽdi per epistolam tibi directam, non esse seruandos. Sed quid agimus, quo nos inter tot occupationes vertimus? Itaque faciendum plures libros vel epistolas arguendo vel replicando nullus est finis. Stemus igitur infra limites epistolæ primæ & per considerationes aliquas, facili planoq; stilo sumptas, ex eadem iustificatio sua mõstretur. *Iob. 1.*

NOBIS ad certam regulam loqui fas est, posita est illic sentẽtiosissima hęc verissimáque Augustini sentẽtia, quæ tollit barbarã cõfusionem linguarũ à sacra doctrina. Nam qualis altera esset

efficacior via prohibendi ædificationem turris Dauidicæ in bonum, quam si fieret nominum vel A terminorum pro libitu cuiuslibet variatio. Non enim tunc intelligeret vnus alterum, sed in quadam Babylonis confusione laberemur. Non ergo sufficienter excusatur author tractatus illius per suum defensorem, qui sic ait. Et si sit aliquis error in dictis suis, ille solum stat inquit nominis, nomina autem sunt ad placitum, & ideo talis error non est magni ponderis. Si enim sancti doctores vt Augustinus & Hieronymus admisissent modos loquendi hæreticorum, protinus B habuissent pacem cum eis, sed malã pacem. Notetur responsio magni Basilij in casu simili, qui noluit, nec in solo verbo quidem deuiare profitendo Catholicam veritatem. Sic nec Hieronymus de verbo isto omousion, sic alij sine numero, fuit quidam tempore meo Scotus, qui respondẽdo dicebat patrem esse causam filij, hoc dicebat, id est pater producit filium. Coactus est statim reuocare dictum suum nec expositio sua quomodolibet admissa est quamuis esset ad intellectum C suum & expressionem verissima.

MODVS loquendi doctorum si reperiatur improprius & parabolicus & insuitatus, aut figuratiuus extendi vel in vsum trahi non debet, sed ad sensum proprium & non figuratiuum reuerenter exponi. Alioqun frustra essent doctores in Theologia constituti principaliter ad hoc officium elucidandi sacram scripturam, quã magis atque magis aliter agendo confunderent. Vnde si quis ad vim vocis sustinere vellet quod D Deus ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis vterum, vtique erroris reus esset. Tolerent igitur patienter homines inferioris gradus & scientiæ, si dicta eorum quærantur ad proprium vsum coarctari, non in perniciem doctrinæ Catholicæ dilatari. Hac consideratione permotos existimo Doctores nouissimos, Thomam, Bonauenturam, Alexandrum de Ales, & similes, dum omisso omni verborum ornatu, tradiderunt theologiam per quæstiones, vt sub certis regulis & sub præcisa verborum forma tutissimam haberemus theologiam tam pra- E cticam quam speculatiuam, reducendo Doctores omnes priores ad vnam securámque locutionis proprietatem.

VNICVIQVE in sua arte perito credendum est, hæc est ratio cur Doctoribus in sacra Theologia exercitatis datur auctoritas interpretandi doctrinaliter sacram scripturam, quod maximè habet fieri in scholis, doctrinam impartiendo his qui tam ingenio quam exercitatio- F ne continua capaces sunt ad intelligendum. Cũ igitur quæ ponit tertia pars tractatus prænominati sunt de punctis sacræ scripturæ, immo de summa theologia quæ mystica nominatur & quã scholastico more Albertus magnus, & quidam alij claro proprióque sermone exposuerunt, quis non mirabitur audire ab huius auctoris defensore quod hæc in scholis non sunt tractanda. Ita videlicet nunc publicabuntur scriptis, nunc verbis idioma vulgare seruantibus, & apud simplices adolescentulos, apud senes hebetes, apud illiteratam plebeculam, apud anus decrepitas, nũc in foro, nunc in angulis, & viri doctissimi tam ingenio quam exercitio præditi ab alijs rectè loquendis, quia scholastici sunt, arcebuntur.

QVI adhæret Deo, vnus spiritus est. Hanc vnitatem nullus sanè potest intelligere vel exponere quantumcunque verba multiplicauerit ad alium sensum quam per assimilationem. De qua dicit Ioannes in canonica. Scimus quod cum ille apparuerit, similes ei erimus. Omnis enim modus alter loquendi metaphoricus vel figuratiuus vel hyperbolicus vel emphaticus doctorum, vt Dionysij & aliorum, si non referatur ad hanc regulam, repudiandus. Assimulatio autem non tollit sed perficit naturam, neque tollit quod habet creatura in proprio genere, quoniam illud perdere nisi per annihilationem anima rationalis nunquam potest, ac proinde sequitur quod similitudo adducta per qualemcunque doctorem de infusione guttæ aquæ in dolium vini fortissimi ad vnionem animæ cõtemplantis cum Deo, tanquam sit omnimoda similitudo repudianda est prorsus tanquam habens errorem, immo insaniam Almarici condemnati ponẽtis creaturam verti in Deum & in suum esse & principiũ ideale, sicut notat Hostiensis super illud capitulum damnamus, de sum. Tri. & fi. cat. Denique similis phantasia fuit alias Parisijs tanquam fatua, & inintelligibilis aduersus vnum Augustinensem damnata.

1. Cor. 6.

1. Ioan. 3.

DEVOTIO illorum culpanda est qui innituntur inuoluere sentẽtias sermonibus imperitis, peregrinis & inusitatis, vel eos qui sic volunt laudare atque defendere, & defendendo seipsos magis inuoluere quam euoluere. Adducam hoc loco ne mihi soli videar inniti particulam cuiusdam sermonis facti in capitulo vno fratrũ Carthus. Anno Domini, 1408. cuius thema est. Videamus si floruit vinea, &c. Quartã verò deuotionem falsam, id est vanam & curiosam illi exercent qui sine mortificatione propriæ voluntatis à zelo Domino seruiendi vitã spiritualem consistere credunt in ruminatione vel potius phãtasiatione rerũ spiritualium, æstimãtes hanc ipsam phãtasiationem vel saltẽ delectationem inde consequentem deuotionẽ esse. Vnde hi ad hanc ipsam consequẽdam nõ contenti modos loquẽdi scripturæ sacræ, adinueniunt sibi vel fingũt de rebus spiritualibus modos abstractiores eo quod tales maiorẽ eis delectionem generent. Plerũque etiam ob hoc materias satis faciles obscuris modis & abstractis in quibus delectantur obuoluentes aut vocantes humiliationem, vel fortassis etiam aliam contemplationem, submersionem in abyssali profundo, diuinum amorem annihilationem vel in nihilum redactionem charitatiuum motũ mentis in Deũ, influxum in Deũ vocãtes motus ad opus propter Deum, effluxũ à Deo, & sic de alijs consimilibus, quãuis tamen Christus, prophetæ & Apostoli, & omnes doctores scripturæ sacræ tractatores quãtum poterant & expediebat ea quæ difficilia fuerũt per modos loquendi, fecerunt facilia. Hæc reuera falsa deuotio est religiosis periculosissima quoniã multos vt quotidiana heu docet & dolẽda

da docuit experientia, qui spirituales ac religiosi apparebant, decepit, infatuauit vel penitus excæcauit, ita vt fierent in obseruantijs regularibus, quas despexerant desides, superioribus quos rudes reputabant rebelles, etiam aliqui fugerent & apostatarent. Aliqui etiam hæreticarent vel ante tempus prophetarent dicentes, hæc dicit Dominus, cum Dominus non esset locutus. Sed superba vel saltem phantastica capita eorum hæc ipsa confixerunt. Aliqui quoque mirabiles fatuitates extrinsecus in prætensis iubilationibus tripudijs, saltationibus & huiusmodi ostenderunt. Sequitur. Quarta deuotio est vinum valde fumosum, id est superbiæ generatiuum & est libidinosum, de quo mysticè & illa fortassis inhibitio Apostolica accipi potest, nolite inebriari vino in quo est luxuria. Et reuera in hoc ipso est spiritualis luxuria, eo quod sic falsè deuoti non Dei cultum & honorem, sed propriam quærunt delectationem, hæc ibi. O si vidisses quisquis auctor fuisti sermonis illius, si vidisses epistolam nouiter ostensam mihi quid dixisses, quid stomachi habuisses?

AMICVS Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Peruertit enim affectio nimia ad doctorem aliquem vel doctrinam iudicium, non solum practicum quod sæpissimè cótingit, sed etiam speculatiuum, de quo minus videretur quasi videlicet more Pythagoricorum non liceat aliud interrogare quam si magister hoc dixerit. Tollenda est igitur è medio sicut odiosa concertatio & insectatio inuidiosa, sic pertinax & animosa huius vel illius doctrinæ defensatio. Patet autem conscientia mea apud te Deus quia nullatenus odio cuiuscunque fueram inductus scribere ea quæ scripsi. Sed quia verissimè tunc mihi videbatur sicut & nunc magis ac magis inspicio modos illos loquendi nimis improprios esse, vnde & sic dixi inter cætera postquam de vnitate ad Deum quædam inducta fuerant, hoc tropo inquam, probat Boëtius hominẽ bonum esse Deum, iuxta illud Dixi, dij estis, non quidem est veritatem & vnitatem diuinæ essentiæ & locutionem propriam, sed participatiuè & assimilatiuè, immutatiuè & nuncupatiuè. Quod si auctor iste pari modo responderit se dicta sua intellexisse de illa vnificatione spiritus cum Deo, non contendo, non contradico, sed explicationem aliter sonare non dubito. Hæc ibi. Vide quęso ô lector si modestior esse potuerit sermo meus, addito quod postmodum tam verbis excusare conatus sum prædictum auctorem, postquam innotuit mihi quod in alio loco plus expresserit quod creatura nullo modo perdit esse suũ quod habet in proprio genere, quod si idem inseruisset ad verba tertiæ partis sui tractatus, non ita præbuisset occasionem errandi & se culpandi, non solum apud simplices, sed literatos & edoctos. Videbit hoc quod dico verum esse, qui forsitan inciderit in tractatulum vnum quem de theologia mystica tam speculatiuæ quam practicæ conatus sum ordinare, habens hanc intentionem deducere ad notitiam familiarem & propriam scholasticorum ea quæ deuoti homines de ea magis affectiua declamatione & figuratiua locutione quàm litteratoria proprietate tradiderunt. Notetur locus ille vbi theologia mystica differentiam hanc à litteratoria ponitur inter cæteras habere, quia vnit & transformat.

ALII qui amant sibi somnia fingunt, ait Virgilius. Super hoc dicto cum experientijs & ratione certa fundatur dictum prioris epistolæ meæ quo sic ponitur: Sicut ex carentia pij affectus, & magis ex infectione eius per vitia, errant nonnumquam peritissimi in sacris, excæcauit enim eos malitia eorum, & dati sunt in reprobum sensum. Ita & paruo lumine intellectus & parua instructione in studio litterarum etiam secularium, quandoque præsertim in logica prolabuntur, aliquando in errores periculosissimos illi qui magnorum sunt erga virtutes affectuum, quales Apostolus vocauit habere zelũ, sed non secundum scientiam, adeò vt si non humiliter sapiant, & nisi sese contrahant infra metas suæ cognitionis nulli pertinacius inueniuntur, neque absurdius errores confingere, propterea non leuiter oportet eos scribere vel docere, sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, nisi præuia discussione diligenti & doctorum examinatione. In talibus quippe sæpe reperimus plurima aut falsa aut malè explicata, ac proinde multam erroris materiam præbentia simplicibus, quamquam in multis diuinissima altissimáque sint. Addo nunc id quod euenit tempore meo de quadam quæ prophetissa & miraculorum operatrix reputata est à multis, quam & vidi & allocutus sum, hæc tandem dixit & scribi iussit, quod spiritus suus Deum contemplando fuerat annihilatus vera annihilatione, & hinc recreatus. Et dum quæreretur qualiter hoc scire potuerat, respondebat se expertam. Dies mihi non sufficeret, si numerare vellem innumeras tales insanias amantium, immo & amentium, quia non secundum scientiam quales videntur fuisse Begardi & Begardæ, quemadmodum in quodam tractaculo de distinctione verarum reuelationũ à falsis memini pridem annotasse.

DOCENDVS non est vel monendus qui errorem suum defendere mauult quam corrigere. Hoc Horatius posuit in fine poëtriæ suæ. Exigitur igitur correctio sæuior si sic iterum fuerit pugnator ad saluandam tanquam propriam hanc verborum improprietatem. Quo pacto sit vel quo ordine postulandum, quippe videbitur ordinarij & inquisitoris iudicium quoniam parua radix peregrini sermonis serpit vt cancer, & modica errorum scintilla (sicut in Arrio patuit) dum non conuenienter opprimitur vel arctatur, magnam erumpit in flammam. Sic nuper actum est Parisijs per sacram Theologiæ facultatem aduersus illos qui doctrinam quandam peregrinã Raymundi Lulli conabantur inducere, quæ licet sit in multis altissima & verissima, quia tamen in alijs discrepat à modo loquendi doctorũ sacrorum, & à regulis doctrinalis suæ traditionis & vsitatæ in scholis, ipsa edicto publico repudiata prohibitáque. Dicam hic quod sentio, si tales locutionum modos publicari præciperem apud almam Vniuersitatem Parisiensem, vel per sermones vel

per scholas, deducerem protinus ex officio cui indignus deseruio, ad censuram theologicæ facultatis vt examinaretur, & examinata suum quale mereretur iudicium, sortiretur. Bene vale pater heremita, memor mei in orationibus tuis.

Finis secundæ epistolæ Ioannis de Gerson contra dicta fratris Ioannis Rusbroech, in tertia parte tractatus sui de ornatu spiritualium nuptiarum.

LECTIONES DVÆ PERVTILES SVPER MARCVM, ET AD *commendationem propositi nostri & voti multum faciunt & valent, doctoris Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiensis.*



SICVT scriptum est in Esaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te. Textus præsens hodiernæ lectionis secundum diuersas punctuationes & postillarũ sententias ad præcedentia & subsequẽtia variè coaptatur, nam quia auctoritas ista, Ecce ego mitto Angelum meum, nõ de Esa. sed de Malachia. Malach.3. sumpta est referri posse dixerunt quidam hãc particulam sicut scriptum est in Esaia Propheta, ad illud quod immediatè præmittitur tanquam in eius confirmationem atque fulcimẽtum, vt sit sensus. Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei, id est qui fuit filius Dei. Et quasi parũ sibi absq; prophetico testimonio istud posuisse addidit, sicut scriptũ est in Esaia propheta. Potest enim ad hoc propheta trahi Christum fuisse Deum atq; Dei filium, vel quia vocatus est Emanuel. Esa.8.& 53. Generationem eius quis enarrabit? De æterna eius à patre productione dictum est, & ex primo capitulo & alijs ibidem elicitur. Dissoluitur hoc modo impia Porphyrij hæretici blasphemia, qua nisus est probare Euãgelistam nostrum damnare mendacij, quia illud quod dictum est, neque tamen coarctat talis obiectio vt ad hanc expositionem fugiamus. Constat itaque prophetas omnes vno & eodem spiritu suas contexuisse prophetias, ac proinde quod vnus posuit (quia non tam ipse quam Spiritus-sanctus loquebatur) potest ab altero (qui similiter est Spiritus-sancti instrumentum) intelligi quodammodo dictum seu positum, & si non explicitè, tamen implicitè. Dicunt igitur alij vel ijdem aliter duas in textu particulas à duobus prophetis excerptas. Prima est Malachiæ tam sensu quam verbis. Secunda est Esaiæ (quæ cum prima similem satis explicat sententiam, vbi dicitur vox. Et quoniam Esa. principalior fuit atque famosior & legentibus notior, quia insuper finis plerumque tam totam denominat placuit Euangelistæ nostro, qui etiam breuitati studebat, non duos prophetas, sed vnum & hunc maiorem nominare. Et sub hoc sensu recepit Ecclesia siue originale Marci Euangelium sic habuerit, vt tenet Beda in commento, siue à quibusdam non rectè scribentibus additum fuerit, quemadmodum sensisse videtur Hieronym.

A super Psal. Incipit igitur secundum hunc expositionis modum euangelista noster suã texere rationem vbi notandum occurrit quod ait in commento. Scripturus inquit, Euangelium Marcus congruè primò ponit omnium testimonia prophetarũ qui hoc futurum pertinebant vt eo cũctis vera & sine scrupulo dubietatis sustinenda quæ scriberet, intimaret quo hic à prophetis spiritu sancto impletis antea præscita & prædicta esse monstraret, simúlque vno eodémq; euangelij sui principio, & Iudęos qui legẽ ac prophetas susceperãt,

B ad suscipiendũ euangelij sacramenta quæ ipsorum prophetæ prædixerant instituit. Et gẽtiles qui per euangelij præconia ad Deum venerant, ad authoritatem quoque legis & prophetarum suscipiendam venerãdámque prouocaret. Hic instruimur dicta nostra sacrarum scripturarum testimonijs roborare, quia parum ignitum est & minus efficax verbum quod non incaluerit & fulcitum fuerit ab eloquio Dei quod est ignitum vehementer, & nisi viuificatum fuerit à sermone eius qui est viuus & efficax secundum Apostolum, & pene-

C trabilior omni gladio ancipiti. Non tamen æstimo curiositatem in allegationibus huiusmodi cõsectandã, sed quousque prosunt studiosis & ædificant charitatẽ, alioquin cumulus ille truncatarum authoritatum malè congestus, & informis congeries allegationum suæ origini non conuenientiũ quid proficit, nisi fortassis ostentationem operatur. Sed neque sunt inculpabiles qui prophanis postpositis lectionibus sacris toto ore personant, totis viribus amplectuntur, sicut scriptum est per

D Esaiam prophetam. Non in philosophis, non in poëtis & fabulis, sed in propheta. Vbi præter hæc eliditur impia Manichæi blasphemia, quia sic delirare ausus est, vt diceret prophetas veteris testamenti à Deo tenebrarũ missos esse. Quod si verum esset sicut non est, nunquam veritatis notarius Euangelista noster eundem vocasset in testimonium narrationis suæ. Nihil enim roboris habet verbum illius qui pater est mendacij. Sed in hoc loco conuenienter essent improbandi qui prophetas veros aut constellationibus im-

E putant quemadmodum Auicenna, Albumasar & alij nonnulli, aut qui execrabiliori deliramento prophetas fabulantur magicam artẽ exercuisse, tanquam medium adipiscendi præcognitionem occultorum, verum super his olim latius tractabimus si Deus annuerit.

Nunc audiamus quid in Esaia propheta scriptũ est: Ecce inquit, Ego mitto Angelum meum. Non dubium quin Ioannem baptistam, qui vt Beda ait, Angelus vocatur non societate naturæ,

F iuxta hæresim Origenis, sed officij dignitate, quo nomine rectè appellari potest homo ille qui fuit missus à Deo vt testimonium perhiberet de lumine, & venientem in carne dominum mundo nunciaret, quia Angelus nuncius appellatur. In hoc quod præmittitur ecce notatur ex demonstratione grandis & insola nouitas. In hoc quod subiungitur, ego mitto, datur intelligi ex maiestate mittentis Dei missi magna dignitas. Dehinc præsens pro futuro ponitur quia inconcussa erat tanquam de præsenti fieret certitudo demonstrationis atq; stabilitas. Ioãnes insuper nõ quicunq;, sed Angelus suus scilicet Dei. Attẽde proximitatẽ cum

cum ait, ante faciem tuam, vt eius puritas, inte-
gritas & ſanctitas commendaretur. Poſtremò of- A
ficium eius honorificum deſignatur, qui præpa-
rabit viam tuam ante te. Quam viam ſi forte quæ-
ſieris. Reſpondet Chryſoſtomus, & inferius da-
tur intelligi. Via Domini qua ad homines ingre-
ditur, pœnitentia eſt, per quam Deus ad nos deſ-
cendit, & nos ad illum aſcendimus. Vnde An-
geli aſcendentes, deſcendenteſque memorantur
ſuper filium hominis. Hæc eſt ſecunda loquendi
materia, hoc vnum tamen ad præſens dilatemus
quo pacto Ioannes Angelo ſimilis perhibetur. Et B
primò ſi virginitas Ioannis attenditur, ſubdit il-
lud Hieronym. ad Paulam & Euſtochium, quod
ſemper Angelis eſt cognata virginitas, & quod in
carne præter carnem viuere non terrena vita eſt,
ſed cœleſtis. Conuerte oculos fidei ad virtutes
Ioannis, non vnam tantummodo, ſed qualem-
libet Angelorum Hierarchiam videbis in eodem
figurari. Inflammauit itaque eum charitas vt eſ-
ſet ſimilis Seraphin, quinetiam alius in amorem
diuinum ardore exardeſcere ſuis prædicationi-
bus admonuit. Si ſapientiam eius attenderis, nũ- C
quid Cherubin parem dices? Si ſpirituale in exe-
cutione virtutum potentiam, nonne conſimi-
lem ipſum poteſtati deſignabis. Si pacatiſſimam
animi ſedem, nunquid thronos in ipſo reperies?
Fuit enim vis eius concupiſcibilis inflammata per
charitatem, vis rationalis illuſtrata & edocta per
ſapientiam, vis iraſcibilis per potentiam & virtu-
tes roborata. Charitas imperabat, conſulebat ſa-
pientia, potentia confirmabat. Hic eſt ſupręmus
ternarius Hierarchicus bene velle ſcire & poſſe, D
hæc Trinitatis ſuper cœleſtis Imago, potentia,
ſapientia & bonitas ſeu volũtas. Porrò in Ioanne
fuit tanquam in dominationibus vltimitas ſub-
iectionis & iocundiſſimæ ac fideliſſimæ ſeruitu-
tis ad Deum, liberáque magnificentia omnium
ſubiecta alteri prorſus aduerſa. Fuit præterea ſicut
in principatibus, ita & in Ioanne eminentia in-
corruptibilis rectitudinis in ſuo regimine eminẽ-
tia etiam inuincibilitatis tãquam in poteſtatibus.
Porrò vltimitas quædam virtuoſitatis eum ſimi-
lem reddidit virtutibus. Denique prouidentiſſi- E
ma cura quam in præparatione viæ Domini ad
homines exhibuit, oſtendit quam rationabiliter
Archangelis & Angelis comparetur. Qua in re
Chriſtus infallibilis author veritatis prophetiam
hanc textus noſtri ad Ioannis commendationem
inducebat Math. 11. & Lucæ. 12. Hic inquit eſt de
quo ſcriptum eſt. Ecce ego mitto Angelum meũ
qui præparabit viam tuam ante te. Quocirca non
penitus abſurdè videri poſſet aliquibus quod cha-
ritas infuſa & ſapientia ceteræque virtutes enu-
meratę abundantius à Ioanne participatæ ſunt F
quam ab Angelis. Nam quanto potentia natura-
lis debilior in ſe eſt & minorem habens capacita-
tem, tanto ad ipſius eleuationem & dilatationem
quandam ſpiritualem virtus infuſa copioſius exi-
gatur. Quod autem Ioannes vt pote hominis in-
ferior Angelis natura ſit, perſpicuum eſt. Ad quod
forſan tendit illud Chriſti Luc. 12. vbi cum dixiſ-
ſet? Non ſurrexit maior inter natos mulierum
Ioanne baptiſta, addidit: Qui autem minor eſt in
regno cœlorum, maior eſt illo, quamquam autem
& de gratuitis id intelligi poterit. Neque enim
charitas viæ ſeu virtus altera virtutibus patriæ co-
æquatur. Et de Ioanne quidem glorificato nunc
loquimur, quem ad ſupremum ordinem ſublima-
tum neminem arbitror doctorũ ambigere. Huic
ſententiæ ſuffragatur illud Hieron. vbi prius. In
carne angelicam gloriam quærere maioris eſt me-
riti quam habere, cum alius nititur obtinere cum
gratia, quod habet Angelus à natura. Addo aliud
non prætereundum, quemadmodum nonnulli
Ioanne eſſe in prima Hierarchia ſupremum ſic ve-
nerari conantur. Ruina inquiunt Angelorum ab
hominibus reparatur, & conſentaneum eſt ratio-
ni, vt ſedem ſuperioris loci vacantis per deiectio-
nem & apoſtaſiam Luciferi illi contulerit altiſſi-
mus, quo inter natos mulierũ nemo ſurrexit ma-
ior. Si igitur Lucifero dum ſtabat ſupremam in vl-
timo ordine ſedem Greg. attribuit, ſupremam il-
lam nunc obtinet is quem in ipſius locum ſucceſ-
ſiſſe innuit veritatis aſſertio.

LECTIO SECVNDA.


OX clamantis in deſerto, parate viam
Domini, rectas facite ſemitas eius.
Magna eſt prophetiarum inter ſe con-
cordia, & concors in diuerſis etiã pro-
phetis ſententia eodem quippe ſpiritu docente lo-
cuti ſunt, & ad vnũ finem qui Chriſtus eſt, reſpe-
xerunt. Finis enim legis ſecundum Apoſtolum eſt
Chriſtus. Quamobrem Act. 3. dicebat Petrus de
Chriſti tẽpore, quod omnes prophetæ à Samuë-
le & deinceps qui locuti ſunt, annũciauerunt dies
iſtos. Itaque non operoſum eſt intueri quantum
inter ſe conueniant, hoc verbum Eſa. 40. & illud
præmiſſum de Malachia. Illic Ioannes dicebatur
mitti ante faciem Chriſti ad parandum viam eius,
hic ecce inquit ego quaſi iam miſſionis ſuæ execu-
tor ait. Vox clamãtis in deſerto, parate viam Do-
mini, &c. Sed cur Ioannes vox dicatur & non
verbum, Beda aperit. Conſtat inquit quod vni-
genitus Dei filius verbum vocatur patris Ioanne *Ioan. 1.*
atteſtante qui ait: In principio erat verbum, &c.
Ex iſta noſtra locutione cognoſcimus, quod
prius vox ſonat vt verbum poſtmodum poſſit
audiri. Ioannes ergo vox à propheta dicitur, quia
verbum præcedit. Aduentum itaque dominicum
Ioannes præcurrens vox dicitur, quia per eius mi-
niſterium patris verbum ab hominibus auditur.
Hæc ille. Vnigenitus ſiquidem Dei filius per mo-
dum verbi perfectiſſimi & ſententioſiſſimi à pa-
tre in æterna generatione producitur, in quo pa-
ter det ſeipſum, qui & exemplar eſt formoſiſſimũ
omnium ad extra producibilium. Quia verbum
hoc in ſua maieſtate abſconditum per Ioannem
reuelatum eſt hominibus, ipſe nõ abſque ratione
vox dicitur quæ per exterius ſignum prædicatio-
nis interius ſignat myſterium generationis. Hinc
præco iudicis, hinc lucerna ardens & lucens, hinc
nuncius vel Angelus, hinc præcurſor appellatur:
Hæc officia tunc ſuſcepit & peregit dum viueret
prædicando, nunc illud idem in ſuis deuotis o-
peratur ſuis meritis & orationibus ad Chriſti gra-
tiam notitiámque ſuſcipiendam ſalubriter inſpi-
rando. Vis noſſe verbum quod apud patrem ma-
net abſconditũ, quod lucem habitat inacceſſibilẽ?

Dices volo, conuerte preces ad Ioannem, hic nempe vox est verbi & Iudex eius & præco. O vox delectabilis & pereunti mundo superexcellenter amabilis. Voces priores erant luctus & gemitus pro calamitatibus & angustijs, aut erant insani phreneticorum risus inter pestiferas voluptates & in puncto desituras & abituras in infernum delectationes. Hæc vox fuit pœnitentiæ salutaris vos doctrinæ & libertatis, vox turturis post imbrem, vox confringens cedros, id est superbos Pharisæos. Sed vox dulcis & suauis, humiles alliciens, vox absque balbutiæ mendacio, vox absque raucedinis simulatoriæ vitio, deinceps vox per omnem modum virtuosæ resonationis, canora, viuax & iocunda, vox ad postremum fortis, vehemens & audibilis, quoniam vox non est quæcunque, sed vox clamantis. Obsurduerant nempè Iudæi quos alloquebatur, & obturauerunt aures suas instar aspidis surdæ, vt non audirent vocem incantantis sapienter. Nil propterea mirandum si vox clamosa ad eos mittebatur. Clamosa dico, non tam strepitu & aëris verbratione exteriori, quam propter latentem energiam in ipsius viuæ vocis actu reconditam. Sciebat enim dictum esse prædicatori cuilibet: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. *Esa. 58.* Qualiter fiat? Respondeo quod per vitæ meritum & per vim interioris gratiæ & feruidæ charitatis ex quibus redditur quodammodo vox ipsa viuax, ardens & fortis & lucens, & pro sui intelligibilitate clamosa. O quod multi nostræ ætatis vel non clamant, facti canes muti non valentes latrare, vel si clamor forsan est in voce, plus ad aures corporis demulcendas vel exasperandas exhibetur, quàm ad aures cordis expergiscendas, instruendas & leuandas proficiat. Dissimilis vox Ioannis quæ vox est clamantis, à quo commota sunt superliminaria cardinum, prout de Seraphin apud Esaiam scriptum est Esaiæ. 6. Superiora cardinum mystico intellectu in homine superiores partes accipere possumus, quæ sunt ratio & voluntas, & hæc superliminaria à voce clamantis commouentur, dum ad bene agendum virtuosa concussione Spiritus-sancti impelluntur, & sancto castóque timore contremiscunt.

Notandum quod ly clamantis potest referri ad Christum, cuius clamor triplex reperitur in scriptura, in resurrectione Lazari, in expiratione, & dum inuitaret sitientes ad aquas spirituales. In triplici enim deserto clamauit, in vtero virginis in mundo hoc literali, & in mundo mystico seu morali animæ rationalis, scilicet quoniam alia magis placet expositio, hanc non prosequor. Audiuimus igitur de voce Ioannis & eius formatione clamosa, audiamus de loci qualitate, vox clamantis in deserto. Est autem multipliciter intelligere hoc desertum, & primo secundum literalem sensum locus est materialis & Iordanis, mysticè verò est ipse populus Iudæorum, quemadmodum Bedæ & Hieronymi verba declarant. In deserto (inquit Beda) Ioannes clamat, quia derelictæ ac destitutæ Iudeæ solatiũ redemptionis annunciauit. Et Hierony. Clamabat ad Iudæos surdos propter peccata longè positos, ita desertos indignatione clamoris dignos. Deserti quippe erant à spiritu Dei, sicut domus vacans & scobata, & deserti à propheta, lege & sacerdote. Possumus deinceps forsan desertum aliud inuenire vbi Ioannes vox clamantis audita est, & hic est limbus patrum ad quem moriens Ioannes descendit, vt eum inferis nunciaret, quem in terris positus indice monstrauerat. Et quoniam suberit locus ad loquendum amplius de deserto transeo ad id quod sequitur, Parate viam Domini &c. Parat viam Domini qui bene docet & prædicat. Sed si vitiosè distortéque vixerit, non rectas facit semitas eius. Parabant viam Domini Scribæ & Pharisæi, de quibus ait Christus. Quæ dicunt facite. Sed ex eo quod additur. Et quæ faciunt, nolite agere. Cõclusio, quod non rectas faciebant semitas eius. *Matth. 23.* Quod si quis interrogat quæ est via Domini? Responsio illam esse quam propheta incurrisse gratulabatur cum diceret. Viam mandatorum tuorum cucurrit, cum dilatasti cor meum. De qua Esaias. Hæc est via Domini, ambulate in ea, non declinantes ad dexteram per indiscretum feruorẽ, neque ad sinistrã per remissum torporem. Et bene ait propheta cucurri. Nõ est pigritandum cum dies sit parua & dieta magna, nec sit infra paradisum mansio secura. At verò notandæ sunt conditiones viæ Domini, quoniam eis cognitis melius ipsa parabitur. Habet siquidem mũdus viam suam, & hæc est lapidosa & vndique spinis, vepribus vrticisque curarum mordacium & sollicitudinum animas nostras suis aculeis lacerantium atque dissipantium respersa, quamquam aurea à quibusdam argenteáque videatur, per eam ambulantes suscitant sibijpsis puluerem importunum oculis spiritalibus & serenitatem mentis perturbantem, ne quo labatur interitu valeat intueri. Habet caro viam suam, & hæc herbosa iocundáq; nitet introeuntibus eam, sed latet anguis in herbis, anguis scilicet dolorosæ pœnitudinis, anxietatis, sed & lutosa colluuione tota intus respergitur. Habet dæmon viam suam quæ est tenebræ & lubricum, & præruptis circumquaq; cautibus põpaticorum statuũ vallata, vbi superbi tolluntur in altum vt lapsu grauiori ruant. Et propheta. Allisisti eos dum alleuarentur. Habet autem Dominus viam suam, hæc est munda, decẽs & pulchra. Prouerb. 4. Viæ eius viæ pulchræ. Et Esa. 35. Erit ibi semita & via sancta & non transibit pollutus per eam. Et in Psalm. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Et insuper. Via ista via æquitatis & iustitiæ, quam sapiens ex postulabat. Eccl. 17. Da nobis Domine viam iustitiæ. Et ne ab ea diuertemus monebat propheta. Apprehendite disciplinam ne pereatis de via iusta. Et præterea viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Summo autem studio animaduertendum est quod alibi per eundem prophetam dicitur. In via ait in qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi. Et rursus. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. O quot laqueos quam multiplicia scandala ponit aduersarius noster in via hac qua ambulamus, & ne deprehendatur spiritus virtutis, aboluit ambulans alijs per viam iustitiæ protenduntur ei confestim secundo laquei, vnus ad dexteram quatenus rigorem seueritatis crudeliter exerceat, alius ad sini-

Psal. 18. *Psal. 100.* *Psal. 2.*

sinistram, vt in degenerem secordiā per nimiam misericordiam timidus prolabatur. In via humilitatis absconditur laqueus stultæ deiectionis & desperationis pessimæ. In via autem magnanimitatis laqueus est vanæ præsumptionis, & detestabilis superbiæ. Si viam frugalitatis introgressus fueris, abscondet ilico diabolus sordidæ tenacitatis laqueum. Si rursus ad liberalitatem gressus tuos con uerteris, non deerunt prodigæ consumptionis insidiæ. Solitudinis & contemplationis via si à te quæritur, caue phantasticas illusiones obumbratas specie quadam visionum altarum seu reuelationum, vel consolationum insolitarum, qualibus anima nonnunquam turpissime delusa & derisa detinetur. Quod si actiua magis placuerit, vide ne curis huius seculi debriatus, in omnia corruas inimici vincula laqueos & retia. Ne prætereа illud scandalum incurras si non prosperè cuncta successerint, de quo Hierem. 12. Quare via impiorū prosperatur. Sic in singulis facile est inspicere quo amplius sollicitudinem geramus ad parandum viam domini, & laqueos inimici vbilibet protensos declinandum. Et profectò nullum aliud consilium est salubrius, nullū prorsus aliūde refugium quam vt parui simus in oculis nostris, & humiliemur sub potenti manu Dei, vt timidi semper ac pauidi inueniamur. Verissimum siquidē est oraculum illud diuinum quod audire meruit Antonius. Qui dum vidisset in spiritu tot laqueos, & suspirās expauisset dicens: Quis hos euadet? Respōsum est, humilitas. Quippe humilitas tam gracilis est, tam extenuata, & tam nihil habens quo teneri valebit, vt frustra iaceatur rete vel laqueus pro comprehensione ipsius. Sic minuti pisciculi maculas retis transiliunt, & deprehendūtur grossiores. Sic secundū poëticā fabulam Antheus ab Hercule nunquam victus est, dum terræ hæsit, sed per inane leuatus continuò strangulatus interijt. Quam accurata & profunda æstimatione comprehēderat hoc Hieremias propheta: Hierem. 10. Scio domine quia non est hominis via eius, nec viri est qui ambulet & dirigat gressus suos. Quippe est via quæ videtur homini iusta, & nouissima æius ducunt ad mortem, vt sapiens ait. Erubescant igitur pelagiani superbi & ingrati gratia Dei, & respicientes audiant, quia non est hominis via eius, &c. Qualiter ergo obediemus voci clamātis: parate? Certè per humilitatem ostendens, qua gratiæ mater est, quomodo sancti sanctæque omnes. Hinc est illud, Dirige domine Deus meus in cōspectu tuo viā meam. Et iterum: Deduc me domine in via tua. Et Thobias ad filiū: Consilia tua in ipso permaneant, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & similia. Hoc modo parate viam domini, viam regiam & liberam, viam arctam quæ ducit ad vitā, ne fortè vobis verum fiat illud prophetæ: Dimisi eos secundum desiderium cordis eorum, &c. Quinetiam facite rectas semitas eius. Quomodo rectas? quia nimirum in circumitu impij ambulant, sed rectitudo pios decet. Recuruè atque retrogradè instar cancri illi viam peragrant qui ad seipsos amore proprio tracti continuò reflectuntur, & quocumque pergunt gressibus affectionum extra semetipsos non longè exeunt, quia circa palum proprij commodi colligati sunt cathena quadam amoris & cupiditatis, quemadmodum vrsos ligare solent histriones, aut sicut æqui circa molam assidua agitatione conuoluuntur. At econtra pij & iusti recto itinere tendunt in Deum & magis ac magis ipsum intrant amorísque pedibus ad ipsum sine quauis retorsione ad semetipsos facta gradiuntur. Aliqui viam ad præcepta referunt, semitas ad cōcilia. Per viam generaliter omnes incedere & eam parare necesse est, semitæ autem perfectos recipiunt aut quodam compendio ad perfectionem introducunt. Vel si viam domini & semitas eius ad idem spectare dixerimus adiuuabit nos pro hac expositione Gregor. qui præcepta domini & multa esse dicit, & vnum multa in diuersitate operis, vnum in radice charitatis, quoniā finis legis dilectio. Si parauerimus igitur viam domini quæ est charitas, tunc rectas faciemus semitas eius, adimplendo iustè dignéque præcepta. Vel parare dicitur viā domini quis faciendo quod in se est per attritionem, sed postquam infusa est gratia iam rectas facere potest in eius virtute semitas Dei. Fac interim quod potes parando viam domini, vt tandem possis eo miserante rectas facere semitas eius. Vel vt prædictū est parare viam domini ad prædicatores respicit, & rectas facere semitas eius communiter ad omnes, sed oportet prædicatorem prius in seipso rectas facere semitas domini, quam inefficaciter progredi audeat ad parandum viam eius circa alienos. Alioquin comparabitur cancro, qui cum reputando retróque cedendo hac atque illac oberretur (dicitur in fabulis) alium cancrū monuisse vt rectè incederet. Cui quid aliud respondendum erat quam vt prior rectum iter ostenderet? Si ductor gregis aries non rectas faceret semitas suas, gregi cætero qualiter viam parabit? Ducet potius in præcipitium & ruinam, quemadmodū si cęcus cęcum duxerit ambo in foueam cadunt secundum dictum veritatis. Et hæc est proh dolor causa non mediocris, quare tot paruuli deserunt iter verum, & ambulant per vias tenebrosas, difficiles & asperas. Ductor nēpe rarus est qui rectas faciat ante eos semitas, sed sicut populus, ita & sacerdos, & vtinam non deterior, turpior & perditior sacerdos quā populus. Hinc Ioannes qui vox erat clamantis in deserto ad parandum viam domini prius in seipso rectas fecit semitas. Castigauit corpus suum & in seruitutem redegit, ne cum alijs prædicaret & ipse reprobus efficeretur, ne quod docebat verbo, dissiparet exemplo, ne pleno ventre de ieiunijs disputare, & certè difficile est, immo impossibile vt qui viam virtutis bene operando nunquam ingressus est, nunquam expertus est scientiam, declinandi pericula viæ circunspiciendiq; insidias efficaciter doceat illos quod nescit, nec didicit quidē, proferet fortasse verba plurima de virtutibus quasi cæcus de coloribus, vel pica garriens disputabit, sed longè aliter docentur lecta vel audita, aliter ea quæ operibus & experientia cognouimus. Propterea venit Ioannes viam pœnitentiæ docturus homines. Hæc est prima veniēdi ad Deum post lapsum via, illam primitus strenuè fortitérque peragrari & priusquam doceret iniquos viam domini prouidit ne iniquos haberet in proprio corporis regno seruos, & qui libertatem à peccato docebat, ipse liber & rex haberetur. Qualiter oro per doctrinam alijs rectè præsidebit, qui seruituti & sordidissimæ seruituti subiacet, & mancipium cor-

Psal. 14.
Psal. 5.
Psal. 85.
Thob. 4.
Psal. 80.

poris effectus est prius. Insuper Ioannes prius hausit ore cordis aperto fluenta gratiæ cœlestis quã satageret in alios loquẽdo diffundere, & qui alios ad amorem æternæ felicitatis succendere venerat prius in se per sanctæ meditationis studium, & vehementiam desiderij cœlestis feliciter exarsit. Quocirca resumo cõclusionem alias positã quod vita Ioannis fuit angelica & inter viatores post Christum & matrẽ eius perfectissima. Deducetur ista conclusio tum ex sublimitate prophetandi, tum ex austeritate viuendi, tum tertiò ex multiplicitate merendi. Itaque prophetia Ioannis mirabilior fuit quam aliæ, certior & clarior. Mirabilitatem vide tum puer infans adhuc in vtero sextam mensem agens sic illustratus in rationabili virtute, vt præsentiam nouiter concepti saluatoris & agnosceret, & gestibus exultationis quia verbo nõ poterat, nunciaret, nec ipse tantummodo prophetauit, sed & prophetandi spiritum vtrique parenti contulit. Inde est canticum illud Ecclesiæ: Ventris obstruso positus cubili senseras regem thalamo manentem. Vtrum secundum vaticinium Hieremiæ hinc sterilem gestante in vtero prophetãtem iam puerum Iesus puer erat omnium qui vnquam extiterunt corporalibus lineamentis minor. Alioquin vel tumuit statim vterus virginalis post nunciationem Angeli, vel non viuificatus & formatus repente Christus cum Maria respondit. Fiat mihi secundum verbum tuum, & vtrumque falsum est. *Luc. 1.* Nam quamuis Maria cum festinatione ascẽdisset in montana post Angelicam visionem, dicta est nihilominus mater Domini. Et vnde mihi (inquit Elizabeth) vt veniat mater domini mei ad me? Et si mater iam, tunc erat filius. Porrò Ioannes hunc & talem puerum non corporali visione, sed illustratione prophetali cognouit, salutauit, adorauit. Et hæc est singularis & supra modum mirabilis prophetia cui par in alio hominum nulla reperta est, propterea quo ad hoc maior Ioãne nemo surrexit, qui in deserto etiã veteri sterilis vox clamantis inuentus est. Attendamus insuper claritatem certitudinẽmq; prophetiæ suæ, dum iam ex vtero natus prodijt, & venientem ad se dominum digito demonstrauit. Cæterum tantum (cantat Ecclesia) cecinere vatum corde præsago, vt in illo quoque deserto vox clamãtis existeret. Denique Ioannes moriens patribus illa sedentibus in tenebris nunciauit, quod quali lingua, quali ve sermone factũ est, nõ parua est quæstio. Qualiter etiam vixit ipsa Ioannis anima cum cæteris in limbo iustorum, & an aliorum scientiam, fidem, spem & charitatem cæterásque virtutes sua denunciatione adauxerit, aut vtrum sua præsentia clarifica eosdem illustrauerit, grata est, sed parum à doctis tradita est materia. Et de locutione siquidem communis est difficultas, de Angelis, de animabus separatis, saluatis seu damnatis, qualis est hæc. Idcirco pro nunc sufficit aperire quod mihi probabilius faciliúsque videtur cum paucis & quibusdã antiquorum. Imaginor igitur quamlibet substantiam separatam liberam esse, tam quoad motionem obiectalem sui & eorum quæ in ea sunt, quam etiam quo ad receptionem influxus seu motionis cuiuslibet extrinsecæ obiectalis, ita vt ratione primi quælibet posset dici tabula, quædam literis plena seu liber inscriptus, quæ tabula & qui liber pro libitu nunc aperiuntur, nunc clauduntur, nunc parum, nunc A multum, & dum aperitur à libero arbitrio, liber substantiæ huius separatæ ipsa dicitur loqui, dum clauditur est in ea silentium. Voco autem claudere hic & aperire non propriè, vt in materialibus fit, sed similitudinariè, dum motio obiectalis intentionum existentium in substantijs separatis suspenditur à voluntate, vel dum rursus ab eadem extra agere seu radiare permittitur. Et taliter quidam imaginatur locutio substantiarum separatarum, quæ nihil aliud est quam manifestatio libera B & intelligibilis sui vel eorum quæ in eis sunt, quæ locutio tanto est vehementior & clamorosior, quanto intelligibilior atque apertior. Iuxta quod Ioannes meritò vox clamantis vocatus est. Simile per omnia quo ad auditionem intelligere possumus, ponendo libertate in recipiendo per aures mentis motiones huiusmodi obiectales, quemadmodum si esset speculum vsquequaque politum respectu cuiuscumque radiationis luminosæ super ipsum incidentis. Hoc modo Ioannis anima loqui potuit in limbo, & sic audiri ipse vox clamantis in C deserto. Et quoniam sancti patres incolæ lumbi deserti, & bene deserti & à felicitate alieni, cupidè multúmque de sua liberatione certum aliquid audire sitiebant, Interrogabant non ambigo Ioannem nouiter è terris ad eos descendentem, si quid boni nuntij, si quid sperandæ liberationis afferret? at qui non amaro silentio subticuit Ioannes, non locutionibus eorundem aures clausit, vt pote qui præco iudicis venientis, & solis lucifer orientis, & nuntius Saluatoris iam apparentis in deserto, pa D rate viam domini, rectas facite semitas eius, quia veniens veniet, & non tardabit. Iam in terris visus, & cum hominibus conuersatus est, iam à me cognitus est, prædicatus, baptizatus, & indice demonstratus. Ad hanc vocem noua lux oriri visa est in deserto illo inferiori sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis gaudium quoque, lætitia & tripudium. Iam minus tædet eos exilij sui, quantò minorem cognoscunt spei suæ dilationem, nam magis & magis per sanctas affectiones, parant in seipsis viam domino, & per ignita desideria cha E ritatis rectas faciunt semitas eius. Plures sciscitantur à Ioanne de celeritate & mysterio redemptionis suæ, de conditionibus redemptoris, de forma modóque redimendi, nec satiantur interrogationibus, sed quod plurimum delectat audire, vt sæpius iteretur expostulant. Quid agit Ioannes vox clamantis in deserto? Respondet ad singula, confirmat fidem, spem corroborat, charitatis feruorem exuscitat. Neque tamen ista dixerim, quod sanctos patres post obitum ignorem F fuisse positos extra merendi statum, sed quomodo in scientia & quibusdam alijs perfectionibus nouiter acquisibilibus proficere potuerint, & etiã profecerint non video. Ponunt quippe doctores absq; vlla absurditate gloriam beatorum accidentalem plerumq; maiorem fieri tam in cognitione, quam in dilectione ac delectatione, quanto minus absonum videri debet si nondum saluati, nec terminum felicitatis adepti in cognitionibus quibusdam amoribus & dilectionibus proficere potuerunt. Sed & de pueris absque baptismo decedentibus apud nonnullos excellentes non improbabile prorsus videtur eos in philosophia & alijs

quibusdam

quibusdam artibus & cognitionibus posse instructiores fieri temporum successione diuturna, & experientiarum multitudine coadiuti. Sic etiam Enoch & Helyas nō ita otiosè viuunt, vt in tanta ætatis longæuitate nihil nouum cogitent vel addiscant. Sed reuertamur vnde digressi sumus, vbi diximus Ioannem in prophetia cæteros excessisse, quod ex prædictis reor esse perspicuum, si tamen aliquas prius obiectiones quæ aduersus ea fieri possūt, absoluerimus. Et quo pacto (dicit aliquis) Ioannes prophetasse dicitur illud & de eo quod ante suos oculos positum tenebat. Videbat Iesum, tangebat & audiebat, & tu mihi dicis quod illum esse Ioannes prophetabat. Non enim est prophetia nisi occultorum & à sensibus humanis alienorum. Sed acutè cogitemus quid Ioannes sensu viderit, & quid nō viderit, & exinde quid & quemadmodum prophetauerit cognoscemus. Erant in homine Iesu plurima corporeis sensibus & experimento cognoscibilia, vt quod homo erat ambulans, docēs, cum publicanis & peccatoribus manducans, & ad hæc cognoscēda non erat opus prophetico spiritu. Alia latebant plurima & maxima, vt quod talis esset Deus, mediator constitutus pro redemptione & reconciliatione peccatorū, quod agnus esset pro sacrificio consummato immolandus & similia, ad quæ cognoscenda & publicanda hominibus Ioannes non nisi spiritu superplenus attingere valuisset. Tale est illud. Qui post me venit, ante me factus est, &c. & ecce agnus Dei, & cætera huiusmodi. Occurrunt alij dicentes non debere Ioannem arguere mendacij. Alioquin si mendax, quomodo perfectus? Ipse enim interrogatus: Tu quis es? & an propheta es tu? Respōdit, non sum. Quod si ex humilitatis affectu quis eum sic respondisse contenderit, videat quomodo humilitatem veram cum vitio mendacij connectet. Quæ enim participatio lucis ad tenebras, quæ cōuentio Christi ad Belial ait Apostolus. Fateor planè Ioannem non quæsisse humilitatem per mendacij culpam. Absit hoc vt Catholicorum quispiam sic delirus inueniatur qui hoc dicat. Verax igitur fuit Ioannes modo quo negauit se prophetam, negauit dico non simpliciter, sed ad intentionem quærentium. Scriptum erat in lege Dei, Deuter. 18. Prophetā suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Interrogauerunt ergo Iudæi Ioannē an propheta esset, non quicunque, sed qualem lex ipsa pollicebatur affuturum. Et confessus est & non negauit, quia non erat ille propheta promissus in lege. Christus itaque non Ioannes fuit propheta ille quē ibidem Moyses venturum prophetauit. Cuius præcursor & Angelus Ioannes extitit, vt quemadmodum Esaias olim ante prænunciauerat, dicens: Vox clamantis. Vbi liceat attendere, quantæ dignitatis Ioannes fuerit atque auctoritatis, vt etiam à propheta tali de eodem fieret prophetia & suæ prædicationis clamor tāto ante proderetur, quin etiam Ioannes illud esse prophetarum de seipso non humana, sed prophetica instructione cognouit. Intrauit enim puer desertum vbi de libris Esaiæ aut alijs ab homine nequaquam instructus est. Hic

A oritur difficultas non mediocris de modo cognoscendi veras prophetias, & de modo distinguendi
eas ab illusionibus & diuinationibus dæmonum,
qui aliquando transfigurant se in Angelos lucis
secundum Apostolum, & de cautelis se habendi,
non homo in talibus ne seducatur, sed ad præsens
dicta sufficiant. Sequitur: Fuit Ioānes in deserto,
vbi de hoc & de Ioannis perfectione quo ad austeritatem vitæ & meritorum multitudinem
videbimus domino concedente prophetiam Ioānis 1.
cum quæritur. Tu quis es? Ego vox clam. &c. diri-
B gite viam domini. Et egrediebantur ad eum Hierosolymitæ vniuersi, & omnis regio Iudææ & ba-
ptizantur ab illo in Iordanis flumine confitentes
peccata sua. Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius, & locu-
stas & mel siluestre edebat, iam per aliquot dies
Ioannem in deserto tenuimus, dum enim scrutari
pia curiositate conatus sum, quid ageret Ioannes
& solus & in deserto. Dum pręterea super hoc ad-
mirationem aliquorum carnalium turba tumultú-
C que gaudentium contentare satagerem, inductus
sum referre quo pacto verū esset de eodem Ioan-
ne & sibi similibus eremicolis in contemplatione
suspensis, nunquam minus solus quam cum solus,
hoc apud Ciceronem dixisse celebratur Scipio su-
perior Africanus. Hac occasione in materiam
contemplationis incidi latissimam vtique & nun-
quam funditus exhauriendam, vt in ipsa explican-
da semper sit vltra quicquam inuenire & venien-
dum cum Hierosolymitis & omni regione Iudęæ.
Tandem hinc ad Ioannem in Iordane prædican-
D tem & baptizantem. Sed tandem egrediendum
est ab hoc deserto contemplationis materiæ silen-
tium incidendum, quatenus subsequens Euange-
lij nostri textus loquatur. Spero enim Deo propi-
tio me super hac materia contemplationis certè
pulcherrima & subtilissima quædam posterius lo-
cuturum, atque non tam ex nostra quam aliorum
sententia, neque tam magistrali locutione quam
collocutione familiari, non demum polito curio-
soque sermone, sed quotidiano loquendi more &
extra lectiones ordinarias inter audire volentes
E proposui disserere. Placuit itaque paternæ proui-
dentię supernę maiestatis me per aliquot iam tem-
pora in deserto tribulationis & cuiusdam solitu-
dinis collocare, vbi quale manna contemplatio-
nis in deserto solitudinis veri Israëlitæ comedunt,
& si nō pleno ore comedere, degustare tamē da-
tum est, vt saltem eius odorem ex aliorum eructa-
tione qui manna cibi se repleuerant, potui aspi-
rando sentire, verum quid textus noster dicat au-
diamus. Egrediebantur inquit, ad eum, non du-
F bium quin ad Ioannem Baptistam Hierosolymitæ
vniuersi & omnis regio Iudææ. Ad hoc verbum
stupet logica & logicæ tractatores vel scandali-
zantur vel inculpant locutionis huius formam.
Neque enim æstimandum est paruulos, imbecil-
les, aut infantes in cunis, immo nec Hierosolymi-
tas omnes adultos ad Ioannem egressos fuisse,
quanto minus omnem Iudææ regionem. Igitur
logicæ virtus & sermonis proprietas videntur fal-
sitatis arguere Euāgelistam Marcum qui hoc vni-
uersali sermone vsus est. Obiectio ista non huic
loco duntaxat, sed in numeris sacræ scripturæ lo-
cutionibus aduersa est. Pro qua dissoluenda sunt

mopere arbitror etiam iuxta philosophi sententiam quod duplex est logica, quædam inseruiens A scientijs naturalibus ac purè speculatiuis, quæ vsitato nomine eam quasi antonomaticè logica nominatur, & quæ ad omnium methodorum principia viam habere describitur ab hyspano, quæ sermocinalis à quibusdam nominatur. Porrò altera est logica, quam appropriato vocabulo rhetoricam dicimus, quæ principaliter ancillatur, seruit & adminiculum præstat scientijs moralibus, politicis & ciuilibus, ad intellectum practicum spectantem. Habet autem vtraque logica huiusmodi B suas regulas in loquẽdo, modos insuper proprios quibus docemur, erudimur & discimus verum à falso discernere. Prima respicit logica potissimè sermonis proprietatẽ alienam à metaphoris & quibuslibet transsumptionibus, explicando adæquationem rei ad intellectum, & iuxta regulam suppositionum, ampliationum & appellationum vim locutionis aut sermonis strictissima præcisione dijudicando. Hæc logica exultat à se & abdicat omnem ferè figuratam locutionem, omnémque locutionis ornatum, & quantum potest C proximius & breuius conceptibus interioribus correspondet, quatenus veritas per eas in speculatiuis scientijs præcisior atque lucidior habeatur.
At verò rhetorica quam logicam alteram dicimus potissimè figuris & tropis atque scematibus vtitur coloribus quoque, floribus, non tam necessarijs, quam decoris locutionem suam exornat. Cæterum vulgari vsitatæque locutioni plurimum condescendit, quærens ex sua quadam tum familiaritate, tum speciositate, vt auditorum affectus D impellat quo vult, & vel in iram vel indignationem, odium vel amorem concitet audientes. Dicta est idcirco logica hęc necessaria ad scientias morales quia ad affectus concitãdos generandósque si boni sunt, aut ad sedandos aut cõpescendos seu tollendos si mali reperiãtur, logica præcedens non sufficit. Illa enim inquit tantummodo veritatem in rebus, prout veritas est adæquatio rei intellectæ ad intellectum speculatiuum, ista autem prout est adæquatio quædã ad affectũ seu practicum intellectum. Dicamus ergo dum quæritur E de veritate propositionis alicuius secundum vim vocis, aut proprietatem sermonis, aliter iudicandum est & requirendum est in speculatiuis scientijs ad quas deseruit logica prior, aliter in moralibus atque politicis vbi rhetoricam vigere docuimus. Et quisquis istas logicas duas vellet confundere, ita vt rhetoricam in speculatiuis, & logicam priorem in practicis scientijs exigeret, ille in absurdissimos ineptissimósque errores corrueret totus.
Hinc est quod à Tullio in rhetorica veteri & alijs F politizantibus irridentur & inculpantur illi qui secundum logicam priorem eniuntur leges atque communes hominum locutiones interpretari. Vocantur siquidem tales verbosi, sophistæ, garruli, de solo nomine controuersiam nectentes, inciuiles denique & ceruicosi phantastici, & ad nullum ciuile seu politicum negotium, regimen atque consilium idonei vsque adeò vt vix ipsi qui tales sunt loqui quicquam audeant, vix aliquid audire possunt quod non statim calumniandum, aut negandum, aut distinguendum esse contendant. Sed fallit eos planè ignorãtia præmissę distinctionis inter logicam atque rhetoricam, & quia logicam primam introducere satagũt vbi ea non opus est. Illi ex aduerso non parum aberrauerunt, qui dum speculatiua veritas sola conquiritur, rhetoricos loquendi modos principaliter secuti sunt. Innumeris itaque & infinitis vinculis dum se nituntur absoluere semet constrinxerunt. Neque tamen nego quin vicissim logica vna alterius opem quandoque requirat. Et quin pari quodam sensu ad veritatis vnius inquisitionem plerumque concurrant. Sed quando, vbi & qualiter hoc fit, non cuiuscunque, sed sapientis & artificis est istud discernere, & eius insuper qui vtramque perfectè cognouerit, & qui sciuerit secundum materiæ exigentiam, cognitos inferre sermones. Hinc fit vt aliqui carentes logica priori, reperiuntur in tractatibus aut doctrinis parum resoluti, sed rudes & indigesti, sicut è contra dictum est quod soli logicæ innitentes sophistæ sunt, leues & garruli, & in ciuili cunctatione parum aut vix tolerabiles inuẽti, immo ad prædicationes positas rarò videntur eleuati, quia nec in illorum exercitationes seipsos tradiderunt. Iuxta hoc non operosum est obiectionem prætactam dissoluere dicendo quod nullo modo in historicis narrationibus, sicut nec in prophetijs & documentis moralibus exigitur vel attenditur veritas dictorum conformiter ad strictas regulas prioris logicæ. Sed sufficit quod modus loquendi communis cui maximè se conformat rhetorica seruetur, vbi figuratæ locutiones tropicæ & transsumptæ per parabolas & similitudines admittuntur & amplius quam reliquæ. Et hoc est quod quidam non irrationabiliter dicunt, quod theologia suam habet logicã & modum loquendi proprium, & quod in ea nihil esse falsum de virtute sermonis debet admitti, immo dictum huiusmodi tanquam irreligiosum, impium & blasphemum à Catholicis auribus reijci congruit. Si quis verò dixerit oppositũ & rectè sensit ille duntaxat ad vim loquendi prioris logicæ oculos conuertebat, quamuis non vsquequaque rationabiliter.
Hinc est quod egregius doctor Augustinus tum in locis plurimis, tum specialius in libro de doctrina Christiana regulas pro expositiõne sacræ scripturæ dedit, & ab alijs datas collaudauit. Inter quas vna est per synecdochen vbi pars pro toto sumitur. Alia per hyperbolem, vbi veritas ad exaggerandum exceditur. Alia vbi locatum pro loco accipitur, secundum quas regulas textus noster à falsitate defenditur. Nam dicendo, egrediebantur ad eum Hierosolymitę vniuersi, similis est locutio sicut cum dicimus: Omnis populus vel totus mũdus vadit ad tale spectaculum. Dicitur enim hoc non per præcisionem, sed ad rei magnificationem adaugendam. Similisq; est locutio cum subditur: Et omnis regio Iudææ, nisi quod vltra hoc locus pro locato, regio scilicet pro habitantibus regionem ponitur, & in talibus iuxta quorumdam explicationem attenditur sensus, non quem verba faciũt, sed pro quo fiunt. Iuxta prædicta sumitur consideratio moralis, quod prædicatores in sermonibus publicis detestando vitia & collocando virtutes, auctoritatem habent vtendi locutionibus transsumptionis secundum regulas quibus exponitur, & iuxta licentiam rhetoricæ artis, ita vt quandoq; dicatur aliquid vniuersaliter vitiosum,

quod

quod pro paucis aut non omnibus potest verificari, vel aliud tale pronunciatur, quod de virtute & regula logicæ prioris esset falsissimum, & scandalosum, & iniuriosum. Non habeo hic exempla multa curiosè scrutari vel adducere, legãtur omnes prophetæ qui fuerũt quidam sermocinatores inuehentes in vitia, & vitiosos arguentes: attendatur prædicatio Christi, Ioannis Baptistæ, Pauli, Stephani prothomartyris, & aliorum, reuoluãtur sermones & epistolæ doctorum, reperietur quasi vbilibet licentia talis loquẽdi vniuersaliter, vt diximus. Esaias dicit c.1. Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Et paulò post. Omnes diligunt munera, sequũtur retributiones. Hierem. 2. scriptum est: Quid vultis mecum iudicio contendere, omnes dereliquistis me dicit dominus. Ezech. 3. Omnis quippe dominus Israël attrita fronte est & duro corde. Christus & Ioannes Pharisæos inculpabant generaliter. Christus vocans eos hypocritas, sepulchra dealbata, superbos & auaros. Ioannes, progeniem viperarum. Et Act. 7. dicit Stephanus. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus vos semper spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri, ita & vos. Apostolus denique vocat Galathas insensatos, & in Cretensibus approbat dictũ poëtæ. Cretenses semper mendaces, malæ bestię, pigri ventres. Primò etiam vocat Apostolus poëtam hunc prophetam. Et apud gẽtiles poëtæ pro prophetis & vatibus atque theologis habebantur, & ad poëses eorum sicut metaphoricas locutiones veritatem continentes, occultas tamen attendebãt. Tales sunt in scripturis generales, in docẽdo locutiones innumeræ. Ex his sequitur alia cõsideratio, quod inciuiliter agerent, immo insipienter & contra artem propriam clerici, qui locutiones huiusmodi morales, in quibus fortè tangerẽtur, vellent generaliter inculpare, aut vtentes eis molestare, nisi forsan vbi manifesta & particularis iniuria (quæ magis esset detractoria & cõtumeliosa, quàm ad ædificationẽ valens) deprehenderetur, quod si fieret coram quibus non oportet. Quod vbi & quando contingit non est possibiliter per artem docere, sed tunc agendum est vt sapiẽs iudicabit & prout edocebit vnctio. Constat enim quod plerumque fit sermo generalis ad principes, qui sciũt se & statum suum grauiter increpari, & tangi in modis loquendi generalibus, tolerant tamen. Qua igitur fronte & temeritate, nollent clerici de isto vel illo statu super eorum vitijs generaliter morderi vel culpari: Ista prorsus esset Pharisaica cõditio, qui reprehendere non reprehendi quærebant. Tertiam addo considerationem contra illos qui in locutionibus moralibus ponunt captiosos loquendi modos (in logica priori seruatos) licet veros. In quibus tamẽ est falsitas aperta, aut scandalosa iuxta locutiones vsitatas & secundum rhetoricam in materia tali seruandam. Exempli gratia, ponetur vna indefinita quæ apud morales æquiualet vniuersali; quæ tamẽ indefinita de vi logicæ vera erat, apud rhetoricum & politicũ falsissima. Propterea non imprudenter condemnatæ sunt aliquæ propositiones tanquam articuli erronei aut reuocandi, in quibus tamen erat veritas de vi vocis & logicę prioris, vt ista: Ecclesia manens Ecclesia potest errare, Deus & creatura nihil sunt, & similes multæ, & aliæ etiam quæ

A in philosophia fuissent receptæ vt veræ, vel saltem probabiles; sicut sunt articuli qui de fide loquuntur contra meritoria. Et maximè consideratio hæc locum habet vbi audientes non sunt triti vel vsitati tales locutiones audire vel admittere, sed vulgares sunt aut puri morales, legistæ vel canonistæ. Et sanè imprudenter agunt, ne dicam impudenter, qui coram talibus in actibus publicis talem logicam puram adducunt, aut philosophiam seu metaphysicam, præsertim vbi materia talis quæ nihilominus mores respicit & apud eos

B scandalum. Obseruandum est enim illud Gregor. Iuxta mores auditorum formetur sermo doctorum. Huius oppositum creberrimè fieri dicitur in Anglia, & proh dolor! nisi prouideatur inualescet in Francia: quàm verò aperta esset & lata fenestra ad errores & scandala seminandos, talis permissio liquet ex præmissis, & experientiæ vox conclamat. Denique cur ob aliud appellantur theologi nostri temporis sophistæ & verbosi, immo & phantastici, nisi quia relictis vtilibus intel-

C ligibilibus pro auditorum qualitate, transferunt se ad nudam logicam, vel metaphysicã, aut etiam mathematicam, vbi & quando non oportet; nunc de intentione formarum, nunc de diuisione continui, nunc detegentes sophismata theologis terminis obumbrata; nunc prioritates quasdam in diuinis, mensuras, durationes, instantia, signa naturæ, & similia in medium adducentes, quæ & si vera atque solida essent sicut non sunt, ad subuersionem tamen magis audientium, vel ir-

D risionem quàm rectam fidei ædificationem sæpe proficiunt. Sed detinuit ecce nos aliquandiu modus loquendi euangelicus, spero tamen non prorsus inutiliter: ad rem accedentes, videamus quantæ auctoritatis atque dignitatis, immo virtuosæ attractionis Ioannes Baptista fuerit, quoniam ad eũ egrediebantur Hierosolymitæ vniuersi, & omnis regio Iudææ, tam valida erat tam efficax sua solitudo, sua viuendi austeritas, sua demum sinceritas, & libertas prædicandi. Da mihi aliquem de occu-

E patis & accursis solitarios irridentibus, qui per omnes totius ætatis suæ discursus & sudores anxios tantumdem proficiat quantum solitarius iste manens in deserto fructificauit. Mirari & colere solent homines, præsertim simplex vulgus, eos viros quos in vita sublimes & sibimet austeros aspiciunt, ob hoc maximè quod nulla cupiditatis aut ambitionis nota resperguntur, nulla proinde contra eos fallendi suspicio, aut mentiendi suboritur, quando despiciunt quicquid terrenum est, quicquid vtile vel iocundum. Ex opposito præ-

F dicatores nostri temporis, quia talibus inhiare vehementer, populariter & ardenter cognoscuntur, fit sermo eorum in opprobrium, sit de mendacio aut praua intentione suspectum. Dicunt cõfestim eis auditores voce vel animo, medice cura teipsũ. Vidimus nostra ætate & nuper, quemadmodum vnus propter huiusmodi vitæ austeritatem penè incredibilem in suis sermonibus multitudinem aggregabat, cui vitæ suæ & zelo si scientiam & discretionem humilem sociasset (quam vtinam sociasset) fecisset vtique fructum multum, sed verum est illud Bernar. Zelus sine discretione præcipitat. Discretio autem esse non potest absque humili-

tate, nec humilitas in complacētia sui, & innitendo propriæ prudentiæ conseruatur. Denique difficile est, & plus diuinum quam humanum, & nō absque diuturno virtutum exercitio acquisibile, vt in duobus his seruetur humilitas, in solitudine scilicet & prædicatione a curita? Quoniā solitudo facit hominem leuiter cæteros occupatos dijudicare, & eis se preponendum æstimare. Prædicatio autem vbi est applausus, concursúsq; populorum, verba dicentis in cęlum ferentium, pertentat grauissimè atque periculosissimè prædicatoris animum vt gaudeat, vt sibi complaceat, vt postremò in linguis hominum famam suam foris ponat, se æstimet magnum aliquem esse, qualem se audit à cæteris: ac proinde, contemnit ab alijs edoceri, moneri, vel eorum duci consilio: ruit propterea in temeritatem quamlibet, improuidus loquitur, non iam ex ratione sed furore, non ex humilitate sed elatione; non quod dictat ratio, sed quod succensa indignatio; non quod verum, sed quod audientibus placitum, non opportunè sed semper importunè; non quasi monens, sed quasi potenter imperans. Qui rursus libertatem atque fortitudinem zeli sanctorum imitatricē esse, si lingua maledica carpat omnes clam & palam in superiori dignitate constitutos: nec attendit si populum inde subuerteret, & ad rebellandum animabit, sed si complacebit eisdem tota sollicitudine cōsiderat. Cæterum cum inualuerit huiusmodi prædicationis fauor & feruor effrænis, vix adhibere remediū permittet plebs indocta, quando signis extrinsecæ sanctitatis, quæ interiùs corrupta est, attendit, & quicquid aduersum dicitur, ad iniuriam refert & odium. Ab hac mentis elatione & indiscretione prædicandi longè fuit Ioannes, iuxta inferius dicenda, quoniam secūdum auditorum qualitatem sermonis linguam variauit, & non ad seditionem, sed ædificationem, ad humilitatem & pœnitentiam, singulos pro capacitate cohortans. Sequitur. Et baptizabantur ab eo. Qualis iste baptismus extiterit olim dicebantur, & super hoc remitto vos ad ea quæ tractantur à magistro & doctoribus 4. sententiarum. Confitentes peccata sua. Quemadmodum Ioannis baptismus non erat sacramentalis, sic nec ista confessio. Erat tamen vtrumque & baptismus & confessio præparatorium quoddam & introductiuum ad vera sacramenta baptismi & confessionis posterius instituta. Hæc autem confessio vel fiebat fortassis in generalitate quadam, quemadmodum Ecclesiæ mos habet fieri in publico antè ingressum missæ: vel fiebat de publicis in publico, more Iudæorum in suis conuentibus: vel si secreta erat & particularium expressiua, proficiebat ad humiliationem & consilij susceptionē, & pœnitentiæ agendæ cognitionem. Hinc perpēditur baptismum Ioannis non habuisse virtutem peccatorum sacramentaliter deletiuam. Quæ ratio est? quia siue baptizandi, siue baptizati, neque confessione altera, neque pœnitentia aliqua, pro præteritis delictis, aliquatenus eguissent. Idcirco præterea non parificantur in omnibus baptisma Ioannis, & cōfessio cum baptismate Christi, & ab eo instituta confessione. Baptismus enim Christi confessionem non exigit postmodum de peccatis anteactis, neque priùs antè baptisma conferri potest huiusmodi sacramentalis confessio, alioquin non esset baptismus sacramentorum ianua, quod

A falsum est. Sed oritur incidens quæstio. Nunquid prælatus alicuius nouiter baptizati iubere posset, vt se submitteret ipse confessioni sacramentali, obedientiæ causa? Æstimo quod non, quoniam nō est aliquis obligatus confiteri sacramentaliter, nisi qui de peccato mortali sibi conscius est: & hæc obligatio non iure humano, sed diuino consurgit. Si verò aliquis de peccato suo apud Deum satisfecerit, iuxta præceptum eius datum, & regulas institutas, non potest iterum per institutionem purè

B humanam ad satisfaciendum rursus tali præcepto inuitus astringi. Constat autem quod baptizatus satisfecit Deo de peccatis præteritis, sic quod non habet aliud præceptum diuinum adimplendum, pro deletione huiusmodi peccatorum. Prælatus verò non habet ius obligandi qualemcumque ad confessionem sacramentalem, nisi quatenus hoc à iure diuino descendit: alioquin posset instituere quod quilibet quantumcūque immunis à peccato confiteretur sacramentaliter, totiens quotiens sibi complaceret. Summa igitur & cardo huius ra-

C tionis est, nullus obligatur idem peccatum bis cōfiteri sacramētaliter: quod quàm absurdum sit videt nemo. Opponet forsan aliquis, de baptizato verè contrito post peccatum, ille immunis est à peccato, nihilominus obligatur per Ecclesiam cōfiteri. Respōdeo quod non per Ecclesiam, sed ex præcepto diuino, talis ad cōfessionem semel fiendam de peccatis post baptismum cōmissis (& ante non) tenetur: propterea, quousque satisfecerit, aut firmiter tempore & loco satisfacere proposuerit,

D huiusmodi præceptorū manebit obligatio, à qua poterit absolui, & non aliter semel cōfitendo. Iuxta hæc aperitur via ad sciendum, si semel confessus posset iterum ad cōfessionem sacramentalem suscipiendam arctari. Sed quia alibi vētilatur, ea prætermitto quæ dici poterant, quæcumque pręscripseram. Totam insuper hanc cōfessionis materiam, quamuis vtilem, satis & à textu nostro non abhorrentem, remitto ad quartum sententiarū pro præsenti & ad scripta doctorū. Objicietur iterū de illo

E quē in mortis articulo absoluit simplex sacerdos, super casibus Papæ reseruatis, obligabitur enim talis absolutus, si cōualescat iterū, Papam adire, & absolutionis beneficium recipere. Fateor hic cum Durando, & alijs quibusdam doctoribus, inuolutissimam, & vix enodabilem tangi materiam, de modo se habendi in cōfessione casuū huiusmodi reseruatorum, quia difficillimum saluare videtur, qualiter (iuxta vsum Ecclesiæ) nō dimidiatur confessio, quæ per duos adimpletur: dū scilicet apud pœnitentiarium solum referuntur casus reseruati:

F Hanc pro nunc difficultatem nō incipiā enodare, tantummodo pro quāto ad præsens spectat dubiū quod mouimus, dico quod homo in articulo mortis, aut aliàs verè sacramentaliter absolutus, non potest absque consensu proprio, obligari rursus per hominem sacramentaliter eadem peccata confiteri: Detur oppositum, Iam confessio prior sacramētalis, suum plenum effectum operata non fuisset, quia non absoluisset hominem à præcepto Dei, quod est de semel cōfitēdo peccatū cōmissū. Nolo tamē negare, quin de cōsensu proprio, iterū possit homo sacramentū cōfessionis super eisdem peccatis iterare, & ad hoc spontaneè obligari.

Non

Non nego etiam quin publica peccata aut etiam reseruata possit iterum referre alteri post confessionem sacramentalem, & ad hoc forsan obligari potest quatenus pœnitentiam salutarem cum discretione maiori percipiat, illud tamē non assero. Aliud fundamentū tāgit Durandus ad cōfirmandum prædicta. Supponit itaque pro regula, quod nunquam prælatus ecclesiæ, vel alius iudex potest circa illud præceptum iubere, nisi circa illud quod ad forum suum publicum potest deduci si non fiat. Alioquin potest prælatus ferre præcepta super occultissimis cogitationibus sibi remediandis, vel super illis quorum transgressionem punire non potest, neque sciret, & ita frustra lex huiusmodi ferretur ab illo, quoniam executio per eum impleri non valeret. Occultissimum autem omnium est confessio sacramentalis, de qua constare non potest nisi per vnicum qui confitetur, & hoc etiam si velit. Quocirca dicit idem doctor ecclesiam non iubere fieri confessionem semel in anno nisi per inditionem, quia scilicet præcipit recipere Eucharistiam, ad quam ritè suscipiendam debet seipsum probare homo, iuxta præceptum apostoli ab ecclesia sic interpretatum, quod de mortalibus exigitur confessio. Exemplum in horis dicendis & intentione habenda simile poneretur. Scotus fundamento alteri innititur, ait quippe quod nemo tenetur aut obligari potest peccatum suum occultum & secretum facere publicum, sic quod de foro Dei cui prius soli subiacebat, trāseat quantum ex natura facti in forum publicum. Sed constat inquit quod dicens peccata sua duobus sacerdotibus, facit illa esse publica quantum est ex natura facti, quoniam in ore duorum, peccatum illud posuit qui testificari possent, quamuis non sine peccato contra eum. Iuxta quorum testimonium potest sententiare publicus iudex, nec impediret sententiam iudicis, quod sacerdotes duo peccant confessionem reuelādo, quoniam si dedi in secreto bonæ fidei aliquod peccatum meum duobus extra confessionem, proculdubio peccabunt si me prodant apud iudicem, nihilominus condemnabitur caput meum. Secundum illud datur via ad dissoluendum rationem, quam Dominus Aristot. insolubilem sibi reputabat, ad probandum quod stante decretali Omnis vtriusque sexus, quilibet confessus priuilegiatis iterum tenebatur proprio sacerdoti confiteri. Non inquit propter defectum sacramenti, vt dicebat magister Ioannes de Poliaco, sed propter aliud. Supponit primò quod confessio sacramentalis potest pluries super eisdem peccatis salubriter iterari. Supponit secundò quod duæ affirmatiuæ propositiones non repugnant ad inuicem, sic quod posterior institutio positiua priorem reuocet, si simul in affirmatione stare possint. Supponit tertiò, quod decretalis Omnis vtriusque sexus, sit propositio affirmatiua & sub obligatione posita. Supponit quartò ex prædictis, quod licentia data de confitendo priuilegiatis ex quo affirmatiua est nō tollit præceptū prius factū de cōfitendo semel in anno. Ex quibus concludit propositū vt æstimat & exemplificat de missa audienda die Dominica. Si inquit daretur præceptū alicui quod missam semel audiret in parochia sua quolibet die Dominico, nihilominus daretur sibi postmodum licentia, quod

A posset audire missam in locis alijs, cōcessio secūda non reuocaret præcedēs præceptū. Ex quo simul stare pōt, quod istę duas missas audiat, & ad vnam obligatur, & solū licentiatur ad aliā. Sed diligēs, inspector pręmissorū reperiet, rationē hanc non esse indissolubilē, neq; exēplum pro se penitus esset validum quod adducit, etiā supposito quod nō esset decretalis expresse determinans semel confessum sacramētaliter non rursus ad confessionē obligari, qualis tamē esse dicitur. Cōcessa itaq; suppositione prima quod iterari salubriter potest cōfessio sacramētalis, si tamē semel est rectè facta de licētia illius

B qui ius habet, nō potest iterū cadere sub pręcepto purè humano, sicut nec nouiter institui super inuitū, sicut ex pręmissis arbitror esse perspicuum. Et quia aliter loquēs in infinitas absurditates corrueret, in illam nominatim quod baptizatus adultus potest inuitus obligari per pręlatū peccata dimissa cōfiteri, immo millesies cōfiteri. Non enim repugnarēt baptismus & subsequēs sacramentalis confessio, sicut nec duæ sacramētales confessiones. Si quis dicat quod baptismus habet effectū plenissi-

C mum deletionis peccatorū à pœna & culpa, Ita respondeo pœnitentiā vnicā cōfessionē habere potuisse & habere, similiter per omnia cōpleta sit, nihilominus ad augmentum gratiæ poterit iterari, quāuis nō baptismus propter characterē secundū doctores in eo susceptum. Exinde perfacile est diuersitatē inuenire inter exēplum positū de missa audienda & confessionē, quia missā audire pontiuum est ius, licet in diuino fundatū, & ideo potest ad plures missas per ecclesiā obligari, sic quam vna audita remanebit astrictus ad alterā. Vnica autem

D confessio cadit sub obligatione diuini præcepti, qua expleta non remanet ad papā ius ad alterā cōfessionem super eisdē obligandi, sicut post auditionem vnius missæ potest vt prius ad alterā ferre præceptum, quia suę possibilitati subiacet dum ratio subest numerum missarum audiendarum restringere vel ampliare, immo & tollere. De confessione autem longè dissimiliter, quia iuri diuino obligatio principaliter innititur. Fatendum est igitur quod papa non potest dare licentiam priuile-

E giatis vt confessiones audiant, & ita ad curatos eundum erit, sed ex quo licentiam præstitit ex consequenti relaxationem, præsupposito iure diuino ne peccata eadem rursus confiteri sacramentaliter inuitus aliquis teneretur. Denique oppositum asserere de Papa vel ecclesia est dicere populos innumerabiles per eorum confessiones hactenus fuisse seductos, inuolutos & deceptos, quia vel noluerunt confessionem factam priuilegiatis esse sacramentalem, quod hactenus creditum est esse

F falsum, vel si sacramentalis fuit, indubitanter non habent ab huiusmodi confesso rursus exigere vt præcepto diuino de semel confitendo, cui obediuit iterum nolens obtemperet, nolens dico quia volens vltrò potest. Porrò secus est de contrito qui ad confessionem potest obligari, quia nondum à Dei iussione semet absoluit. Sed videamus vnde subortū est in Ioanne quod sic egrediebātur ad eū Hierosolymitę vniuersi & omnis regio Iudęę, & baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Statim subiūgitur ratio, quoniā virtus sua pertrahebat in admirationem populos, in reuerētiam & amorem & erat odor bonus vitæ in vitam. Erat

(inquit subsequens textus) Ioannes vestitus pilis camelorum, vbi Ioannes de virtutum quatuor cardinalium possessione simul & ornatu implicitè commendatur. In vestitus asperitate temperantia notatur. Erat vestitus pilis camelorum, quæ tunica erat cilicina & rudis & aspera. In lumborum
Isaie 7. succinctione notatur fortitudo, succinge sicut vir lumbos tuos dicit scriptura. In mellis comestione prudentia commendatur. Mel comedet dicitur de Christo vt sciat reprobare malum &c. Demum in aliorum eruditione & suijpsius respectu Christi humiliatione conspicitur iustitia, & prędicabat dicens: Veniet fortior me post me. At verò hæc materia collaudationis vberior est quam vt nunc totum valeamus exprimere simul & difficultates plurimæ morales secundæ præ cæteris includuntur. Vna est de abstinentia & appropriatæ de obseruatione Carthusiensium super non esu carniū, quam difficultatem olim à Domino Cameracensi in hac cathedra motam nondum ad calcem dissolutionis deductam esse cognoui, sed me deducturum Deo propicio proxima lectione. Altera quoque de superfluo atque pompatico vestitu, an sit tolerabilis in prælatis & viris ecclesiasticis. Reseruatis igitur istis ad sequentia regrediamur paulisper & statim finis ad præcedentem textum & aliud mysticum seu morale ad contemplationem attinens eliciamus. Per Ioannem nullum aptius quam contemplatiuum virum moraliter accipimus. Hic Ioannes manet in deserto quodam, non tam materiali quam spirituali dum sedet solitarius & eleuat se, supra se, qua subleuatione superna super cunctam hanc confusam rerum fluctuantium & exundantium multitudinem attollitur, hanc subtus deserit, qua derelicta profectò manet in deserto quodam mentis secretissimo & abditissimo, solis denique expertis agnito & peruio. An non bene reliquerat mundum & habitabat in deserto, qui dicebat. Mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Qui præterea à seipso etiam desertus clamat. Viuo ego iam, non ego, viuit &c.
2. Cor. 5. Et rursus. Siue mente excedimus Deo inquit. Hoc qualiter fiat datur posse experiri secundum beatum Bernardi non exprimi nec doceri potest sed haberi, fit hoc non per inuestigationem curiosam, aut per studium quantumcunque vehemens, neque per scrutinium scripturarum. Ibi enim defecerunt scrutantes scrutinio, sed obtinetur per fortem contritionem spiritus humiliati secundum beatum Dionysium vbi amplius lachrymæ prosunt quam literæ spiritus sancti vnctio quam lectio, & oratio quam ratio docent. Non est tamen respuenda vsquequaque lectio vel doctrina, quia & si non manifestum quid est tale desertum quod nemo nouit nisi qui incolit, animat tamen ad quærendum & viam qualibuscunque signis administrat. Hoc fecit eleuatus doctor Gregorius præcipuè in moralibus. Hoc pijssimus Augustinus in confessionibus & soliloquijs, hoc deuotus Bernardus super Can. hoc venerabilis Hugo & Richar. de sancto Victore in suis operibus varijs, hoc denique multum compendiosa & sententiosa breuitate tradidit Bonauentura in libello quem appellat speculum amoris: & in alio quem intitulat itinerarium mentis in Deum. Iterum parum in rhetorica diuina & similes alij. Eos potius quam me hortor audiatis & aduertamus

A quid sequitur. Dum Ioannes iste contemplatiuus noster est in deserto quodam mentis inuio & à fluxu carnalitatis inaquoso; egrediuntur ad eum Hierosolymitæ vniuersi & omnis regio Iudææ. Regio ista Iudææ atque Hierosolymæ ad literam terra est promissionis fluens lacte & melle. Et proculdubio non aliter efficitur homo totus regio promissionis fluens lacte piæ deuotionis, & melle saporosæ eruditionis quam in contemplatione. Nam extra eam potius est sæpe homo regio quædam egestatis, vt August. loquitur in confessio-
B nali. Est regio plena monstris feris & beluis vitiosarum cogitationum & serpentibus horridis atque pestiferis venenatarum & inficientium cupidinum. In qua demum regione neque pluuia est, aut ros deuotæ affectionis, neque viror herbarum florentium, aut fructus plantarum ramificantium per virtuosam operationem, neque decor est neque species per cœlestem conuersationem. At verò vbi Ioannes est in deserto mentis prædicto, solitarius in contemplatione vbi come-
C dit manna absconditum. Adiacet circunquaque regio Iudææ, regio scilicet glorificationis cuiusdam & decor confessionis, regio insuper Hierosolymæ, regio visionis pacis, sic enim Iudæa & Hierusalem interpretantur. Huius regionis speciosissimæ & vberrimæ habitatores sunt cogitationes sanctæ & affectiones piæ quæ sunt reuera Hierosolymitæ vel pacificæ, & propter confessionem laudis & glorificationem Iudææ regionem inhabitare merentur. O certè pulcherrimum ob-
D stupendúmque spectaculum videre Hierosolymitas tales vniuersos & omnem Iudææ regionem egredi ad Ioannem in deserto hoc habitantem. Vadant alij spectatum colles altissimos, alij siluas & flumina, alij longè patentes campos, alij maria fluctibus altis intumescentia, alij theatrales ludos aut monstra milleformia. Placeat alijs cœlum cernere & omnem eius ornatum, decoramque militiam nihil prorsus tale, nihil dignum comparatione ad præfatum spectaculum poterit vsque inueniri. Etenim ibi videre est qua forma, quoue or-
E dine egrediuntur Hierosolymitæ tales vniuersi & omnis regio Iudææ ad Ioannem in deserto. Gratum prorsus inspicere est omnes inclytos in vestitu deaurato, in fimbrijs aureis, in varietatis circumamictu egredi à recessibus abditis, quos etiā habet mystica regio Iudææ. Egrediuntur à memoria, egrediuntur ab intelligentia, egrediuntur à voluntate, egrediuntur insuper tanquam sponsus & sponsa à quodam triclinio capacissimo virumque rationalis, concupiscibilis & irascibilis. Egrediuntur demum ab æstimatiua, à phantasia, à sensu cō-
F muni, de omnibus deniq; locis patentibus quinq; sensuum. Egrediūtur nō vt videant vanitatem exteri⁹ ad instar Dinæ, sed ad Ioānē in deserto. Noli numerum velle sciscitari, quoniam innumerabilis est, ita vt fas sit dicere, milia milium ministrabant ei, & decies centenamilia assistebant ei, quoniam egrediuntur Hierosolymitæ vniuersi. Sed quid agunt dum veniunt? Vtique baptizantur ab eo, quia purificantur magis & magis cogitationes & affectiones tales pacificæ. Et quæ fortassis vel minima peccata per negligentiam aut surreptionem aut vanitatis permixtionem admiserint, illa confitentur

confitentur. Confitentes inquit, peccata sua, vel certè ideo confitentes peccata, quia dimissa sunt, & inde sacrificium laudis offerunt se mutuo cohortantes & hymnidieè canentes. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Et rursus. Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti, & similia. Studeamus documentum & sapientes fieri studeamus, & enitamur tale nobis intus formare spectaculum & conuentus. Affirmo quisquis tale sibi fabricare meruerit, non magnopere vagabitur exterius ad videndum vanitatem, impleuit quoque iocundus illud Satyrici. Tecum habita. Non erit solus qui tam numeroso ordinatóque stipabitur comitatu, qui præterea regnum Dei intra se stabiliuerit ab omni conturbatione semotum. Cæterum non habet aliud super homines, immo vix super bruta qui non taliter ascenderit ad cor altum, vt sit taliter Ioannes alter in deserto modo quo præfati sumus. Hæc vita perficiatur semper nescio, quid erit quod ista vita non erit, iuxta dictum August. Nunquam alibi melius experitur homo illud quod de sapientia pronunciat sapiens. Ingrediens inquit, domum meam conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. At verò si delectat nos ad illud spectaculum diuinum pertingere, & bene disponi in multis, vt prius in paucis vexemur necesse est. Ioannem quippe moresque suos imitari conueniet, de quo subdit euãgelista quod erat Ioannes vestitus pilis camelorum & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel siluestre edebat. Circa quem locum finem faciens expositioni literali & plurima pertransiens quæro. Vtrum vita Ioannis fuerit angelica & inter homines perfectissima? Quod non. Vita Ioannis fuit innaturalis quia solitaria. Homo secundum philosophum. i. polit. naturaliter est animal ciuile. Vnde & conuersatio Domini Iesu Christi quæ est nostra instructio, fuit communis & non solitaria. Et confirmatur, quia Ioannes non insecutus est corporaliter Christum in terris conuersantem, ergo non fuit perfectus. Consequentia tenet per illud, quod ostendit Christus iuueni Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. Oppositum patet ex dictis & allegatis super literam. Quæstio ita principaliter est ad inuestigandum de vita solitaria seu contemplatiua quam tenuit Ioannes, & de comparatione eius ad actiua. Ponam notabilia & eliciam conclusiones. Notandum quod vno modo vita contemplatiua seu actiua à quibusdam accipitur pro ipsa anima quæ est vita prima, & ita non est differentia inter istas duas vitas in eodem homine, nisi reducamus ad hunc sensum quod anima viuens vita speculatiua aliter se habet quam dum viuit vita actiua. Secundo modo pro operatione vel conuersatione à vita prima procedente qui duplex est, quædam immanens, alia transiens. Notandum quod secundum hanc acceptionem est diuersitas loquentium. Accipiunt enim quidem vitam actiuam pro omni operatione corporali meritoria, terminata ad obiectum extrinse-

A cum, & sic generaliter omne opus bonum cum gratia factum, transiens in exteriorem naturam, erit de vita actiua quantumcunque spirituale vel corporale videatur, & omnis actus immanens meritorius esset vita contemplatiua, & præcipuè si sit respectu Dei, cuiusmodi est speculatio & delectatio & amor seu fruitio habita de Deo. Alij aliter distinguunt dicentes, quod vita actiua est conuersatio corporalis meritoria, secundum quam prouidetur ecclesiæ, vel parti eius primò & principaliter quoad corpus, vt est exercitium in septẽ operibus misericordiæ exterioribus sicut Martha

B prouidebat corpori Christi. Vita autem contemplatiua est conuersatio meritoria secũdum quam primò & principaliter suffragatur ecclesiæ quoad mentem & bona spiritualia, & sic prædicatio, sacramentorum ministratio & oratio spectant ad contemplationem. Et iste est conuenientior modus. Quocirca adhuc potest fieri distinctio de bonis spiritualibus, quamquam videatur impropria, ex abusu tamen loquentium quandoque sic accidit, vt dicatur generaliter bona spiritualia

C quæ spectant ad partem clericorum & sacerdotum, quas antomaticè appellamus, & sic prædia & possessiones ecclesiæ & eius iurisdictiones erunt quædam spiritualia. Temporalia verò sunt quæ in partem laicorum cesserunt, & sic eadem bona erunt prius & posterius temporalia & spiritualia, & secundum hoc distinguitur iurisdictio spiritualis & corporalis siue temporalis. Tertiò notandum, quod in eadem ecclesia potest imaginari quadruplex modus viuendi. Quidam viuunt vita quę nec est contemplatiua nec actiua propriè

D sicut pueri baptizati nondum capaces rationis. Secunda est vitæ purę actiua. Tertia speculatiua. Quarta est mixta ex vtraque. Quartò notandum, quod aliquid dicitur melius altero dupliciter. Vno modo absolutè, & absque respectu ad aliud. Alio modo relatiuè seu conditionaliter. Exemplum philosophi ad hoc est de hoc quod est philosophari. Nam simpliciter melius philosophari quam ditari, & tamen in casu extremæ necessitatis vel indigentiæ, melius esset habere aut acquirere vnum panem quam illo deficiente pulchram

E philosophiæ conclusionem addiscere. Similiter in statu innocentiæ vel gloriæ multa esse poterant bona qui sub proposito peccato mala essent si obseruarentur. Vt in corpore sano aliquid prodest, quod obest præsupposita infirmitate vel crapula præcedente. Et istud debet notanter attendi dum sit comparatio aliquorum in bonitate vel vtilitate & similibus, vel dum quæritur quid expediat in regimine vitæ humanæ. Dicamus primò quod stat in quolibet istorum quatuor statuum hominũ

F saluari. De primo non est dubium de pueris baptibaptizatis decedentibus ante vsum rationis. De quarto non est dubium de prælatis & alijs sanctis, qui diu vitam mixtam ex contemplatiua & actiua exercuerũt & saluati sunt. Quo ad duo mẽbra est difficultas, & dixerũt quidã impossibile esse aliquẽ adultum saluari qui non vixisset vita contẽplatiua, quia oportet quod omnis capax rationis diligat Deum super omnia si debeat saluari, & in tali dilectione quæ cõsequitur ex cognitione Dei reperitur vita speculatiua. Sed casus est dabilis sicut dat

Holkot vbi homo dũ primo incepit vti ratione, exercebitur statim in operibus misericordiæ corporalibus, vel alijs bonis exercitijs exterioribus absque hoc quod actualiter & formaliter eliciat actum dilectionis Dei super omnia, & in agendo talia poterit pro fide à tyrannis repente interfici, & ita saluabitur talis quis nunquam vixerat vita speculatiua, hoc tamen rarò euenit. Cæterum de vita speculatiua non est difficultas quin homo possit saluari in casibus multis, qui nunquam vixerit vita actiua, quia ad hanc non est vocatus, vel quia casus non occurrit exercendi illam vitam. Patet etiam de Christo in vtero virginis, de Ioanne baptista si habuerit contemplationẽ salutando. Rarò tamẽ manet in vita illa diu quin vtatur vita mixta, præsertim secundum primam distinctionem, aliàs præsentem dispositionem. Secundò loquẽdo absolutè non habendo respectum ad lapsum hominis, talis est ordo inter quatuor modos viuendi priores in bonitate & eligibilitate, quod prima vita bona est, secunda melior, & quarta quæ est cõposita melior est quam secunda, & tertia optima inter omnes. Hæc apparebunt si quis diligenter aduertat vitam Adæ pro statu innocentiæ, nam si quis ibi vixisset ex beneplacito Dei absque vsu rationis actuali, & tamen in gratia bene vixisset, si vixisset vita actiua laborando & colendo paradisum terrestrem ex iussu Dei, melius vixisset, & si cum hoc fuisset aliquando in cõtemplatione Dei, melius habuisset. Sed quia omnis indigentia remota erat, nec exigebatur tunc labor extrinsecus ad subleuationem quarumcunque indigẽtiarum vita eius speculatiua optima tunc extitisset, quod amplius perspicuum erit ex sequentibus. Tertiò per accidens & ex suppositione stat in casu vitam actiuam vita contemplatiua pro tunc meliorem & eligibiliorem existere. Potest enim tanta indigentia esse in proximis corporaliter ad iuuandũ quod peccatum esset omittere eos & eorum subleuationem pro speculando seu contemplando. Patet in prælatis vel in casibus necessitatis. Et si dicatur quod homo non debet omittere maius bonum propter minus bonum. Dicitur quod in casu isto contemplatio non est isti maius bonum secundũ primam distinctionem de duplici vita. Vnde & quartò quando licitè potest vtraque vita exerceri, speculatiua secundum & actiua, speculatiua eligibilior est & dignior, & statui gloriæ seu innocentiæ conformior. Vita enim quæ dignius & excellentius habet obiectum & quæ ex digniori virtute procedit, eligibilior est, & sic est de intellectione Dei & dilectione seu fruitione eius. Nam istæ sunt operationes optimarum potentiarum in homine respectu optimi obiecti, secundum hoc posuit philosophus felicitatem in homine. i. ethi. in contemplatione primæ causæ, & conformiter (licet magis eleuatè) ponunt theologi beatitudinem in fruitione & cognitione Dei & etiam delectabilior, vt patet. i. ethi. Similis conclusio potest poni secundum aliam distinctionem & ex ista deduci, & per aliud medium sic. Quanto anima melior est quam corpus, tanto vita regulans animam & dirigens in finem melior est & dignior, quam illa qui tantummodo respicit corporale regimen, sic est de vita speculatiua respectu animæ in ecclesia, ergo &c. Quintò præsupposito

A peccato & indigentijs varijs in ecclesia Dei ex peccato originaliter venientibus & cæteris paribus. Melior est vita quarta scilicet composita ex actiua & contemplatiua, quam simpliciter actiua vel simpliciter speculatiua, sed est quam vna earum sine immixtione alterius. Pro quo aduertendum est, quod tota multitudo operum meritoriorum vnius hominis imaginatur quasi corpus quoddam & homogeneum ad modum loquendi Christi Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Glo. Si inten-

B tio simplex, bona quælibet operatio erit. Probatio. Vita illa melior est quæ est vitæ Christi conformior. Sed Christus conuersatus est secundum totum corpus vitæ suæ ad regulam & vitam cuiuscunque membri sui scilicet tam actiuè quam speculatiuè, ergo &c. Confirmatur quia corpus alicuius perfectus viuit, dum pro loco & tempore vtitur quolibet membro suo, nunc isto, nunc illo, quam si continuè vno vteretur quod esset perfectius, vt puta oculo, præsuppositis indigen-

C tijs, ad quarum reuelationem quodlibet membrorum vtile est & prouiso quod oculus sit in suo vsu ad directionem manus & pedis. Ex ex hoc sumitur responsio ad instantiam quæ fieri potest & moueret parum considerantes, quia vita contemplatiua secundum se considerata melior est & dignior secundum dicta, ergo melior est homo dum secundum eam viuit, quam dum viuit secundum actiuam. Sic enim argueretur quod hominum corpus esset nobilius si esset totum oculus quam

D habendo varietates quas ad prçsens obtinet, & pictura pulchrior si tota esset albedo, quam dum varijs colorum appositionibus decoratur. Similiter dicendum est hic, quod corpus operationum humanarum quod imaginatur, quasi & homogeneũ, & diuersarum rationum perfectius est, dum pro qualibet sui parte est in exercitio, præsupposito semper quod vita speculatiua est velut illustratio & directio & viuificatio animæ sit in suo actu sufficienti, quam si dimissa actiua esset continuè in speculatione sub gradu interiori, præsuppositis

E indigentijs proximorum. Speculatiuus enim (vt quidam ait) videns fratris inopias & torpens à iuuamine, deficit à fraterna dilectione, & per consequens à dilectione Dei connexa, & tunc non viuit contemplatiuè quæ completur in diuina dilectione, sed in curiosa philosophorum speculatione. Et si quæritur quando necessitate & sub pœna peccati tenetur homo viuere secundum vitam actiuam? Dico vel ex suscepto officio, vel dum videt fratris necessitatem extremam, & non apparet quod alius succurrat. Exemplum de e-

F leemosyna. Ex his habetur radix, quare status prælatorum est perfectissimus in ecclesia sancta Dei, quia est status requirens vtramque vitam pro loco & tempore instar Christi & Moysi & aliorum, nam Christus nunc in monte orabat, nunc prædicabat, nunc populos cibabat. Similiter Moyses in monte Syna contemplabatur ea quæ postmodum populo ministraret, & descẽdens, iudicia dabat populo, & arcæ fabricam ordinabat. Ita quilibet eorum debet esse binomius ad modum Iacob qui & Israel dicitur. Est enim

prælatus

prælatus Israel in contemplatione, & Iacob in vitiorum supplantatione, tam in se quam in subditis. A Est enim duplici vxori copulatus Lyæ & Rachel, applicatio mystica communis est. Sexta cõclusio. Cæteris paribus vtilior & fœcundior est in ecclesia Dei speculatiuus quam sit actiuus. Pro quo aduertendum quod duplex est vtilitas & fœcunditas in ecclesia. Quædam est grossa atque palpabilis, quæ à vulgo & à viuentibus more vulgi præcipuè reputatur, & illa consistit in multitudine & conseruatione bonorum fortuitorum, & corporis & pompa extrinseca. Alia vtilitas respectu bonorum animæ, vel meritorum vel aliorum donorum B gratuitorum. Secundò aduertendum quod prima bona non prosunt, immo plerumque nocent, nisi pro quanto ordinantur & disponunt ad secunda bona, vnde nec capiunt bonitatem aliquã moralem aut gratuitam, nisi à bonis huiusmodi tanquam à fine ad quem debent ordinari, vel tanquam instrumenta ea adipiscendi, vel tanquam obiecta circa quę fit huiusmodi operatio virtuosa, immo quandoque talia bona conceduntur Deo irato, vt Augustinus ait: quia videlicet vtilius esset C illa nõ habere dum obsunt bonis moribus, quemadmodum & obsunt diuitiæ perituræ generant enim vermẽ pessimum qui est superbia vel voluptas effrenata. Et sicut in vno homine hoc habent veritatem, sic & habere potest in toto corpore mystico ecclesiæ, ita quod numerabitur meritò inter magna diuinæ misericordiæ dona paupertas ipsius: in talibus bonis fortuitis & iurisdictionibus ciuilibus. Iuxta quod dicunt historiæ, & legi in postilla super bibliam quod dum dotata esset ecclesia bonis temporalibus per Constantinum, audita est vox in aëre. Hodie venenum effusum est D in ecclesia sancta Dei. Et quicquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio huiusmodi esse vtilis propter bonitatem & fidelitatem dispensantium & dilationem ecclesiæ, post aduersitates habitas, nihilominus nunc aliàs poterit spoliatio similiter esse vtilis propter malitiam ecclesiasticorum talibus bonis abutentium, & claudatur via malignantium spinis aduersantium, ne cadant in præcipitium vitiorum. Iuxta quod ait Dominus: Sepiam E viam tuam spinis. (*Osea 2.*) Nunc ad propositum conclusionis constat quod contemplatiuus vt sic proficit ecclesiæ in bonis spiritualibus quasi de per se & immediatè, actiuus autem in bonis temporalibus, Vnde Moyses plus profecit in monte adorando dum alij pręliarentur quam multitudo magna bellantium. Sic Deus qui non destruxisset pentapolim peccatricem propter decem iustos si reperti fuissent plus miseretur ecclesiæ & eidem parcit propter orationes paucorum contemplatiuorum, F quam facit propter labores & discursus & turbationes multorum actiuorum. Iuxta quod dicebat Hieronym. de eremitis antiquis, eos esse vitam mundi & ipsum per eos ne corrueret stare. Hoc infertur contra illos qui terrena tantummodo cogitantes dicunt iuristas & practicos terrena tractantes, & diuitijs vel ædificijs vel epulis aggregandis occupatos vtiliores in ecclesia quam contemplatiuos, bonæ vitæ & spiritualibus exercitijs intendentes, quos deliros vel phantasticos vel inutiles reputant, quia animalis homo non percipit, &c. Et allegant quod spiritualia absque temporalibus diu stare non possunt, quod dictum absque dubio (nisi sanè intelligatur) blasphemum est. Nũquam enim ecclesia fuit melior, quam dum vixit in paupertate. Quod etiam Hieron. ponit in vita Malachi. Et de Romano imperio dicunt hystorici, & recitat August. &c. Potius & verius diceretur ècontra, quod temporalia & pręsertim in ecclesia, diu absque spiritualibus esse non possunt. Et certum est quod cum eis non adesse non possunt. Alioquin falleret Christus qui dixit: Primum quęrite regnum Dei: & hæc omnia adijcientur vobis, non dixit e contra, primum quærite ditationem, & post hoc regnum Dei & iustitiam eius vobis adijcientur, immo sicut aliàs memini declarasse, nimium studium in multiplicatione bonorum tẽporalium & iurisdictionum in ecclesiã non parua causa est suæ desolationis tam in spiritualibus quã temporalibus, & hoc manducebatur per similitudine corporis mystici ecclesiæ totalis ad corpus verum hominis. Nam intendere nimis regimini sensualitatis, spreta directione rationis, est vtrunq; tam sensualitatem videlicet quam rationem extinguere. Hinc est quod multi proborum & cõtemplatiuorum in ecclesia parum curant, si depauperetur ecclesia vel cõculcetur in temporalibus istis vocatis bonis, videntes tot vitia & abusus ex his prouenire in cõuiuijs superfluis, in venationibus, in simonijs, in prædijs & violentis promotionibus indignissimorum, in ambitionibus prælaturarum & beneficiorum, in superbijs dissolutissimis, in voluptatibus effeminatis, cæterisq; innumerabilibus & nefandis abusionibus in quibus se reputant gerere vitam actiuam dãdo onera grauia &c. Et hæc omnia cessarent, aut non ita saltem abundarẽt in paupertate modesta. Amplius non ita diuerterent ecclesiastici etiam de patrimonio Christi dotati ad traditiones, & adinuentiones hominũ pro diuitijs cumulandis, spreta lege Christi, sicut nunc facere conspicimus fornicatione quadã spirituali perniciosissima. Et ad grandem tempestatẽ moderni temporis & scismatis consolandam, possent applicari quæ omitto, quia facile est ex præcedentibus elicere. Septima conclusio: Vita Ioannis baptistæ post vitam Christi & matris eius fuit angelica, & inter viatores saltem quoad aliquid perfectissima. Pro cuius declaratione aduertendum, quod vita Ioannis potest comparari ad vitam aliorum tripliciter. Vel quoad prophetiam, vel quo ad austeritatẽ victus, vel quoad meritum interius. Si comparemus prophetiam Ioannis ad prophetias aliorum, quoad hoc Ioannes est perfectior, quia modo certiori & clariori demonstrauit Christum, propter quem prophetæ omnes illustrati sunt, & suas cõtexuerũt prophetias. Et hic forsan innuere volebat ipsa veritas cum ait, quod inter natos &c. Nec moueat aliquẽ quod Ioãnes videbat certa experiẽtia Christũ, & ob hoc nõ prophetabat de eo. De certis enim & pręsẽtibus nõ est prophetia. Fateor enim quod aliqua in hoĩe illo videbat, respectu quorũ nõ erat prophetia, sed scientia vel experiẽtia, vt quod hic esset vnus homo sic ambulãs &c. Sed alia erant qui non videbantur, vt quod talis homo esset Deus & Messias in lege promissus, & agnus Dei qui tolleret peccata mundi, &c. Si dicatur vlterius quod Ioannes interrogatus respondit se non esse prophetam. Dicunt aliqui eum hoc

dixisse ex humilitate non ex veritate, quasi videlicet esset aliqua humilitas sine veritate, aut quasi, humilitas per mendacium acquiratur. Et ideo verius & apertius dicitur, quod Ioannes negans se prophetam, respondit ad intentionem quærentiū Iudæorum, sciebant itaque Iudæi scriptum esse in lege eorum. Deuter.18. dicente Domino. Prophetam tibi suscitabo post me, &c.

SEQVVNTVR PROPOSITIONES EIVSDEM DE SENSV LITERALI *sacræ scripturæ & de causis errantium.*



QVI autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Mar.3. Quædam sunt in alijs lectionibus super hac particula textus Mar.3. quæsita & exposita. Expositæ sunt inter cætera species peccati in spiritum sanctum, qui à doctoribus communiter assignantur esse sex, & declarata est ratio. Inter illas verò species peccati quod textus noster appellat æternum delictum, numeratur impugnatio veritatis agnitæ, non quod veritas sub ratione qua veritas possit à quoquam impugnari, plus quam nequit ipsa bonitas in esse tali à quoquam ordiri, neque enim haberet veritas hoc modo rationem aliquam malitiæ vel impugnabilitatis. Cōtingit nihilominus veritatem etiam cognitam impugnari sub alia ratione, vt ratione dicentis qui habetur odio, vel ratione effectus ex veritate consequentis, vt quia per eam fit homini damnum aliquod temporale vel inhonoratio. Sic Iudæi veritatem de Christo prius cognitam impugnauerunt, postmodum propter odium eius vehemens & radicatam inuidiam. Et quia veritas per eum prædicata culpabat auaritiam eorum atque superbiam. Audiebant (inquit euangelistarum vnus) hæc omnia Pharisæi & deridebant eum, quia auari erant. Erant similiter arrogantes & superbi. Et quoniam nostris proh dolor temporibus videtur inualuisse species hæc æterni delicti, quæ scilicet est impugnatio veritatis agnitæ, nedum in Anglia, nedum in Scotia, nedum in studio Pragensi & Alemania, sed etiam quod dolet & pudet, in Francia. Proposui quædam adducere valentia ad impugnationem doctrinalem, & consequenter ad eradicationem iudicialem peccati huius tam enormis, quod non habet remissionem in æternum. Amplius quia seminatores hæresum talium & impugnatores veritatis, quam agnoscunt vel agnoscere deberent, cum se catholicos profiteantur, dicunt fundari dicta sua in scriptura sacra, & eius sensu vero literali, quam solam scripturam dicunt se velle insequi & admittere, reiectis & pro nihilo habitis quibuscunque constitutionibus alijs vel scripturis decretorum vel decretalium, quas appellant apocryphas & Christo aduersas. Considerandum erit in primis quis dicendus sit sensus literalis scripturæ sacræ, & qualiter est inuestigandus & tenendus. Considerandum erit proinde magis in particulari de ipsis erroribus nostro tempore, vel inuentis vel renouatis, & de causis vel cautelis eorumdem.

Sint igitur pro prima consideratione nostra principali propositiones quæ sequuntur. Propositio A prima. Sensus literalis sacræ scripturæ semper est verus. Patet, quia ex illo solo sumi potest efficax argumentum secundum Augustin. & Hieronym. & hoc non habent negare etiam aduersarij cum quibus agendum est. Oppositum huius est nuper Parisijs condemnatum. Et reputata est expositio vel allegatio distorta, quæ inducit ad hoc illud apostoli. Litera occidit &c. Secunda. Sensus literalis sacræ scripturæ accipiendus est non secundum vim logicæ, seu dialecticæ, sed potius B iuxta locutiones in rhetoricis sermonibus vsitatas, & iuxta tropos & figuratas locutiones, quas communis vsus committit cum consideratione circunstantiarum literæ ex præcedentibus, & posterius appositis. Habet enim scriptura sacra sicut & moralis & historalis scientia suam logicam propriam, quam rhetoricam appellamus. Vnde August. super hac re librum perutilem & elegantem composuit, quem intitulauit de doctrina Christiana, in quatuor volumina condi- C stinxit. Enumerauit inter alia septem regulas Lironi, quas appellauit claues ad elucidationem & expositionem sacræ scripturæ necessarias. De his etiam loquitur Nicolaus de lyra in principio postillæ suæ super bibliam. Tractauit insuper de hoc sensu literali magister H. de Heuta in vna quæstione prologi super sententias. Tertia. Sensus scripturæ literalis iudicandus est, prout ecclesia spiritu sancto inspirata & gubernata determinauit, & non ad cuiuslibet arbitrium vel D interpretationem. Vnde Augustinus contra epistolam fundamenti. Euangelio non crederem, &c. Nota quod resolutio finalis saltem declaratiua est ad ecclesiam & ad concilium eam repræsentans, quia quod euangelium Marci sit euangelium Christi plus quam euangelium S. Thomæ vel Nicodemi, credimus ex traditione ecclesiæ. Vnde & apostolus. Si quis aliud euangelizauerit, etiam angelus de cœlo, anathema sit &c. Quarta. Sensus literalis scripturæ, præsertim in sermonibus moralibus vtitur plerumque indefi- E nita pro vniuersali, iuxta communem modum accipiendi. Vtitur insuper alijs locutionibus figuratis prout modo dicebatur, propterea talis indefinita locutio non excusat semper asserentem à falsitate supposito quod sit in aliquo particulari casu verum illud quod indefinitè positum est. Quinta. Sensus logicalis verus in assertione theologica, non excusat asserentem quin talem assertionem debeat reuocare, si falsa sit in sensu theologico literali, aut si sit scandalosa, vel piarum aurium offensiua, aut aliter malè F sonans, hæc sequitur ex prædictis. Sexta. Sensus litteralis sacræ scripturæ fuit primo per Christum & apostolos reuelatus & miraculis elucidatus, deinde fuit per sanguinem martyrum confirmatus, postmodum sacri doctores per rationes suas diligentes contra hæreticos diffusius elicuerunt prædictum sensum literalem & conclusiones ex illo clarius vel probabilius consequentes, postea successit determinatio sacrorum conciliorum, vt quod erat doctrinaliter discussum per doctores, fieret per ecclesiam sententialiter definitum. Appositæ sunt tandem pœnæ

pœnæ per iudices tam ecclesiasticos quam seculares, contra eos qui proterua temeritate nollent ecclesiasticæ determinationi subiacere. Et hoc necessaria prouisione factum est, quoniam in ratiocinando & altercando aduersus veritatem non est apud multos finis. Septima. Sensus literalis si & dũ expugnatur temporibus nostris in his quæ sunt iã aperte per ecclesiam determinata ac recepta, non oportet agere curiosis ratiocinationibus aduersus impugnatores, sed statutis punitionibus vti, vt patet ex vltima particula propositionis pręcedentis. Octaua. Sensus literalis sacræ scripturæ si repetitur determinatus & decisus in decretis & decretalibus & codicibus conciliorum, iudicandus est ad theologiam & sacram scripturam non minus pertinere quod symbolum apostolorum. Propterea non est spernendus tanquam humana seu positiua constitutione fundatus. Et in hoc errant penè omnes hæretici, qui post compilationem decretorum & decretalium inualuerunt, videntes enim quod errores sui sufficienter coarguuntur per sententias doctorum & summorum pontificum & conciliorum generalium, dicunt omnes tales scripturas apocryphas esse vel falsas, nisi ostendatur quod sint expressè in scriptura sacra: & ita consequenter negant quatuor doctores & concilia, putantes quod ex sacra scriptura conuinci non possint. Verum est quod ex aduerso quidã inueniuntur, nolentes vel nescientes distinguere in ipsis decretalibus & decretis, ea quæ sunt de iure diuino propriè dicto, ab his quæ sunt de iure purè positiuo, vel de iure propriè naturali, vel de mixto iure ex pluribus. Super qua re tã in lectionibus quam in collationibus pro cõmendatione dominorum iuristarum sæpe locutus sum, quãtum mihi datum erat & vtile videbatur. Siquidem ignorantia huius rei turbationem in ecclesia induxit plusquam dici possit. Nona. Sensus literalis quamuis sit in multis, præsertim in his que sunt necessaria ad salutem, satis expressus in libris sacrę scripturæ, vel ex illis euidenter cõsequatur apud eruditos in eisdem libris, nihilominus expediuit tales sensus sub certis articulis compendiosè se in publicum tradere, quemadmodum de symbolo apostolorum & Athanasij factum fuisse cognouimus. Exigit hoc maximè communitas rudis hominum, & capitum seu iudiciorum varietas, prout deducit sanctus Tho. in principio summæ contra gentiles. Decima. Sensus literalis sacræ scripturæ rationabiliter explicatur apud studia generalia, & in cæteris diocesibus nedum per totam ecclesiam, sed per diocesanorum sententiam cum cõsilio doctorum theologorum in eisdem studijs degentium. Quæ ratio, quãta scilicet effrenis quorundam libertas in loquendo & docẽdo taliter compescatur, quoniam apud theologos debet esse præscripta loquendi forma, sicut tradit Aug. Liberis inquit verbis vtuntur philosophi, & in rebus ad intelligendum difficilibus offensionem piarum aurium non pertimescunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas est. Nota de studio Parisiensi & articulis eius, nota de Anglia, Scotia & Praga. Nota de Godfrido de fontibus & de quæstione quam tractat, & qualiter argumenta sua non concludunt. Vndecima. Sensus literalis quorundam articulorum vt pręcisè declaratus per vnum episcopum etiam cum cõsilio doctorum, si negetur esse scripturæ, non redditur ex hoc præcisè ipse negans hæreticus. Sed pœnas appositas talis incurrit si sit diocesanus, & ad reuocandum rationabiliter condemnatur. Probatur prima pars, quia potest ad papam appellare ex causis rationabilibus in casu, immo & papa ad concilium generale. Ratio est, quoniam nec papa nec episcopis aliquis est sic confirmatus in fide de lege communi quin possit errare. Duodecima. Sensus literalis sacræ scripturæ si negetur esse verus, & impugnetur tam verbo quam facto, per illos præsertim qui subsunt prælatis & inquisitoribus qui sensum talem declarauerant esse de sacra scriptura. Consurgit vt frequenter vehemens suspicio cõtra tales quod sint hæretici scilicet quod habent deprauationem in intellectu per errorem, & in affectu per incorrigibilitatem vel pertinaciam. Ratio est primo quia pręferunt sensum suum iudicio prudentiorum & sapientiorum. Transgrediuntur etiam terminos quos ponunt patres eorum. Altera ratio est: dum ea quæ determinata vel declarata sunt per iudices & cõcilium fidei, sunt talia quæ debent explicitè credi per illos & ab illis qui contradicunt. Exempla sunt manifesta in articulis Parisijs condemnatis, quorum plurimi sunt de articulis fidei, quos quilibet adultus & capax rationis cõuersans inter Christianos, tenetur explicitè credere, sicut quod Deus est trinus & vnus, quod resurrectio mortuorũ erit, quod fornicatio est peccatum mortale, quod mundus fuit creatus, & nõ ab æterno, & ita de plurimis. Sic etiam temporibus nostris condemnatæ sunt assertiones aliquæ, quarum oppositas quilibet capax rationis, & conuersans inter christianos, vt communiter explicitè credere constringitur, sicut quod iuramentum licitum est tenendum, quando non vergit in detrimẽtum salutis ęternæ. Quod homicidium non est licitum nec approbandum, quando fit absq; iudiciaria & legitima auctoritate. Quod rex nõ debet remunerare homicidia & periuria, & ita de similibus.

TRANSEAMVS consequenter ad dicendum aliqua de causis errorum & cautelis errantium. Et dicamus summatim & velut ab alto, quod omnium errantium primaria radix principalis origo fuit, & est inordinata affectio vel voluntatis deprauatio. Hoc vidit Aug. dicens: approbare falsa pro veris non est natura instituti hominis, sed pœna dãnati. Declaramus præterea istud, quod nunc diximus & intendimus, & hoc narrando potius quam disputando vel conclusiuè loquẽdo. Ecce primo quod error omnis in lucifero & complicibus angelis prouenit ex damnatione voluntatis vel affectus per arrogantiam, & superbiam in seipsis complacentiam, prout declarat Aug. in suo de ciui. & doc. communiter in 2. sententiarum. Ecce quod Eua idcirco errauit, quia curiosè concupiuit fructum pulchrum visu & ad vescendum suauem, ita vt consequenter delapsa sit in hunc errorem, vt crederet fieri, sicut Deus sciens bonum & malum &c. vt etiam reuocaret in dubium diuinam sententiam quam absolutè tenebatur credere, ne forte inquit moriamur. Ecce Adã qui & si non seductus sit sicut mulier, prout dicit apostolus, seductus tamen in hoc fuit secundum

doctores, quod nolens contristari delicias suas scilicet coniugem, credidit veniale, & quasi pro nihilo esse illud quod erat mortale. Sic habemus quod superbia & quædam sensualis complacentia inducunt errores. Consideremus inuidiam & irā ipsius Caim aduersus Abel, & inueniemus quod propter eam Caim cecidit in hunc errorem & alios multos, quod credidit peccatum suum maius esse quā diuinam misericordiam. Sic post eum errauerunt plurimi, tam ex Iudæis quam ex vocatis Christianis qui dicebant non esse pœnitentiam vel salutem post certum numerum vel vices peccandi, sicut Aug. & Nicolaus de Lyra notant. Et sicut aliqui expouerunt illud apostoli ad Hebræos. Impossibile est eos qui semel lapsi sunt &c. Consideremus præterea (sicut iam tactum est) quod propter inuidiam Iudæi prius habentes notitiam de aduentu Christi, corruerunt in oppositos errores de Christo, dicentes quod erat Samaritanus dæmonium habens, voxar & potator vini, & publicanorum amicus. Similiter posterioribus & etiam modernis temporibus. Quidam reputantes se iustos, & considerantes vitam prælatorum & sacerdotum subiectam esse multis vitijs & prauis moribus, acceperunt viam suis erroribus, sicut experientia docuit mille modis. Et ad ostensionem huius & confirmationem eorum quæ diximus, inferamus hic verba formalia quæ auctor summe de vitijs & virtutibus posuit in tractatu de fide. Prima causa erroris est ignorantia capacitatis intellectus humani, quidam enim non attendentes limitatum esse intellectum humanum, credūt eum capacem esse omnium, & ideo credunt illud non esse quod ab eo non capitur. Sicut si aliquis crederet circulum solis omnia continere ipse crederet illa non esse quæ infra circulum illū non continentur. Similis error est in illis qui credunt non posse esse scientiam de magnitudine solis & lunæ & stellarum, quia ipsi non habent eam. Secunda est auersio intellectus à credēdis, & ab his qui possunt hominem inducere ad credendum, & conuersio ad errores. Quidam enim sic amant errores suos, vt contraria eis non velint cogitare vel audire. Prou. 18. Non recipit stultus verba prudentiæ nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. Nō est datum homini videre post tergū suum, nec videre intuitu, sic nec intelligere ea, à quibus intellectus se auertit. Nolunt audire qui sunt in erroribus aliquid de miraculis, nec sacra eloquia, nec rationes doctorum quibus possunt ad veram fidem indūci, ideo non est mirum si remanent in erroribus suis. Tertia est rerum subtilitas & intellectus grossities, qui turbidum habet visum pilum qui ab alijs videtur non videt, non ideo contendere debent eum ibi non esse, non videt visus humanus quicquid videt aquilinus. Quarta est distātia à credendis, quidam enim commorantur in sensibilibus, qui longè sunt à credendis quæ sunt inuisibilia, non appropinquātes ad illa, nec studio, nec exercitatione, ideo non est mirum si illa non vident, ipsi sensum volunt habere ducem ad credenda qui cæcus est quantum ad ea. Vnde sic disputant de spiritualibus, sicut cæci de coloribus. Bernardus super Can. Quomodo lux in cassum circunfundit oculos clausos vel cæcos, sic animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. August. Deus lux est non corporum, sed mentium, hanc A lucem qui non videt, est quasi cæcus in sole. Quinta est negligentia quærendi Dei adiutorium ad ea credenda. Fides non est naturalis, immo est in electione diuinæ bonitatis & donum gratuitum. Si esset naturalis, eadem esset apud omnes, nec esset tanta dissensio de ipsa quanta est, ideo à Deo petenda est. Marci 9. Credo Domine adiuua incredulitatem meam. Eph. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. & 1. Ioan. 5. Dedit nobis sensum vt cognoscamus Deum verum, sicut sol non videtur nisi ex lumine B suo secundum ex luce gratiæ quam infundit. Sed aliqui sunt vt vespertiliones solem nō videntes de nocte, quando volant quia tunc sol nō lucet super terram, de luce verò cum non vident quia tunc dormiunt. Sic isti solem intelligentiæ ideo non vident, quia in nocte sunt, cum ipse eis non luceat, lucem gratiæ infundendo, nō propter hoc affirmare debent cum non esse. Sexta est obstaculum peccati, quidam enim immundicia operum suorum quasi obiectum manuum lumen solis intelligentiæ à se repellunt. Iob 24. Ipsi rebel- C les fuerunt lumini. Septima est superbia quæ est velut inflatio faciei interioris. August. 7. confess. Tumore meo separabat à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Bernardi super Can. Superbo oculo veritas non videtur syncero, patet. Et super illud Hiere. 49. Arrogantia tua & superbia cordis tui decepit te, dicit glo. Omnis hæreticus arrogans, quia superbia facit hæreticum, non arrogantia. August. Superbia meretur illudi. Abac. 2. Quomodo vinum potantem decipit, sic D erit superbus. Vnde Greg. de superbia. Tanta inquit à Dei luce longè sunt, quanto apud se humiles non sunt. Octaua est affectio inordinata intellectum trahens ad contraria fidei, vt timor inordinatus, vel amor, vel odium. Affectio inordinata est velut lippitudo respectu oculi interioris. August. Si quis aliter digito solem ostenderit & videre non poterit, culpet potius oculi lippitudinem quam digiti ostensionem. Hāc lippitudinem purgari oportebat. Aug. Purgandus est animus vt pro- E spicere illam lucem valeat. Timor multos retraxit ne crederent in Christum, qui enim credebant in Christo despiciebantur ab alijs & extra synagogam fiebant, ideo qui gloriam amabant & contemptum istum timebant, nolebant ad Christum conuerti. Ioan. 5. Quomodo credere potestis qui gloriam ab inuicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis. Amor etiam diuitiarum & timor amittendi locum & gentem Iudæos impediuit ne in Christum crederent. Amor diuitia- F rum oculus est auarorum, & amor delitiarum est oculus voluptuosorum. Zach. 5. dicitur de impietate. Hic est oculus eorum in vniuersa terra. Prou. 21. Lucerna impiorum peccatum, ideo auaro videtur aliquid licitum quod alijs non videtur, quia auaritia est lucerna ei, secundum eam enim indicat. Luxurioso enim videtur illa quam nimis amat pulchra, cum sit deformis, quia amor facit eū errare in iudicio illo. Odium etiam intellectum multorum à fide auertit, multi Vualdenses odientes prælationem clericorum dicunt Deo obediendum esse & non homini. Aliqui etiam ex eis dicūt solis prælatis bonis esse obediēdum. Dicunt etiam ordinem

ordinem non esse necessarium ad hoc quod aliquis liget vel soluat. Et quod non est necesse vt aliquis confiteatur peccata sua sacerdoti. Et quod relaxationes quas episcopi consueuerunt facere non valent; nec suffragia ecclesiæ prosunt mortuis. Item timentes errores suos per iuramenta propalati dicunt in nullo casu esse iurandum. Item timentes se occidi dicunt in nullo casu esse hominem occidendum. Sic transierunt hæretici in affectu cordis &c. Tales corrumpunt omnem ordinem hierarchicum, nedum in ecclesia, sed etiam in seculari politia. Tales nihilominus protestantur se fidem catholicam tenere, & cum euocantur quærunt subterfugia sophistica, & captiosas responsiones & linguis loquuntur. Tales infecerunt regnum Angliæ, destruxerunt studium Bragense, & vsq; ad Scotiam venerunt. Et proh dolor experimur in hoc regno qualiter multiplicati sunt super numerum qui ad seditiones & rebelliones contra omnem dominationem eriguntur, & nolūt quod infima per media reducantur in Deum, sed constituunt se iudices & supremos.

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS GERSON CONTRA HÆresim de communione Laicorum sub vtraque specie.



OBLATVRVS iuxta seniorū huius sacri concilij Constantiensis monitionem generalem nonnulla quæ concernunt expugnationem hæresum & hæreticorum nostri temporis nominatim sectæ nouiter exortæ ac protinus iudicialiter damnatæ, de necessitate communicandi laicos sub vtraq; specie, scilicet panis & vini, profero cum euangelica paupercula duo minuta, quæ dici possunt duplex ille denarius quē Samaritanus protulit & dedit stabulario pro cura vulnerati, vnius denarius decem regulas speculatiuas, alter decem practicas habet inscriptas. Prima. Scriptura sacra est fidei regula, contra quam bene intellectam non est admittenda auctoritas ratio hominis cuiuscunque, nec aliqua consuetudo, nec constitutio, nec obseruatio valet si contra sacram scripturam militare conuincatur, hæc regula fundamentum est commune nobis & hæreticis quos impugnare conamur. Propterea concedimus & approbamus omnes quod auctoritates vel rationes quæ hanc probant pro quanto non ad aliud probandum per eos ducuntur vel induci quærentur. Quamobrem sacra scriptura debet considerari quasi sit vna propositio copulatiua connectens singulas partes, & vnam confirmans per alteram, elucidans & exponens, quoniam si propositio aliqua sacræ scripturæ posita assertiue per autorem suum qui est spiritussanctus, esset falsa, tota sacræ scripturæ (sicut dicit Aug.) vacillaret auctoritas, quia similis est ratio assentiendi per fidem cuicunque propositioni signatæ in sacra scriptura, ita vni sicut alteri secundum auctoritas diuinæ reuelationis quæ vtrobiq; communis est ratio credendi. Secunda. Sacra scriptura dum consideratur in aliqua sui parte vel propositione, non est tenenda in solis terminis illius propositionis,

aut in illo sensu quem illa propositio sic per se & nudè considerata facit. Sed conferenda est & A cōcordanda per comparationem ad alios sacræ scripturæ passus. Patet hæc regula ex præcedenti, & per exempla manifesta qualia sunt innumera. Dixit itaque Christus Mat. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; si quis voluerit in hac præcisa forma vel sententia stare non admissa quacunque collatione ipsius cum alijs, sicut inuentos aliquos esse tales notat Augu. de ciuit. Dei 21. cōstat quod errabit manifestè ponendo quod sola fides sufficit in baptismo ad salutem sine alijs virtutibus, sicut traherent alij ex simili verbo Christi. B Qui credit in me habet vitam æternam. Amplius arguēdo ad homines sic induceremus illud Christi Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Attamen secundum istos non sufficit manducatio solius panis id est sumptio corporis, sed requiritur bitio sanguinis. Tertia. Sacra scriptura potest & debet in suis partibus & partialibus assertionibus reuerenter & humiliter & dili- C genter expositionem recipere, concordando passum cum passu, & vnum per alterum iudicando. Sequitur ex præcedentibus. Et quia sic fit in omnibus alijs scientijs & doctrinis, in quibus intentio & sensus vnius dicti trahitur ex alijs, ex quibus apparet intentio dicentis quoniam secūdum Hylarium intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, alioquin plura essent mendacia & contradictiones in qualibet scientiarum, & præcipuè in sacra & diuina quam essent veritates D in omni modo loquendi communi. Quarta. Scriptura sacra in expositione partium suarum requisiuit & requirit homines primò præditos ingenio. Secundò exercitatos studio. Tertiò humiles in iudicio. Quartò immunes ab affectato vitio, patet; quoniam ex opposito alterius istorum quatuor, solet facillimè falsus intellectus scripturæ suboriri si sit homo hebetis ingenij, si iners & neglector studij, si superbi & arrogantis iudicij, si denique fuerit infectus & deprauatus ex affectu alicuius vitij, quoniam exerceat tales malicia eorum. Possent E ista & istorum quodlibet tam autoritatibus quam exemplis & rationibus multipliciter declarari; quæ quia nota sunt doctis, & alibi satis inueniuntur, breuitatis amor linquit. Quinta. Scriptura sacra in sui primaria expositione habuit homines eruditos, nō solum humana ratiocinatione vel studio, sed diuina reuelatione & inspiratione spiritussancti. Patet de apostolis & alijs, de quibus loquitur Lucas in actibus apostolorum c. 13. Et Paulus plures enumerat diuisiones gratiarum, inter quas interpretatio sermonum, & sermo scientiæ F & sermo doctrinæ. Comparandi igitur sunt doctores in expositione sacrę scripturę cum doctoribus, & illi quos constat habere conditiones positas in præcedenti regula, præferendi sunt non habentibus. Similiter habentes reuelationem, non habentibus eam. Et dona gratis data possidentes non possidentibus ea, cæteris paribus. Et proinde conuincitur ac reprehenditur quorundam arrogantiam modernorum, vsurpantium sibi illa de psalmo. Super omnes docentes me intellexi. Et *Psal. 118.* iterum. Super senes intellexi. Et iterum: Super inimicos meos prudentem me fecisti. Sed vtinam *Ibidem.*

aduerterent si veræ sint eis causæ quæ iunguntur; quia testimonia tua exquisiui, & lex tua meditatio mea est, & reliqua. Sexta. Scriptura sacra non ita recipienda est nudè & insolidum, contemptis alijs traditionibus hominum, quin debeat ad intelligentiam veram ipsius habendam, iuribus humanis & canonibus & decretis & glossis sanctorum doctorum frequenter & humiliter vti. Patet ex præcedentibus, patet etiam ex modo quem tenent hęretici quos nunc impugnamus, qui doctores valde diligenter allegant pro suis assertionibus colorandis & corroborandis. Et tales qui sunt aliquando nullius autoritatis vel ponderis, sicut sunt aliqui glossatores decretorum & decretalium, & non sancti, nec multum in theologicis eruditi. Et similiter aliqui quos de numero trahunt theologorum. Vnde sic arguitur aduersus eos. Si doctoribus & peritis in sua arte credendum est, cur doctoribus per nos allegatis non vultis credere, quos allegatis bene intellecti sunt pro nobis, & alij qui absque vlla comparatione plures sunt & clariori sermone dicentes nostram sententiam. Si verò non talibus in aliquo credendum est, cur eos pro vobis in confirmatione erroneorum spirituum & sensuum vestrorum tam curiosè & exquisitissimo studio quæritis allegare? vndecunque colligentes & discerpentes quantumlibet renitatur. Septima. Scriptura sacra recipit interpretationem & expositionem nedum in suis verbis originalibus, sed etiam in suis expositionibus, patet ex præcedentibus, vnde si allegatur Aug. exempli gratia, quod dixerit in vna glossa sua sumendum esse sanguinem Christi in communicatione laicorum, & hoc de necessitate salutis. Et alibi dicat vel obseruet oppositum secundum intellectum qui prima facie colligeretur ex verbis, attendendum est ex dictis alijs, qualiter est concordandus sibijpsi. Inuenitur enim dixisse. Crede & manducasti, & ita dicere potuit. Crede & bibisti. Octaua. Scriptura sacra dum per nouellos homines inducitur, tanquam credenda sit in suis nudis terminis absq; alterius interpretis vel expositoris admissione, exponitur grauibus periculis & scandalis, nisi solerter prouideatur, & confestim occurratur. Patet ex præcedentibus. Et quia ad veritatem tales implicant semetipsos in dictis suis, prout deductum est in sexta regula, dum aliquando pro se inducunt doctores & indoctos contra se non admittunt. Dum præterea vitare volunt glossam omnem, incidunt apertissimè in multiplicem contradictionem, & vltra quam Iudæi litterales iudaizant qui recipiunt in antiquis traditionibus legis expositiones suorum doctorum multas & varias, vt rabbi, Salomonis & rabbi Moysi, & aliorũ quemadmodum traditum habent in lege Deuter. 17. sub mortis interminatione sacerdotibus leuitici generis esse credendum & obediẽdum. Ex hac præterea radice pestifera orti sunt, & quotidie crescunt errores Begardorum & pauperũ de Lugduno & omnium similium, quorum multi sunt laici habentes in suo vulgari translatione bibliæ in grande præiudicium & scandalum catholicæ veritatis, quale propositum est in reformatorio esse tollendum. Nona. Scriptura sacra in sui receptione & expositione autentica finaliter resoluitur in auctoritatem receptionem & approbationem vniuersalis ecclesiæ, præsertim primitiuę quæ recepit eam & eius intellectum immediatè à Christo, reuelante spiritusancto Pentecostes, & aliàs pluries. Patet, quia quod Matthæus scripserit veraciter euangelium & Nicodemus non solum habemus ab auctoritate ecclesiæ. Iuxta illud Augu. Euangelio non crederem nisi me auctoritas ecclesiæ compulisset. Hæc enim est ineffabilis regula à spiritusancto directa, qui in his quæ fidei sunt, nec fallere potest nec falli. Probationes omitto. Et quia hoc est primum principium in fide tenendum, quo non credito non superest arguere contra sic negantem, sicut nec contra negantem prima principia in moralibus & speculabilibus arguendum esse tradit Aristo. Additur consecutiuè quod sacra scriptura in expositione habet & habere debet in reuerentia & auctoritate maiori cõsuetudinem vniuersalis ecclesiæ, circa ea quæ fidei sacramenta respiciunt & dispensationem ipsorum, quam auctoritatem doctoris vnius particularis etiam sancti. Et sic tradit sanctus Tho. in illa quæstione qua quærit, vtrum pueri infidelium sint inuitis parentibus baptizandi, in ratione ad oppositum. Vnde valde mirandum videtur apud aliquos consideratiuos dum vident quod statim vt doctor aliquis composuit vnam lecturã vel vnam compositionem, aut glossam super decretalibus aut decretis redegit in scriptis, habetur illa glossa seu lectura in reuerentia tali quod allegatur autenticè in scholis & iudicijs. Qui doctor si viueret, non esset comparandus mille & mille qui iam sunt in vita. Et tamen si tota vna vniuersitas, exempli gratia, quæ habet doctores in omni facultate peritissimos, declararet aut determinaret vnam expositionem circa vnum passum scripturæ sacræ vel decretorum aut decretalium, vix reputabitur aut recipietur huiusmodi testificatio, quasi videlicet scriptura mortua sit maioris auctoritatis quam viua. Et si opponatur, quod in viuis peruertitur iudicium propter peruersionem affectus, cur non similiter potest dubitari quod in mortuis regnauerint dum viuerent huiusmodi passiones iudicij subuersiuæ. Decima. Scriptura sacra patitur in suis lectoribus permittente Deo quod errent & proteruè agant, quatenus qui probati sunt fiant manifesti, sicut dicit Apostolus. Et vt studia doctorum multipliciter excitentur, prout notat Aug. & vt particulares veritates quotidiano exercitio inueniantur & eliciantur, iuxta illud: Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia. Et illud. Declaratio sermonum tuorum illuminat cum similibus multis. *Dan. 12.* *Psa. 118.* Nihilominus dum sacra scriptura patitur in suis lectoribus aut allegatoribus peruersum & proteruum intellectum, aduersus illa quæ manifestè sunt in eadem scriptura tradita, & quæ declarata sunt per ecclesiam vniuersalem, & ita recepta per fidelium obseruationem, debet habere defensionem suam, magis iudiciali seueritate, & executione punitiua, quam ratiocinatione curiosa per scripturas aut verba. Patet ex præcedentibus. Verificatur enim in talibus, quod stultis verbis non erudietur, quod & experientia quotidiana manifestat. Illa quippe tales negant per quæ sola possunt & debent ad viam veritatis reduci, & si nolunt aliqua credere nisi quæ reperiunt in biblia, inueniant illic si poterunt formam sacramentorum,

rum, & quod Christus miscuit aquam cum vino quod consecrauit, & ita de plurimis.

ALTER DENARIVS REGVLARVM PRACTICARVM IN EXPVgnatione erroris & errantium circa materiam de laicorum communicatione facienda de necessitate salutis sub vtraq; specie.

DEBET potius hoc sacrum generale concilium inuocare auxilium brachij secularis si opus fuerit, quam per ratiocinationes contra tales attenta sua determinatione quæ iam transijt in rem iudicatam. Nihilominus in expurgatione tali possunt aliqui doctores de concilio vel aliunde scribere, vel aliter agere contra tales errores & errantes, per rationes & persuasiones & allegationes, quemadmodum fit nunc pro errorum confutatione præsens opusculum sub generalibus regulis, quæ possunt latius trahi, & particularius applicari per rationes deductas ante decretum dicti cōcilij. Prima. In expugnatione huiusmodi debet imprimis concedi proteruientibus aduersarijs quicquid est theologicè & rationabiliter concedendum, vt accepto illo in quo est controuersia facilius & compendiosius ad erroris depositionem induci possint. Debet enim concedi sicut & sancta synodus concedit, quod aliquando potuit fieri & factum est sine peccato, immo cum merito, quod aliqui laici communicarentur sub vtraque specie, sicut aliquando fiebat consecratio in fermento, ne iudaizare videretur ecclesia, sicut & Christus & forsan pluries post eum primitiua ecclesia consecrauit, & dedit hoc sacramentum post cœnam. Concedatur etiam ipsis quod contra sacram scripturam nec autoritas humana, nec consuetudo aliqua robur habet, sed addatur quod interpretationem vel expositionem ipsa recipit, sicut in regulis deductum est. Secunda. In expugnatione huiusmodi, principale illud circa quod versatur difficultas, sicut in puncto, centro vel cardine est. Si communicatio talis sub vtraq; specie sit iussa generaliter à Christo sub debito salutis æternæ, & indispensabiliter ab homine, quemadmodum dicimus quod baptismus aquæ est de necessitate salutis indispensabili per hominem, sic quod nulla autoritate vel consuetudine possit introduci vel institui vt certi homines non baptizarentur baptismo aquæ. Definit autem sacrum concilium, & verissimè negatiuam, sicut nec sumptio sacramenti talis est necessitatis ante cibum, vel etiam post cibum. Circa quod est remouanda distinctio necessaria & notanda quod circa ministrationem vel institutionem sacramentorum, quædam sunt de necessitate sacramenti & de iure diuino, quædam verò sunt tantummodo de necessitate præcepti & de iure humano seu positiuo. Exemplum in materia nostra quod fiat cōsecratio per talem verborum formam, quod in tali materia panis, quod per sacerdotem, hoc est de necessitate sacramenti & iuris diuini. Quod autem fiat in templo seu altari sacrato, quod cum talibus vestibus & cum lumine, quod cum talibus orationibus, epistola & euangelio, & quod ieiuno stomacho, ieiunio etiam naturæ. Hæc inquam omnia atque similia sunt de solo præcepto humano & variabili. Sicque ecclesia posset ex causis rationabilibus etiam præmissa omnia vel aliqua talium immutare, & immutata sub præcepto tradere, sic quod tunc peccaret homo faciendo illud in quo nunc meretur, & quod transgrediendo peccaret. Tertia. In expugnatione tali declarari potest faciliter apud nolentes proteruire, vel ex affectu prauiter errare, quod sumptio sacramenti sub vtraq; specie à laicis, modò non est, aut vnquam fuit de necessitate præcepti iuris diuini sub pœna damnationis æternæ. Attamen dum fiebat à laicis præcipiente vel permittente vel consulente ecclesia bene fiebat, sicut dum cōficiebant sacerdotes in fermentato. Nunc verò dum certa ratione inoleuit opposita cōsuetudo per ecclesiam laudata & iussa, quæ iussio patet ex tali consuetudine, quæ est optima legum interpres. Sumptio talis temeraria est & præsumptuosa, scandalosa, seditiosa, & ecclesiastici ritus turbatiua, & ex consequenti æternæ damnationis inductiua. Nec valet cum inducunt quod laici plus merentur, sumendo sub vtraque specie, quam sub sola forma panis. Respondetur falsum esse, quia melior est obedientia quam victimæ. Et quia potest ecclesia prohibere aliqua quæ possunt aliquādo meritum augere in aliquibus propter melius bonum commune adipiscendum, vel malum declinandum. Quarta in expugnatione tali dicendum est asserētes talem sumptionem esse licitam & vtilem laicis sub vtraque specie, tantum errant quantum illi qui dicunt eam esse necessariam de necessitate præcepti diuini, & iuris indispensabilis quasi sacramenti. Patet, quoniam isti secundi damnant apertissimè de hæresi omnes & singulos qui nō volunt laicos taliter esse cōmunicādos, & ponunt eos extra ecclesiā. Et ita consequenter reputant quod sola generalis ecclesia sit apud eos, sicut olim fuit temporibus Augustini de Donatistis, quæ quam horrenda sit præsumptio videre stupor est. Et valde notandum est quod ex hac autoritate Christi. Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioan 6. volunt concludere ineuitabiliter errorem suum, & non attendunt quod in eodem capitulo Christus permisit. Ego sum panis viuus, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, vbi nihil loquitur de potu: & ideo mendacem faciunt Christum, si requiratur etiam cum manducatione sacramentali panis sumptio etiam vini sacramentalis, quoniam dictum suum est vna conditionalis. Si quis cuius oppositum consequentis stat secundum eos cum antecedente sumpto in se & secundum verba sua, immo consequēns hoc modo repugnat antecedenti. Est insuper mirabile quod ex illo vno verbo volunt concludere, quod sacramentalis sumptio corporis & sanguinis Christi cadat sub tanta necessitate salutis & iuris diuini sicut baptismus aquæ, cum oppositum manifestè pateat per doctores, quoniam sine tali sumptione stat salus, saltem in paruulis & pueris citra perfectum vsum rationis, sicut obseruat ecclesia, quamuis reperiatur ex quadam epistola Cypriani, quod paruuli quatuor annorum recipiebant aliquando corpus Christi. Ponitur enim pro miraculo puerum vnum talem, qui oblato cibo idolis immolato nolebat aut non

poterat comedere, sed bene de pane consecrato gustabat si bene memini. Quinta in expugnatione tali respondendum est ad autoritates aduersariorum inductas; primò quod aliquæ conceduntur pro quanto fundamentum veritatis dicunt esse sacram scripturam &c. sed ritè intellectam. Aliæ similiter conceduntur pro quanto dicunt sacramentum altaris aliquando sumptum fuisse à laicis sub vtraque specie, quamuis probabilius videatur quod hæc obseruatio nunquam à tempore doctorum communius apud omnes extiterit. Alię quæ dicunt sacramentum altaris integrè sumi debere, sicut expressius inter omnes allegatos tradere videtur Gelasius Papa de conse. dist. 2. comperimus, debent exponi de sacerdotibus ecclesię qui celebrant pro toto populo, apud quos semper fuit & est de necessitate præcepti saltem ecclesię, quod sub vtraq; specie communicarent, in tãtum quod plus obligantur hoc facere, quam quod ieiuni celebrent, iuxta concilium doctorum dicentium, quod vbi homo veniens ad perceptionem sanguinis, reperit primò ibi aquam, quam putans fuisse vinum degustat, & ita frangit ieiunium naturæ, debet consecrare nouiter vinum & ita sumere. Et ita dicitur populus sanguinem bibere, quia ministrantes pro eis illum bibunt, prout intelliguntur autoritates inductæ ex canonibus ecclesiæ, & iuxta verbum Augustini prædictum: Crede & bibisti. Est enim manducatio & bibitio iuxta communem distinctionem duplex. Vna spiritualis per fidem & amorem, quæ necessaria est in adultis. Alia est sacramentalis, quæ si fit sine spirituali nedum non proficit, sed officit. Cadit tamen in præcepto dum eius sumptio nequaquam cõtemnitur, prout de confirmatione & extrema vnctione dicitur à doctoribus, quæ dicuntur esse sacramenta nõ necessitatis. Et de hoc sacramento notetur quid egit venerabilis Hugo de sancto Victore in morte sua. Ex quo colligitur sumptionem sacramentalẽ non esse necessitatis, sicut baptismum & ex alijs notatis super quartum sententiarum, per doctores distin. 11. & per glossas Ioannis 6. Et 1. ad Cor. 10. Sexta: In expugnatione tali sunt inducendæ autoritates doctorum sacræ theologiæ qui scripserunt in hac materia, quas hic omittimus partim, quia fuerunt sufficienter allegatæ in hoc sacro cõcilio ante dãnationem erroris prædicti, partim quia multę sunt vulgatæ & notæ. Denique quia stat pro parte hac experiente testimonium vbilibet diuulgatũ, quale qui negare debet non ratione, sed sensu & flagellatione compesci. Septima, in expugnatione tali proficere videretur quod serenissimus rex Romanorum inuocatus à sacro concilio acciperet factũ illud prosequendum & terminandum sicut & aliàs hæreses in Bohemia, cum potentia etiam brachij secularis. Attento præcipuè quod pręsens fuit & est in concilio vbi facta sunt decreta in hac parte. Attento præterea quod in regno fratris sui cuius est successor hæc hæresis habet exordium, & nisi prouideatur serpet in lõginquum. Octaua: In expugnatione tali videretur multum proficere, præsertim apud Bohemios si concilium aut supposita eius palam ostenderent, nedum verbis & epistolis, sed factis & exemplis, quod non ex odio vel inuidia proceditur contra eos, sed zelo solo fidei & salutis animarum. Et hoc tunc fiet eis persuasibile si videant & sentiant in factis quod quæritur in hoc concilio extirpatio omnium errorum
A sine acceptione gentis alicuius vel personarum, & quod non solis eis fiat; sicut nec fiet domino concedente persecutio, & non alijs deterius aut non minus errantibus detur fauor, dissimulatio, aut etiam defensio. Nona: in expugnatione tali videretur maximum esse præiudicium, si non liberè conuenirent theologi collationes mutuas cum charitate & absq; contentione frequenter habituri, cũ pro causis minoribus & prophanis fiat quotidie aliorum conuentio. Rursus oportet quod
B stilus procedendi theologicus obseruetur, non litigiosus aut prophanus. Super qua re alibi scriptũ reperitur amplius. Decima: In expugnatione tali viderentur idonei esse quantum ad expugnationem doctrinalem theologi vniuersitatum illarũ, quæ non debent à Dominis Bohemis de odio vel inuidia haberi rationabiliter suspecti, & quos cõstare potest in alijs materijs synceriter & veraciter & constanter hactenus decertasse sine nota hæresis vel erroris in alijs materijs. Et ad hoc non dubiũ
C est parati sunt inter cæteros theologi de alma vniuersitate Parisiensi, qui magno in numero præsentes sunt in hoc concilio. Sunt & de alijs vniuersitatibus præclaris tam numero quam merito theologi præcellentes. Vnde dicũt eorum plurimi qui super hoc fuerũt simul congregati, quod consuetudo licite & rationabiliter fuerit introducta de non communicando laicos sub vtraq; specie, præsertim post multiplicationem fidelium. Et hoc propter euitationem multiplicis periculi, irreuerentiæ & scandali circa susceptionem huiusmodi
D benedicti sacramenti. Primum periculum in effusione. Secundum in deportatione de loco ad locum. Tertium in vasorum sordidatione, quæ deberent esse sacrata, nec passim tractata vel tacta à laicis. Et multo minus deberet vinum consecratum vendi apothecis, sicut fit apud tales, vt dicitur. Quartum in barbis longis laicorum. Quintum in conseruatione pro infirmis, quoniam possit in vase acetum generari, & ita desineret ibi esse sanguis Christi, nec suscipiendum esse, nec nouiter
E consecrandum sine missa. Et fieri posset quod daretur acetum purum pro sanguine Christi, addito quod in æstate bibliones aut muscæ generarentur quantumcunq; esset vas clausum, quandoq; etiam putresceret, aut fieret velut abominabile ad bibẽdum & hæc ratio est efficax valde. Et ex alia ratione quando alij multi præbibissent. Et quæritur in quo vase fieret consecratio tanti vini, quantum requireretur in paschate per decem aut viginti milibus personarum? Sextum damnum esset in sumptuositate vini, saltem apud multas partes in quibus vix inuenitur vinum ad celebrandum, & ali-
F bi charè comparatur. Esset præterea periculum in congelatione, esset rursus periculum in falsæ credulitatis inductione, & hoc multipliciter. Primò quod tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & sacerdotum. Secundò quod hoc facere semper fuit & est necessitatis, & ita perierunt omnes & pereunt aliter sentientes, facientes aut docentes. Et omnes generaliter tam clerici quam doctores & prælati qui non possetenus opposuerunt se tali consuetudini, verbis, scriptis aut sententijs, & quod sacram scripturam omnes

omnes illi peruerterent. Tertiò, quod virtus huius sacramenti non est principalius in consecratione quam in sumptione. Quartò quod ecclesia Romana non ritè sentit de sacramentis, nec in hoc esset imitanda. Quintò quod concilia generalia & specialiter Constantiense errauerunt in fide & bonis moribus. Sextò multipliciter occasio esset seditionum & schismatum in christianitate nostra, sicut experiétia nunc manifestat in Bohemia, quæ seditio nedum ad spiritualem, sed téporalem dissipationem tendit, nisi Dei prouidétia & regis Romanorum prudentia prouideant & prædisponát.

Finit tractatus aduersus hæresim nouam de necessaria communicatione laicorum sub vtraq; specie raptim æditus Constantiæ. Anno domini 1417. die 20. Augusti.

TRACTATVS EIVSDEM MAGISTRI IOANNIS DE GERSON, DE *probatione spiritum*.

PROBATE spiritus si ex Deo sunt, iubet discipulus ille qué diligebat Iesus. Neq; enim nesciebat illam coapostoli sui sententiam, Angelus sathanæ transfigurat se in angelum lucis, sic vt fiat dæmoniú meridianum, dum pro tenebris errorum quas ad tempus celare permittitur, lucem veritatis clará se fingit offerre. Patuit hoc apud sanctum Martinú visibiliter, patet apud alios plurimos inuisibiliter, dú teste Bern. sub specie magni boni & ardui grande peccatú operit, suggerit & inducit. Probare spiritus si ex Deo sunt, non cuilibet datú est, sed aliquibus per spiritum sanctum, qui vnus existés diuisiones gratiarú distribuit singulis prout vult, ad ædificationé corporis Christi quod est ecclesia cui núquam defuit in necessarijs. Sicut igitur non omniú est prophetare, nec euangelizare omnium est, nec omniú interpretari sermones, sed aliquorú ex officio vsq; in finem seculi. Sic non omniú est probare spiritus si ex Deo sút, sed quibus datú est, quales sút spirituales quos vnctio docet de omnibus, qui & de omnibus iudicant etiam inter diem & diem. Quale donú beatus Martinus & Antonius & plures alij leguntur habuisse. Probare spiritus si ex Deo sunt cótingit multipliciter. Vno quidé modo per modú artis & doctrinæ generalis, sicut per eruditionem sacrarum scripturarum, diligéti pioq; studio acquisitam. Sunt nimirum scripturę in quibus putamus nos fidem habere continentes artem, falsos prophetas à veris, & ab illusionibus reuelationes cognoscédi. Alius inuenitur modus per inspirationem intimam, seu internú saporem, siue per experimentalem dulcedinem quandam, siue per illustrationem à montibus æternis effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem est mána absconditum, & nomé nouum in calculo scriptum, quod nemo nouit, nisi qui acceperit. Hoc Grego. in dialogo, hoc Augustinus in de confessione de seipso & matre, hoc Hugo de arra animæ, cú pluribus alija notauerunt. Probare spiritus, si ex Deo sunt per regulam artis generalem & ineffabilem pro particulari casu, aut non potest aut vix potest humanitus fieri, sed requiritur donú spiritus sancti, quod apostolis nominauit discretionem spirituú, quo dono fit vt mens nedú in se & de se sciat probare spiritus si ex Deo sunt, sed etiá de alijs & in a-

lijs noscit. Hic auté est modus tertius alius à prædictis probandi spiritus, quoniá primus est doctrinalis, secúdus est experiméntalis, tertius officialis ex officio hierarcho atq; spirituali dono cócessus. Itaq; sicut nemo nouit quæ sunt spiritus, nisi spiritus, ita nemo cognoscit infallibili certitudine ea quæ per solá experiméntalé notitiá vel sétimétú interius & sensú aguntur in alterius animo. Quéadmodú ergo tradere regulá generalé quæ distingueret infallibiliter inter visioné sónialé & illá quę fit in vigilia, nullus facile posset propter varias similitudines inter vtrasq; visiones, multo magis in proposito. Scit nihilominus homo vigiláns se certitudinaliter & experiméntaliter videre, quáuis nó ignoret se habuisse in somnijs visiones valde vicinas & similes suæ vigiliæ, adeò quod somnium suum narrare somniádo quádoq; videatur, quáuis dicat Seneca esse vigilantis somnium narrare. Scit similiter homo spiritualis in vigilia veræ lucis diuinæ positus, videre se diuina quę videt verè sentire, odorare & sapere. Quare? quia vigilat. Potest nihilominus recogitare ex se vel alijs quod nónunquam ponitur in quodá somnio naturalis cognitionis aut diabolicæ illusionis, qui dum sic se habet & quodámodo dormit ad diuina, putare potest quod vigilet ad ea, sicque falli. Vidit hæc beatus Greg. asserens spiritus prophetarum nó semper esse in potestate vel distincta cognitione prophetarum. Probans hoc per Nathan, qui ad Dauid cogitanté ædificare domum Dei respondit. Omne quod est in corde tuo vade & fac, quoniam Dominus tecum est. Cuius contrarium ipsa nocte reuelauit ei Deus. Probare spiritus si ex Deo sunt ex primo modo (quæ magis est ad propositum, videlicet per scripturá sacram & eruditos bonos in eadé, quia de peruersè viuétibus quale iudicium nisi peruersum & illusorium reportare sperabimus, cótingit multipliciter & sufficienter quantum ad præsentem spectat militiam, & ad statum communem viatorum. Qua super re nedum vnú ab vno, sed plures à diuersis tractatus compositos inuenimus, quos nunc manualiter habere fas esset, & diligéter inspicere dum in hoc sacro concilio quæritur tractari de canonizatione sanctorum, & examinatione doctrinarú suarum, præsertim vnius, quæ Brigitta nominatur assueta visionibus quas nedú ab angelis, sed à Christo & Maria & Agnete & cæteris sanctis familiaritate iugi sicut sponsus ad sponsam loquitur, se asserit diuinitus suscepisse. Est autem vtrobiq; vel in approbatione vel in reprobatione periculum. Approbare enim falsas & illusorias aut friuolas visiones pro veris & solidis reuelationibus quid indignius, quid alienius ab hoc sacro cócilio? Reprobare verò núc eas q̃ multifariè multisq; modis quaquauersú per diuersas nationes probarę dicútur, nó parua ex inde scádalorú in Christiana religione & deuotione populorú formidatio. Deniq; in ipso etiá siletio & dissimulatione, ex quo res in mediú posita est, nó nihil esse discriminis pertimescimus. Inuenire verò medium aliquod vel expediens inter hęc extrema, laudabile quidé sit aut affectabile sit, nec dum satis cernimus exploratum. Probare spiritus per modum artis & doctrinæ, sicut tota deinceps versabitur intétio nemo perfectè potest per solam sacræ scripturæ eruditionem qui non etiam expertus sit in semetipso variam affectionum spiritualiú

pugnam, tanquam ascenderit nunc in cœlos, nûc descenderit in abyssos & viderit mirabilia Dei in profundo. Nam qui nauigant mare hoc mysticum diuersarum affectionum quasi collidétium se fluctuum enarrant mirabilia eius. Inexpertus autẽ talium quid nouit eorũ? Hic autem est quartus modus probationis spirituum. Cæterũ puto differentiam inter homines quos loquimur, vnum theologum, alterum cõtemplatiuum talem esse qualis est inter peritum in arte medicinæ, & inter expertum seu practicum in eadẽ, qui duo posse conuenire in eodẽ nullus dubitauerit. Sic fit & fieri potest Domino propitio, vt idẽ sit in scripturis sacris eruditus, qui simul in contẽplationis exercitatione probatus est. Hunc verò talẽ habere vult materia præsens, sicut aliàs scripsisse dũ de tractatu quodã spiritualium nuptiarũ sermo fieret meminimus. Probare verò spiritus isto modo doctrinaliter dũ quærimus in alienis personis, quarum corda neq; videri, neque scrutari datur, oportet vt ab operibus signa sumamus, dicente Christo. A fructibus eorum cognoscetis eos. Fallit tamen vnum signum vel pauca si non in vnum plura conglobauerimus. Ita enim tradit Tullius, ita Boëtius, ita Aristoteles in coniecturali causa faciendũ. Sed quoniam infinita est quidem huiusmodi signorũ confusio, coarctemus ad pauciora & dicamus sub hoc metro. Tu quis, quid, quare, cui qualiter, vnde require. Quis est cui fiat reuelatio. Quid ipsa cõtinet & loquitur. Quare fieri dicitur. Cui pro consilio detegitur. Qualiter viuere & vnde venire reperitur. Probatio spirituum dum quæritur fieri consideretur imprimis persona suscipiens visiones si sit boni & discreti iudicij rationis naturalis, quia leso cerebro turbatur iudicium rationis. Si læsus phantasias patiatur non magnopere quærendum est à quo spiritu veniant melancholicæ illusoriæq; visiones, vt patet in phreneticis, in ægrotis varijs, qui vigilantes se talia videre putãt, audire, gustare &c. qualia somniantes patiuntur. Habet prçterea quçlibet passio profundata suam læsionem, suam ebrietatem, suum (vt Origenes loquitur) dæmoniũ. Patet in philocaptis in zelotypis & iracũdis, in inuidis & auaris. Vnde poëta: An qui amãt sibi somnia fingunt? Quæritur ergo si persona sit nouitia in zelo fidei, quia nouitius feruor citò fallitur si regente caruerit, prçsertim in adolescentibus & fœminis, quarum est ardor nimius, auidus, varius, effrenis, ideòque suspectus. Rursus plurimum refert attendere qualis sit & fuerit persona, qualiter erudita, quibus assueta, quibus delicata, cum quibus conuersata, si diues vel egena? In prima superbiam vel secretam voluptatem, in altera fictionem tenebimus. Hoc super omnia conueniet obseruare ne lateat interior superbia spiritualis, quam Bernardus verè nominat subtile malum, quoniam & hæc de humiliatione sua nascitur de sordibus & cicilio, de ieiunijs & virginitate, immo & de sua morte suoq; contrario trahit originem. Quid igitur erit tutum à superbia, cum nec ipsa virtus tuta sit ab ea? Est autem superbia quædam intellectu, dum non vult subijci alieno iudicio, sed innititur proprio. Quædam in volũtate, dum renuit obedire, & hæc citius deprehẽditur, ideòq; facilius corrigitur quam prima. Probatio spirituũ respicit nedum personam quç visiones patitur, sed visionum qualitatem si vera sint omnia, etiam vsq; ad minimam propositionem, quoniam in spiritu veritatis falsitatis falsitas non est, in spiritu autem mendacij mille quãdoq; sunt veritates apertæ, vt in vnica latenti falsitate decipiat. Hac ratione prohibuerunt à testimonio veritatis quam fatebantur, Christus dæmoniacos, & Paulus pythonissas. Si præterea sit in visionibus sapientia quæ desursum est cum suis titulis quos Iacobus enumerat, primũ inquit pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis cõsentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Si rursus excedãt hæ visiones communem intelligẽdi modum, vel in scriptura sacra positũ, vel in ratione naturali vel morali collocatum, quia si non, videretur illud ascribi frustra reuelationi. Quod in scriptura semel locutus est Deus (sicut Iob loquitur) idipsum non repetit. Onerosum quippe esset ne dicamus vanum visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas, ac deinde certissima fide credendas. Sicq; demum nostra fides nostráq; religio quam Deus (teste Augustino) voluit sub paucissimis contineri articulis redderetur plus absq; vlla comparatione quã lex vetus onerosa. Hinc claræ memoriæ magister Hẽricus de Massia comprimẽdam esse tot hominum canonizationem scripsit. Hinc alia ratio sumitur, quod omisso diuinarum scripturarum studio magna pars Christianorum ad has visiones ideo placentiores, quia recentiores cõuerterent oculos & aures prurientes, sicq; necessaria nescirẽt, quia iuxta Senecæ verbum superuacua didicissent. Sint oportet in omni reuelatione Moyses & Helias, hoc est secundum venerabilem Richardum testimonia legis & prophetarum, per totum alioquin suspecta est. Et inde fit perspicuum quam necessarij sunt theologi in canonizationibus sanctorum, & examinatione doctrinarum. Probatio spirituum requirit vt persona cui visiones huiusmodi recitãtur, habeat se prudẽter & cautissimè, præsertim in principio consideret acriter, quare mouetur hæc persona secretum suum pãdere: super quo fiet ista consideratio. Caue ergo quisquis eris auditor aut consultor vt non applaudas tali personæ, non obinde laudes eam, non mireris quasi sanctam dignãq; reuelationibus atq; miraculis. Obsiste potius, increpa durè, sperne eam cuius sic exaltatum est cor & elati sunt oculi, vt ambulet in magnis & mirabilibus super se, vt digna sibi videatur quæ non humano aliorũ more operetur salutem suam per doctrinam, scilicet scripturarum & sanctorũ, cum dictamine rationis naturalis, nisi consilium habere præsumat, & putet nedum ab angelis, sed à Deo, nedum semel in necessitatibus, sed penè iugiter, velut in quotidianis collutionibus. Talem admone non sublime sapere, sed sapere ad sobrietatem, quoniam verissimè ait qui dixit. Superbia meretur illudi, & eo dignius quo instar pharisæi latentem hærentémque ossibus superbiam, sicut nec physicus febrilẽ calorem, superbus attendit. Quid enim facilius quam se vilissimum peccatorẽ dicere, sed veraciter simpliciterq; ita sentire ex intimis, hoc diuini muneris non humani solius exercitij. Enarrentur exempla sanctorũ patrum, qui curiositatẽ huiusmodi visionum vel miraculorũ perniciosissimam fallacissimamq; refugerunt. A qua se Augu.

libera...

liberatum in suis confessionibus gloriatur in Domino quam prȩterea dominus Bonauentura abhorrendã nimis esse determinat, totóq; conatu repellendã, nunc orationibus, nũc increpationibus seu flagellationibus propriȩ mentis & corporis: exemplo illius, qui vt tentatione careret superbiæ, quæsiuit & obtinuit à Domino, vt per tres menses dȩmoniaca vexaretur obsessione. Alter sanctorum patrum dum sibi dæmoni transfiguratus in Christum diceret, Ego sum Christus personaliter te visitans, quia dignus es, cõfestim clausit oculos vtraq; manu, vociferans: nolo hic Christum videre, satis est ipsum in gloria si videro, moxque disparuit. Alter sub alijs verbis similem in huiusmodi illusionem seruauit humilitatẽ: vide inquit ad quem missus sis, ego certè talis non sum qui dignus sim hîc videre Christum. Alterũ, quia nolebat intrare templum (dicens sibi satis esse, quia oculis corporeis aspexisset Christum) colligauerunt catenis, soluere ieiunium, carnibus vesci, vinumque bibere compulerunt, sicque tumore compresso sanatus est. Opponet forsitan aliquis ex apostolo iubente, Nolite inquit, spiritum extinguere: si sit ergo visio à spiritusancto, quæ nihilominus repellitur, quid hoc est nisi spiritusancto resistere, suamq; nascentẽ gratiam suffocare? Sed profectò spiritussanctus, qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione quam prædiximus se subtrahet: intrabit potius, & in beneplacito suo, deducet victor super excelsa animam hanc in oculis suis vilem, & absque vlla ruga fictionis humilem, & simplicem. Porrò dici non potest quantum hæc curiositas, vel cognoscendi futura & occulta, vel miracula videndi vel faciendi, fefellit plurimos, & à vera religione frequenter auerterit, hinc superstitiones in populis quæ religionem inficiunt Christianam, dum sicut olim Iudȩi sola signa quærunt, dum imaginibus exhibent latriȩ cultum; dum insuper hominibus, nedum canonizatis, scripturis quoque non autenticis plusquam sanctis in euangelio, præstant fidem. Probatio spirituum considerat quare fieri dicuntur visiones, prȩsertim quo fine nedum proximo, nedum aperto, sed occulto & longinquo. Potest itaque finis primus apparere bonus & salubris & deuotus, ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabetur in simplex scandalum, dum vel non respõdebunt vltima primis, vel aliud falsum fictũq; deprehendetur in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis & deuotionis. Docuit hoc ȩtas nostra de prȩdicationibus dominorũ Ioannis de Varenis, & Ioannis Hus, & similium. Rursus, dum aliquid fieri potest per humanam, industriam, sit hoc in vita, sit in doctrina, quare necesse est, vel quȩrere vel expectare diuinam cœlitus allocutionem? hoc nempe tentationi Dei, quã honorationi apparet similius. Cȩterum finis attendendus est, quare fit cõmunicatio taliũ visionum alteri personȩ, vtrũ ad ostentationẽ vel ad necessitatem; vtrum ad dandum vel recipiendum consilium; vtrũ fiat experto vel inexperto talium: quod si videatur hęc persona quęrere tantũmodo consilium ne fallatur, videndum est si paratam se mõstrat obedire consilio, alioquin iam de curatione vix spes erit, quoniã vt dicit Ioãnes Climachus, *non tamen eget dæmone tentante se, quia factus est sibi dæmon.* At verò dicit aliquis, hęc idcirco per-

Thess. 5.

A sona nõ credit alieno iudicio, quia de suo certa est per reuelationem intimam & secretam. Sed profectò nõ est diuisionis Deus, vt vni timẽti se reuelet vnum, & per alterum similiter timẽtem eum, dicat vnum contrarium. Itaq; si visio ex Deo fuit, non dissipabitur in humiliãte se sub alieno iudicio propter Deũ, sed vigorabitur amplius & vincet. Quocirca tradimus pro cautela, quod huiusmodi visionibus nedum suspẽsum teneatur iudicium, exemplo B. Ambrosij & Luciani prȩsbyteri, sed dicatur reuerenter cum Petro, *Exi à me Domine, quia peccator sum, quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus*

B *sum, quas hic neque quæro nec accepto, sed repello: sit in cælo, non in hoc seculo visio tua tota merces mea Domine Deus, & sufficit. Quid ad me de visionibus tuis in hac vita, quid de superiorum meorum monitionibus, mitte potius obsecro quem aliquando missurus es, & me meus spiritus, humili tegat obscuróq; loco.*

Altera potest addi super huiusmodi visionibus recipiendis cautela, qualẽ de somnijs tradidit vnus dicens, si monitiones aliquæ bonæ inquit, fieri videantur in somnijs, vel ex persona defunctorũ vel

C aliunde recipiantur, eas non quasi somnia penitus abijciendo, neq; eis ex aduerso velut autẽticis vel diuinis adhærendo, recogitentur potius tanquam rememorationes aliquæ ad faciendum bona, vel mala declinando, iuxta somniorum qualitatem. Probatio spirituum cõsiderat, qualiter & quomodo persona quæ visiones se habere dicit cõuersatur, an in secreto vel in publico, an in vita actiua vel contẽplatiua, an in deuotione nimia, quæ notã affert in vestimentis & cæteris, aut si communem habet conuersationem accommodam his quibus

D conuiuit. Hoc prȩcipuè considerare necesse est, si sit mulier, qualiter cum suis confessoribus cõuersatur & instructoribus; si collocutionibus intẽdit cõtinuis, sub obtẽtu nunc crebrȩ cõfessionis, nũc prolixæ narrationis visionum suarũ, nunc alterius cuiuslibet confabulationis. Expertis crede, prȩsertim Augustino ac Domino Bonauenturæ, vix est altera pestis vel efficacior ad nocendũ, vel insanabilior. Quod si nihil haberet aliud detrimenti, nisi temporis preciosi latissimam hanc consumptio-

E nem, abundè diabolo satis esset. Habet aliud scitote, habet insanabilem videndi loquendique (interim de tactu silentium sit) pruriginem, euenitq; de Didone Illud apud Poëtam.

— hærent infixi pectore vultus,
Verbáq; nec placidam membris dat cura quietem.

Cum tamen in pace sit Dei locus. Nullus idcirco mirabitur, si tales ad fabulas conuersi, auertuntur à veritate: Si præterea mulieres hæ curiosè agentes, sunt quales notat Apostolus. Semper dis-

F centes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Vbi autem nõ est veritas, sit vanitas & falsitas necesse est. Probatio spirituũ cõsiderat, vnde spiritus veniat, aut quo vadat. Itaq; Bernardus testatur hoc in se nunquã sciri datum esse, qui tamẽ expertũ se pluries asserit humiliter sancti spiritus prȩsentiã ex intimo motu cordis siue mẽtis Mirabitur igitur fortassis aliquis, quo pacto persona status inferioris, dicat se frequenter agnoscere, vnde spiritus veniat, prȩsertim cũ dixerit Christus Nicodemo: Vocẽ inquit, eius audis, & nescis vnde veniat, Ioh. 3.
aut quo vadat. quid porrò quod in spiritibus diuersis, multa in inspirationibus inuenitur similitudo.

Est enim ſpiritus Deus, ſpiritus angelus bonus, ſpiritus angelus malus, ſpiritus humanus, tã rationalis quã animalis. Poteſt autem ſimilis viſio ſpirari, A per quemlibet hunc ſpiritum ſuo modo, lõgéque tamen diuerſo, ſed diuerſitatem faciliter percipi, quædam ſimilitudo non ſinit apud inexpertos taliũ: qui neq; per ſeipſos ex acumine ingenij, neque per eruditionẽ in theologicis vel phyſicis diſciplinis, neq; per aliorũ traditionẽ ſciũt talia diſtinguere. Certè nec mirãdũ, cũ pauciſſimos inueniamus, qui plenè ſciũt ſecernere cogitationes & affectiones ſuæ rationalis animæ, vt rationalis eſt, ab illis quæ ſunt animales, videlicet in ſenſu cõmuni, vel B organo phantaſiæ. Quem inuenies precor, ex timẽtibus Deum, peccataq; fugientibus, qui ſemper & in omnibus ad liquidum proſpiciat, dum tentationes vigent, ſi ſenſus eorum ſit tantummodo in imaginatione, vel conſenſus in ratione? Adeò non facile eſt diſcernere ſenſum à conſenſu. Quanto plus habet difficultatis probatio quadruplicis prænominati ſpiritus, dũ videlicet inſtinctus vnus, vel inſpiratio vehemens, tangit mentẽ, ſi ſit à Deo vel ab angelo bono, aut malo, vel à proprio ſpiritu hu- C mano. Cuius rurſus ſenſus, portio duplex, ſuperior & inferior aſcripta eſt: cuius ſentire diuiſionem, perfectè dat illud verbum Dei, quod pertingit vſq; ad diuiſionem ſpiritus & animæ: qualem in ſe diuiſionem paſſa erat, quæ exclamauit, Magnificat anima mea Dominum: dehinc ſecernens ſpiritum ab anima, ſubiunxit, Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Hęc interim ſub cõpendio curſim notata ſint, quatenus dum ad ſingularia deſcendendum erit, facilius hac occaſione ſapientiores diiudicent, perſuaſum habentes viuere homi- D nem (cuius nomen ſit in libro vitæ) cui pluries & in pluribus perſonis huius temporis, datum eſt experiri, & practicare omnia quæ dicta ſunt.

Finit tractatus de probatione ſpirituum, magiſtri Ioan. de Gerſon Cancellarij Pariſienſis in Conſtantia anno Domini 1415. in die ſancti Auguſtini, tempore generalis concilij inibi celebrati, editus propter aliqua, quæ de canonizatione Brigittæ, in præfato concilio oriebantur, ſub 12. conſiderationibus comprehenſus. E

TRACTATVS EIVSDEM CANcellarij Pariſienſis de examinatione doctrinarum.

Matth. 7. Heb. 13. ATTENDITE à falſis prophetis, clamat Chriſtus ſummus doctor noſter. Cui conſonat apoſtolus ſuus doctor in veritate. Doctrinis inquit, varijs & peregrinis nolite abduci, Patres & fratres, qui habet F aures audiendi audiat: quia nulla monitio ſalubrior, nulla, ſi negligatur, poterit eſſe perículoſior: quia ſicut venenum corpus enecat, ſic prophetiæ falſæ, ſic doctrinæ variæ & peregrinæ, trahunt animas ad interitum, non qualemcunque ſed æternum: turbant inſuper eccleſiam, politias demum omnes, temporales & ſpirituales euertunt. Quapropter occaſionibus intra cor, ab extráque ſuſceptis, propoſuit noſtra ſedulitas, opuſculum componere quadruplici modo, de examinatione doctrinarum. Primò theologicaliter, ſecundò exemplariter, tertiò phyſicaliter, quartò practicaliter. Primus modus qui præſentis eſt opuſculi, ſex cõſiderationes de examinatoribus idoneis doctrinarum, & totidem de examinationis arte perſtringet quæ notantur in his verſibus:

Concilium, Papa, Præſul, Doctor bene doctus,
Diſcretor quoq; ſpirituum de dogmate cenſent.
Qualis ſit doctrina, docens quis, quiq; ſodales,
Si finis ſit faſtus, quæſtusq; ſiue libido.

Proteſtamur imprimis, nihil nos in docendo vel narrando eſſe dicturos, intentione corrupta, fauore vel odio, ſed tanquam in articulo mortis poſiti, coram iudice Deo, volumus cautelas inſinuare, contra falſas prophetias, ſuſpectáſq; doctrinas, maximè diebus iſtis malis, quando ſtudium theologiæ refriguit, quoniam magna ex parte diſſipatum eſt, vbi potiſſimè florere ſolebat. Fiet inſuper ſermo præſens talibus & pro talibus, qualis fuiſſe laudatur Iob, qui ſunt ſimplices & recti ac timentes Deum, & recedẽtes à malo; ne diabolus cuius ignoramus aſtutias, improuiſos forte reperiat ſeducátque. Tales alloquimur venerandos patres Carthuſienſes & Cœleſtinos, quos afflictos vt Iob, oportet eſſe in terra Hus, quæ ſonat conſilium. Cõuenit & orientales eſſe, pro ſuſceptione luminis glorioſi, quibus teſtimonium perhibendum eſt de lumine. Anima denique iuſti annunciat aliquando vera, pluſquam ſeptem ſpeculatores conſtituti in excelſum ad ſpeculandum. Quibus ante locutis, diſcurramus per vnamquãque cõſiderationem, duodecim veritates aliquaſque cautelas miſcendo.

Conſideratio prima.

Examinator autenticus & finalis iudex doctrinarum fidem tangentium, eſt generale Cõcilium: Deducitur hæc conſideratio primitus autoritate generalis concilij Conſtantienſis, cui forte par in duratione nullum fuit. Forma decreti ſui ſatis habetur, & poſita eſt in tractatu *de poteſtate eccleſiaſtica*, & in opuſculo, *An liceat appellare à papa?* Sumitur inſuper ab euangelio cum ratione talis confirmatio; Chriſtus fuit ſupremus & optimus inſtitutor eccleſię, non deficiens in neceſſarijs, qui & dixit. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Matth. 28 Oportuit igitur in eccleſia relinquere regulam infallibilem pro fide ſeruanda, & dubijs emergentibus terminandis, non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, niſi generale Concilium legitimè congregatum. Nam perſona quælibet ſingularis de eccleſia, cuiuſcunq; dignitatis, etiam Papalis, circundata eſt infirmitate, & deuiabilis eſt, vt fallere poſſit & falli. Propterea non imparem poſuit Auguſt. autoritatem in eccleſia & in euangelio dicens: *Non crederem euangelio, niſi me autoritas eccleſiæ commouiſſet.* Opponet aliquis, quod in agibilibus & conſtitutionibus humanis vel ſententijs, vel ſanctorum canonizationibus, eccleſia falli poteſt & fallere, ſecundum iura & experimentis plurimis? Reſpondetur, ſecus eſſe in his quæ ſunt facti vel iuris humani, & in his quæ ſunt iuris diuini de neceſſitate ſalutis agnoſcendi; cuiuſmodi ſunt veritates fidei, præcipuè articulorum: propterea aſſiſtit ſpecialius, vbi non ſufficit humanum auxilium, ſicut in determinatione veritatum fidei, quam in alijs, in quibus non neceſſariò ſtat ſalus. Nihilominus attendendum eſt multiplicem

multiplicem esse doctrinarum (per ecclesiam seu concilium vice sua) approbationem. Quędam approbātur, vt certitudinaliter, verè, necessarióque credendæ: quædam, vt vtiles ad moralem, religiosamque doctrinam, sine mixtione falsitatis noxiæ; non tamen sunt sic, vt credantur obligatoriæ, sed dicūtur de pietate fidei: quædam verò solum permittuntur vt legantur, non quin sint mixtę falsitates, sed habent aliunde plurimas vtiles doctrinas, sicut sunt scripta multorum doctorum: & ita Augustinus sua scripta recipi volebat. *Noli inquit, meis literis quasi canonicis scripturis deseruire:* Et iterum, *Negare non possum nec debeo* (*sicut in ipsis maioribus*) *ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari.*

Sumitur hic duplex veritas: Canonizatio personæ non cōpellit firmiter adhærere doctrinæ suæ: Patet etiam in martyribus, vt in beato Cypriano: Patet de pluribus canonizatis, quorum quotidie positiones à scholasticis non tenentur, sed palam negantur, aut cum reuerentia, si fieri potest, exponuntur. Altera veritas, debet cum maturitate maxima, & non sine grandi necessitate reipublicæ determinatio fieri in materijs fidei, maximè condendo articulum vniuersaliter obligantem. Alioquin formidandum est de scandalo vel schismate non faciliter exterminabili si qui dissenserint. Doceat nos schisma Græcorum. Hac ratione sacræ theologiæ facultas Parisiensis, frequenter (dum quæruntur ab eadem decisiones dubiorum quasi neutrorum) solet non per se totam dare determinationem, sed deputatos suos pro consilio dando committere. Quanto amplius hæc autoritatis grauitas est in generali Concilio, nec non in summo pontifice conseruanda? Neque tamen ita declinandum est ad nihil determinandum, ne quod apertum in fide & moribus scandalum radicetur &c.

Consideratio secunda.

Examinator iuridicus doctrinarum fidem tangētium, Papa supremus est in terris, post generale Cōcilium, vel cum ipso. Deducitur autoritate canonum cum ratione morali præsupposita fide: Quoniam supremus in omni politia, iuris habet dubia circa politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appositione pœnarum in rebelles, hoc autem est iudiciū autoritatiuum. Diceret aliquis non oportet ita fieri, cum Papa sit deuiabilis, non enim est magis confirmatus quam Petrus erat? Vnde reprehēsus est à Paulo, eò quod non rectè ambularet ad veritatē euangelij. Cōfirmat hæc obiectio consideratione præcedentem, sed plus infert quam oportet: neque enim potest assiduè Cōcilium generale haberi pręsentialiter pro decisione dubiorum, nec expediret passim ita fieri: supremus autem in ecclesia faciliter aditur: qui si nollet omnino pertinaciter ea quæ sunt fidei declarare, vel erraret declarando, superest iudicium Concilij. Porrò non sequitur, Papa potest in definiendo fallere vel falli, igitur nō est iudex idoneus, sicut in alijs patet instantia. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: prima, quod determinatio solius Papæ in his quæ sunt fidei, non obligat, vt præcisè est talis, ad credendum; alioquin staret in casu, quod quis obligaretur ad cōtradictoria, vel ad falsum cōtra fidem.

A Secunda veritas est, quod sententia papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum cōtrarium, nisi per illos, aut apud illos, qui manifestum cōtra fidem deprehendunt errorem, & scandalum grāde fidei suo silentio fieri, si non opponerēt se, cognoscūt. Quod si fieret prosecutio sententiarum & pœnarum cōtra eos, sciant beatos esse qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Superest quoque remedium Cōcilij generalis, cuius finalis, autoritatiua, iudicialisque potestas, fundata est indestructibiliter in illo verbo Christi de correctione fraterna, *quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut* B *ethnicus & publicanus.* Cui legi haud dubiè subest Papa, licet hactenus multis hæc veritas non placeret, propter inordinatum fauorem ad summum pōtificem, vel scripta eius malè suscepta, plus quā ad Christum & euangelia. Nunc autem opposita falsitas, est hæresis expressè damnata per cōcilium Constantiense, cum alijs multis, in vtilitatem totius politiæ Christianæ.

Consideratio tertia.

Examinator iuridicus & ordinarius doctrinarū C huiusmodi est Prælatus in sua iurisdictione, cui cōmunicat Inquisitor. Deducitur hæc consideratio per canonicas monitiones, & censuras prælatorū exhortatiuas, vt diœceses suas extirpare studeant ab hæreticis de hæresibus perniciosisque doctrinis. Sumitur præterea ratio proportionalis ad autoritatē Papæ, necnō per ordinē hierarchicū figuratū in cōsilio dato Moysi per Ietro socerū suum.

Sed notetur hic duplex veritas, Prima, quod nullus Episcopus inferior potest condere articulum D fidei catholicæ, qui videlicet ad totam ecclesiam se extendat: non enim potest in eos obligationem ferre, quos non habet in iurisdictione subiectos. Differt igitur determinatio Papæ, quoniam generalis est, & ad omnes catholicos se extendit quo ad pœnam. Sic intelligere debent dicētes, nullum præter papam condere posse articulum, alioquin fallerentur; quoniam in suis diœcesibus prælati ius habent cum appositione cauti consilij. Pro quo sit secūda veritas distinctione præmissa, quod aliquæ sunt doctrinæ palā hæreticales apud omnes: Aliæ E dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus & peritis; Tertiæ veluti neutræ, habentes pro se doctores, cum rationibus ad vtramque partem probalibus: nec in vna tantum diœcesi vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos: Est ergo veritas, quod in primis & secundis, autoritas inferiorum prælatorum se extendit, & ad suos tātummodo: In tertijs verò nequaquam, quoniam meritò dicuntur maiores causæ fidei, propter difficultatem decisionis cum periculo scandali, ideo F sunt ad sedem ecclesię, vel ad sedentem in ea summum pontificem referendæ: iuxta illud, *si quid ambiguum vel difficile &c.* vocans causam grandem, non ratione materiæ, sed ambiguę difficultatis interminatione: Cuius distinctionis ignorantia vel dissimulatio culpabilis, non paucos depulit in errores, scandalosaque iudicia contra ordinariam & doctoralem potestatem nostra tempestate.

Consideratio quarta.

Examinator partim autēticus, partim doctrinalis huiusmodi doctrinatū, est quilibet in sacrę theologiæ facultate licētiatus aut doctor. Deducitur hęc cōsideratio per formam verborū, quibus datur li-

centia magistralis. *Ego autoritate apostolica* (dicit Cancellarius) *do tibi licentiam legendi, regendi, disputādi, docēdi in sacra theologiæ facultate hic & vbiq; terrarū, In nomine patris & filij & spiritussācti, Amē.*

Ex hoc absque vlteriori deductione, sumitur duplex veritas, Prima, quod doctores theologici non sunt arcendi sine causa rationali ab exercitio prædictorum actuum, quoniam Papalis autoritas licentiam confert eis: non ita tamen quin diœcesani, seu locorum ordinarij, possint obsistere vel non consentire pro rationabili voluntate. Exemplum de potestate sacerdotali, quæ æqualis est in quolibet, quo ad corpus Christi verum, sed diuersificatur quo ad mysticum, quod iurisdictionis respicit potestatem. Exemplum in magistris in artibus, qui non legunt semper artes vbi volunt, nisi scholasticorum consensus habeatur. At verò sumitur ex hac declaratione veritas altera, quod doctores theologici non obligantur præcisè ex potestate sibi tradita prædictos actus legendi, prædicandi &c. passim exercere. Secus de prælatis ordinarijs; quorum officio pastorali, annexum est debitum, vel obligatio prædicandi, &c. subdito sibi gregi, sicut iungit Apostolus hæc duo, *pastores & doctores*, quod ratio manifesta conuincit. Oportet enim quosdam esse in ecclesia, qui sint ex officio instituti tales actus exercere, alioquin non fuisset instituta perfectè, contra illud: *Dei perfecta sunt opera.* Nō autem sunt alij sic obligati per officium tanquam pastores simul & doctores, nempe soli doctores. Possent consequenter inferri veritates multæ salubres de necessitate studij theologici, nisi silentium breuitas indiceret. Dictum est præcisè & passim, quoniam aliunde potest doctor theologus obligari, prædicare vel docere, vel scripturas interpretari verbo vel scripto, dum necessitas imminet hæreticos & hęreses repellendi: Aut quia videretur ingratus donis Dei: quemadmodum loquuntur, quærentes, si sacerdos non beneficiatus, possit sine peccato, ab omni celebratione cessare: Additur tertia causa, dum specialiter mittitur per ordinarium suum, quo casu tenetur ei de sustentatione sua sufficienter prouidere; qua data, iam contrahitur obligatio quasi pastoralis in præfato doctore, neque enim dicere potest in velamen sui officij, *Nemo me conduxit.*

Consideratio quinta.

Examinator huiusmodi doctrinarū est per modum doctrinæ quilibet in sacris litteris sufficienter eruditus. Deducitur hæc cōsideratio per illam maximam à sapiente philosopho positam: Quod eorum quæ quisque nouit est iudex bonus. Iterū, quia nullis existentibus quibus cōferretur gradus licentiæ, quia vel nollent recipere, vel nemo conferret: possent nihilominus prælati secū assumere (pro plebis eruditione & fidei cōsilio) sufficienter in sacris litteris eruditos. Hoc tamen obseruato, quod dignus est mercenarius mercede sua, contra illos qui pretijs & magnis pensionibus cōducunt procuratores, & aduocatos, vel sollicitatores causarum prophanarum, theologos verò vix vel gratis dignantur assumere: adeò terram sapit animalis homo, adeò quærit non quæ Dei sunt sed sua, nec tam sua, frequenter ex abusu.

Iungatur huic considerationi cum sua declaratione duplex veritas, Prima, staret quod aliquis simplex nō autorisatus, esset tā excelleter in sacris A literis eruditus, quod plus esset credēdum in casu doctrinali suæ assertioni, quā Papæ declarationi: constat enim plus esse credendū euangelio quam Papæ; Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in euāgelio contineri, vbi & Papa nesciret, vel vtrò erraret, patet cuius pręferendū sit iudiciū. Altera veritas, talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem partē ad oppositū euangelij malitia, vel ignorātia declinare: exēplum beatissimus dedit Hilari⁹, Vnde B quāuis ab initio militātis ecclesię (quæ cōponebatur ex apostolis & immediatis successorib⁹ nouiter & certitudinaliter à Christo doctis de multis quæ nō sunt scripta) plus esset credendū autoritati talis ecclesiæ quā Euangelio cuicunq;, priusquā esset ab ea receptū, vel autorizatū, nihilomin⁹ post approbationē & autorizationē quatuor euāgeliorū per dictā ecclesiā, plus esset credendū euāgelio, quā alteri cuicūq; humanæ autoritati, nō dicitur quā totius ecclesię, quoniam illa est autoritas C Dei & Euāgelij, nec potest errare in fide, lege stāte.

Consideratio sexta.

Examinator huiusmodi doctrinarum, est omnis habēs descretionem spirituū, quantū hoc donum spiritussācti in eo vult extēdi. Deducitur ex terminis, quoniā spiritussāct⁹ in manifestatione veritatis intima, nec fallere nec falli potest: quēadmodū theologi fundāt, quod nec fidei, nec sensu literali scripturæ subesse potest falsum, alioquin nihil autoritatis ad credendū, nihil roboris ad persuadendum sibi subsisteret. Est autem sensus literalis, non D solum grāmaticalis, sed nec strictè logicalis, verum ille quem spiritussanctus principaliter intēdebat, qui ex circūstantia literæ, cū causis dicendi & modis exponendi, magis patet. Vnde generaliter in parabolicis locutionibus sensus literalis est, non qui per verba, sed per res & facta designatur, vt de lignis constituentibus sibi regem &c. Porrò donum discretionis spirituū, quādoque datur ad priuatam instructionem recipiētis, quasi priuata lex: de qua canon tradit eos qui priuata lege dicuntur generali non teneri. Est autem operatio sua facere E quodā intimo sapore cum illustratione certa, cognitam esse veritatem: exemplum de Monica matre sancti Augustini, secundum relationem eius in cōfessionibus. Datur aliquando discretio spirituū principaliter ad ædificationē ecclesiæ, sicut & donum prophetiæ vel linguarū, vel gratia sanitatum, cum similibus: & hoc reperitur in reprobis, secūdum apostolum & euangelium: quibus si semper, & quomodo credere debeant fideles, grādis quæ- F stio est, quam videtur summatim absoluere canon dicens, *Nemini dicenti se missum desuper oportere credi, nisi de sua doceat missione*: Exemplo, Ioannis Baptistæ: Iuxta quod sumitur prima veritas, quod habendi sunt suspecti vel non statim admittendi in doctrinis suis, maximè si sint extranei, tales qui se dicunt discretionem & visionem spirituum, dono sancti spiritus, possidere, alioquin qui cito credunt, leges sunt corde & faciles ad errorem; quid fiet igitur? Certè iudicium expectabitur, secūdum præmissos quinque gradus examinandi doctrinas, ab infimo vsque tandem ad supremum. Quod est consilium si res appa-

apparuerit prioribus ambigua & vrgens decisio reputetur. Altera veritas, Nemo facile debet æstimare se priuata lege moueri, quin humano se paratus sit subdere parereque iudicio, quoniam nō est dissensionis Deus. Neque formidet qui huiusmodi est, si cum vera humilitate consilium quærit alienum, se propterea decipiendū, vel à spiritu sancto deserendum, exemplo prædicatoris nostræ ætatis egregij magistri Vincentij. Concludit Dominus Bonauentura pro præmissis, vbi quærit, si quis possit excusari adorando diabolum ostendentem se vice Christi, quod nequaquam. Ratio, quia superest tali casu triplex remedium, videlicet suspensio iudicij proprij, petitio alieni consilij, aut tandem imploratio diuini auxilij: quod nō deerit faciendo quod in se est primis duobus modis: exemplo beatissimi Martini & aliorum plurimorum. Obijcit idem Bonauentura de adoratione Eucharistiæ, quandoque non consecratæ in manibus sacerdotis. Respondet casum istum cōmunem esse, qui semper implicitam habet conditionem, vel præsumptionem, quod sacerdos fecerit secundum debitum ecclesiæ ritum, quæ conditio non debet exprimi in adoratione; saluatur tamen adoratio ne peccatum sit propter morem fidelium; exemplum de adoratione imaginum: Non sic de adoratione panis in mensa, etiam si conditio poneretur dicendo, *adoro te si tu sis consecratus*: non enim sunt tales circunstantiæ prout in altari. Sumitur inde consequenter cautela pro laicis circunstantibus altari, quod hostiam non adorent, quantumcunque videatur in manibus sacerdotis, nisi cum eleuatur, & postmodum: Sed nec sacerdos cautè facit, non abscondendo visionem à populo dum consecrat. Aut cortinarū vsus deberet opponi, aut à circuitu altaris arcendi essent alij, maximè populares.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS.

Consideratio prima.

ATTENDENDVM in examinatione doctrinarum, primò & principaliter, si doctrina sit conformis sacræ scripturę, tam in se quam in modi traditione. Declaratur ex autoritate beati Dionysij dicentis in sententia, Nihil audendum dicere de diuinis, nisi quę nobis à scriptura sacra tradita sunt. Cuius ratio est, quoniam scriptura nobis tradita est tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine toti' ecclesiastici corporis & membrorum, vsque in finem sæculi. Est igitur talis ars, talis regula, vel exēplar, cui se non conformans alia doctrina, vel abijcienda est vt hæreticalis, aut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda. Hinc glossa quædam super illud, *Apparuerunt Moyses & Helias loquentes cum eo.* scilicet Iesu in transfiguratione: Suspecta est omnis reuelatio, quam non confirmat lex & prophetæ cum euāgelio: quæ tria significant Moyses, Helias & Christus; alioquin delusiones dæmonum, aut potius proprij capitis phantasiationes quàm reuelationes habeātur. Talibus idiotis obijciatur illud Christi, *erratis nesciētes scripturas.* At verò dicet aliquis, ecce quod à prin- (*matth. 17.*)

cipio & vsque nunc, doctrinæ salubres tam verbis quam scriptis insertæ sunt, quas scriptura sacra nō continet. Immo continet respondemus secundū aliquem gradum veritatum catholicarum, quos gradus, quoniam alibi explicauimus, breuitas hic non apponit. Quæret aliquis, quid sibi vult finis huius considerationis, loquens de modo traditionis scripturæ, nūquid potest alia salubris doctrina taliter tradi, quod redderetur inepta & nociua? Potest vtique: Ponitur ad præsens exemplum de doctrina Raymundi Lulli, quæ quidem & vera & copiosa multa continet, non tamen in multis absque ponibili calumnia, de quibus nihil ad pręsens. Hoc vnum placet inserere temporibus nostris in sacra Theologię facultate Parisijs institutum. Habet ipse Lullius, modum traditionis specialem sub magnis voluminibus ad certa nomina, ad characteres, & figuras, sensit eadem facultas nonnullos de suis suppositis, vt proni sumus ad nouitates, velle traditionē huiusmodi multiplicare per studium, nam in Arragonia dicitur edoceri. Constituit protinus statutum (quod patribus Cartusiensibus, prope Parisios significauit per literam, habēt enim copiam librorum dicti Lullij,) quo statuto prohibebātur omnibus suppositis suis, ne derelinquentes modum doctrinalem sanctorum doctorum per ecclesiam approbatorum, & qui tentus est hactenus in sacra Theologiæ facultate, transirent ad nouam hanc phantasiandi curiositatem.

Elicitur ex his cū præcedentibus, duplex cautela, nedum pro examinatoribus, sed receptoribus doctrinarum, maximè religiosis, quos sua sancta, nō dicam rusticitas cum Hieronymo sed humilis, & Deo amabilis simplicitas commendat. Nam qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Simpliciter intellige non ignoranter, nō infantili sensu, nō negligenti vel hebeti intellectu, sed absque plica dolositatis, versutiæ, aut curiositatis superbiæ: alioquin qui ignorat ignorabitur? Prima cautela sit eis, nullam recipere doctrinam absoluto iudicio, nisi altero sex modorum primæ partis, approbatam; & eò magis, si sermo vel modus sit extraneus à communi sermone doctorum, quamuis sententiæ graues apparerent morales vel philosophicæ. Theologizat aliquando dæmon, ait Climacus, & patet in euangelijs, etiam coram Iesu, quem tentare præsumpsit & dicere, *Scriptum est, Angelis suis mandauit de te, &c.* nihilominus prohibuit Christus: Cui Paulus & alij se conformant, ne testimonium quantumlibet in superficie verum, acciperetur a dæmoniacis vel Pythonibus, vel simulacris, & prophetis insanientibus, vt Sibyllæ sunt & ventriloqui, cum cæteris magicis maledictis. *Nam quæ communicatio lucis ad tenebras, & Christi ad belial?* Ratio prima, (*2. Cor. 6.*) quia sunt excommunicati: secunda, quia nullum verum, bono fine dicunt: Tertiò, quia continuò aut tandem falsitatem ingerunt, etsimile præmiserint veritates: non est enim doctrina fallens, quæ vera non misceat, secundum Bedam. Altera cautela est, conferre protinus doctrinam, quæ terminos habet extraneos, vel sententias nouas & peregrinas, ad terminos doctorum communium, & sententias eorum. Hoc Christus contra diabolum egit, hoc magnus Antonius docuit, hoc Paulus intellexit, cum diceret ad discipulum, *prophanas*

vocum nouitates deuita. Hoc Augustinus nobis inquit ad certam regulam loqui fas est. Hoc Hieronymus, Ex verbis inquit inordinatè prolatis, oritur hęresis. Hoc serenissimè custodiuit sacra Theologiæ facultas Parisiensis: cuius vnum è multis sit hoc exemplum. Vnus licentiatus posuit in vesperijs, *quod pater erat causa filij*, id est pater generat filiũ: confestim oppressum est os eius, neq; sibi permissum est talibus vti terminis, licet ostẽderet exponendo se verũ tenere sensum. Sic Augustinus cuidam loquenti de fato iuxta philosophorum aliquorum veram sententiam, *quod Deus erat fatum*: Tene inquit sententiam, sed corrige linguam.

Consideratio secunda.

Attendendum est in examinatione doctrinarũ, cuius sit conditionis docens, seu publicans, siue scribens. Declaratur, quia nõ modicum refert inter doctũ rei de qua loquitur, & inter indoctum; & inter senem & iuuenem; inter morigeratum & dissolutum; inter hominem boni naturalis iudicij & patientem in cerebro vel imprudentem: demum inter virum mulierem. Fuit Galenus in arte sua peritissimus medicinæ, memini dum puerulus studerem in artibus, ipsum irrisum, quia posuit quartam figuram in syllogismis: mittit inquiunt, falcem suam in messem alienam, quia non logicus, sed medicus est. Loquitur aduersus eundem Rabbi Moyses medicus, quia præsumens de scientia medicinæ, præsumpsit consequenter de multis, tanquam illa sicut medicinam cognosceret, in quibus turpiter ipsum errasse notauit: Et hic error familiaris est ad modũ sapientibus huius sęculi, qui dum se vident honorari pro aliqua scientia, sit legum, sit canonum, sit industriæ mundialis, laxant faciliter ora, de sermonibus quos nesciunt; vt de Theologia, quasi verecundarentur aliquid ignorare. Aut aliquando maiori dementia, quæ non cognoscunt in se, despiciunt in alijs, tanquam superuacua & noxia, ne videatur ea qui sunt vtilia nequaquam cognoscere. Quanto consultius iubet sapiens: *Prudentia tua pone modum,* (Prou. 23.) *quoniam magna pars scientiæ est*, dicit Hieron. *scire quid nescis: magna demum modestia taliter agnoscere.* Porrò differentiæ patent reliquæ, de senibus expertis quibus ideo est sapientia: de bene morigeratis quasi humilibus: de naturaliter prudentibus respectu iuuenum, quos ait Aristoteles nullus eligit, cum constet eos non esse prudẽtes propter inexperientiam: respectu quoque maleuolorum quos excæcat malitia: respectu denique melancholicorum, qui seipsos regere vel propriã domum nesciunt, desipientes in manifestis. Postremò sexus muliebris ab apostolica prohibetur autoritate ne palam doceat: doctrinam intellige, seu verbo seu scripto nomine suo publicatã, maximè si fuerit ad viros, nec qualescunque, sed sapientes, & eruditos, sed status in deuotione vel religione præcellentis. Sententia est Gregor. præsumptionẽ esse, velle docere sanctiorem doctioréq;. Culpat Hieronymus eos qui discunt (proh pudor) à fœminis quod viros doceãt. Quid si talis sexus apposuerit ambulare in magnis & mirabilibus super se, visiones quotidie super visiones addere, læsiones quoque cerebri per epilepsiam vel congelationem, aut aliam melancholiæ speciem ad miraculum referre. Nihil denique dicere nisi vice Dei, sine medio reuelantis: appellare sacerdotes Dei, filios suos, docere eos professionem suam in qua nutriuntur assiduè, qualiter obedire superioribus deberẽt, etiam vbi diabolus esset incarnatus: Quod si dolent in aduersis pro sensualitatis amore, sunt imperfecti; cum nec Paulus nec Maria, nec Christus (haud dubiè perfectissimi) fuerint doloris expertes; immo, si desunt penè sensus, qualis erit patientiæ virtus? Dicit altera se annihilatam fuisse pro morula temporis: Altera quod mirabiliori vnione Deus vniebatur sibi, quam humanitati susceptæ Christus iungebatur, cum talibus sine numero, quæ nec magnis voluminibus, plenè referrentur, aut relata cõtinerentur per singula. Dictum est grauiter à poëta, *Varium & mutabile semper fœmina*: quales describens apostolus, vitare docuit curiosas, & verbosas, ductas varijs desiderijs. Et væ parenti nostræ primæ, quæ primo verbo, super relatione diuini præcepti, bis mentita est. *Præcepit inquit Deus ne comederemus, & ne tangeremus*, hoc addit, *ne tangeremus*, sequitur, *ne forte moriamur*: ecce incertum retulit quod erat certissimum. Neque tamen ista dicentes, derogemus gratiæ Dei, neque mulierum, quas elegit, priuilegiatæ sanctitati, sed vigilandum est aduersus astutias diaboli iam ab initio cœptas: & cautela duplex inter alia sumenda est. Prima, omnis doctrina mulierum maximè solẽnis verbo vel scripto, reputanda est suspecta, nisi prius fuerit altero sex modorum (quos prima pars refert) diligẽter examinata, & multo amplius quam in doctrina virorum. Cur ita? patet ratio, quia lex communis nec qualiscunque, sed diuina tales arcet. Quare? quia leuius subductibiles, quia pertinacius subductrices, quia non constat eas esse sapientiæ diuinæ cognitrices. Aliud quoq; est garrire quæ venerint ad phantasiam: aliud de scripturis sanctis proferre sermonem: istud cum artis stabilitate subsistit: aliud dilabitur sine firmitate. Vbi sunt scripta tot deuotissimarum eruditissimarum fœminarum, sicut Paulæ sicut Eustochium: certè nulla supersunt, quia nulla præsumpserunt. Secunda cautela quæ tacta est, conferatur statim doctrina per singulas sententias & verba, si sit conformis ad doctores approbatos, & si sic, quid addit ad illos in pondere sententiarum, vel religionis ædificatione pensetur: Sunt enim doctrinæ quędam habentes folia verborum quasi speciosissima, quæ si discutiantur, inueniuntur similes ficulneæ, cui maledixit Dominus, quia sunt sine fructu, aut pro fructu reddunt instar pomorum Sodomæ solum cinerem, quo turbatur sensus, non reficitur affectus, nec tandem illuminatur intellectus.

Notetur ad extremum quod sancti prophetę & doctores iam vniuersaliter approbati, recipiunt in suis verbis obscuris & ambiguis interpretationem, qualis non debetur nouellis prophetantibus de corde suo, aut priusquam constiterit quasi de suo, quamuis diuino.

Consideratio tertia.

Attendendũ est in examinatione doctrinarum, cuius conditionis sunt huiusmodi doctrinas vel audientes, vel conducentes, vel recipientes. Dixit sapiẽs de principe, id quod ad omnes trahi potest: *Qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios*. Quid nempe est efficacius ad corrum-

corrumpendam omnem doctrinam, quàm adulatio subdola vel consulentium, vel conscribẽtium, vel audientium, vel recipientium cum indiscreta laude, & inexaminata gloria simul cũ admiratione. O quotiẽs vidimus impletum illud comici de adulatore, hic profectò ex stultis insanos facit. Quod in de Amicitia vetuit Cicero, dicens homines adulationis impletos vento, sibi sumere species improbissimas, vel errore suo fundatas, vnde nihil superest ipsis nisi discrimen & perditio; dum tales hi se reputant, quales audiunt, doctos, sapientes, deuotos, eloquentes. Quo contra nihil est optabilius ad virtutem humilem, quam libẽter, nedum audire, sed inquirere diligenter, qui dicat ei cum omni libertate veritatem. Sint in exemplum nobis Lucifer cum angelis suis, quos quid aliud quam propria fefellit adulatio? Sint homines qui se tanquam deos hac tracti vesania, coli iusserunt extorseruntque. At verò quid ad rem spectat quæ nunc agitur, quæret aliquis? Multum certè per omnem modum, quod sub cautela duplici notabimus. Sicut nullum habet vir vel mulier efficacius apud se remedium pro delusionibus euitandis, quàm eas cum humilitate secula fugere, nec quærere per miracula vel reuelationes regi, spreto humano sapientium cõsilio; sic aliorum respectu, nihil fugibilius habere debet, quàm adulationem indoctorum vel prauorum, nihil quoque desiderabilius, quàm hærere comitibus (sint cõfessores, sint alij) qui sine plica dolositatis, ingerunt assiduè simpliciter & humiliter sapere. Talẽ habuisse beatum Bernardum fratrem suum Gerardum referũt, qui nec in manifestis signis applaudebat beato Bernardo, sed cum aspernationis cachinno reijciebat, non ad nequitiam proteruam, sed humilitatem piam agens. Sunt confessores, qui de nonnullis quos vel quas audiunt, verba faciunt in bonum, ô quam pura mens, quam integra, quam sine mortali delicto! essem talis vtinam cum mei similibus, non aduertentes qui taliter agunt, se per indirectum, culpare reliquos confitentes eis, quos non ita prædicant, simul & occasionem dant suis laudibus, non qualitercunque, sed in confessione mentiendi. Esset hic habendus sermo latior, præsertim in materia canonizationis & testificationis sumptæ per confessores. Sed super his & alijs particularior erit inquisitio facienda, dũ modus exẽplaris, idest per narrationes exemplorum tractabitur. Sequitur altera cautela pro prælatis, & specialiter doctoribus, apud inferiores præsertim idiotas, ac sine literis mulierculas. Caueant qui dati sunt in regimen & exemplum, ne leuiter suis verbis aut factis approbent doctrinas earum, vel miracula seu visiones insolitas, ipsis maximè scientibus, seu coram eis: nulla planè posset altera dari talibus ad fingendum fortior occasio. Experti pluries loquimur, & Gregor. ix. testis fuit idoneus, sed tardus nimis; hic positus in extremis, habẽs in manibus sacrum Christi corpus, protestatus est coram omnibus, vt cauerent ab hominibus, siue viris siue mulieribus, sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis: quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili cõsilio se traxerat, & ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors prouideret spõsus Iesus, quod horrendus vsque huc nimis patefecit euentus &c.

A *Hic Papa cùm esset in Auinione, per Catharinam de Senis inductus est, qualiter se Romam transferret, Cardinalibus & cæteris dissuadentibus, quo cum veniret, circa dimidium annum obijt. Ex tunc cœpit schisma, quod circa annos 40. durauit. Vrbano VI. & suis successoribus in Roma videlicet Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Ioanne XXIII. Martino V. vsque ad concilium Constantiense. In Auinione vero Clemente VII. & Benedicto XIII. qui & Petrus de Luna, electis.*

Hoc Cancellarius non ponit, nec vsquam eam nominat: Sed Dominus Stephanus olim Prior Carthusiæ in B *Seitis, postea Papia, asserit propria manu ex Catharina proprio ore, easdem literas scripsisse ad Papam, &c.*

Consideratio quarta.

Attendendum est, quis finis sit huiusmodi publicationis doctrinarum secundum alterum triũ finium; qui sunt bonum honorabile, vtile, delectabile. Et primò de honorabili vt de fastu describens Augustinus hæreticum, dicit eum esse, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatúsque sui gratia, falsas & nouas opiniones, vel gignit vel sequitur. Notat summa de vi- C tijs & virtutibus, in tractatu de fide, causas octo confectionis hęresẽum. Remittamus ad illam quã libenter hic & alibi commemoramus summam, quoniam ex optimis vndecunque collecta est, cuius autor contemporaneus satis fuit Guilhelmo Parisiensi, & sancto Thomæ, vir sine gradu, de conuentu prædicatorum Lugdunensium. Hic nihil in compilatione de phantasia proprij capitis, sed de communi aceruo scripturarum doctrinam D nectit; cui si comparentur nouellæ visiones nostrarum vel nostrorũ, ô sapientissime Deus, quantum solidiores, non vmbratiles inuenirentur: ab eis tamen, quibus aduersus sapientis cõsilium, non est persuasum, quod aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconsus suauior, quique magis ea mirantur, quæ vel non intelligunt, vel insolita sunt, separatum volentes habere conuiuium, similes Atheniensibus, volẽtes semper audire aliquid noui, prurientes auribus. Quo cõtra sit cautela duplex, ruminet assiduè docẽs, vel scribẽs, vel studẽs, quis E suus sit finis intentus: Pauci sunt admodũ qui non respondeant, *vt tandem saluus fiam:* Sed sæpe sub generalitate mentitur iniquitas sibi, dum ad particulares & proximos venitur fines, & *sub negotio charitatis, agitur negotium vanitatis.* Tentationẽ superbiæ reputauit Augustin⁹ ideo difficile cognoscibilem, quia non habet homo fas experiri, quẽadmodum paratus est gloriam cõtemnere, sicut non est fas homini male viuere ne laudetur. Accipiebat autem sibi quidam nostri tẽporis signum tale; quærebat à seipso corã Deo, de doctrinis proprijs, F quas vel ex officio, vel pro laudabili (cõtra otium iners) exercitio, vel pro quæsiti distributione talẽti, (pro tẽporis necessitate) scribebat. Ecce seruatur integra tibi merces (ait) à Domino cõseruetur, & aliud sua proximis tuis ædificatio per alienam doctrinam, seu per tuam velut alienã, quasi mortuus sis à corde, quid respondes? Nunquid non adhuc in publicum prodire tua cuperes scripta? Si tandem inueniebat in conscientiæ serenitate, quod æquo animo celari scripta sua tali casu vellet, gratias agebat Deo, tanquam excussus à palea vanitatis. Quæsiti fuerunt à beato Gregorio libri

sui, remisit ad libros Augustini, suadens in illis potius exerceri. Altera cautela suadet habere promptitudinem, quod doctrinæ quas aliquis legit, aut studet, aut scribit, publicum subeant examen, & potius in vita quam post mortem; vt si quid erroris deprehensum fuerit corrigat viuens. Sonant hanc promptitudinem protestationes fieri solitæ in actibus sacræ Theologię publicis: hoc intendebat qui dixit. *Hæredicare potero, sed hæreticus non ero:* quare? quia nemo nisi pertinax hæreticus est: nemo quoque paratus corrigi pertinax est. Respicit hæc cautela venerabilem & Deo sacratum patrē, cuius occasione sumptum est præsens opusculū, qui libros alios sui temporis nouellos voluit examen habere. Respicit & omnes in communi doctores, quatenus ea studiositate doctrinas componant suas, tanquam protinus interrogandas ab hominibus. Fuit iste, vt arbitror, non paruus stimulatus beato Hieronymo, qui se tot aspiciebat habere obseruatores & æmulos, vt quam optimè scriberet vel transferret.

Consideratio quinta.

Attendentem est in examinatione doctrinarum de fine: si sit ad commodum temporale, vel quæstum. Dici non potest quam mendax est cupiditas, nec diuinis parcit nec humanis. Hoc in aduocatis pluribus eruditis ad mendacium qualibet in causa: hoc in doctrinis vsurariorum & simoniacorum: hoc in quæstoribus publicis, super confictione miraculorum, vel reliquiarum, vel indulgentiarum: hæc heu dolorosius quò perniciosius & indignius in prædicatoribus nonnullis ad populum! suas vltra modum concessiones, & priuilegia, dignitates præiudicialiter amplificantibus, vbi quoque crebrò videre miserabiliter est, quemadmodum Sathanas in se diuisus est, habent doctrinas suas suorumque, mutuò præferunt, exaltant, per fas nefásque defendunt. Ac proinde quot in fide, quot in bonis moribus scandala, quot errores etiā circa nobis naturaliter impressa prima legis principia viderit ætas nostra? Plangere nunc magis quā in medium reducere libet, duplicémque notare cautelam. Prima consulit simplicitati deuotorum, quorum non interest curiosos esse super intensionibus occultis scribentium, quatenus expeditam regiamq; viam incedant legendo scripturas, quas sciunt ab ecclesia tota receptas, quales vtique sufficiunt. Aut si pro dubiorum decisione nonnunquam occurrentium, habendū sit consilium, quærantur ab illis tales, quos minus est probabile fauore vel odio; quæstu vel fastu trahi: quales sunt iam mortui, viuentes in scriptis suis, si materiam quæ quæritur attigerint: si præterea fuerint in illa tam intenti quam experti. Multi nimirum multa scribunt velut in transcursu; multa quandoque nō satis ad suam spectantia facultatem, vt si Theologus purus, vellet de punctis exquisitis canonum purè positiuorum; aut purus canonista de apicibus Theologiæ declarandis, ferre sententiam: cuilibet in arte sua potior est danda fides, si non alia ratione pactum vt aiunt reformetur, *quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri*, refert ab Horatio Hieronymus. Grandis autem cōquisitio caderet hic de doctrinarum hæreticalium cognitoribus atque iudicibus, qualis sit aptior scientia: nunquid Theologica vel canonica: sed distinctio concordiam facit, quæ suum cuilibet tribuit officium; theologo de veritate catholica, aut opposita hæresi; iuristæ de pœnis & modo iudicij confert partes suas: cuius declarationem alibi traditam hic non inserimus, secundam ilico componentes cautelam.

A

Prouidendum est sedulò per rectores Christianitatis, ne studium Theologicę veritatis deperear, sed alicubi resideat velut in fonte. Alioquin, timēdum est ne superseminentur hæreseum zizania, propter varietatem tot capitum, tot insuper passionum diuersarum, vnde multiplicatio sequitur iudiciorum; vbi si desit recursus ad theologos nō deprauatos, & in vnum collectos, quis oro prouidebit? Si dixerit aliquis, fiet recursus ad sedem & Curiam summi pontificis. Non negabimus hoc, si Theologia illic habuerit suos doctores non partiales, non seductos, non fastuosos, non quæstuosos, aut inuidos, non potestati seculari, nō spirituali, plus quam veritati fauentes: alioquin tolerabilius esset nullos habere quam tales pati. Acclamātes hic & deridentes nouimus hoc de satrapis ecclesiarū. Quid nobis & ecclesiæ de Theologis? nā per quos alios, hæreses oriūtur & ortæ sunt? certe per eis similes quotidie, & si non in prædicatione, saltē in verbis domesticis & operatione? Sed esto, proueniant hæreses per theologos deprauatos: nō enim theologia, sicut nec canonica scientia cōfirmat hominem in veritate. Nunquid eo casu plus eniti conuenit suscitare contra tales reprobos & noxios, plures alios potentes obsistere suis hæresibus palliatis, quas soli Theologi vel deprehendere vel conuincere sufficiunt? Illi vero culpantur rationabiliter hæreses introducere, qui ex officio resistere debentes, facti sunt speculatores cęci, canes muti, nautæ stulti, nauem ecclesiæ naufragijs omnibus exponētes, quam regere nec sciunt nec volunt; scientibus deniq; volentibúsque succurrere, viam claudunt, ipsos abijciunt, infamāt, spernunt.

B

C

D

Consideratio sexta.

Attendēdum est in examinatione doctrinarum de fine, si sit bonum delectabile, vel carnale, seu spiritualis luxus. Et sicut manifestū est, quod omnis excellens affectio trahit ad se iudicium rationis: Veruntamen sicut nulla est vehementior quā luxuriosa libido, sic ad errandum falsumque docēdum nulla perniciosior. Patuit in sectis Turelupinorum, quorum sequaces nō desunt vsque hodie, quando & vbi latere putauerint serpunt vbilibet. Epicurei sub tunica Christi, qui mulierculis primò deuotionē fingentes specie tenus, paulatim eis fidem, tanquam lumen & oculos tollere quærunt, quatenus eas licentius ad desideria sua maligna prostituant. Non est nostrum fœditates horrendas detegere, considerantes illud apostoli: *Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere.* Porrò luxus spiritualis accipitur omnis curiositas improba, sciendi quæ non oportet, vel plusquam oportet, iuxta personę qualitatem. Sit igitur prima cautela, nō plus sapere velle quam oportet, sed ad sobrietatem, quia non omnibus omnes doctrinæ cōueniunt; sed studentibus alia iubetur cognosci, quæ vel à religionum professoribus, vel ab hominibus parum idoneis ad apices doctrinarum sublimium prohibentur, quibus lacte opus est, non solido cibo, qui diligentius ad inflammationem affectus piam

E

F

piam & deuotam nutriendi sunt, quam intellectus eruditionem. Non quod spernenda sit intellectus seu rationis illuminatio, sine qua præceps in seductionis baratrum cæcus iret affectus, sed curiositas inconcessa sciendi superba videtur. Vnde generalem finalémque statuimus cautelam, præpositum apostoli verbum: Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, quod vt prudentius obseruari valeat, non minimam dadunt præmissæ considerationes occasionem iuncta sedulitate solertiaque superioris in omni collegio vel vniuersitate vel monasterio, sed prouiderint non minori sollicitudine, quales apud suos doctrinę frequentantur ad animæ fomentum quam panis, qualis apponatur ad corporis nutrimentum. Supersunt alia plurima eò fortassis accommodatiora quò sermo de moralibus particulariter seu practicabiliter traditus, & citius accipitur in æstimatione, & plus hæret in recordatiua motione, sed ad præsens ista cursim dicta sufficiant.

EXEMPLVM QVODDAM DE SEDVCTIONE MVLIERIS, QVOD *accidit anno Domini.* 1424.

RECITATVS est nuper Lugduni Galliæ coram clero processus cuiusdam mulieris delatæ & detentæ Burgi in Bressia, quę est notabilis villa ducis Sabaudiæ, circa quam est domus sellionio ordinis Carthusiensis. Hæc mulier sub pallio deuotionis & reuelationum fingebat mirabilia. Astruebat enim se esse vnam de quinque fœminabus missis à Deo, compassiuè pro redimendis innumeris animabus de inferno. Et iam sua collusione subdola deceperat in religione illa, quam plurimas simplices mulierculas. Sciebat videndo frōtem peccata quæ fecerat vnusquisque, hoc enim secundum August. etiam diaboli malitia scire potest & suis reuelare, non autem ea qui futura sunt absolutè, siue quę in secreto cordis latent, & nullo exteriori motu aut signo sese produnt, habebat etiam supradicta mulier duos carbones in pede, qui eam afflixerant quotienscunque aliqua anima ad infernum descēdisset. Quotidie tres animas ab inferno liberauit, vnam vel duas sine difficultate, aliam seu alias cum pœna maiori vt dicebat. Mentis quoque excessus seu extaticos frequenter habebat, in quibus mirabilia per reuelationem didicerat. Eratque miræ abstinentiæ, singularissimè etiam vitæ. Plura verò alia de ea scribenda forēt. Nuper autem cum spiritus almus sanctæ suæ ecclesiæ rector verus (vt creditur) hunc spiritum falsum detegere vellet, hæc mulier capta, & pœnis vt torqueretur est addicta, quæ omnem veritatem confessa est, qualiter prædicta cupiditatis occasione finxisset vt hoc modo se nutriret & suæ paupertati subueniret aut fortasse pro huiusmodi diabolo se miseram in famulam dedicauit. Inuenta est insuper morbum caducum habere, ac eundem sub extaticis excessibus quos finxerat palliare. De qua cum varia opinio esset an tanquam hæretica condemnaretur, iudicatum est à doctis ad pœnitentiam eam ad admittendam, nec esse hæreticam, quia illa quę fecerat dimisit, nec obstinata permansit.

Finis tractatus de examinatione doctrinarum quoad primum modorum in prœmio positorum.

A

SEQVVNTVR ALIQVÆ CONSIDERATIONES QVOAD TRES *modos reliquos.*



SVPERERAT ex quatuor modis examinandi doctrinas propositis prosequi de tribus. Sed cur istud non sit ad notitiam deductam, tangunt considerationes quæ sequuntur. B Prima consideratio, quod in examinatione doctrinarum non semper expedit notificare particulares defectus qui reperti sunt apud eos qui se alios docere iactabant. Primò ne secretum datum à viuentibus & notis violetur. Secundò ne veris doctrinis & canonicis miraculis seu prophetis apud simplices aut malignos calūniæ locus detur. Tertiò ne particularis enumeratio paucorum sufficiens pro singulis æstimetur. Rursus in examinatione doctrinarum consulendi sunt experti circa particulares casus & euentus, C quos suis temporibus inuenerunt. Primò, quia certius secundum Arist. iudicat experientia quam ars, & expertus quam artifex. Secundò quia non fiunt actiones humanæ circa generalia, sed indiuiduis sicut medicus non sanat hominem, sed hunc hominem, ita moraliter agens non dicitur facere opus in genere, sed hoc opus in singulari, s. cum circunstantijs debitis omnibus istis & illis. Tertiò, quia prudentia quæ doctrix est operum humanorum præsupponit experientiam tam ex præteritis D quam ex præsentibus, ex quibus futura coniecturat. Amplius in examinatione doctrinarum cauēdum est ne decipiatur examinans vel examinanti credens propter relationes insolitas nunc ab illis nunc ab istis perceptas vel auditas, præsertim à fœminis aut à laicis vsurpantibus sibi nomen sanctitatis & docentis. Primò iuxta vulgatum autorem. Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur, & hoc fit sæpe sine consequentia, sine ratione: sed ex fantasia capitis perturbati. Secundò, quia multi sunt qui decipiuntur, quamuis se decipi nesciant, E nec decipere vellent. Tertiò, quia sunt alij multi qui se decipi non credunt, alios tamen decipere volunt fingendo mirabilia, & illa quæ sciunt esse falsa, & istorum infinitus est numerus, & à me qui loquor frequenter expertus, ita quod ex istorum relatione si credere, si referre, si scribere voluissem, grandis effectus fuisset liber atque mirabilis apud curiosos. Benedictus Deus qui per talium irrisionem & contemptum me totiens à seductione seruauit. Fuit pridem fateor, per relationes aliquorū F magnæ merito reputationis proximus seductioni de quodam eremita Remensi, nisi modum respōsionis propriæ Deo volente temperasset. Circa quod tempus opusculum compilaui seu lectionē vnam de distinctione reuelationum verarum à falsis. Subinde in examinatione doctrinarum maximè circa doctrinam theologię mysticę, qui consistit in affectibus & spiritualibus sentimentis non est fas homini magisterium assumere sibi in omnibus, sed spirituisancto debet hæc gratia præcipuè relinqui. Primò, quia spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis, & nescis vnde veniat aut quò vadat,

propterea non debet eius inspiratio sub certis regulis aut terminis comprehendi, sicut ne gratuita visitatio, quę ideo gratuita dicitur, quia purè gratis datur, quãuis vt plurimum non conferatur nisi præparatis & facientibus quod in se est, quales sunt qui exemplo mulieris fortis considerant semitas domus suæ. Secundò, quia diuisiones gratiarum sunt, & vnicuique dedit Deus mensuram fidei solitarijs aliter, aliter scholasticis, & ita de reliquis. Tertiò, quia semel loquitur Deus & idipsũ non repetit, dedit itaque Deus per scripturam suã sacram & expositores suos habere sufficienter intellectum in omnibus, iuxta vocationem vniuscuiusq;. Cæterum vocatio solitariorum & monachorum ista est, vt plus studeant affectui deuotionis, quã intellectus eruditio, nihilominus quia dedit Deus mundum disputationi hominum tanquam occupationem pessimam, saltem malitia pœnæ, ne per otium deterius homines torpescerent, ne præterea præ fastidio deficerent, abominantes manna cælicum condescẽdendum est humanæ fragilitati permittendũ est idcirco religiosis aliquibus inquirere de doctrinis scholasticorum, qui tractari solẽt circa libros sententiarum. Porrò si quæratur à me, quis inter cæteros doctores plus videatur idoneus? Respondeo sine præiudicio, quod dominus Bonauẽtura quoniam in docẽdo solidus est & securus, pius & iustus & deuotus. Præterea recedit à curiositate quantum potest, nõ immiscens positiones extraneas vel doctrinas sæculares dialecticas aut physicas terminis Theologicis obũbratas more multorum, sed dum studet illuminationi intellectus totũ refert ad pietatẽ & religiositatem affectus. Vnde factum est vt ab indeuotis scholasticis quorum proh dolor maior est numerus ipse minus extiterit frequentatus, cum tamen nulla sublimior nulla diuinior, nulla salubrior atque suauior pro theologis sit doctrina. Quãto denique diligentius in senectute mea sum reuolutus ad studiũ ipsius, tanto facta est amplius confusa garrulitas mea. Dixique mecum, sufficit hæc doctrina, vt quid stulto labore consumeris, quid dictas, quid scribis? Multiplicentur potius & transscribantur opera doctoris istius, de quo verè dicitur illud Christi de Ioanne: Erat lucerna ardens & lucẽs. Præterea sicut apud grammaticos Donatus de partibus orationis, & apud logicos summulæ Petri Hyspani traduntur ab initio nouis discipulis ad memoriter recolendum, & si non statim intelligant, sic apud Theologicos discipulos breuiloquium Bonauenturæ, quod incipit. Flecto genua, videretur valde salubriter imponendum iuncto itinerario suo mentis in Deũ, quod incipit. In principio primum principium: Itaque laus omnis inferior est his duobus opusculis, quorum vim agnoscere etiam sola credulitate non paruus est profectus. Denique sermo de sentimentis spiritualibus in contemplatione, in deuotione receptis, nullatenus intelligitur, si non experiatur, & si non intelligitur, & si non amatur, nõ libenter auditur, sed negligitur vel spernitur, nisi quis ita fuerit institutus quod firmiter & piè credat, se præparans vt sapiat & non intelligat, neque sequatur phantasias proprij capitis vel alieni. Sed doctores approbatos & eruditos in vtraque theologia, scholastica & mystica pro ducibus amplectatur. Sunt industriæ quidã notatæ super huiusmodi


A negotio theologiæ mysticæ, quãuis sæpe maxima sit industria deserere quãlibet industriã, & quod homo secũ habitans magisterio spiritussancti tota fide, tota spe, tota charitate, tota se demum deuotione cõmittat. Sunt aliqua scripta de impulsibus & de conceptibus & de cõcordia theologiæ mysticæ cum scholastica, & similia multa quæ proficiunt ad examinationem doctrinarum. Sed hæc interim suffecerit ad consummationẽ huius opusculi subnotasse.

Finis de examinatione doctrinarum à Ioanne Gerson Cancellario Parisiensi.

B

EPISTOLA LAVDANS MELLIFLVAM ET IGNEAM DOMINI

Bonauenturæ doctrinam à Ioanne cancellario Parisiẽsi. Anno 1426. Lugdunum missa cuidam fratri minori.



IGNEM veni mittere in terrã (dicebat Christus) quid volo nisi vt ardeat? In dextera nempe Dei est ignea lex, cuius eloquium ignitũ est vehementer, cuius C oculi sunt sicut flamma ignis, cuius prçco Ioannes dictus est lucerna ardens & lucens instar Heliæ. Considerans ista noster Eustochius dominus Bonauentura voluit esse doctor ardens, sciens quoniam lucere parum est & sæpe vanum, sæpe noxiũ, quoniã sciẽtia inflat & dæmoniũ facit, quid enim dæmon interpretatur nisi sciẽs, sed absq; charitate. Sortitus est idcirco secundum laudẽ vitæ suæ pariter & doctrinæ nomen ipse Bonauentura, vt antonomaticè doctor seraphicus nominetur. Docet D hoc in spirituali suum itinerariũ mentis in Deum, cuius opusculi immo operis immẽsi laus superior est ore mortalium. Docet & suum breuiloquium theologiæ processũ propriè theologicum retinẽs, & quasi conuersum ad priorem, quoniã à primo principio descẽdit ad alias veritates. Docet deniq; lectura sua grandior ignẽ suum cum lumine, vnde mirum immo miserũ & miserabile videtur, ne dicamus dãnabile, quo pacto prælatæ sunt doctrinæ quædam aliæ sub specie subtilitatis, plus inquietãtes quasi cynifes Ægyptiæ, quam sabbatũ mentis E incẽdio terrę Gessen afferẽtes. Securus est doctor iste (se testãte) doctrinã cõmunem & solidam qui Parisijs vigebat, maximè tempore suo. Vnde & allegat ad confirmationẽ doctrinæ suæ Parisienses articulos, quos per G. Parisiensem de concilio & assensu magistrorum omniũ dicit fuisse dãnatos & excõmunicatos. Viuẽte tũc & consentiente fratre Alexandro de Ales, cuius doctrina quãtæ sit vbertatis, dici satis nequit. De qua fertur respõdisse sãctus Thomas dum inquireretur ab eo, quis esset optimus modus studẽdi theologiam. Respondet F exercere se in vno doctore præcipuè. Dũ vltra peteretur, quis esset talis doctor: Alexander de Ales Testor me ita legisse pridẽ in tractatu quodam de visione beata contra Ioannem 22. Testãtur scripta eiusdem sancti Thomç maximè secunda secundę, quam intimũ sibi fecerat & familiarem illũ quem laudabat doctorẽ Alexandrũ. Et ecce proh dolor doctores isti duo, Ales & Bonauentura videntur quasi sepulti cum illis quorum nõ est memor amplius, prçsertim in cordis amore. Extolluntur alij quidam quorũ sint vtinam nomina in libro vitæ, nõ enim studiosis inuidemus. Sed multæ aliquos ipsorum

ipsorum literæ fecerũt sub nomine subtilitatis insanitate cum sequacibus ipsorũ. Nunquid non insania est cõcedere quod duo cõtradictoria sunt simul vera pro eodẽ instãti tẽporis, licet nõ naturę: quod præterea multæ sunt veritates ab æterno, & multa æterna qui non sunt Deus. Iste est vnus articulus inter præmemoratos dãnatus, anno 1240. Legatur secũdus Bonauenturæ di. 23. circa finem, vbi recitatur hæc dãnatio. Et ponitur alter articulus, quod primum nũc, & creatio passio, non sunt creator vel creatura. Error. Repetita est eadem dãnatio eiusdem articuli de ęternitate veritatum per dominũ Stephanũ Pariensem inter illos. 219. articulos famosiores, anno 1276. scilicet per duos annos post felices obitus S. Thomę, & verè sancti & gloriosi domini Bonauenturæ, quorum primus obijt 7. Martij, alius idus Iulij sequenti tempore cõcilij generalis Lugdunensis per Grego. 10. celebrati. Dãnata est nouissimè per celeberrimũ Constãtiense conciliũ inter errores Hus & Hieronymi positio ista, de vniuersaliũ realiũ & æternorum positiones; & maximè, quod aliqua sit entitas realis æterna, communis Deo & creaturæ; quia tunc nulla creatura potuisset creari quasi de nihilo, sed nec posset annihilari, ita fuit tunc argutum me audiente, & à dicto Hieronymo statim concessum, sed damnatũ, nuper etiam Parisijs reuocatũ. Damnauerat priùs ipse idem Stephanus pauciores articulos, viuentibus adhuc prętatis doctoribus, scilicet anno Domini 1270. die Mercurij post festũ B. Nicolai hyemalis, cuius nunc crastino scribimus hãc schedulam. Causa huiusmodi damnationis faciendæ fuit tunc introducta, fuit & postmodũ cõtinuata, quia sicut tradit Aug. 8. de ciui. nobis ad certã regulã loqui fas est, liberis autẽ verbis loquũtur philosophi, sed inde miserabilius quò liberius errãt: sic Augu. & cæteri doctores antiqui, sic inter recẽtiores B. Bern. & Magister cũ reliquis protinus obstiterunt errãtibus, sicut Petro Abelardi, sicut Berẽgario, sicut Ioãni Scoto de theophanis, sicut Gilberto Porretano: qui Gilbertus, si minus errabat in materia de relationibus diuinis, quàm plurimi posterioris tẽporis, patebit euidenter illi, qui subtiliter & absque personarũ acceptione voluerit & sciuerit iudicare, & argumentũ B. Bern. à Petro de Tharentasia recitatũ ponderare. Dãnata est nuper per prędecessores meos in sacra Theologiæ facultate (sub pluribus articulis) doctrina, quã nonnulli solum impunè subtilem garriunt, quam ignorãtes vocem propriam, nonnulli veluti picæ loquacissimæ stabilire nituntur, cum sit mera insania & vanitas falsa. Vnus articulus inter cæteros est, quod aliquid sit Deus realiter, quod nõ sit formaliter Deus, Error. Alius, quod in diuinis sint ponendæ prioritates & posterioritates aliæ, quam originis, Error. Alius, quod personæ diuinę distinguantur per absoluta, Error. Constat autem quod nulla est maior distinctio realis, nec ex natura rei in diuinis, quam trium personarum. Nulla est igitur distinctio in diuinis per absoluta, de qua non est dubium quod maior est quàm per relatiua solum. Denique, qua potest fidei pietate Christianus asserere, quod essentia diuina sit ex parte rei, seu realiter, distincta ab intellectu diuino, & voluntate? quasi possit essentia diuina esse & nõ esse vniuersaliter perfecta, nec intelligens nec volẽs.

A Quanto salubrius est asserere nec offendere pias aures, etiam gentilium philosophorum, quod essentia diuina vnica & simplicissima super eminẽter continet omnẽ perfectionẽ; quàm dum quæritur separari & scindi à suis perfectionibus, ipsa remaneat mõstrum quoddam informe chaosque confusum. Egregiè dudum mihi tunc adolescentulo dixit vnus in theologia doctor & famatissimus, dũ quæsiuerit, inquit, aliquis si præscindatur essentia diuina ab intellectu diuino, quid est illa essentia? dic quod est Deus, & quod nõ est Deus. Est itaq; Deus, quia nihil est in Deo quod non sit

B Deus, & tamen non est Deus, quia Deus est suus intellectus, nec esse potest sine ipso. Hoc est sententialiter argumentum B. Bernardi contra Gilbertum, dic tamen, addebat ipse doctor, quod intelligi potest essentia diuina non intelligendo intellectum suum, sicut & de attributis diuinis. Est enim secundum Aristo. & eius commentatorem & experientiam, tanta vis intellectus nostri, quod coniunctissima, immo penitus eadem, potest per distinctos cõceptus separatim accipere; sed separatio dicitur rationis, nõ rei exterioris. Sed accla-

C mant alij quod de entibus rationibus nihil curãt: vadamus inquiũt ad res, quasi de rebus possit sine terminis esse sermo, quasi logica frustra sit tota. Addunt quod fictitij sunt huiusmodi conceptus, si non ita sit in re sicut significant, quasi res semper ita sit sicut est sua cognitio in nobis: immo in Deo qui cognoscit materialia immaterialiter secundum Dionys. & Boëtium. Tradunt nonnulli vnde mirãdum videtur quod conceptus & entia rationis non sunt veræ res nec entia, ita quod ens

D non dicitur vniuocè de ipsis & de rebus ad extra, cum tamen accidentia animæ tam habitus quam virtutes & operationes immanẽtes tam naturales quàm supernaturales, sint entia longè perfectiora quam albedo vel nigredo, saltẽ quã relationes sex prædicamentorum posteriorum. Sed progreditur hæc schedula latiùs quã propositum fuerat ab initio super laude nostri Eustochij, bene fortunati & doctoris Seraphici, cum deploratione quod ita postpositus est, nõ dicam absque canonizatione, viderint hoc summi pontifices, sed absque scho-

E lasticorum frequẽtatione in vsu continua studiositatis. Sint alij doctores qui dicantur Cherubici, hic verissimo nomine Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum & erudit intellectũ, reducit & vnit ad Deum per amorem excitatiuum; dum alij multi solum diuaricãt & dispergunt intellectum per præcisiones, prioritates, & posterioritates, & signa & contingentia: cum tamen *vnum sit necessarium*. Dum præterea suos imi-

F tatores reddũt inflatos sine charitatis igne, ac perinde superbos, & indigestos, quales *dispergit Dominus mente cordis sui*, iuxta canticum Mariæ iuuẽcularum tympanistriarum præcellentissimæ; in cuius Conceptionis sanctificatæ per præuentionem priuilegiatam vigilia matutina volui non per satyrã, sed per elegiam potius exhortatoriam tuæ charitati studiosæ, chartulam hanc scribere, frater dilectissime in Christo, in quo bene vale. Et itinerarium quod habes communicare pluribus stude, simul & librum tuum recipe, seruans illud apostoli. *Quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos &c.* 1. Thes. 5.

EPISTOLA EIVSDEM AD PATREM OSVVALDVM CARTHVSIEN.

Gratia & pax.

SPIRITVS est qui viuificat, & caro non prodest quicquam. Vnde & epistolæ Pauli fortes dicebantur, quia solū spiritum sapiebant, præsentia vero quæ carnem ostendebat reputabatur infirma. Hinc habuit ortum illud Christi, quod nemo propheta acceptus est in patria. Rursus aliud metrum. Minuit præsentia famam. Certissimè hoc verum est pater & domine Christiana charitate colende; desiderat vestra charitas, vt accepti à literis eiusdem charitatis, videre faciem meam, & miscere colloquia super multis :. oro quiescite, dedit Deus sermones dari posse spiritus interpretes. Precor se non immisceat carnis infirmitas, quæ nihil præsertim in me nisi scandala præfert, & quāuis apud perfectè compositos & ornatos, corpus esse possit simulachrum quoddam lucidum & pulchrum interioris hominis & spiritus; fateor imperfectum meum in hac parte, conscius assiduæ & totiens expertæ fragilitatis. Porrò super communicatione quorundam opusculorum meorū postulata, suggeruntur multa mihi dicenda in vtraq; parte, quæ coarctans, in primis gratias ago & habeo beneuolentiæ vestræ, confidens ab ea sine fictione diligi, deinde propono diligens esse copias ministrare, vestrum fuerit cū reuerendis patribus & dominis fratribusq; meis in Christo charissimis ad formā cōpletam mensurámq; redigere cum multiplicatione, prout ipsorū sollicitudini visum fuerit opportunum. Denique doctrinā theologicam propriè dicendā eximij & Seraphici doctoris domini Bonauenturæ Cardinalis, offero me laboraturum quod habeatur ad trāscribendum; si ita cū effectu postulauerit sacer ordo vester, cuius orationibus me commendo. Scriptū Lugduni 1424. in Aprili.

Luca. 4.

EPISTOLA EIVSDEM QVID ET QVALITER STVDERE DEBEAT NOVVS *theologiæ auditor, & contra curiositatem studentium ad studentes collegij Nauarræ.*

STIMVLAVIT me pluries tum cogitatio mea, minus forte sobria, tum familiaris amicorum suasio, quatenus ex auditis, lectis & intellectis, quidā electiora conscribendo cæterorum vel eruditioni vel ædificationi deseruirem. Acuetur inquiunt ex hac re studiosum otiū tuum, imitaretur prædecessorum industria, cōsecraretur nomen tuū memoriæ posterorum: deniq; fortassis non pauci, qui nihil interim locuturi erant, in scripta tua, vel amore vel ex nouitate, vt fit, incidentes, proinde proficerent. At verò modestior aliorsum me rapit consideratio, recogito illud sapientis, *quoniam faciendi plures libros nullus est finis.* Video itaque tanta volumina ab egregijs & summi ingenij, atque sapientiæ viris conscripta, neglecta tamen à plurimis, ita vt vix nudo nomine cognoscantur. Video inquam, & gemebundus detestor, vel ignauiam, vel arrogantiā nostram, simulque considero, cuius momenti essent quantulacunq; scripta mea, si præcellentissima sic calcantur. Vereor præterea me idipsum intrare vitium, quod in alijs vehementer inculpo. Et quale petes? Sūt qui nescio quibus nugis ineptissimisq;

A nouitatibus, membranas, & auditorū, præsertim inexpertorum, mentes occupant, implent eos sterilibus, vtinā non pestiferis doctrinarum lolijs, & memoriæ ventrem non cibis, sed siliquis onerant. Agrū insuper cordis, spinis inserunt pro frugibus: incidunt quoque auditores vel lectores in illud Senecæ. *Necessaria nesciunt, quia superuacua didicerunt.* Verè heu nimis hæc esse recognosset, quisquis propius obseruare voluerit: ô si tandē resipiscāt lectores taliū vel auditores: ô si melioribus auspicijs, post ineptias huiusmodi, vertant oculos ad

B salubriora documēta, lugebūt affirmo sortē suam, tēpusq; cōsumptū, quo tabulā animæ suæ, quæ vtilioribus interim pingēda erat, & vix adhuc sui exiguitate suspectura, quibusdā literis in nullo profuturis oppleuerūt, nō dicendū erat deformauerūt. Sed dicat eandē nobis quæ & antiquis scribēdi licentiam esse relictam. Miserum insuper esse causantur vti semper inuētis, & nunquā inueniendis. Hinc incidit in omnes illud Horatij de poëtis.

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

C Scribimus, sed absq; pōdere sentētiarū, absq; numero & mēsura verborū: est enim illud quod scribim⁹ floccidū, illiberale, fluidū. Scribim⁹ nō noua, sed antiqua, nouiterq; versādo & trāsmutādo dū nostra conamur efficere, praua reddim⁹ & inepta, quasi vicē iuxta vulgare sollatorū veterū quę solida sūt, non tā reparatores quā demolitores. Quasi præterea similes illis quos notat Terentius, qui *ex bonis comœdijs Græcis, Latinas fecerunt non bonas.* Sic quidam excerpentes, aut magis propriè lacerantes

D ex libris optimis, & probatis particulis, ingentia tendūt volumina, obnubilātes & per incuriā scribēdi legēdiq; reddētes originalia velut superflua & mortua à corde. Vides in sentētiarū lecturis, dū pudet quēlibet etiā maiores sequi & quā facilis lecturarum varietas in immensam successerit. Porrò quāto cōsultius erat vti bene inuētis; quā dū quærūtur inueniēda, nec illa afferre quin etiā subuertere bene iā inuēta? quæ nō à loquacib⁹ iuuenib⁹ leuiter, (quia ad pauca aspiciūt) enunciātibus, nō ab

E argumētatoribus dialecticis, nō ab improbè, sordidè, perditéq; viuētibus, sed à sanctissimis & expertissimis (qui faciebāt quæ docebāt) solidissima, cautissimaque traditione fulcita subsistunt? iuxta quod memorandū valde est dictū viri, qui multa vidit, legit, atque conscripsit, Buridanum loquor, qui in egregij scripti sui super ethica, ingenuo procemio fatetur, se nouis rationibus nequaquam adhesurū, quantūcunque apparentibus; quia ab illis pluries deceptus est, ex antiquorū autē dictis nūquā, præsertim in moralibus. Propter quod etiam dicit Aristot 8. ethi. Oportet attēdere expertorum

F & seniorum vel prudentium enunciationibus nō minus demonstratione, propter habere enim experientiam visum videntur principia.

Respondens igitur, respondebo ad cogitationes meas & amicorum super nouorū conscriptione exhortationes: Sufficiat interim mihi, meique similibus, sobria in humilitate vti bene inuentis: Abscedat omnis pomposa super insolitis arrogantia, ne multiplicemus loqui sublimia gloriantes: & communi (vt ita dixerim) Minerua contentemur. Sequamur tritum iter commodius planè & ab errorum scandalorūque discrimine remotius.

Tot

Tot habemus sapientiæ salutaris fontes viuos ne quæso cisternas dissipatas fodiendo nos casso, immo stulto labore fatigemus. Hortor veruntamen & repetens, iterúmq; monebo quatenus electiora examinatioráque scripta complectamur. Est itaq; nostra capacitas non modo finita, sed exigua, & quæ ad tot libros vtiles quot occurrunt euoluendos non sufficit. Quosdam in transitu raptim videamus quasi eos nō penitus ignorasse satis sit, vt eis fiat vale perpetuum. Aliis verò per vices vtamur, prout se necessitas dederit vel delectationis congruitas. At verò quosdam familiares nobis assiduos aduocemus, & tanquam domesticos fidelissimos intra mētis nostræ cubicula, inter secreta quotidianáque colloquia iugiter collocemus. Si quis autem curiosus interrogare pergit qui vel quales libri sunt quos aliis præponendos censuerim? Respondebo me vnam & absolutam responsionem dare non posse. Varietas siquidem studētium secundum ætatem, ingenium & tempora aliud expostulat & aliud consilium. Hoc vnum veruntamen apostoli dictum maneat apud theologos alta mente repositum, quoniam plenitudo
Rom. 13. legis & finis est charitas seu dilectio. Cum igitur secundum exigentiam finis cætera debeant moderari, quicquid plus & immediatius ędificat charitatem plus legatur, memoretur, ruminetur, quatenus cum intellectus refectione, affectus vbi plus est meriti esca sapientiæ, hoc est sapidæ scientiæ,
Psal. 62. sicut adipe & pinguedine repleatur. Ad hæc autem dignoscenda solers fit theologiæ nouus auditor, consulere vnum è multis, cuius sibi doctrina, mores, famaque complaceant, qui longo multóq; viuendi, legēdi ac bene viuendi exercitio docere faciliter possit quam amplecti doctrinam interrogantis studium, moresq; desiderent, siue pro parte illa theologię quę inter scholasticos magis vtitur, siue pro illa quæ legētis mores ędificet, regulet & componat, siue pro illa qui prædicātibus cōgruit, hæc autem tria sunt non vsquequaq; disparata, in quibus quotidie & si nō ęqualiter tamen vicissim deberet verus theologię discipulus exerceri, quoniam primum sine secūdo inflat & inquietat. Secundum sine primo acumen ingenij sufficiens & resolutum non administrat. Tertium deniq; sine duobus reliquis sæpe non tam erudit alios quam fastidit & præcipitat. Ad primum iuuant exempli gratia, quæstiones doctorum super sententias, & præsertim illorum qui purius & solidius conscripserunt, inter quales meo iudicio dominus Altissiodorensis, Bonauentura & Durandus vtiq; resolutissimus numerandi videntur. Excellit quidē in suis quotilibet Henricus de Gandauo. Excellit sanctus Tho. præsertim secūda secundæ. Excellūt multi in multis, in quibus hoc vnum minus placet quod purè physicalia aut metaphysicalia, aut quod amplius pudet logicalia sub terminis theologicis inuoluta miscuerunt. Prętera ad secundū & præsumpto vel præsupposito primo spectētur historiæ sacrę, in quibus fit rectè viuentium commemoratio, vt dialogus Gregor. ecclesiastica atq; tripertita historiæ, collationes & vitæ patrum, confessiones Augustini & sacræ ipsius aliorúmq; meditationes, diuina rhetorica Guilhel. Parisiensis legendæ sanctorum, & similia, in quibus est ardens lectio & ad virtuosos impetus capescendos vehementer extimulans; tantummodo prius non elatus præstetur instinctus, vbi speculationes altissimas, pulcherrimas atque saluberrimas, subtilis si simplex fuerit studiosi oculus inuenit. Et errant profectò qui ista tanquam rudiora & facilia dicūt obstare subtilioribus agnoscendis, dummodo tēpore suo & mensuratè tractentur. Spectāt nihilominus ad hæc mysticè diuinarum scripturarū expositiones, quales apud celebres sanctissimósque doctores plurimæ sunt, quales apud Gregor. in morali & pastorali. quales apud Bern. super canti. apud venerabilem Richar. in suo de contemplatione & aliis operibus satis nunquā admirandus, quales apud G. Parisiensem qui miro gratóq; opificio speculatiuā cum suis moralibus absq; confusione permiscuit. Cæterum scriptis gentiliū se nō tradere sed commodare, & ea velut peregrinādo percurrere nequaquam improbauerim, tum pro copia sentētiarum moralium, tum pro stilo & ornatu verborum, tum pro poëmatum & historiarū qualicunq; peritia, demū pro oblectamento quodam ex varietate lectionis, quamquam & in sacris doctoribus, vt in Aug. de ciuit. Dei, in Orosio in Hieron. in Lactantio, & similibus ista abundanter nec minus si non plus vtiliter inueniēda crediderim. Rursus quodlibet trium ex prædictis aliter & aliter tractandum est. Primum disputatiua inter consocios disputatione robur sumit, disputationem intelligo non proteruā, non ceruicosam, nō amaram, nō pertinaci animositate tumultuantē, sed modestam, qualem esse decet veritatis inquisitionem, quę acuet & excitet ingeniū, qui studiū remouet & inflāmet, quæ stabilitat quoq; veritatis positionem falsitatis oppositione patefacta. Hinc fit vt nō extimescat studiosus etiam in propatulo defendere quod secretius se bene didicisse cognouerit. At verò præexigitur in secundo si perfici debeat secretum silentium, se positum interim ab omni turba non solum hominū sed sollicitudinis & curæ tēporalis, immo & à priori studio vacare tunc necesse est, quoniam sano quietē animo præstare nequit qui loquitur, tunc mens clauso super se ostio ad ea legerit, discat affici, proponat sibi quam terribilis Deus super filios hominum quod seuerus improbis & electis misericors. Conscendat æternitatis speculam, vnde videat cū sapiente quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas. Non discurro per plurima quoniā sapida eorum qui dicta sunt lectio docebit de omnibus. Addam expertus quod nihil fermè quieti mentis & contemplationi plus insidiosum, nihil ita preciosissime rei, tēporis. s. consumptiuum, nihil postremò perfectioni scholasticorum aliunde probatorū plus obuians, quēadmodum colloquia nō solum praua qui corrūpunt bonos mores, sed illa etiā qui superfluè diuq; protrahūtur, aut super rumoribus vulgo volitātibus, aut super ludicris pluribus & ineptis fabulationibus, aut super contentionibus hominum in aduersa tendentiū & similibus, quibus à mane vsque ad vesperam, immo profundam plerunque noctem dies sensim atteritur, per qui dum se oblectauerint vel ignauiæ, vel indignationi, vel fastidio suo mederi putantes, tristiores & inquietiores & mente dissipatores remanebunt. Fallor si vnquam ascendet in montem Domini in arcem contemplationis qui

non ad vaniloquas huiuscemodi fabulationis factus fuerit sicut homo non audiens & sicut mutus non aperiens os suum. Et hoc bonum, vnde in Domino glorior attulit magistris cura quod huiuscemodi confabulationes frequenter sustulit, mihique loqui & vacare passa est, quoniam rarus admodum alius cum quo mutuos miscere sermones colligeret, tanta morum erat inter nos studiorúmque varietas. Prosunt tamen nec nego probatorum virorum colloquia, qui ascensum contemplationis & suæ arduitatis discrimina, suo labore suisque periculis experti sunt. Denique tertium. i. extremum ex primis duobus genitum ac nutritum vbi prædicatio nunc inter paucos familiares, nunc palam consummatur vbi summopere curiosum omne & omne scandalosum & breui verbo quicquid audientium charitatem ædificare non habet fugiendum reijciendúmq; est. Ad quod quanta discretionis cautela sit adhibéda pastorale vos Gregorianum perdocebit. Bene valete tádem socij & fratres pręcipua charitate coniūcti, bona facit estudia vestra & me orationibus vestris commendatum habetote. Superueniat mansuetudo & corripiamur.

ALIA EPISTOLA AB EODEM CANCELLARIO MISSA EISDEM *studentibus collegij Nauarræ Parisiensis.*

ECCE pareo votis vestris socij & fratres dilectissimi. Nuper siquidem ad vos vnam ex cogitationibus meis literis exposui. Hoc bonum præcipuè cómonens quatenus electioribus doctrinis vestrum studium insudaret. Neque enim habetis necesse instar Virgilij in luto aurum quærere, aut ex sterilis doctrinæ petra sugere mel, oleúmque de saxo durissimo. Superaddidi colédum sic intellectum esse, vt incultus & aridus minimè desereretur affectus, sed transiretis in affectum cordis. Rescripsistis ista beneuolè vos accepisse, & vt tale aliquid pluries agerem postulastis, sic fiat. Accipite rursus aliud quod ex familiari vobiscum allocutione meum alleuet studium, quod animum indignabundo luctu plenum exoneret, amaricationis bilem euomat, cui tamen vsquequaque sua non desit vtilitas. Olim pluries sed nouissimè crebrius atque profundius in quodam otio aduersæ valetudinis meæ, pia meditatione recogitaui statum almæ vniuersitatis Parisiensis, matris meæ, vt absentiam meam ab ea ego vnus ex filiis eius minimus mentis præsentia compensarem. Occurrunt animo multa semper in ea præclaris laudibus attollenda. Aspicitur quippe tanquam coruscus quidam sol spiritualis ecclesiasticam machinam irradians, errorum quoque tenebrosas caligines sua nitenti puróque fulgore dispergens. Videtur insuper quasi fluuius ille paradisi in quatuor partes diuisus irrigans vniuersam superficiem terræ. Sed heu hic nihil apud nos ex omni parte beatū. Ingerunt se rursus cogitationi meæ non pauca lugubria, & quæ seueram correctionis aut emendationis manum exigunt, quale est illud quod cōtentiosæ opinionum atque sententiarum partialitates quędam illic nimis pertinaces perstrepunt, quæ & studium veritatis interrumpūt plurimum, & totum vniuersitatis corpus actuosum, inquietum, & parum modestum & tumultuosum magis quam sua requireret professio, constituunt. Ab his inquietationum contentionúmque fluctibus velim vos quantum extiterit fas, alienos effici, neque frustra niti omnes exuperare conatus improbos peruersorum præsertim vbi ex altiori trahunt suæ factionis aut improbitatis originem. Capitéque dico alioquin nunquam pax vobis, nunquam securitas & studio vestro, nunquam decens tranquillitas donabitur. Obsunt præterea partialitates quædam affectatæ & vincendi pertinax animositas, personarum insuper nationum, vel acceptio vel contemptus. Non enim sinunt ambulare in domo Domini cum consensu per veritatis atque charitatis iter, quod commune pacificum & à talibus expeditissimū esse debet. Cum Christo enim neque aduena, neque Scita neq; barbarus. Alium subinde in Christo cerno vniuersitatis studio defectum & hunc quidem maximum. Iste est circa iuuenum disciplinam in moribus, immo & in fundamentali primitiuorū suorum eruditione non mediocris defectus, aut error agente hoc vt plurimum nimis exuberanti pędagogorum multitudine, quorum aliqui (salua laude bonorum & absque contumelia cuiusque dixerim) vel cæca ignorantia vel segni negligentia, vel quæstuosa maléque placente adulatione, vel inepta leuitate, vel quod intollerabiliter pestiferum est cōtagioso peruersissimæ vitæ exemplo ipsis suis scholaribus noxij sunt, à quibus non extirpant malas inclinationum radices, sed nutriunt & augmētant; dum vel corrigere eos ne abeant, extimescunt, vel quia religio pietasque sordent eis, & suum indignum officio deputant talia suos edocere scholares, aut quoniam verentur ne docentes illud quod negligunt, incidant illud improperium pueris etiam notissimum. Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Sic adolescentiæ frena laxantur, sic eunt in adinuentionibus suis dimissi secundum desideria cordis eorum & per vitiorū auia ruunt præcipites. Fiunt exinde contumeliosi, vagi, petulantes inobedientes, proni ad inimicitias inferendas, impatientissimi ad illatas, irreligiosi præterea, nihil amplius à paganis de Christiana religione perdocti. Postremò vt de quibusdam Iudas apostolus ait: Maculæ sunt, vel vt vulgus loquitur, sacci carbonum, alter alterum pessimis modis maculantes. Sed & quales domi sunt foris in sermonibus palam faciunt, vbi pro summa qui ibi obseruanda erat morū modestia insolentissimis atq; incompescibilibus sibilationibus, gestibus & ob murmurationibus omnia cōfundunt, & verbum Dei cum suo euangelizante probrosè spernunt, impediunt, turbant, & obrumpunt, nec paruum existimandū est illud incōmodum, quoniam satis est scitum illud Aristo. Non parum refert iuuené sic vel sic assuefieri. Et quia certè ex non bene morigeratis & ex sinistrè instructis adolescentibus fiunt iuuenes atque viri postmodum non tamen inutiles reipublicæ vniuersitatis, sed ipsius etiam totum corpus fœdant lacerántq;, & in bonorum perniciem crudeliter sæuiunt? Quid sanè mirandum si ex discholis discipulis fiunt perniciosi doctores? Neque gradus collatus adimit, sed nequitiam auget potius ex superbia vel latentem foris prodit.

prodit. Denique ſicubi mutat fundamentum doctrinæ ideo quia præpropere, imperfectè vel ineptè collocatum extitit, quicquid amplioris ſcientiæ ſuperædificaueris, vacillare minuſq; habere ſolidi roboris neceſſe eſt. Hæc in ipſa meditatione mea video & confundor plangore ſimul & luctu concutior, & vltra quid agam qualiterve prouideam, quibus vtiliter conquerar non ſatis inuenio? Scriberem hæc ipſis ſigillatim pædagogis, ſed immenſus eſſem & apud eorum plurimos nullum habeo mutuæ cognitionis ſeu familiaritatis commercium. Scriberem ad omnes collectiuè, ſed videte ne ſtulto labore conſumerer, quoniam & paruitatis meç zelum plures eorum more ſuo irriderent, vel ei ſuccenſerent, vel de præſumptione culparent. Credite mihi amariſſima eſt veritas, ſed neſcio quo pacto apud nullos eorũ amplius quam apud litteratos qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, apud quos omnis vel admonitio charitatiua, vel fraterna correctio contumelioſè & vindicandæ deputatur iniuriæ. Poſtremò prædicarẽ talia adoleſcentibus ipſis, ſed me abſentem ſcitis, & ipſi monitoribus aſperi ſunt vt Flaccus ait, atque ob vehementiſſimos paſſionum ſtrepitus obſurderent veritati. Neque verbis rudes erudiri poſſunt, ſtultitia colligata eſt in corde pueri, ait Sapiens, ſed virga diſciplinæ fugabit illam, virga dicit non verba. *Prou. 22.* Tertius defectus acriter vrget animam qui nouiter ſubortus non paruo dedecore in vniuerſitatis gloriam maculam ponit. Pluries itaque relatio fide dignorum mihi tam propè quam remotè degenti ſignificauit deeſſe frequenter ſermones in vniuerſitate, etiam dominicales ad clericum quod nuper aliquid monſtro ſimile & penè intolerabile ſemel accidiſſe viſum extitiſſet. Cogor tum ex hoc, tum ex alijs quibuſdam, illam deflere ſciſſuram miſerabilem & mutilationem luctuoſam, partis non modicæ vniuerſitatis Pariſienſis præſertim à ſacra Theologiæ facultate, cuius ſciſſuræ cauſam prębuerunt illius de monte Sono erroneæ, temerariæ & impiæ aſſertiones. Nolo putet aliquis me hoc loco iuſtificationem ſeu defenſionem partis illius quæ depulſa vel auulſa eſt ſuſcepiſſe, fratres prædicatores loquor, viderint ipſi quid egerũt, ego enim fidenter & conſtanter affirmo condemnationem errorum præfati de monte Sono rationabiliter & catholicæ factam, quæ dum deferretur in Romana curia, ego ipſe baccalarius curſor tunc exiſtens cum cæteris præcellentiſſimis atque ſapientiſſimis viris ab vniuerſitate legatis præſens interfui. Sed nunquid qui ceciderunt non adijcient vt reſurgant? quinetiam pia mater vniuerſitas hæc qui hactenus filijs irata eſt, nunquid tandem miſericordiæ recordabitur, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Nunquid tot oues paſcuæ ſuæ ſi deliquerint aut errauerint æternaliter abiicient? immo & ſi redire contemnerent. Exemplum Chriſti pij paſtoris imitandum erat, vt quærerentur & pia quadam violentia ad ouile proprium obnitentes traherentur, quanto amplius dum id totis vt dicitur affectibus & votis expoſtulant & precantur. At videre mihi videor quoſdam non ſecundum ſcientiam zelum habentes, qui mox obiicient. Parati inquiunt ſumus eos ſuſcipere, pacem reformare, ſed integritas fidei, ſed vniuerſitatis honor, ſed ipſius demum indemnitas à laboribus & expenſis prætermitti nequaquam poſ-

A ſunt. At vero non ſic loquor vt talia iudicem negligenda, nego tamen illa tanta ſeueritatis animoſitate requiri debere & ad viuum vt dicitur vlnus ſecari, quod in illo de Sillana victoria dictum eſt, exceſſit medicina modum. Chriſtiani ſumus, & in ſchola charitatis quotidie verſamur ſub illo qui ait. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Et niſi remiſeritis peccata &c. Ergo *Matt. 11.* non tam quod liceat ex iuris rigore quam quid expediat exquiratur. Cæterum memoriter teneo

B cur & qualiter primitus ab vniuerſitatis conſortio via quadam indirecta ſegregati ſunt fratres prædicti. Statutum enim & concluſum erat, vt omnis gradus & honoris in vniuerſitate expers fieret quiſquis non iuraret tenere condemnationem ſuper erroribus prædictis ab vniuerſitate prius, dehinc ab epiſcopo Pariſienſi factam. Diſtulerũt hoc agere baccalaurij fratribus prædictis tunc expiẽdis cauſantes à ſuperioribus ſuis licentiam ab huiuſmodi præſtationem iuramenti necdum petiiſſe vel habuiſſe.

C Ex hac origine neque gradus, neque cathedram, neque ſermones poſterius adepti ſunt. Audiui tamen expoſt aut omnes aut plurimos eorum ad præfatæ conditionis adimpletionem præſto fuiſſe, quod ſi etiam nunc vellent non viderentur penitus non admittendi. Attenderent ô vtinam omnes & benigna recogitatione ſecum tractarent quanta qualiſve iactura ſpiritualis eſt & fuit, tot hactenus ſermones, tot lectiones, tot ſalubres inſtructiones in vniuerſitate, & alibi exinde ceſſaſſe. Quinetiam

D naturalis pietas exigit vt mater filio aberranti, & corpus membro ægrotanti compaſſione moueatur. Deinde conſidera damnum proprium in ſermonibus, in propoſitionibus & aliis, tum audi monitionem metro comprehenſam. Si non vis aliis parcere, parce tibi, nec loquar vexationes, opprobria & carceres ab illis quos loquimur prælatas, quæ tamen manſuetos & benignos extimatores ad miſericordiam velocius impendendam deflecterent. Paſſa eſt ex aduerſo fateor vniuerſi-

E tas laborum & expenſarum damna plurima, ipſa tamen meo iudicio leuiter obliuiſcenda aut contemnenda ſunt pro commercio pacis, prout fraterna reconciliatione, pro reintegratione tantæ partis abruptæ, tantummodo fidei ſua integritas, & vniuerſitati ſuus honor permaneant, vel fallor vel ſatis eſt. Exclamabant fortaſſis ad hæc plurimi eiuſdem mecum eſſe ſententiæ, quoniam pacis zelatores aut ſunt aut videri voluĩt. Vereor tamen dum ad excuſationem ventum erit, quibuſdam eorum nihil quod offerri poſſit ad reconciliatio-

F nem eius ſufficiat, quin aſſiduè calumnientur vel fidei vel vniuerſitatis honorem non ſeruari, ita demum neque reconciliatio vnquam neque pax habebitur. Cæterum non ſum tam inſolens vt vſurpem definire quo pacto ea quæ prædiximus fides. ſ. & vniuerſitatis honor illæſa manerent. Hoc vnum apud me perſuaſum firmiter habeo, poſſe iſta etiam de facili contingere ſi ad hoc nõ dicam omnes, non dicam multi, ſed pauciſſimi de vniuerſitate cum paucis fratribus recta integráque voluntate operam dare voluerint. Quod ſi ex corde noluerint quicquid oram blanda

loquantur, nulla via, nullis precibus, nulla obligatione idipsum valebit obtineri, cur ita? nimirum semper allegabunt hanc esse causam fidei, nec ex ea posse quicquam remittere. Quid igitur reliquũ est mihi vt apud semetipsum quisque redeat, constituat ante cordis oculos luctuosam hanc scissuram cum præteritis incommodis, videat diligenter & acriter ad reparandam hanc iacturam quantum facultatis aut gratiæ donum desuper acceperit, tunc omni deposito contẽtionis studio inquirat pacem & persequatur eam, hoc est quod nunc agere satago, hoc est quod pro vice mea his in scriptis offero. Porrò quantum proficiam vel obero prorsus in incerto fluctuat animus, non publicos hominum mores, noui quãta iudiciorum sententiarúmq; varietas, noui quod implacabiles in domabiléśq; regnant in quorundam cordibus affectiones, quantum vigeat in eorum linguis obloquendi libertas effrenis, qualiter in operibus persequendi bonos ferox licentia deseuiat, noui deinde quã paucorum est bona & sollicita fide qui Iesu Christi non quæ sua sunt quærere. Hæc vt scripta studui, nõ in publicum, sed ad paucos traducere quos prodesse non obesse confiderem. Oblatrabãt scio si ad quosdam scripta hæc delata fuerint ferẽtes indignè, immo pro scelere vel mutabilitate deputantes quod pacem Iacobitarum videar optasse, aut pro ea verbum scriptumve fecisse, sed libera voce fatebor, nec illud vnquã pudori deputabo me nunc & prius olim sẽper dum modestè volui vel optaui, reconciliationem ipsorum in medijs etiam litibus optauisse. Pereant qui de matris aut mystici corporis fœda mutilatione gloriãtur, qui non sanationi studẽt, sed medelam quærentibus crudeliter irascuntur, & qui ad diuisionem magis quam pulcherrimam vnionem dęmoniaca impietate pelluntur, quorũ persecutio si pergunt in pacificos vnitatis amatores fuere spernenda est, & generosæ virtutis pede calcanda hoc prouiso ne dãnosius inde nascatur in vniuersitate vel republica scandalum, hoc enim quod vehementer pertimescendum censeo magis quã persecutionẽ propriam. Nunc & aliàs euitaui palàm dicere vel agere aliqua quæ dicenda vel agenda suggerebat zelus meus (nisi mihi mẽtior) verax in eis & deuotus. Vestrum igitur has qualésq; literas vel prodere vel obtegere, deducere rem ad quosdam qui extra sunt penitus omittere. Attamen quis scit si propitius aspirabit Deus, & dabit voci suæ vocẽ virtutis ex hac rememorationis occasione, vt audientes audiant & intelligẽtes intelligant, & pro bono pacis adipiscẽdo benigniori mente laborẽt, hoc est quod deprecor, quod supplico, quod per illum qui pax nostra est obtestor. In quo bene valete mei memores in orationibus vestris. Scriptũ Brugis.

APOLOGETICA SIVE RESPONSIVA VENERABILIS MAGISTRI *Ioannis de Gerson sacræ Theologiæ doctoris egregij & Cancellarij Parisiensis ad quẽdam monachum domus Carthusiæ maioris quærentem. Vtrum licitum foret pro studio lectionis & exercitij spiritualis conuentum & prolixitatem diuini officij dimittere, & qui libri essent fructuosius frequentandi. In qua quidem responsiua primò epistolaris præmittitur prologus, post subnectuntur 18. considerationes. In quarum primis 12. suadetur cœnobitica stabilitas, & arguitur suspecta loci seu conuentus mutatio prætextu seu colore maioris quietis & profectus. In reliquis verò sex considerationibus agitur de libris à monacho in diuino officio & regularibus obseruantijs continuè occupato frequentandis.*



GRATIAS vobis & pax. Si inimicos iubemur diligere? quanto magis eos qui diligunt nos in veritate & sinceritate salutis. Nihil quippe ita debitum, nihil plus naturæ consentaneum, nihil efficacius ad diligi quam redames si amaris, & ames vt ameris, hoc est enim amatorium poculum (Seneca teste) sine veneficijs, sine carmine, scilicet Si vis amari, ama. Durum idcirco videri potuit verbum illud vestræ charitatis de me & ad me, quis prohibet etiã non amãtem diligere? sed fuerit hoc dictũ licẽtia sermonis amorosi qui legem nescit, nec se capit sæpe. Veniã ad alia super quibus ilico rapuit animus me stilo concurrente, considerationes videlicet aliquas annotare pręsẽtibus annexas. Suppetebant aliæ cõsiderationes plures, sed lassitudo corporis & formido tædij compescuerunt scribẽtem. Sanè suadeo primum totũ religionis studiũ transire in affectum cordis, non tamẽ accipio per hoc affectum qualemcunq; sed sanctũ & castum. Nam transibant illi de quibus psal. loquitur in affectũ prauum, dum prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. *Psal.* Habet auctor de spiritu & anima breuem inter cæteras magnas, multas & laudabiles considerationem istam. Affectus inquit, qui est spontanea & inclinatio ad aliud, tripliciter in nobis attenditur, scilicet in superiori parte rationis, & in inferiori & in imaginatione. Si spiritus noster sequitur affectum primum, dicitur homo spiritualis, si secundũ, dicitur homo rationalis, si tertiũ dicitur homo animalis. Poteritis in originali si placet videre latius. Item in epistola B. Bearnardi ad vestros fratres de monte Dei. Fuit opinio celebris quod tota theologia nostra deberet magis cẽseri affectiua quam speculatiua. Rationẽ assignat vnus validam, quia iubemur redigere omnem intellectum in captiuitatem, in obsequium Christi. Plus est igitur omnis intellectus theologię ad cultum Christi per charitatis obsequium quã ad speculandum, maximè cum finis legis sit charitas. Rursum circa monitionẽ infra de lectura doctrinarum. Placet hic addere quod sermones magistrales qui fiunt succinctè per distinctiones, valdè illuminant intellectum, & sine labore graui demulcent etiam affectũ cum inspicitur sermo Dei viuus & efficax, dum ad modum loquentis & cõtinentis eidem se infundit suauiter per particulas ordinatim. Habetur quoque vbertim materia circa penè singula psalmorum & aliorum diuinorum verba pro exercitio meditationis. Exempli gratia. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, *Psal. 1.* hic potest assumi distinctio de beatitudine. Item de viro, item de abire, item de consilio, & ita de reliquis. Demum non est consiliũ meũ vt difficiles quęstiones & profundas speculationes occupatus in assiduo diuino seruitio sibi assumet intelligendas, vbi requiritur otiũ maximum

ximum ac ingenij viuacitas cum dispositione vegeta cerebri, quieta & serena, ne forte phrenesis aut alia incurrantur incommoda. Sufficiunt igitur tactaculi faciles & ad pietatem idonei. Scriptum Lugduni anno Domini 1426. 9. Iulij, per Ioannem cancellarium Parisiensem.

CONSIDERATIONES AD PROPOSITVM, QVAS BENE CONSIDERARE *debet religiosus in diuinis multum occupatus pro serenatione conscientiæ.*

Consideratio prima.

RELIGIOSVS ille consideret imprimis quod Dei prouidentia quæ in sua dispositione non fallitur deduxerit ipsum ad ordinem celebrem & approbatum, in quo iam ita professus est post probationem solitã vt resilire falsum sit. Faciat ergo de pia necessitate virtutem gratuitam & meritoriã, quia durum est si contra stimulum calcitret. Sacrilegiũ *Act. 9.* quoque si voluntatem suam rursus vsurpet, quam in superioris sui vice Dei resignauit manus.

Consideratio secunda.

Consideret secundò quod iam sibi viuendũ est non propria sed aliena lege, non propria, sed aliena voluntate, quæ tamẽ originaliter à sua voluntate processit, non enim quispiam ad profitẽdum cogebat. Sequenda est igitur deinceps aliena voluntas non præoccupanda non docenda.

Consideratio tertia.

Cõsideret tertiò dictus religiosus, quoniã Deus bonorum nostrorum nõ eget. Ac proinde melior est obedientia quam victima. Propterea censeri debeat pro regula generali illud esse melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud vtilius, delectabiliꝰ & honestius quod est obediẽtię proximius, sit illa res in qua obeditur vilis, abiecta, turpis, inutilis, laboriosa, vana, stulta, quantumlibet inhonesta, solo peccato excluso. Exemplum habemus in Domino nostro Iesu Christo qui sacerdotali & regio genere ac spiritu prophetico insignis nudis ambulabat pedibus, alijsque maximæ humilitatis gestis se deiecit, hanc existimans vt beatus Hiero. finaliter innuit summã nobilitatem, videlicet Deo patri obedire. Vnde & beata Agatha per iudicem suum inculpata eo quod seruilem personam propter Christi seruitium gereret respondit prudentissimè theologizando dicens. Summa ingenuitas hæc est qua seruitus Christi comprobatur.

Consideratio quarta.

Consideret quartò quod sicut in domo patris mei mansiones multæ sunt, & viæ multæ perueniendi ad eam, & in via Dei secundum quod loquitur beatus August. alius sic, alius sic ibat. Ideóq; conformiter iuxta apostolum, In qua vocatione vocatus est ambulet. *1. Thes. 6.* De quo idem apostolus exemplum posuit alio in loco de varijs veri corporis officijs. Quo exemplo ad propositum nullum accommodatius esse potest si profunda cogitatione ruminetur.

Consideratio quinta.

Consideret quintò quod aduersarius noster diabolus iuxta beati Petri verbum illo mane lectum in epistola ad missam quo hæc post meridiem scribuntur, tanquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret, *1. Pet. 5.* non habet autem efficacius malignandi machinamentum quam si possit huiusmodi suadere displicentiam status sui iam assumpti, iamq; professi. Et hoc facere conatur nunc sub velamine maioris vtilitatis in alia vocatione, vt in prædicando, nunc sub figmento quietudinis contemplatiuè, nunc sub arrogantia scientiæ amplioris, nunc sub vmbraculo quasi omnia sint inutilia quę agit in vocatione sua, prosequẽdo singula & annihilando. Ieiunia, vigiliæ, prolixitas cantus & horarum, solitudo grauis, & iuge silentium cum similibus sint pro exemplo. Subiungẽs quod Deus solum inspicit cor, & corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Addendo vt quid denique perditio hæc? Poterat enim vnguentum suum vt sibi videtur venumdari multo, & non sic deperiret. Dicit hoc quandoq; spiritus seductor instabilibus cellicis, qui se præsumunt idoneos ad docendum alios vt seducat, & eos ita finaliter de cella salutis in mundum perditionis reducat.

Consideratio sexta.

Consideret etiam sextò quod omnia suspecta sunt tanquã à dæmonio meridiano (quod se trãsfigurat in angelum lucis) immissa & suggesta, quę loci vel propositi semel arrepti & suscepti mutationem ingerunt & suadent directè vel indirectè, pręcipuè nisi manifestus sit in via quam ambulat positus obex æternæ salutis, qui poni tunc solum creditur dum cum hac via & in ipsa non stat salus.

Consideratio septima.

Consideret septimò quod schola religionis valde distat à schola secularis inquisitionis. Dicebat hoc vnus fratrum meorum alteri fratri suo & meo dum simul in ordine cœlestinorum morarentur. Frater hæc religio non est schola theologiæ vel philosophiæ, sed Christianæ felicitatis & disciplinæ, non venisti ad doctrinam & secularis scientiæ vanitatem, sed ad disciplinam & humilis vitæ bonitatem. Linque quæstiones scholasticis viris quæ erudiunt intellectum, tibi satis sint regulares nostræ obseruantiæ quæ inflammare sufficiunt tuum affectum. Et verè ita est, & verissimum est quod dixit.

Consideratio octaua.

Consideret octauò quod viatores hic sumus non comprehensores. Sit igitur viator vt viator, nec quærat hic ea in via quæ pro prœmio quæsita debentur in patria. Comprehensio scilicet diuinitatis sine phantasmatibus & sine labore, vbi nec languor nec senium &c. Et dicamus cum apostolo. Nihil iudicaui me scire inter vos nisi Iesum *1. Cor. 2.* Christum & hunc crucifixum. Sufficiat hic nobis corporaliter ambulantibus per corporalia, transire per fidem perq; & charitatem in æterna. Et videamus tamdiu in speculo & ænigmate quousque veniat dies illa qua sponsus pascit & cubat in meridie claritatis æternæ, quando videbimus eum facie ad faciem sicuti est, & similes ei erimus.

Consideratio nona.

Consideret nonò quod in illa die primi specialis examinis nostri, & in die etiã examinis secundi

seu nouissimi & generalis non interrogabimur quantum fuerit intellectus noster acutus & eruditus, sed qualis fuerit affectus noster ad Dominum Deum nostrum, hoc est, quam simplex quam rectus quam pius, humilis & deuotus, quãque spontaneus & fidelis in Dei seruitio, secundum eam vocationem qua vocatus fuerit diuinitus. Hoc diligenter pensabat qui dicebat. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Quod quidem mandatum certissimè est charitas non cognoscendi vanitas.

Consideratio decima.

Consideret decimò ipse religiosus ex præmissis, ex quo omne studium suum resolui debet in affectum, vt nihil studeat, nihil legat, nihil cantet, nihil meditetur, quod non immediatè aut mediatè ordinetur ad inflãmationem affectus, quoniam in hac inflammatione consistit supremus apex theologiæ mysticæ traditæ per Dionys. ac reuelatæ sibi & alijs per spiritum sanctum, sed neq; fugabuntur phantasmata per studium, sed per desiderium: per affectum scilicet non intellectum: quoniam necesse est intelligentem phantasmata speculari.

Consideratio vndecima.

Consideret etiam vndecimò quod hæc inflammatio affectus non expectanda est ab homine. Propterea non suspiret ad hunc vel illum doctorem, præsertim viatorem vt dicat. Felix essem ex conuictu talis vnius. Suggestiones huiusmodi sępe sunt diabolicæ inducentes mentis, & nonnunquam etiam corporis inquietudinẽ. Scio per experientiam de quodam professo, qui prius ardentis studij in seculo de progenie nedum illustri, sed & regali conquerebatur qualiter tempore suo nõ esset alter Hiero. quẽ posset adire, vt sic perueniret ex sua eruditione ad scientiæ perfectionem, quasi scilicet nõ esset tempore suo doctior, etiam in ianuis qui sufficeret docere eum, quasi etiã religionem intrasset nõ ad lamentum sed ad documentum. Recolo tristis quod dum ego pia sollicitudine dicerẽ me timere talem sciendi ardorem non fore ab instinctu bono sed malo. Respondit ille indignabundus mihi quæ voluit & recessit. Et ô pijssime & terribilissime in consilijs super filios hominum Domine Deus meus, quò recessit, quò abijt. Vtiq; heu paulo post factus est apostata sub specie quasi arctioris religionis, immo tandem absq; omni verecũdiæ velo totum religionis omnis habitum abiecit. Misereatur sui immo & mei ac omnium nostrum Deus. Huiusmodi etenim par vel etiam maius periculum seclusa Dei pietate imminere potest ceruicibus nostris, nisi à curiositate & vanitate sciendi plura quam oporteat caueamus. Sit hoc inductum non ad cuiusquã contumeliã seu improperiũ propitius sit mihi Deus, sed omnibus nobis ad cautelam & in exemplum, vt non quæramus plus sapere quam oporteat, sed sapere cum sobrietate. Et vt meminerimus illud Psal. Domine non est exaltatum cor meum &c. (*Psal. 130.*) Nota quomodo paucos tangit execrabile factum fratris Ia. de Borbonio qui sub prætextu perfectionis ordinem Cœlestinorum reliquit, & ad fratres minores de obseruãtia transijt, & paulo post miserabiliter apostatauit, ad seculum rediens & vxorem accipiens, propter quod crudeliter à parentibus vxoris quam deceperat cum Roma rediret interfectus est tempore Martini Papæ.

Consideratio duodecima.

Consideret duodecimò & postremò iuxta præmissa qualis exercitatio sibi ante omnia tenendæ sit prima. Et inueniet proculdubio quod nihil sic primum, nihil sic principaliter incumbit sicut hoc vnicum, vt scilicet seruitium Dei adimpleat. Seruitium Dei quippe persæpe in regulis monachorum nominatur ecclesiasticũ officium. Deinde si quid temporis in residuo fuerit, ordinetur hoc ad vacandum quantum obedientia admiserit sibijpsi post necessitates corporis quæ multę sunt. Hoc documentum breui versiculo quidam complexus est dicens. Fac opus iniunctum, deinde vacatio tibi. Consulo tamen vt ista vacatio sit taliter practicata in deuotionis otio, vt non reddatur inepta per lachrymas, aut alia læsiua corporis vel mentis exercitia ad ea quæ in cantando, legendo, & cæteris huiusmodi principalius, & principalissimè ex sancta obedientia incumbunt. Dictum sufficiat tantum de prima parte.

VENIAMVS NVNC AD SEX ALIAS CONSIDERATIONES, SCILIcet *de libris legendis seu frequentandis per religiosum sedulo in seruitio seu diuino officio occupatum.*

Consideratio prima.

PORRÒ si pergat sedula curiositas aut vt nutius loquamur, studiosa sedulitas inquirere, qui vel quales libri sunt frequentandi tali religioso sic instituto, sicq; astricto, ad qualem sermo hic currit pro admonendo & hortando censeo respondendum. Primò sub doctrina generali, quia nõ omnes mouentur similiter ex similibus. Liber omnis sit historicus, sit moralis, sit allegoricus, sit anagogicus in quo plus reperiet ad deuotionem se moueri legatur, interim memoretur & ruminetur, ita tamen si probatæ sit auctoritatis. Super qua re editum est opusculum de examine doctrinarum, cui consonat libellus de laude scriptorum.

Consideratio secunda.

Cæterum non est hæc regula fixè data nisi pro hic & nunc. Quoniam sępe variatis affectionibus varietate tam humorum in corpore quam morum in mente necesse est studia variari, prono nimirum fastidio est nostra natura tempore huius mutabilitatis nostræ. Obseruandum est nihilominus vt hæc mutatio studiorum non sit solummodo nauseantis quasi stomachi, cuius est multa degustare & parum digerere, sed veniant ex mentis delectu.

Consideratio tertia.

Proinde quantum occurrit pro hic & nunc, & quantũ ad exhortationẽ pręsentem attinere videtur, sunt narrationes patrum prout in lib. vitas patrũ digestæ continentur bene salubres, quia potest in qualibet narratione pausa fieri dum vacat hora ex obedientia ad seruitium diuinum siue ad alia. Insuper (quamquam mirer quo pacto id fiat) monent præ cæteris scripturis plus ea documenta quæ veluti alterius personæ sub typo ingeruntur intellectui & facile demulcent affectum, cũ quasi personam

personam ipsam in mortuis literis loquentem viuaciter præsentem cum sua auctoritate imaginamur. Consilium consimile sit de paribus piarum historiarum narrationibus.

Consideratio quarta.

Amplius si quæstio fiat de doctrinalibus & nō de historicis traditionibus, veniunt ad animum protinus aliqua quæ meminit idem animus antea composuisse tanquam sibi familarius cognita, vtinam non vanius occurrentia, quæ quia pro hic & nunc habeo ipse suspecta non quidem de nō veritate, sed de vanæ gloriæ vera vanitate eadē prætereo. Sunt libri plures beati Bernar. viri deuotissimi. Et præsertim epistola eius ad fratres Carthu. de monte Dei. Item sermones eius super cantica canticorum vbi loquitur tanquam religionem professus, & sicut experientia multa edoctus. Sūt insuper moralia beati Grego. Papæ omni admiratione & veneratione atq; vtilitate præclara, quę etiam pro magnis & quantumcunq; magnis ingenijs sine seclusione tamen tardiorum, quia singulis lac & mel ministrant, sufficere possunt sua vbertate. Sunt deniq; ad maiorem abundantiam, immo superabundantiam libri illius venerabilis Richardi de sancto Victore de 12. patriarchis de arca mystica. Et quid laborarem per singula. Nihil etenim composuit nisi diuinum & mysticum edoctus à præceptore suo doctore celeberrimo Hugone de sancto Victore. Cuius opusculum de oratione quod incipit, Quo affectu quoue studio &c. superat omnem laudem.

Consideratio quinta.

Subinde nescio si præcipuus inter omnes numerandus sit Eustachius, ita enim nomen illud suum vulgatū Bonauen. videor posse tradere. Ille enim singulariter inter omnes doctores catholicos pace omnium salua, videtur idoneus & securissimus ad illuminandum intellectum & ad inflammandum affectum. Cuius opuscula duo vt lecturā & alios tractatus eius interim prętereeam, tanta sunt arte compendij diuinitus composita, vt supra ipsa nihil breuiloquiū noto & itinerarium. In quibus processum est duabus vijs cognoscēdi Deum. Primus namq; horum duorum tractatuum procedit à primo principio quod Deus est vsq; ad alias veritates sub Deo creditas & habitas. Alius ècontra progreditur à creaturis ad creatorem per sex gradus scalares vsq; ad anagogicos excessus. qui licet sint difficiliores & rariores, debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam theologia talis mystica propriè est Christianorū. Quæ & propitiante & reuelante spiritu Christi Iesu facillima est super omnia & vtilissima, sed abscondita à sapientibus, & in oculis suis prudentibus & ipsis penè inaccessibilis & impossibilis, iuxta eiusdem Domini & saluatoris diuinam sententiam qua ait: Confiteor tibi pater &c. Matth. 11.

Consideratio sexta.

Confiteor itaq; & ego in insipientia mea pro conclusione responsiuę epistolæ ne vltra in longum vergat, quod à 30. annis & amplius citra volui habere familiares mihi prædictos tractatulos sępe legendo, sępe ruminando, etiam vsq; ad verba nedum sententias. Et ecce hac ætate hoc otio velut ad votum vix perueni ad initium gustus eorundem qui & repetiti semper mihi noui fiūt & placent, iuxta illud Flacci de poëmate vel imagine

A compositis eleganter, decies repetita placebit. Allegauerim commodius, grauius, dignius & verius illud de sapientia quam ille describit qui ait. Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tędiū conuictus eius, sed lætitiam & gaudiū, sicut quoq; ipsa eadem sapientia se collaudans dicit. Qui edunt me, adhuc esuriēt, & qui bibunt me, adhuc sitient, quia scilicet in eodem saturitas est ne quid desit, & in desiderio auiditas manet continua ne fastidium sit, vnde etiam fruuntur (inquit prosa) nec fastidiunt quo frui magis sitiunt. Hæc ad sa-
B tisfaciendum scriptis charitatis vestræ dicta licet satis curiosè sufficiant.

Sap. 8.

Eccl. 24.

Frater fratri. Gratia & pax.

Ex verbis tuis iudicaberis notat Christus. Et qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sed cū linguam hominū nemo domare potest, quid consultius quam tenere silentium, mihi quid necessitas vel pia cogit vtilitas rūpere. Est super hac re fructuosum de silentio capitulum in summa de
C vitijs parte vltima relegatur. Hoc ideo frater præmiserim, quia vix euenit mihi inire cū aliquo colloquium quin pœniteat me aliquorum. Et quid profecerim alteri sum ignorans, quid autē obfuerim mihi recognosco, propterea conor indies Domino propitio mecū morari. Et si dandum est cōsilium, malo per scedulam quā per linguā respondere, videor enim mihi rēspōsionem securiorem per hoc dare. Cęterum super modū studēdi multi multa scripsere. Summa de virtutibus tractiuè de
D prudentia colligit vtiles doctrinas. Notātur insuper aliqua pro theologiæ mysticæ, quę stat in affectibus acquisitione particulares industrię duodecim parte secūda principali de theologia mystica quæ nunc penes vos habetur. Tanguntur subinde nonnulla in tractatu de laude scriptorū, vbi fit mentio de dicto B. Bern. quod quercus & fagus docuerunt eum. Habetur à Seneca specialis super modo studendi epistola. Dicit inter cætera quod fastidiētis stomachi est multa degustare, & quod peregrini habent hospitia multa sed paucas ami-
E citias, sic semper ingerentes animum grauant nō nutriunt, quia nec ruminando conterunt, nec digerunt meditādo. Scripsit deniq; venerabilis Hugo didascolicon, id est, magistrum docentem discipulum. Nunc aliqua quæ religiosum respiciunt cursim & punctatim vt occurrunt annotabo iuxta circūstantias à Philosophis & theologis positas. Recogitetur primò quis sit ille qui studet in professione & statu in ingenio & ætate. Recogitet ipse cur studet id est, quo fine, nam finis est in moralibus primū quasi principium primitus & prin-
F cipaliter intendendum, secundum cuius exigentiam debent alię circunstantiæ moderari vt tertiò sciat quid sit illud quod studet, quartò tempus, quintò locum, sextò cum quibus & ad quos suum applicare studiū licet, decet & expedit. Alioquin si desit moderatrix discretio, ponderans istas circunstantias, non institutio sed destitutio, non instructio sed destructio subsequuntur. Et quia paucorum valde est perfecta discretio propria, datur in religionibus aliena per obedientiæ votū, quod qui deserit nec obseruat satagens propria volūtate quæ sibi nulla debet esse regere se, nihil misabi-

le si curtetis incurit & offendit. Scitum est quid Bern. dicit de talibus quod nullum machinamẽtum efficacius habet dæmon ad seducendum quã si modum in feruore bono faciat prætergredi. Deniq; de tali dicit clymacus. Qui sibi dux esse vult spreto duce proprio quod nõ iam indiget dæmone tentante, quia factus est sibi dęmon. Regulet igitur obediẽtia studium eius qui obedientiã professus est. Postremò frater rogo te, rogo & illos quibus hoc pauculum cõmunicare decreueris, vt apertis interioribus oculis retorqueãt illos ad priores collocutiones, & acriter dijudicẽt si frequẽter plus inuenerint ea quę mihi contingere, fateri nõ erubesco. Et vt interim sileamus detractiones, iras zelum, murmurationes amaras, qualia nemo nescit esse criminalia, perpendant fabulationes ineptas faciliter immisceri cahinnos, scurriles nugas, rumorum volatilium sensim effluere, quid quod surrepunt mendacia? celanda pandũtur, temeraria fiunt in absentes iudicia cum similibus, incommodis inter quæ volat interim tẽpus irreparabile. Et animus qui se talib⁹ nisus est oblectare, remanet inanis, sterilis, vanus, tristis, & ad seriosa necessariãq; languidior & ineptior, sibiq; displicens grauis & pœnitens. Magnum est crede mihi, magnum & preciosum ocij talentũ quo qui vtitur multiplicatio fœnore manipulos iustitiæ cũ exultatione reportabit, qui verò malè & inerter illud dissipauerit, disperdet illum Deus etiã in hoc seculo. Summa enim malitia est ocium iners ait Ber. Et desideria occidũt pigrum, desideria intellige, nõ ea sola quæ palam improba sunt & scelerata, sed quæ specie boni se velant & palliant, vt vt sunt desideria ædificationis & correctionis aliorum, sciendi quoque plurima ad expulsionem tenebrarum intellectus, sed euenit profecto deterior obscuritas ex curiositate, quam si sequitur, ponitur in numero talium quales loquitur apostolus verbosas, curiosas, semper discentes, & nũquam ad scientiam veritatis venientes. Sunt cribro in aquam merso simillimæ, sunt vas plenũ rimarum quod hac, illac effluit, nec sapiẽtiam continebit, maximè dum non obseruant illud vulgati auctoris, tabulis suprema notato. Bene vale frater charissime. Scriptum hoc mane mercurij Lugduni breuiori prorsus spatio tẽporum quam itio sit ad vos & reditio vtinã fructuosiori, scio quod mihi minus est molœstum. Tu quoq, fac simile, si tempus postulat aut res &c. Ioannes Cancellarius Parisiensis.

ADMONITIO BREVIS ET NECESSARIA, QVOMODO CAVTÈ LEgendi sunt quorundam libri propter errores occultos venerabilis magistri Ioannis de Gerson.



QVIA vnum est necessarium, optimũ & æternum sufficere debet quærenti bonas margaritas vt tandem inueniat vnam, & venditis omnibus comparet eam. Hæc me cõsideratio pręmouit sæpius facere orationem in mari & in aquis multis sacræ scripturæ nominatim hodie prima Octobris anni 1425. dum perscrutatus scripta Hubertini relegendo quid super illud canticum Symeonis, Nũc dimittis seruum tuum Domine, notauerit, apparuit mihi sicut & aliàs aspectu perfunctorio, grãde nimis & profundum quiddã super meditatione Iesu Christi & pacis suæ mysterio. Et dum magis & magis introrsus aspexi, singulãque notaui, manifestauerunt se vulpes paruulę quæ demoliũtur vineas, maximè dum vinea floruit. Fuerũt tẽpore Hubertini illius hæreses aliquæ radicè accipientes ab Abbate Ioachini, & cõsequenter pullulantes in spuria vitulamina diuersorũ errorum, etiã proh dolor vsq; ad tẽpora nostra. Vnus error & principalis fuit de suscitatione & publicatione euangelij ęterni. Fingens quod sicut pater habuerat suam legẽ tempore Moysi & legis scriptæ. Filius verò tẽpore legis gratię & euangelicæ, ita spiritus sanctus legem inspiraret consummatam sub paupertate legis euangelicę, sicut expresè notare videtur dictus Hubertinus in expositione dicti cantici, Nunc dimittis &c. Fuit alter error de lege & spiritu libertatis sub qua Begardi & Begardę nefanda & abominabilis perpetrarunt facinora. Ponit error iste quod anima perfecta reducta in Deum, perdit suum velle, ita quod nihil habet velle vel nolle nisi velle diuinum quale habuit ab æterno in esse ideali diuino. Quo adiecto dicunt se consequenter posse agere quicquid carnalis affectio deposcit sine peccato vel crimine cum nõ habeant velle & nolle. Diuersificatur autem modus iste, quoniam sufficit aliquibus vt sub Deo solo suam totaliter vel taliter abnegẽt voluntatem, in qua abnegatione dicunt summã cõsistere perfectionem. Sunt alij rudiores idiotæ & simplices qui seducti per astutos faciunt hanc subnegationem propriæ voluntatis per modum professionis & obedientiæ in manibus suis. Qua facta promittunt astuti tales & peruersi quod amplius peccare nequeunt, sub quo prætextu perpetrant innumerabiles nec referendas abominationes. Fuit alter error quod homo perfectus nullam curam debet habere de rebus humanis quomodocunq; vadãt, immo nec de seipso si damnetur vel saluetur, sed in omnibus & singulis diuinam expectare voluntatem debet, & in illa complacere siue saluet siue damnet. Quia etiam quicquid velit voluntas Dei, fiet. Habet error iste ramos plurimos pullulantes ex dictis Apostoli, Aug. & similium. malè intellectis super prędestinatione Dei & suæ prouidẽtiæ infallibili infirmitate, de quibus non est hic scribendum per singula. Sufficerit igitur ad pręsens cõmouisse lectorem prædicti Hubertini sicut & aliorum extranea tradentium sub specie subtilitatis vel excellẽtis dogmatis quod omnia reguletur & examinet iuxta veritatem euangelicam & doctores communiter approbatos, alioquin nouerit se periculis maximis errorũ & hæresum proximum fore. Deniq; nuper super hac re cõpositum est opusculum de examinatione doctrinarum & aliud super doctrina Raymũdi Iullij. Et qui de singulis erroribus cum originibus suis particulares vellet facere tractatus nusquam finis. Scripta sunt insuper dudum aliqua super lib. qui dicitur clymacus de 30. gradibus perfectionis, cuius radix est error Stoicorum ponentiũ virtutes esse insensibilitates scilicet ad nihil passionabiliter affici, contra illud apostoli tam generaliter expertum. Sẽtio aliã legẽ in mẽbris meis &c. Vnde reperiuntur in doctoribus

Luca 2.

ctoribus theologiæ qui subtiles & profūdi nominati sunt quędā positiones minus sobriæ, vt quod Deꝰ vult & facit nos peccare. Quod in ordine ad Deum omnia necessariò veniūt, & ita necessariò peccauimus. Quod diuina volūtas prius vult res esse quā suis intellectus indicat eas fore. quod in eodem instanti temporis licet nō naturę duo cōtradictoria simul possūt stare. Quod multa sunt ęterna præter Deū. Quod quicquid intellectus cognoscit vniuersaliter vel abstractiuè vel præcisiuè habet correspondentiam talem in re sicut in Deo, dum præscindit intellectus sapientiam à bonitate, & ita de reliquis, quorum plura damnanda articuli Parisienses ordinauerunt.

TRACTATVS DE DISTINCTIONE VERARVM VISIONVM A FALSIS *magistri Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiensis.*

NVPER vnam ex lectionibus meis super non esu carnium apud ipsos Carthusienses recensui eisdemq; transmisi. Nunc aliquam quandam similiter recensens tibi germane frater mitto. Hæc lectio generali quodam tropo aperit quemadmodum numisma verum diuinæ reuelationis à falsato denario diabolicę illusionis secerni potest, ne fallat nos angelus sathanæ per transfigurationem sui in angelum lucis, sed probemus spiritus si ex Deo sunt, & quod bonum est obedientes apostolo, teneamus. Hæc doctrina & si cuilibet Christiano vtilis est, viris tamen religioni & contemplationi dedicatis, qualem te pater cœlestis elegit, saluberrimam, immo necessariò iudicatur. Bene vale frater cordis mei in eo qui te iugiter custodiat, & in quo bene valere patres & fratres tuos cœlestinos vehementer exopto, commendans me orationibus eorum, atque ea quæ tibi deputo volens esse ipsis communia, vtinam & vtilia fiant. Hæc autem lectio sic habet.

FVIT Ioannes baptizans in deserto. In hac particula commendatio Ioannis percusoris ex tribus ostenditur, ex fama per nomen expressa ibi, Fuit Ioannes. glo. gratia Dei. A gratia incipit, nec nominari solent nisi famosi. Secundò ex sua operatione virtuosa, quia dicitur baptizans. Tertiò ex loci congruentia, in deserto. Circa nomen videre est ipsum reuelatum fuisse cœlitus secundum historiam Lu. 1. scriptam. Et non est hæc mediocris laus habere nomen quod per angelum & talem angelum qualis est Gabriel, os Domini nominauit. Concluditur namq; mirabilis vitæ perfectio futura, ex prænuncia seu præsaga miraculosi nominis assignatione, alioquin frustra fieret in nomine miraculi operatio, si nō in re ipsa aliquid magnificum supráq; naturam excelsum designaret. Sed insurget statim curiosus inuestigator, & quæret quo pacto scitur hanc prænunciationem nominis istius fuisse angelicam plusquam illusionem diabolicam? Etenim angelus sathanæ secundum apostolum trāsfigurat se nonnunquā in angelū lucis. Ista est dubitatio quæ in nouissima lectione est tacta & dilata ad tempus alterum quæ petit artem discernendi reuelationes angelicas ab illusionibus dæmoniacis. Quocirca dicamus A imprimis sicut vera religionis assignatio per sophisticas & fallaces hæreticorum argumentationes impugnatur, sic per mendaces angelos miraculorum verorum sanctarumq; reuelationum auctoritas, factis quibusdam sophisticis & magnorum pręstigijs quęritur infringi, hoc dicit Petrus apud Clementem in itinerario suo. Cur ita? quatenus per hoc abducantur homines à spiritualis veritatis cognitione quem per miraculorum aut reuelationū media tradita est, quādo ad falsitatē similia B videntur introduci. Dicamus præterea quoniam non est humanitus regula generalis vel ars dabilis ad discernendum semper & infallibiliter, quæ verę sunt & quę falsæ aut illusorię reuelationes. Tūc enim non haberetur solū fides de nostris prophetijs, & consequenter de tota religione, sed esset euidētię certitudo, nam qui sciret euidēter aliquid esse à Deo vel eius angelo reuelatum, sciret profectò aliter quam per solam fidem illud esse verū. Quemadmodum si quis haberet sciētiam claram de dissolutione fallaciarum & argumentationum C contra veritatem fidei peccantiū, eandéq; impugnantium, haberet vtiq; notitiam non tantū certā ex fide, sed demōstratione de fidei articulis euidenter. Constat igitur nō esse quærendū à catholico vt sibi fiat elucidatio perspicua & euidens de prenunciatione huius nominis Ioannes, facta Zachariæ qualiter probabiliter scietur esse reuelatio angelica. De hoc enim fides est & non sciētia. Et sicut non omnium est fides secundū apostolū, sed est donū Dei, sic non omnes veram à falsa reuelatione secernūt, sed aut verā spernunt & falsā am- D plectūtur, vel sacrilega impietate & incredulitate talia negāt, reprobāt & contēnunt. Nihilominus alia est quęstio, qualiter pręsuppositis eis quæ fidei sunt, cognoscere nos fideles poterimus, & secundū doctrinā Ioānis probare spiritus si ex Deo sunt ne fallamur? Et in hāc quæstionem sciēs incidi propter illusiones plurimas quas nostro tēpore cognoui contigisse. Et etiam in hoc senio seculi. In hac hora nouissima in pręcursione antichristi, mundus tanquam senex delirus, phantasias plures E & illusiones somnijs similes pati habet, & multi dicent, ego sum Christus, & recedentes à veritate conuersi ad fabulas seducent multos. De multis iam audiui, quorum quilibet sibi reuelatum esse pro certo iā habebat quod erat futurus Papa. Inter quos quidam bene literatus & famosus hoc etiam propria manu in scriptis quæ legi reliquit, & argumentis conjecturísque plurimis asserere conatus est. De alio similiter literato per relationem accepi primò persuasum esse sibi quod foret Pa- F pa, dehinc antichristus saltem pręcursor antichristi, nouissimè vt seipsum perimeret instigatus est vehementer, ne videretur tantum afferre nocumentum populo Christiano. Tandem Deo miserante ad saniorem mentem conuersus ista de se scripsit ad eruditionem & cautelam aliorū. Porrò de alijs multis in religione & austeritate vitæ cōstitutis, incredibilia fere sunt ea quæ idoneis testibus referentibus agnoui. Si veniat igitur aliquis qui se reuelationem habuisse contendat, quemadmodū Zacharias & alij prophetarum cognoscuntur ex historia sacra recepisse, quid agemus quo pacto nos habebimus? Si statim negemus

omnia, vel irrideamus, vel inculpemus, videbimur infirmare auctoritatem diuinæ reuelationis quæ nunc vt olim potens est, neq; enim manus eius abbreuiata est vt reuelare non possit. Scandalizabimus præterea simplices dicentes, quod ita de nostris reuelationibus & prophetijs potuerũt esse calumniæ, & censendo erunt phantasiæ vel illusiones. Tenebimus ergo medium & secundum apostoli Ioannis documentũ. Nõ credemus omni spiritui, sed probabimus spiritus si ex Deo sint, & obedientes apostolo quod bonũ est teneamus. Erimus sicut nummularij seu cãpsores spirituales, ad solerter & acutè examinandum numisma preciosum & extraneum diuinæ reuelationis, ne forte dęmones qui monetam quamlibet & diuinã & bonam quãlibet falsare satagunt, subintroducant pro vera moneta & legitima falsatam & reprobã, esset hoc in detrimentum non mediocre ecclesiastici fisci vel ærarij, seu thesauri imperialis Dei. Et tanto amplius quanto moneta preciosior est & rarior, quẽadmodum sunt actus virtutum heroïcarum, atq; supernaturalium visitationum. Tanto igitur vigilantior adhibẽda est ad discernendum cautela, quanto esset iactura damnosior. Et quoniam similitudo hæc satis idonea est ad id palpabilius ostendendum quod intendimus, prosequamur eam dicentes. Primum quod examinator huius monetæ spiritualis debet esse theologus arte pariter vsuq; peritus, non quales sunt qui semper addiscentes nunquam ad scientiam veritatis perueniunt, quales garrulosi, verbosi, proterui, contẽtiosi, moribus deniq; pessimis dediti, & plus ad epulas vanáq; gustu discernendũ quam actus suos dijudicandũ industrij & seduli, quibus omnis sermo de religione fabula est siue onus, postremò quicquid lingua magniloqua ostendit, vita quæ mẽtiri nescit, contradicit & blasphemat. Apud tales numularios noua quælibet moneta diuinæ reuelationis sic incognita est & barbara, vt confestim ad se deductam, cum grandi cachinno & indignatione reijciant, irrideant & accusent. Alij sũt nec nego qui ex aduerso in oppositũ ruunt vitiũ qui superstitiosa etiam & vana & illusoria delirorum hominum facta & somnia, nec non ęgrotantium & melancholicorum portentuosas cogitationes reuelationibus ascribũnt. Istis leue cor nimis ad credendũ, alijs nimirum intractabile & asperum esse videns, scio certissimũ esse quod apud Nasonem scribitur, medio tutissimus ibis. Est autem moneta ista spiritualis reuelationis tanquam aurea, in quinq; principaliter examinanda, scilicet in pondere, in flexibilitate, in durabilitate, in configuratione & colore. Et hoc secundũ quinq; virtutes ex quibus sumitur argumẽtum monetæ spiritualis legitimæ. Humilitas dat pondus, discretio flexibilitatem, patientia durabilitatem, veritas cõfigurationem, charitas dat colorem. Has quinque virtutes legimus Mariam habuisse in angelica reuelatione sibi facta. Similiter in Zacharia & Elizabeth concluduntur extitisse ex serie euangelij Lucæ dum Ioannis nomen fuit reuelatum.

Io. 4. *1. Thes. 5.*

ITAQVE quoad primam conditionem si cognoueris aliquem qui superbam curiositatẽ & vanam laudem atq; præsumptionẽ sanctitatis cupidus sit habere reuelationes insolitasqui se dignũ istis reputet, qui in talibus de se narrandis gloriabundus delectetur, scito quoniam illudi meretur, neq; magnipẽdas si aliquã habuisse reuelationem iactanter affirmet, deest enim põdus humilitatis. Præterea de sanctis patribus habemus narrationes plurimas super tanta humilitatis obseruatione cõpositas. Cuidã ex partibus dæmon apparuit trãsfiguratus non solum in angelum lucis sed in Christum, dixit se ad hoc venisse in mũdum, vt ab hoc patre videretur & adoraretur. Cogitabundus aliquamdiu mãsit sanctus ille pater instar Mariæ virginis, & cogitans qualis esset ista salutatio. Dicebat intra se. Nunquid non adoro quotidie Christum, quid sibi vult talis apparitio? Et ad humilitatem illicò confugiens ait dæmonem. Vide ad quem mitteris. Non enim dignus sum hic videre Christum. Quo dicto tam humili dæmon confusus & pudibundus abscessit. Alius pater clausit oculos in re simili. Nolo inquit videre Christum in terris, illum in cœlis videre contentabor. Et beatus Martinus ex superbo dæmonis ornatu, falsitatem loquelæ diabolicæ, quia se Christum dicebat agnouit. Est igitur hominibus saluberrimum consilium contra tales dæmonum illusiones pondus humilitatis obseruare, se reputare intellectu pariter & affectu indignissimum, qui super alios homines reuelationem accipiat, qui præ alijs à Deo mirabiliter visitetur. Et si quæ talia præter solitum euenire circa eum contigerit, reijciat à se cum sancto, humili, verecundóq; pudore. Deputet talia vel læsioni propriæ phãtasiæ & se habere aliquod simile phreneticis, & maniacis aut melẽcholis reformidet, vel caueat ne propter enormitatẽ præcedẽtium peccatorum datus sit in reprobum sensum vt talibus illusionibus seducatur. Si talia sint diaboli machinamenta seu tentamenta ex humilitate huiusmodi euanescẽt, aut si velit Deus quod in his tolerandis exerceatur, non nocebunt. Si verò sit diuina reuelatio, non ficta humilitas piè renitens, magis præparabit locũ ad ipsius susceptionem & audire merebitur, amice ascẽde superius, quãto in loco plus in fimo recumbere conabitur. Habes in Exodo, quotiens Moyses à se repulit diuinam iussionem dum ad Pharaonem mitteretur. Obsecro inquit Domine mitte quem missurus es &c. Et Hieremias clamat: A a a Domine Deus: ecce nescio loqui quia puer ego sum. Et Ioannes Baptista non audet sanctum verticem Christi tangere, sed eum à se repulit dicens: Ego à te debeo baptizari. Et apostolus Paulus se primum inter peccatores deputat, qui nec dignus sum inquit vocari apostolus. Et si quis obiecerit quod apostolus suas reuelationes iactãter aperuit atq; diuulgauit? Respondent sancti doctores inter quos Chryso. sub hac sententia. Aliud est inquiunt, ex quadam necessitate vel habendi consilij vel ad vtilitatem audientium, secretas gratias suas aut virtutes suas prodere seu manifestare, aliud sine quauis sua aut aliorum vtilitate talia per inanem gloriam ventilare. Vnde Maria virgo quæ conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo postmodum apostolis, præsertim Lucæ sacra mysteria sibi soli credita disseruit, non ad iacturam, quia non tantum tardasset cum vitium omne præceps sit, sed ad ecclesiæ religionísque ædificationem. Quinetiam deuotus Ber. qui totiens iussit vt homo virtutes

tutes suas plus abscondat etiam familiarissimis & deuotissimis, quam alij vitia sua occultare satagunt, pluries de suis donis & gratijs per contemplationem adeptis palam nedum loqui, sed scribere non esse superbiam arbitratus est. Quo pacto sic? quoniam hoc agere compellebat non vanitas, sed charitas, & iam humilitatis terra radicem virtutis, ne iactātiæ aura velleretur altè demiserat. Hæc charitas & ædificationis necessitas à præsumptionis suspicione beatum Paulum absoluūt, quia propter subintroductos falsos Apostolos qui gloriosos se monstrabant, auctoritatis suæ pondus impulsus est propalare, quamquam plura sint in eius etiam laudatione plena humilitatis & recognitionis propriæ fragilitatis & ignorantiæ, an in corpore inquit, vel extra corpus nescis, Deus scit. Et iterum. Factus sum insipiens, &c. Est igitur non quælibet manifestatio reuelationis sibi factæ arrogans vel superba, sed ea tantummodo quæ fit inaniter, vanè & absque fructu ædificationis vel consilij, sed fit ad exonerandum tumorem animi à vento iactantiæ qui plenus est. Ad scalpendum denique prurientes aures astantium curiosa huiusmodi narratione vanitatum. Et si non aliud afferret hęc loquacitas incommodum, abundè illud est quod magnæ rei & inappreciabilis fit consumptio, dum scilicet tempus inutiliter dilabitur. Quocirca non parum ad rem attinet, si res de qua fertur esse reuelatio, sit vtilis ad mores, ad rempublicam, ad diuini cultus honorem vel augmentum, aut si sit superuacuis rebus seu narrationibus immixta. Proinde in secularibus historijs & actibus humanis sic reperire commune est, & laudare se potest homo absque culpa iactantiæ, dum suæ defensionis vrget necessitas. Sic Tullius perorando ne pelleretur in exilium, conseruationem ciuitatis Romanę à se factam aliáque egregia opera sui consulatus commemorauit. Sic Africanus Scipio triumphum quem de Carthagine subiugata reportarat in defensionis suæ patrocinium contra accusatores suos allegauit, & vtrolibet absque imputatione ad iactantiā. Refert denique plurimum si quis nouicius sit in exercitio virtutum aut veteranus, quoniam virtus dum incipit leuissimo flatu conuellitur, inueterata autem sua stabilitate nixa consistit. Habes ex his primi signi qualemcumque delucidationem, per quod dijudicari potest spirituale numisma veræ reuelationis à falsato denario diabolicæ illusionis, quod signum est pondus humilitatis. Et nonne hoc pondus hęc habuit reuelatio facta Zachariæ & Elizabeth super Ioannis nominatione. Lege historiam & videbis quod vicini & cognati vocabant puerum nomine patris sui Zachariam, quia non garrula & vana curiositate super nomine pueri parentes vulgauerunt, illam dicere sola extorsit necessitas, dum in circuncisione puer esset nomen accepturus. Sed & Elizabeth sancto humili verecundóque pudore ornata, occultabat se mensibus sex. Et Zacharias tantæ humilitatis fuisse conuincitur, vt ad verbum aspectúmque Angeli stupidus & gelido timore concussus vix crediderit nuncianti. Addendum tamen est quod vult beatus Gregor. dialog. Humilitatem veram non esse pertinacem, sed obtemperantem cum tremore, quemadmodum de quodam libertino refert, qui rogabatur & adiurabatur

A renitens suscitare puerum. Virtutis inquit, pectus non esset si hoc charitas non vicisset. Et planè non iam humilitas sed superbum de sua ęstimatione est indicium, si quis prætendendo humilitatem contemnant prælatum aliquid operis ardui pręcipientem. Neque enim hoc ageret si non esset sapiens in oculis suis, si non prudentiæ propriæ innitens potius quam superioris sui iudicio sensui & arbitrio subijci paratus existeret. Vide ergo quemadmodum pusillanimitas ex superbia generetur. Addit ipse Gregor. pro regula quod miraculum

B & humilitas duo sunt signa quæ ad manifestādam alicuius sanctitatem sufficiunt. Neque enim miracula per se valent cum à malis iusto Dei iudicio permittuntur fieri in ædificationem Ecclesiæ. Mens quæ diuino spiritu impletur (inquit Greg.) habet euidentissimè signa sua, veritatem scilicet & humilitatem, quæ si vtraq; in vnam mentem perfectè conueniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt. Quamquam refert multum si miraculum fiat in attestationem fidei veræ, aut ad sanctitatis alicuius manifestationem.

C Nam & mali primo modo faciūt miracula vt scribitur Matth. 7. Quoniam veritas à quocūque dicatur à Spiritu sancto est, nec eam vincit malitia. Sed in approbationem sanctitatis propriæ malis absque Dei contradictione publica & sufficienti, nullo modo conuenire potest miraculorum operatio, alioquin Deus esset fallax testis mendacij. Quare sic? quia signum propriæ manus id est potentiæ, à se solo factibili appenderet literis falsis prætensæ sanctitatis, nec reclamaret. Additur hoc,

D nec reclamaret, propter antichristi miracula quæ nonnulli vera fore contendunt ad probationem electorum & reproborum subuersionem, licet tamen antichristus minister miraculi mēdacissimus erit & in vita sceleratissimus. Sed Deus ipsi suísq; miraculis ne crederetur, per suas aliorúmq; prænunciationis innumeras reclamauit atq; contradixit, propter quod inexcusabilis erit sibi credens.

SECVNDVM signum in legitimo numismate spirituali, est discretio quæ dat flexibilitatem, intellige promptitudinem ad credendum consi-

E lio, quę est humilitatis filia. Si videris aliquē exemplo Zachariæ & Elizabeth incedentem via regia & corde simplici in omnib' iustificationibus Dei qui non vult ambulare in magnis neque in mirabilibus super se. Sed medio quodam tenore regulas viuēdi sequitur à patribus institutas, nec transgreditur fines quos patres sui posuerunt, de tali noli credere leuiter, quod fallatur per dæmonum illusiones, quem & credere consilio & in omnibus cæteris moderamen discretionis obseruare

F perspexeris. At verò sunt alij quibus placet propria sententia duci, & ambulant in adinuentionibus suis. Ducit eos periculosissimus rector, & verius impellit propria opinio, ieiunijs supra modum se macerant, protendunt vigilias, lachrimis plus quam oportet cerebrum turbant & extenuant. Et inter hæc nullus credunt monitis, consilio neminis acquiescunt, vt temperatius se habeant. Doctores pręterea & in lege peritos audire seu consulere non curant, & consultos spernunt. Nimirum quia magnum iam aliquid esse persuaserunt sibijpsis, & quid eos agere conueniat plus omnibus sapere arbitrātur. De talibus pronuncio,

quia, citò prolabuntur in omnem dæmonum illusionem, citò impingunt ad lapidem offensionis, quia cæca præcipitatione & nimia velocitate rapiuntur. Præterea quicquid de reuelationibus insolitis pronũciauerint, habeto suspectum. Pauci sunt menses dum erã Attrabati, audiui de quadam muliere cõiugata & habente liberos quod aliquãdiu per duos dies, nonnunquã per quatuor & amplius manebat absq; cibo, erat proinde multis admirationi. Feci vt loquerer cum ea, examinaui eam multis sermonibus, reperi hanc abstinentiam non sobrietatem, sed vanã superbámque pertinaciam. Nam & post tale ieiunium dira fame excruciata, inexplebili voracitate comedebat, nullam insuper asserebat solidã causam quare sic ageret, nisi quod se indignam dicebat quæ pane vesceretur. Fatebatur præterea neque à confessore suo neq; ab altero habere hanc viuendi regulã. Nam à dimidio anno & amplius, nullius habuerat confessorum vel absolutionem vel consilium. Expaui fateor & exhorrui, dissimulans tamen cœpit ostendere dæmonis hos esset laqueos, & eã periculo insaniæ vicinam esse, nã & erat vultu attonito & color similis iamiam morituræ videbatur. Petebam si sciret aliquos quorum auctoritas, fides & prudentia maioris essent põderis & reputationis apud eam quã propriæ æstimationis iudicium. Respõdit ilico suspirabunda & gemens dimissis humi oculis se miseram, se peccatricem, se indoctã plus omnibus & insciam. Subintuli quærés si verè ita de se sentiret, quo pacto sine cuiusquã alterius consilio tam insolitã & ab alijs sanctioribus & fortioribus non obseruatam abstinentiam sequeretur. Cœpit nescio quas responsionum ambages voluere, quia quamuis euadere nescire deerat humilitas, & possidebat mentem eius quædam arrogantia, quæ se victam erubescebat confiteri. Tandem monui eam bona fide & sub attestatione maximi discriminis sui in anima & corpore, vt fatuam desereret hanc ieiunandi obstinationem, & absq; peritorum consilio nihil singulare, & ab alijs inobseruatũ sequeretur, maximè quia viro suo displicebat, & peior erat edacitas insaturabilis sequens. Non respondit ad hæc. Planè discessi & quid postmodum egerit ignoro. Hæc idcirco introduxi vt exemplo perspicuum facerem quãtus est in quibusdam discretionis defectus qui non permittit flecti ad credendum cõsilio. Non mirandũ si numisma quod à talibus fabricatũ est, repudiatur tanquam si ex ferro sit non aureũ. Qua in re saluberrimũ est sapientis consiliũm, ne homo sit sapiens in oculis suis, & ne innitatur prudentiæ propriæ, sed agat omnia cum consilio in æternũ nõ pœnitebit, nec sufficit quotidianis interrogationibus fatigare prudentes, sed fides & obedientia præstetur necesse est, alioquin stult⁹ erit homo huiusmodi prout loquitur sapiẽs qui non recipit verba prudẽtiæ seu consilij, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. Est sanè donũ non mediocre Spiritus sancti hoc donũ consilij, quo scilicet dari posset vel haberi vel credi rectè consilium. Ait itaque Ioannes Clymaci de gradibus pertingendi ad Deũ quod homo arrogans & seipsum ducem sui constituens non indiget dæmone tentãte, quia factus est sibijpsi dæmon. Æstimo deniq; quod nunc maximorum malorum cumulus quem in scismate patimur & experimur, ab

hac indiscretionis peste processerit, nullius acquiescere consilio permittentis. A De hac discretionis virtute tractat abundè Cassianus in collationibus patrum: Tandem in persona illius magni Antonij cõcludit solam hanc virtutem esse quæ imperturbato calle deducit ad regnum, & ab insidijs & seductionibus dæmonum tutos reddit. Subiunguntur exempla quibus hoc astruitur. Miserabiles prætere a exitus illorum quibus hæc virtus defuit memorantur. Itaq; ad par exitium vergunt abstinentia nimia & crapulosa voracitas nisi quod irremediabilior est excessus in abstinentia, morbos enim B affert incurabiles ex læsione cerebri & rationis perturbatione, quò fit vt per maniam, aut furiam, vel cęteras passiones melãcholicas sic profundantur & intimè radicantur phantasmata interius reseruata in cerebro quod esse reputantur veræ res extrinsecus apparentes, & audire se putat homo videre vel tangere quod nullo sensu exteriori percipitur. Inualescit autem hæc passio vsque ad hanc aliquando insaniam vt iudicet se homo aliud esse quam est, quemadmodum repertus est qui se mu- C rilegum, alius qui se gallum, alius qui se asinum, alius qui se mortuũ reputaret. Vnde fuerunt nonnulli doctorum qui hac ægritudine percussum arbitrati sunt fuisse ipsum Nabuchodonosor vt brutum animal esse se crederet & non veraciter indueret corpus beluinum. Pleni sunt medicorum libri portentuosis huiusmodi apparitionibus & iudiciorũ corruptionibus ex læsione virium interiorum nascentibus. De his ait Hiero. quod magis indigent fomento Hypocratis quam alio cõsilio. D Multos talium vidi, multos etiam examinaui quorum aliqui in plerisq; negotijs sanissimã videbantur habere sententiã, desipiebant tamẽ in certis casibus & respõsionibus vt phantasiæ suæ læsio certius eminebat. Cęterum qui perscrutatur acutius artium magicarũ traditiones sacrilegas & impias, facillimè noscit plurima ibidem obseruanda proponi super immoderatis ieiunijs & alij, non ad aliud quam ad sensus & rationis perturbationem, quo fit vt etiam plerumque talibus dediti cadant in insaniam, & vultus oculorúmq; horrorem ter- E rificum patiantur. Attamen ne quis ea quæ dicta sunt contra Ioannẽ Baptistam & eius abstinẽtiam valeat retorquere. Hic aduertendum est diligẽter quod hominũ diuersæ sunt gratiæ, tum ex naturali bonitate cõplexionis, tum ex dono illius qui diuidit singulis prout vult. quo circa fieri potest quod absque culpa & nota indiscretionis arripiat vnus modũ viuendi austeriorem qui nõ omnibus conueniret, exẽplum habemus in Ioanne nostro. Fuit ille cõplexionis optimæ naturalis & harmoniã viF rium inferiorum ad superiores quãta natura lapsa patiebatur pulchram integrãq; possedit. Quod si cui forsan sit hoc ambiguũ, sciat quoniã secundum scripturam Dei perfecta sunt opera. Sed nonne Ioannes noster Baptista à Deo miraculosè productus est. Semen igitur materiale ex quo corpus cõpaginandum erat, nec durũ nimis nec rursus fluidum abundãtius fuit, sed tale prorsus quale disponere & ministrare talem & tantum dicebat artificem Deũ. Dic aliquem defectum monstruosum incidisse, quid sequitur? Iam non naturæ quę non operabatur, sed Deo miraculosè causanti fuisset imputata talis imperfectio, quod dicere nefas est.

Ex hoc

Ex hoc amplius liquet quod Ioannis complexio non melancholia, sed sanguinea fuit, & quod in sua conceptione & annunciatione constellationibus cęli nequaquam subdebatur. Fefellerunt insuper aut fallere potuerũt regulæ astronomorum de iudicijs circa eum, nec ad ipsum extendi potuerunt, aperta est ratio conceptionis miraculum. Ex his quid rursum cõcluditur. Nimirum vide quod Ioannes dum puer eremũ concupiuit & introiuit, hoc non ex læsione cerebri, non ex melancholica passione egit, sed potius à Spiritu sancto ductus est in desertum. Similiter victus sui singularitas & cætera huiusmodi (quæ etiam ante eius conceptionem pronunciata sunt) virtuosa sagacitate obseruabantur à Ioanne, quę ab alijs admirari poterant, sed non cum discretionis virtute penitus imitari, non omnium auium par est volatus ad aquilam, nec bestiæ omnes cursu tigridem æquant. Sic in virtutibus dispar est cuique partitio. Nonne sanctus Benedictus desertum locum puer incoluit? ipsius tamen documẽtum est vt non permittantur passim & pro libito monachi solitudinem aggredi, nam quispiam adhuc tyrunculus nec expertus leuiores insultus pugnæ spiritalis, quomodo tutè committit se bello grauiori gigantis? Nam communẽ vitam agunt in societate, magis experiuntur bella mundi & carnis tanquam rudiores potentioresque pugnarum congressus. Qui autem solitarij degunt contra gigantem immanissimum diabolum dimicatur, & fraudibus subtilioribus atque fortioribus aggrediendi fatigandi, & nisi discretionis gratia succurrerit, turpiter deijciendi exponuntur. Agnoscitis igitur quam necessaria est discretionis virtus quam parit, nutrit & saluat humilitas veræ obedientiæ copulata. Expediamus reliqua sub breuitate maiori.

A B C D

Tertium igitur signum in numisinate spirituali diximus esse patientiam quæ dat durabilitatem, dum per ignem tribulationis examinatur, & dum per contumelias & probra pulsatur. Doctrina viri (inquit sapiens) ex patientia cognoscitur. Si quis itaque ex manifestatione illorum quæ sibi dicit fuisse reuelata reportet non nisi deiectionem, irrisionem & opprobria, facilius inducit credere sibi, quam vbi suspitio de vanæ laudis captatione rationabilis exoritur. Fallax tamen est hoc signum non dubito nisi cautissima circunspectione cum alijs adiunctis examinetur, nam & obstinatio sæpe patientiam simulat, & nonnulli ex contumeliarum fatua perpessione gloriantur. Quemadmodum ipse etiam sordes vestium & cilicium aliquando superbię vermem mordacissimũ generant & nutriunt. Arbitrantur isti se iustis & sanctis esse similes, quibus tot aduersa contigerũt vel qui egerunt similia. Impleri rursus in se putant illam Christi promissionem. Beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, nõ satis aduertentes quoniã addit Christus, propter iustitiam, sed tantæ cæcitati: est ipsa mẽtis arrogantia, tam similis esse virtutibus vult videri temeritas. Cæterum nunquid non obsecro reperiuntur qui de suis etiam defectibus, de negligẽtijs & necessitatibus improbissimè glorientur absurdum dictu, sed ita gloriantur, certè deputantes sibi talia à Deo permitti, ne cum Paulo magnitudo reuelationum aut virtutum eosdem extollat. Et vide quantæ conscientiæ arrogantis calamitas, quia nec humiliatur, nec à suis defectibus spoliatur. Nam quia vtili dispensatione sibi datos putat stimulos negligentiarum culpabilium: vt eis careat nequaquam enititur, quin potius in suæ perfectionis traducit argumentum.

E F

Qvartvm signum est veritas, quæ dat configurationem & inscriptionem legitimã. Est namq; sacra scriptura locus vel officina vbi cunus regius monetæ spiritualis reconditur, quia si in aliquo vel minimo pũcto denarius discrepet in sua figuratione & superscriptione ab hoc cuno regis, absq; vlla dubitatione falsatus est. Attamen tanta est nonnunquã similitudo denarij falsi ad verum, vt vix nisi à doctissimis possit falsitas deprehendi quia inter tot veritatis lineas ad fraudem positas, non statim vnus falsitatis punctus semet aperit. Visi sunt hæretici qui magnos Catholicæ doctrinæ compingebant libros, vt solam hæresim inter tot veritates latenter insererent & cautiori efficaciorique fraude publicarent. Hæc res indicat ex quanta necessitate talis quælibet moneta reuelationum insolitarũ debet à Theologis priusquam admittatur examinari quorum præcipuè interest inter veram & falsam religionem, moresque concernens discernere. Palam est insuper quam perniciosa sit scripturæ sacræ reiectio, & ad antichristi susceptionẽ præparatio certissima. Hoc signum quartum manifestè traditur in lege Deut. 13. & 18. Et pro elucidatione maiori placet hic repetere quatuor conditiones veræ reuelationis quo ad veritatis inscriptionẽ, aliàs per me positas & pronunciatas in quadam collatione de Angelis.

Prima conditio: Nullus Angelorum sanctorum siue prophetarum quicquam esse futurum prænunciat, quin veraciter futurum sit in sensu quem ipse vel Spiritus sanctus intendebant. Sic non est responsum dęmonum quia & fallunt & falluntur. Et hæc conditio habetur Deute. 18. Si tacita cogitatione respõderis. Quomodo possum intelligere verbũ quod locutus est dominus? Sequitur respõsio. Hoc habebis signum quod in nomine domini propheta ille prędixit & non euenerit, hoc dominus nõ locutus est, sed per timorem animi sui prophetia cõfinxit. Cõtra hoc videtur esse instãtia fortis de Iona qui prędixit destructionẽ Niniuitarũ, & de Esaya respectu mortis Ezechiæ, & de Nathã.

Pro quo ponitur secunda conditio: Si idipsum quod Angelus aut propheta prędixit nõ ex modo quo vocaliter prætendebatur, eueniat, plus super hoc à Spiritu sancto reuelationẽ accipiet de prophetia aut reuelatione sic vel sic intelligenda, conditionaliter, aut mysticè, vel liberaliter. Sic factum est in Esaya: aliàs debuissent lapidari secũdum legẽ Deuter. 18. scriptam: hoc est quod prius appellaui Deum reclamare vel contradicere, vel de suo intellectu salubriter informare. Tertia conditio: Nihil bonis moribus aut synceræ fidei cõtrarium, Angeli sancti & prophetæ veri prędicunt aut præcipiunt. Non sic dæmones vel antichristus quorũ signa dicuntur signa mẽdacij, quia ad mendacium credentium inducunt. Nec conditio habetur, Deut. 18. Si quis de præcepto dato Abrahæ super immolatione filij, responsio est quod Deo iubente

seu dispensante non fuisset illicita mortis huius inflictio. Sed ita dicere pertinax idolatra immolans filios suos & filias suas dæmonijs. Pro quo ponitur quarta conditio: Reuelatio Angelica siue prophetica super aliquo quod bonis moribus obuiaret nisi diuina interueniret iussio siue dispensatio, taliter circunstantionata est aut esse debet quod de ea reuelationem accipienti vel eis pro quibus fit reuelatio, dubitare non liceat. Oportet enim vt tam clarè cognoscatur reuelatio esse à Deo quam clarè scitur aliquid esse scripturæ sacræ vel rationi conforme. Et in hoc casu maximè necessarium est donum quod Apostolus vocat donum spirituum. Quæres quid agit hoc donum quod discretionem spirituum appellamus? Agit equidem vt sapore quodam intimo & illuminatione quadam experimentali sentiat homo differentias inter veras reuelationes & deceptorias illusiones. Hoc tradit beatus Greg. in dialog. Hoc idem de seipso beatus Bern. in suis miraculis fatebatur. Sentiebat enim (& vt sic dixerim) gustabat interno quodam afflatu & odore quando ad faciendum miracula sibi virtus aderat, vtpote ad sanitates operandum. Quemadmodum de domino nostro Iesu Christo dicit Euangelista, quod sensit virtutem de se exisse, dum sanata est mulier ex contactu fimbriæ vestimenti, alioquin idem & alij similes nulla ratione visi fuissent aliquãdo excusabiles à temeritate aut à tẽtationis diuinæ peccato dum ad operandum miracula semet ingerebant. Augustinus quoque refert in suis confessionibus matrem suam isto modo inter veras & falsas nocturnæ quietis imagines & visiones discreuisse. Cur igitur aliquis, si regula vniuersalis aut doctrina certa & infallibilis nequeat tradi super hac materia de discretione spirituum, aut de reuelationum veritate, cum ista res plus in experientia & conditionũ particularium quæ infinitæ sunt concursu quam in arte versetur. Videamus similem in re pari, immo longè faciliori difficultatem. Ridebunt ad exemplum forsan aliqui, sed attendant ne semet irrideant. Petamus ab aliquo dari nobis sub arte & doctrina vniuersali per quam sciri poterit euidenter de seipso vel alio semper quando somnijs illuditur aut veris vigilijs exercetur. Attende in primis quod visiones somniorum plerumque discursiuæ sunt, rationales & super se reflexæ. Nam quærit homo si somnia, vtrinque insuper arguit, & tandem deliberatè cõcludit quod vigilat. Adde quod tanta est somnij ad vigiliã propinquitatis similitudo, vt hæsitet homo etiam vigilans, ac visa secum retractans, si tunc verè dormiebat. Rursus apud quosdam dormientiũ prout scribit philosophus, & experientia loquitur, vigilantium opera in cursu, voce & alijs plurimis reperire est. Denique tot & tales aliquando occurrunt similitudines somnij ad vigiliã, quod solum videtur experientia ad discernendum sufficiens. Interroga aliquem de vigilantibus quomodo scit an vigilat? Respõdit ilico fortè insulsam hanc quęstionem tuam, sed vrgere nõ desinas, respondebit substomachans, bene scio. Persiste vltra & dic, quomodo bene scis? dicit quod maxima est inter somnium suum & vigiliam dissimilitudo. Si similitudines varias adduxeris quas prætigimus, æstimo quod nullus suę responsioni alius erit exitus quam vt dicat, certè scio, quia sic experior. Sed perge vltra insistere, & affer quod similem crebrò se habere iudicat experientiam dum somniat, credens scilicet loqui, legere & audire, immo & non somniare. Ad hæc quid iste respondebit nisi dicere, verum est, & tunc decipior. Quod si amplius proteruire & cõtraniti volueris dicens, ita nunc. O bone vir vir etiam tu falleris quãquam ignoras. Videat ipse quid vltra obmutire aut sufficiẽter allegare valeat ad liberandum pedes suos ab hoc labyrintho, pręter solam experimentalem notitiam ipsius vigiliæ, quæ valde dispar est à somnijs fortior scilicet atq; lucidior, per quam non se tam opinatur quam scit & intelligit vigilare. Transferatur hæc similitudo quæ videtur puerilis ad rem sublimissimã quæ tractatur, comprimetur per eam, si non erro, insolens arrogánsque humana curiositas, quæ fidei sacramenta si non penetrat indignatur, quando nec quotidiana puerilia & ludicra sufficit attingere. Hæc etiam nos cõsideratio cautiores efficiet, non in reuelationibus tantummodo secernẽdis, sed in omnibus generaliter nostris actibus dijudicandis. O quotiens sibi videtur homo sapiens, sibi iustus, sibi humilis, & sibi dicit, quia diues est in virtute, & nescit quod miser est & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus. Præualet in vnitate sua, & in multitudine spiritualium diuitiarum suarum gloriatur, dicit in excessu suo, non mouebor in æternum. Sed pro certo alto somno præssus fallitur, quia omnia hæc aspicit non in luminosæ veritatis vigilia, sed sub simulacro somniculosæ vanitatis experitur hanc fraudem. Tunc primũ homo dum Deo propitio excitatur à somno peccati, & nihil inuenit diuitiarum somniatarum in manibus suis. Fit hoc dum regreditur ad luminosum & præfulgidum diem humilitatis & sibi vigilat qui vanitati dormiebat, videt tunc errorẽ suũ, & illum secum diúque retractans quod ipse patiebatur qui ne desipiat obstupescit. Nam & verè superbum & arrogantem & tumidũ aut aliter vitiosum se fuisse deprehendit, quamquam aliter prius existimabat: Quare sic? quia mentiebatur iniquitas sibi. Et quid mirum si mentitur iniquitas sibi plus quam si somnians de somnijs, & maniacus de furia, & stolidus de sapientia corruptissimè iudicarint. Sic est planè quod vitiosi de proprijs vitijs vt de tenacitate parcus, de arrogantia superbus peruersè cõiecturant, & tanquam acrisia percussi palpant in meridie. Quamobrem elucescit quantum immo quam necessarium sit eis alieni consilij ducatum habere & sequi, quia de somniante alius vigilans perfectius iudicat. Ideo væ soli, quia cum ceciderit nõ habet subleuãtem. Et væ cæco si cæca eũ ducat impietas *Eccl.* 4. & illusio, quia ambo in foueam cadunt. O formidandas ergo iugiter fraudes quis nõ expauescat. O fallaces vbilibet mille deceptionum tendiculas, quis has euadet? quis arcto tramite sic obscuro, sic obsesso securus ambulabit? Profectò solus ille beatus, & decies beatus, humilis & pauperculus, qui sapienti obediens semper est pauidus, qui in Dei timore instanter se tenet ne citò subuertatur domus sua. Putas ne fuerat hoc expertus qui dicit. *Psal.* 104. Custodiens paruulos dominus, humiliatus sum & liberauit me. Denique hoc testatur oraculum illud dignè diuinum & sempiternè memorãdum, de humilitate Antonio mõstratum. Conformiter

ad quod

ad quod iurat deuotus Bern. talium expertissimus super Cantica. In veritate inquit, didici nihil æquè efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inueniaris corã Deo non altum sapere sed timere.
Prou.28. Beatus homo qui semper est pauidus. Hanc humilitatis lucem quisquis intrauerit, per medios tentationum laqueos quantumlibet absconditos tutus incedet, frustra rugiet aduersarius vt leo, frustra circumiet quærens quem deuoret, frustra insidiabitur in spelunca sua vt rapiat pauperem & pauperculum & contritum, quoniam tibi domine derelictus ille pauper & orphano adiutor es. Hoc est primum & præcipuum signum inter signa nostræ monetæ spiritualis discretium. Monitiones omnes itaque intrinsecæ, omnes instinctus vehementes, omnis reuelatio, omne miraculũ, omnis amor extaticus, omnis contẽplatio, omnis raptus, omnis deniq; nostra interior exteriorve operatio, si humilitas præcedit & comitetur & sequatur, si nihil eam perimẽs misceatur (crede mihi) signum habet quod à Deo sunt aut bono eius Angelo, nec falleris. Sic verò prædictorum aliquid sumat originem à superbia, si eam secum duxerit, suspecta habe omnia. Humilitatis ergo signum si perfectè nosceretur frustra multiplicarentur alia, quoniam superbia & humilitas numisma spiritualiũ operationum sufficienter condistinguunt. Hanc nihilominus sublimissimam paruitatem & paupertatem ditissimam sed in Deo, hanc sapientissimam vt sic loquar insipientiam quæ sibi de se diffidit quæ nemini se præponit quæ idcirco suasibilis est, & nemini detrahens aut indignans, disponit omnia suauiter. Hanc inquam quisquis propria virtute, studio vel industria adipisci & seruare crediderit, errat procul dubio etiã superbissimus est, præparat se homo ad eam non negabo, sed ab eo solo gratis infunditur & custoditur, à quo omne donũ optimum est, & hoc scire & sentire iam magnum Dei donum est & humilitatis initium. Ecce magistri venerabiles & fratres dilectissimi, ecce quo relapsus sum de quarto signo ad primum, ita est, sed nunquam profectò satis crebrò, nunquam verbis sufficiẽtibus potest apud nostram elationem perditissimam inculcari laus huius virtutis, nunquam nimis sub pedibus reprehensionis valet aduersa superbia deijci, conculcari & conteri. O monstrum horrendum ingens. O portentuosissimũ superbiæ negotium. Nam heu calcata resurgit fortior instar fabulosi Anthei, euulsa re pullulat vberior, sua demum recisione (velut hydræ poëticæ caput) redit fœcũdior, sic ex suo nedum contrario vt ex humilitate, ex sordibus, ex pallore, sed ex sua morte rediuiua generatur. At verò tandem reuertamur si placet ad quartum signum in quo eramus, quod diximus esse veritatem, quæ dat configurationem legitimam monetæ nostræ spirituali, vbi quæso animaduertere nequaquam omittamus, quod aliqua sic se habere possunt, vt quamuis non sint palam & directè obuiãtia siue contraria diuinæ omnipotentiæ, quæ per scripturam sacram extollitur, quin absolutè possint fieri, sunt nihilominus refellenda tanquam inania & fatua, & diuinę sapientię incongrua, nec testimonio veritatis legitimè formata, sed aliunde protracta, quemadmodũ si quis diceret sibi esse reuelatũ, quod totus mundus mouebitur, cras motu tecto, quod vnus Angelus **A** annihilabitur postmodũ recreabitur, non adducendo aliam vtilitatẽ, quod quilibet prælatorũ debet solus & nudus incedere, & baiulare crucem materialẽ super humeros suos, alias tota peribit Ecclesia. Talia inquam, velut delira & diuina reuelatione indigna, statim abijcienda sunt. Neque enim relucet tantũmodo in diuinis operibus potẽtia, sed bonitas & sapientia quã efudit super omnia opera eius. Omnia (inquit Psalmista) in sapientia fecisti. Psal.104.
Ad hoc refertur quod antea dictũ est de narrationibus superuacuis phantasticarũ apparitionũ & de **B** inutili per eas tẽporis cõsumptione. Pro hoc valet quod habemus ex determinatione doctorum, & glo. Matth. 4. super illo. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Miraculum si pia vtilitate aut necessitate careat, eo facto suspectum est aut reijciẽdum, sicut fuisset Christum volare per aëra, & vt cõmuniter sunt magorũ sacrilega pręstigia. Fuit nostris temporibus mulier in talibus famata reuelationibus, quam hoc signum nisi fallor delirasse conuincit.

C *Quintum signum.*

EXPEDIAMVS nos ad postremum de quinto & vltimo signo. Illud est si meministis, charitas seu diuinus amor qui dat colorem aureum numismati. Hoc signum nõ vsquequaque statim sufficiens est, propter sophisticũ & fucatum colorem aureum vanæ seu carnalis dilectionis. Siquidem expertum est mulierculas quasdã fuisse quæ circa Deũ vel alios viros suos sanctos magis afficiebantur dilectione vitiosa ignoranter, quã vera sancta & syncera charitate mouerentur. Et de idolatris **D** constat, quia Deum se diligere licet errãtes existimant. Propterea primũ hic incidenter infero non esse tutam mulierum quantumcumq; sanctarum cum viris etiam religiosissimis cohabitationem & familiaritatem. Quare sic? quia potest fieri vt amor à spiritu incipiat, sed vehementer formidãdum est ne per blandicias sensim carne consumatur. Non deerit inquit Hieronym. viscus diaboli. Nam & ferreas mentes libido domat & carpit vires, vritq; videndo fœmina, inquit Virgilius. Quocirca scripsit **E** quædam deuota mulier, nihil ita habere se suspectum sicut dilectionẽ, & plus quam diabolum, etiã dum circa diuina & personas probatæ sanctitatis versatur. Hoc non muliebriter traditum est, quoniam passio seu motio quanto vehementior, tanto præcipitatio facilior inuenitur & regi difficilior. Amplius hanc ob causam inter cæteras videntur errasse Begardi & Begardæ, ob indiscretam dilectionem nomine deuotionis palliatam. Argumentum huius rei est in quodam libello in- **F** credibili penè subtilitate ab vna fœmina composito, quæ Maria de Valentianas dicebatur, hæc agit de prærogatiua & eminentia dilectionis diuinæ, ad quam si quis deuenerit, fit secundum eam ab omni lege præceptorum solutus, adducens pro se illud ab Apostolo sumptum. Charitatem habe, & fac quod vis. Recolitis opinor, vt apud Vergilium in bucolicis quæsitiuè ponitur. An qui amant, sibi somnia fingũt. Et certè res sic se habet, quoniã amor inter omnes animæ passiones magis penetratiuus & alienatiuus, & si verus est, castus & sanctus, iuuat incogitabiliter ad cognoscendum cœlestia. Si verò aut vanus sit

erroneus aut libidinosus, varias sibi format illusiones, ita vt credat videre seu cogitare quæ prorsus ignorat. Experimentum huius rei in amore reos conspicimus. Etenim si prædicta Maria non de viatoribus vtique ligatis ad præceptorum diuinorum impletionem, sed de statu beatorum dilectionem quam scribebat applicasset, vix altius quicquam de diuina fruitione quoad aliqua dici potuerat, sed fallebat eam sua tumiditas animi tantæ passioni dilectionis immixta. Putabat igitur se frui Deo dum vigebat hæc passio fortis circa Deum in eius animo quantumcumque à diuinis præceptis longè esset. Accepi à narrante quodam Carthusiensi, se ab vno magno viro audiuisse, sed in hoc stultus erat quod peccatum mortale non semper corrumpebat charitatem, nec impediebat dilectionem Dei super omnia, immo ad gratias agendum & diuinam dulcedinem admirandum, laudandum, concupiscendum, nonnunquam inflammabat. Exemplum dabat de fornicationis dilectione. Errabat vtique delirus ille qui sic phantasiabatur, dum motum omnem amoris passionalem vel ex consuetudine vel aliunde genitum, ita diuinam vocabat charitatem quæ non gaudet super iniquitate, & quæ Deo per inobedientiam præcepti cuiusuis nequaquam inimicatur. Noui hominem qui ex deuotione & sapiētia planè laudabili cuiusdam virginis religiosæ amicitiam eius in domino familiarem amplexatus, deerat primò focus omnis carnalitatis, tandem paulatim ex conuictu crebro accreuit amor, sed non penitus in domino vsque adeò vt ab ea visitanda aut recogitanda si aberat, vix diuelli valeret. Nihil tamen pro tunc carnale, nihil subdolum, nihil fraudis diabolicæ suspicabatur donec aliquando discedendum fuit longius ab ea, sensit ille vir tunc primum quia non pura & omnino syncera & casta fuerat hæc dilectio, & quod magno malo nisi Deus propitius auertisset, approximabat. Omnis quippe vehementia est ad virtutem periculosissima comes, vt ad dilectionem, ad zelum, ad correctionem & similes. Verissimè propterea quidam enunciauit qui dixit: Malè cuncta ministrat impetus. Hæc demum fraus apud illos frequens est, qui in cultu aut dilectione proximorum decorem corporis, florem ætatis, aut diuitias, aut alias fortunæ dotes attendunt, ac inde vehementius ad eorum dilectionem accenduntur. Qui profectò cauere habent ne sordidè aut carnaliter exurantur, alioquin si tantummodo virtutem diligunt, sedem eius vnicam spiritum videlicet qualecumque corpusculum inhabitet, æquè ament colant & frequentant. Non aduersor tamen vsquequaque poëtæ dicenti.

Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.

Adiuuat. Sed affirmo quod si gratior non ob hoc tutior aut syncerior inuenitur. Denique vt sententias quam nihil tutum sit in ipsa etiam Dei dilectione dum peregrinamur à domino recogitatione profunda, circunspice quod apud exercitatos in amore & cęteris virtutibus suboriri potest horribilis deceptio. Et qualis deceptio? Talis quippe vt isti deuoti, iusta sed occulta Dei permissione aut pro erudiendo, aut pro perdendo eludantur à dæmonio meridiano superbiæ, transfigurante se in Angelum lucis sub specie grandis boni, declinat tunc ab eis Deus, vt veste nuptiali charitatis spoliat. Omnia tamen prioris deuotionis & dilectionis indicia sentire & habere præsumunt, errantes vtique in via & experientia motum, quemadmodum si quis aberret apertis oculis in via pedum, arbitrantur itaque quod agantur spiritu Dei dum ex solo informi habitu & vsu virtutis prioris nondum abolito mouentur; & quis non obstupescat hoc audiens? Quis non vehementer exhorrescat? Quis non obtemperet Apostolo dicenti: Qui se existimat stare videat ne cadat. Credo contemplatus hæc fuerat sapiens qui dicebat: Est via quæ videtur homini iusta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Et ille qui ait: Nescit homo an amore vel odio dignus sit. Super hanc abyssum multam iudiciorum Dei verterat acie contemplationis suæ, qui pauescens exclamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. Et alter inquiens: Terribilis in consilijs super filios hominū. Et ad humiliationem nostrę miseriæ hæc consideratio si nō sufficiat, quid ergo aliud erit satis ignoro? Porrò non est prætereundum quod eadem persona sicut nunc potest esse bona & ornata charitate, nunc declinare in vitium & rursus à malitia in iustitiam cōuerti. Sic possibile est eandem personam tunc veris reuelationibus visitari, nūc fatigari vel tentari falsis illusionibus. Nam & prophetæ nostri vt Dauid, Helysæus & Nathan, non semper ad nutum præsto habebant secundum Greg. & historiam propheticum spiritum. Vnde Nathan ex frequenti vsu prophetice visionis credidit propriam æstimationem esse reuelationem, dum ipsi Dauid quærenti de ædificatione templi, respondit: fac quæcunque habes in corde tuo, dominus tecum est. Valet hoc exemplum ad ea quæ de vsu dilectionis diuinæ prætacta sunt. Quàobrem qui in talibus se existimant proprio sensu, arte vel industria discernere, videat ne erret, quoniam si pręsumptionis spiritus obrepserit, subintrabit facile vanitas illusionis. Caue tamen hoc audiēs & pauescens ne deteriorem infidelitatis aut desperationis foueam incurras tanquam videlicet nulla sit aut fuerit in sanctis reuelationibus & bonæ spei certitudo. Sicut de reuelatione dicit Apostolus. Scio hominem, &c. Et de spe inquit: Certus sum quia neque mors, &c. Habetur sanè certitudo, sed à diuino lumine, non humana solum inuestigatione aut æstimatione. Scis præterea quia non sequitur. Cadit deceptio & illusio in iudicando de somno & vigilia, igitur nulla est de vigilatione certitudo, nullàque adhibenda vigilantibus fides indubia, vigilabant sancti in diuino lumine, nos peccatis obrupti & obuoluti plerumque portenta vitiorum aut illusionū somniamus, nimirū si fallimur, illi nequaquā. Noui hominē qui post multū tentationis inuolutum super vno ex fidei articulis in tantam subitò lucem veritatis & certitudinis introductus est vt nullæ prorsus residerent dubietatis reliquiæ, nulla vacillatio, sed serenitas multa iubente eo qui fluctibus imperat. Addebat quod non ex ratione aliqua noua sicut tunc se interrogabat, & optimè meminit, sed ex sola humiliatione & captiuatione intellectus in obsequium fidei & omnipotētiæ Dei, istud meruerat vt non plus dubitaret de illa fide quam de sui existentia, quęrebat

I. Cor. 10. Eccl. 9. Rom. 11. Psal. 65. Rom. 8.

rationem tantæ soliditatis & pacis in credendo. Nihil aliud reperiebat nisi quod sic experiebatur & in alium transfudisse nesciffet. Nō credent forsan mundani sapientes tales fieri illuminationes, quoniam verissimè pronunciatũ est ad Deum per prophetam: Illuminans tu mirabiliter à mōtibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde. Qui non sapiunt videlicet quæ cordis sunt & spiritus, qui nec secum habitant in corde suo, sed foris in plateis vanitatum. Sic constat iustos in spem suæ salutis certam erigi, certam dico, non in se, sed in eo qui afflatu secreto dicit animæ, salus tua ego sum, qui in medijs incertisque tentationum humanum fluctibus anchoram spei firmam figit, qui etiam dilectam in tranquillitatis cubiculum ex tot irruentibus humanæ vicissitudinis turbinibus introducit. Hæc sunt planè mirabilia Dei in profundo humani cordis, quæ vident illi qui descendunt mare contritionis amare & fontis in manibus virtutis, & per contemplationem & meditationem sedulam non curiosam, sed piam & fidelem faciunt operationem in aquis multis tam diuinorum iudiciorum, quam humanorum affectuum. Vis videre hanc visionem magnam, vis ad ista conscendere? non opus est viribus humanis, tuum posse non est posse, tuum scire vt Socrates dicebat, est quod nescias, tua iustitia nihil de iustitia tua confidere. Quomodo sic? Accede ad cor altũ & tibi exaltabitur Deus, videbis quod non tu solus, sed omnes gentes (iuxta dictũ prophetæ) quasi nihilum & inane sunt in conspectu eius, ecce tuum nihil posse. Exclamabimus nihilominus cum propheta. Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me, confortata est & non potero ad eam. Ecce tuum scire nihil fateberis. Denique cum alio propheta. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ sic sunt ante te. Ab hac imbecillitatis tuæ valle, ab hac insipientiæ caligine, ab hoc puluere humilitatis & stercore vilis reputationis vocabit te Deus in montem, loquens tibi de caligine atque suscitans de puluere egenum, & de stercore pauperẽ erigens. Sed dices, scio iam me nihil posse, nihil scire, nihil deinceps habere iustitiæ, nihil tamen tale quale polliceris experior. Veruntamen precor, attende quomodo scire dixeris, videto ne audias illud improperium. Ex ore tuo te iudico serue nequam. Nam si vera & absque vlla dubitatione ita esse iudices forte per intellectum & per rationem vt ferè omnes, cur affectio, cur operatio contradicunt, cur vel non cōformiter afficeris & agis, aut cur sic afficeris & sic agis quasi possis tuis viribus, tua industria, tuáque iustitia dignũ aliquid operari, laudo iudicium tuum quale dixisti, sed experimentalem gustationem coexigo. Aliter quippe iudicant se nescire idiotæ quæ difficultates sciẽtiæ alicuius nunquam attendunt, aliter sapiens & expertus qui sciendi impossibilitatem ex ipsa rei conditione aut rationum perplexitate cōsiderat, sentit & masticat. Nullo pacto insuper culpo neque prohibeo te conari, te operari, te totis viribus exerceri, sed arrogantiam in istis penitus exerceor & exulo, alioquin noli mirari si tua spes nutat & fluctuat, dum vel in modico tuis viribus quas fateris inualidas, innititur. Si præterea cum venerit tibi pes superbiæ, claudicas & corruis, vbi ceciderunt omnes qui operãtur iniquitatem. In Deo qui solus est immutabilis, spes duntaxat figenda est cum illo qui dicit: mihi adhærere Deo bonum est, &c. Intellige præterea vt ad cœpta regrediar vnde diuerti, longius prosequendo superbiam, intellige inquam, quid Salomon reperit dum solo humanæ industriæ studio ad cognitionem diuinorum nisus est pertingere, qualis est præsens inquisitio de veris atque falsis reuelationibus. Cuncta inquit, tentaui in sapientia, dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quã erat & alta profunditas, quis inueniet eam? Et nunquid non aspicitis doctissimi viri, nunquid non animaduertitis simile aliquid in proposita quæstione quæ planè tanto amplius mihi visa est exaltari, quanto plus quæsita est penetrari. Et ibi verè deficiunt scrutantes scrutinio. Attamen bene actũ est non perdidimus operam vos audiendo, ego loquendo, si de nobis, non de Dei munere diffidimus, si perinde iugiter habeamus ad dominum sursum corda petentes ne fallamus & fallamur. Nam homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam, inquit Salomon. Si mōnetæ spiritualium reuelationum nos examinatores esse contingit, studeamus esse quales descripsimus. Adhæreamus Deo & scripturæ eius, per quã in qua semel loquitur nobis Deus, & idipsum non repetit. Debemus in eo quidẽ iudicio tum in omnibus, tum præcipuè in ista examinatione non præcipitare sententiam, sed vsque ad plenissimam examinationem suspensum tenere iudicium, maximè nisi falsitas aut fatuitas cognata falsitatis aperta sit, vbi verò nihil primo aspectu falsum vel delirum conspicitur, non solum explorare cōuenit quæ tacta sunt sed exitum expectare. Nam pręmittit aliquãdo dæmon veritates plurimas, & post temporis tractum quando persuasit hominibus tunc id quod fallit, subministrat, & hoc vel ad deceptionem singularis personę vel ad impugnationem miraculosarum operationum nostrę religionis, quibus fides innixa subsistit, vel ad vituperiũ totius deuotionis, aut ad scandalum verbi diuini. Etenim dum cadit vnus quem antea magni esse nominis talium reuelationum fama vulgauit. Irrident ipsi deinceps seculares seculariter viuentes vnumquemlibet qui religiosa simplicitate vitam agere decreuit. Appellatur confestim illusor & illusus, clamatur phantasticus, exibilatur papelardus, begosus & begardus, & sic occasione accepta, irridetur iusti simplicitas. Sed & simplices per talia palam decepti, aut vix aut nunquam possunt ad viam veritatis reduci. Quæ causa est, quoniam neque audiunt clericos quos hypocrisi, inuidia & malignitate laborare credunt, neque emendantur per laïcos, quis ignorantes vt seipsos esse cognoscunt. Prædictorum omnium hæc summa est, vt examinetur numisma diuinæ reuelationis, si habeat pondus humilitatis absque curiositate & tumoris vanitate. Si flexibilitatem discretionis absq; superstitiosa æstimatione & abiectione consilij. Si durabilitatem patientiæ in aduersis absque remurmuratione & ficta æmulatione. Si veritatis configurationem absque mendosa aut inepta assertione, si colorem viuidum & syncerum diuinæ charitatis absque carnalitatis scoria & fæce. Et quoniam hæc omnia circa Elizabeth & Zachariam extiterunt in reuelatione eis facta de

Ioanne & eius nomine. Commendari non irrationabiliter dictus est ipse Ioannes tanquam habens nomen reuelatum quod os Domini nominauit, quod notare dignum in prima nostri textus particula fuit Ioannes, &c. Cuius meritis ab omni nos errore custodiat ipsa veritas Christus Iesus qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

TRILOGVM ASTROLOGIÆ THEOLOGIZATÆ AB EODEM *scriptum Lugduni: Anno 1419. ad Delphinum vnicum regis Franciæ filium.*

PROEMIVM.



SAPIENTIAM quæ à Domino Deo est, quæ & de se prædicat. Per me reges regnant quam vsitato nomine theologiam dicimus nullus rectè æstimabit cõtrariam esse cuicunque veræ scientiæ, omne enim verum omni vero consonat. Quinetiam theologia scientias omnes alias sibi subditas habet velut ancillas in quibus si quid pulchrum est, illud approbat & decorat, si quid noxium & turpe, illud abijcit & mundat, porrò si quid superfluum est resecat, supplens quicquid fuerit diminutum. Propterea non est hoc negandum ab astrologia, quam esse scientiam nobilem & admirabilem primò Patriarchæ Adam & sequacibus reuelatam, theologiam non abnegat. Veruntamen hanc ancillam suam astrologiam nonnulli tot vanis obseruationibus, tot impijs erroribus, tot superstitionibus sacrilegis deturpantes maculauerunt, nesciẽtes in ea sobriè, sapere ac modestè vti, quod apud bonos & graues reddita est nedum infamis, sed religioni Christianorum suisque cultoribus pestilens & nociua. Succurrendum igitur existimaui huic errori, præcipuè própter te princeps illustrissime Delphine, qui superes vnicus hæres Christianissimi regni Francorum & iure regens ipsum, quatenus seduci non possit optima indoles tua ab extranea muliere, quæ mollit sermones suos ostentatione præscientiæ futurorum & operationis mirandorum. Astrologiam loquor quorumdam prophanorum se philosophari dicentiũ. Hanc ego nunc à domina sua theogia veluti modestè compositam, mundatam & ornatam, sub triginta propositionibus quasi cum totidem monilibus præciosis deducendam fore salubriter iudicauit, coram celsitudinis tuæ cõsiliariorúmque tuorum prudentissimorum claro intuitu, de quo Sapiens: rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo, dissipat omne malum. Opto denique, nitor & supplico, quatenus per prosperum, religiosum, verum & deuotum regimen regni, Dominus noster Iesus Christus rex regum & Dominus dominantium, te proprio sanguine suo redemptũ, perducat ad æternum.

Propositio prima.

Cœlum à Deo glorioso liberè contingenter & cum tempore constitutum esse. Quoniam dixit & facta sunt. Commentum. Errauerunt hic multi astrologi non illuminati per fidem, quæ posuerunt perpetuitatem mundi, eò quod Deus agit immutabiliter, & inde posuerunt animas rationales cum non possint actu esse infinitæ numero, aut migrare de corporibus in corpora, vt Plato, Pythagoras, Vergilius & alij plures. Aut quod generantur & corrumpuntur cum corporibus, vt Alexander & Epicurus. Aut quod vnicus est intellectus in omnibus hominibus, vt Auerrois imponit Aristoteli, vnde timendũ est ne nimis astrologizare aut philosophari volentes sicut Origenes in fine vitæ suæ incidant in prædictos errores vel aliquem eorum vel sequentium.

Propositio secunda.

Cœlum esse velut instrumentum Dei gloriosi & per ipsum machinam mũdi corruptibilis regulariter gubernari. Commentum. Errauerũt aliqui dicentes cœlum nihil agere, sed tantũmodo signũ esse allegantes illud. Et erunt in signa & tempora. Dicitur autem mundi corruptibilis, propter animas rationales quæ reguntur à Deo immediatè sine cœlo quoad naturam, quoad gratiam, quoad gloriam, & generaliter quoad omnia dona & illuminationes supernaturaliter infusas. Additur autem regulariter, propter miracula facta tam in cœlo quam in terra, sicut in statione & retrogradatione solis temporibus Iosue & Ezechiæ, & in eclypsi tempore passionis, in diluuio generali, in sacramento altaris, & in alijs sine numero miraculis.

Propositio tertia.

Cœlum nihil in creatione animarũ rationabiliũ influere, & ipsas aliter postquã ante lapsum regi. Commentum. Errauerunt hic Auicenna & sui sequaces quoad primam partem. Et quoad secundã omnes tam astrologi quã alij qui non posuerunt corruptionem peccati originalis, putãtes nullum statũ esse naturæ lapsæ, sed illius tãtummodo quæ primò instituta est, vt & nunc sumus secũdum eos morti scilicet passionibusque de necessitate subiecti. Cõstat autem quod si Adam nõ peccasset, tũc nec fuisset infernus qualis nũc est pro hominibus, nec Christus fuisset incarnatus saltem ad moriendũ, nec Spiritus-sanctus fuisset datus in varijs linguis, & ita breuiter de omnibus nostræ reparationis mysterijs. Attamen est probabilis opinio & subtilis quod Deus præscius futuri casus hominũ descripsit in cœlo quasdã congruentias concurrẽtes in decursu totius mũdi vsque ad finale iudiciũ. Et hoc intenderunt illi qui voluerunt concordare astrologiam cũ theologia, sicut reuerendissimus pater Dominus Cardinalis Cameracensis, & illi quos inducit loquẽtes de sectis & de diluuio sensisse videntur. Facit ad hoc quod vix reperitur aliquod miraculũ fuisse factum, quin in circunstãtijs concurrerit aliqua naturalis actio. Præterea fides quamuis sit supernaturalis, non refusat rationes & congruentias naturales, nec charitas supernaturalis motiua naturalia ad amandum, quoniam talia faciunt ad consolationem fidelium atque mundanorum. Hoc tamen obseruare cõuenit, ne fidelis Dei amicus vtatur talibus rationibus & obseruationibus tanquã principalibus & cogentibus motiuis ad credendũ Deo, sibíque per charitatem inhærendum, alioquin meritum fidei perderetur, & irrisio maior apud infideles & humanos sequeretur,

tur, scientibus illis quod talia non conuincunt. Et sub hoc sensu dicitur in epilogo quod mysteriũ nostræ reconciliationis nihil habet in cœlo, hoc est cui principaliter intendere debeamus, vt ille qui Nasonem impudicissimũ introducit ob hinc credidisse, denique obseruetur ne quid nimis. Sed quoniam Vergilius ait: Solem quis dicere falsum audeat. Offertur hic pro scholasticorum exercitio syllogismus talis. Ostéso itaque cœlo pro statu suę creationis ante lapsum primi hominis, arguitur sic. Cœlum præsignabat incarnationem filij Dei, cum multis alijs effectibus factis propter reparationem hominis peccantis, & primus homo non peccabit, nec fiet eius reparatio cũ suis effectibus, ergo cœlum prædixit falsum, consequentia est necessaria, & antecedens pro illo tunc erat possibile & sibi compossibile, quoniam maior est necessaria cum sit de præterito vera, & secunda tunc erat possibilis, ergo consequens est possibile scilicet ꝙ cœlum dixit falsum, & ita cum cœlum fuerit immediatè creatum à Deo, Deus dixisset falsum per cœlum, quod blasphemum videtur.

Propositio quarta.

Cœlum virtutes à Deo diuersas pro varietate suarum partium stellarũ, planetarum & motuum recepisse, sed eas ab omnibus comprehendi non posse. Commentum. Errant & experientiam negant sentientes oppositum cum cœlũ sit sicut horologium pulcherrimum compositum ab artifice summo, cũ sit etiam liber sententiosissimus exemplatus ab exemplari libro vitæ infinito & æterno, qui nominatur mundus archetypus, in quo id ꝙ factum est, vita erat. Porrò de stellis dicit propheta. Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocans. Hæc autẽ vocatio quid aliud est quam distincta virtus & operatio stellæ cuilibet attributa. Nomen quippe sumitur à proprietate rei, & quoniam innumerabilis est huiusmodi proprietas exclamat. Magnus Dominus noster & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

Propositio quinta.

Cœlum obedire ad nutum Deo glorioso atque ipsum operibus humanę recreationis seu reparationis inferius & subditũ esse. Commentum. Errauerũt hîc multi astrologi & philosophi qui posuerunt Deum agere de necessitate naturæ, & qui negauerunt mysterium nostræ redemptionis à seculis absconditũ, propter quod nedum cœlũ corporeum, sed etiam angeli & intelligentiæ sunt (sicut dicit Apostolus) in ministerium missi. Tradit insuper Moyses Deut. 4. quod Solem & Lunam & omnia astra cœli creauit Deus in ministerium cunctis gentibus. Vnde & describens creationem mũdi posuit prius fuisse virgulta terræ, quã sol vel stellæ formarentur, vt ostenderet Deũ posse agere sine sole & stellis. Cũ igitur homo sit quodãmodo finis omnium, sicut Aristot. videtur posuisse 2. Physicorum operum secundũ variationẽ hominis cætera variari, sicut prius tangebatur de statu naturæ integræ & lapsæ. Et sicut apparet in miraculis factis supernaturaliter, vt homines supernaturalem suum finem adipiscerentur per fidem, spẽ & charitatem.

Propositio sexta.

Cœlũ generale influens esse & remotũ & actiones suas in patiente disposito recipi, Deum nedũ A vniuersaliter & remotè, sed singularissimè & propinquissimè operari. Commentum. Errauerunt hic astrologi quidam vt Alkindus de radijs & similes ponentes res inferiores nihil agere, sed tantummodo deferre radiosas influentias cœli, & inde fieri effectus similes numero, prius istũ quam illum propter determinationem cœli, vt in productione graduum calliditatis, quam determinationem alij solũ referunt ad diuinum beneplacitum libere contingenter agens conformiter ad secundam partem propositionis, quod Deus est agens B immediatissimum & propinquissimũ, non obstãte coefficientia causarum secũdarum. Et hic errauerunt aliqui doctores etiam Catholici ponentes Deũ esse causam non immediatã in omni effectu, quoniam inquiunt aliæ causæ superfluerent. Esset præterea Deus causa immediata actuũ voluntatis tam bonorũ quam malorũ, & ita esset auctor peccati. Sed pro nobis est articulus Parisiensis, dicẽs, quod Deus sit causa remotissima sic quod nõ propinquissima. Error. Nihilominus offertur hic pro C scholasticorum exercitio syllogismus talis ad probandum. Quod si Deus immediatè agat actũ voluntatis, Deus facit & vult peccatũ, signando sortem, qui facit substantiam alicuius actus contra prohibitionem Dei & vocetur. A. Tũc arguitur. Sortes facit A. actum, & Sortes habet præceptũ Dei de nõ faciendo A. actum, ergo sortes peccat, consequentia est necessaria, & Deus vult & facit quamlibet partem antecedentis, ergo & totũ antecedens, cum partes sint sibi compossibiles, ergo D Deus vult & facit totum consequens scilicet. Sortem peccare, quod videtur blasphemum.

Propositio septima.

Cœlum effectus nedũ varios, sed contrarios vel oppositos in inferioribus facere pro diuersitate materiæ, rationibus sentẽtialibus plenè. Cõmentum. Errauerunt hic astrologi illi qui volentes iudicare de natiuitatibus, vel morte vel alijs inferiorum conditionibus respiciendum esse dicunt ad solũ cœlum & constellationes eius, vnde & experientia conuincit eos, sicut deducit August. 5. de E Ciuit. Dei, de duobus geminis diuersarum fortunarũ. Sicut & experiẽtia docet de terra & luto & similibus. Et de varietate sine numero diuersarũ herbarũ & plantarũ in eadem paruula parte agri. Quod si dixerint varietates tales fieri propter diuersitates angulorum influentialium cœli, qui terminantur velut in indiuisibili, & inde diuersificãt in partibus locis suos effectus. Ex hoc saltem habetur quemadmodum de geminis concludit Aug. contra responsionem de rota figuli mota & per- F cussa, quod iudicium cuiuscunque astrologi ferri non potest super tanta incertitudine & ignorãtia diuersitatis huiusmodi imperceptibilis influentiarum angularium velut indiuisibilium. Denique videmus regulas Astrologiæ de ventis & plantis & alijs naturalibus effectibus aliter & aliter verificari seu falsificari pro diuersitate situum & figurarum & dispositionum huius terræ vel illius.

Propositio octaua.

Cœlum cum sideribus & planetis in omnibus suis conbinationibus motuum, directionum, retrogradationum, oppositionum cum reliquis circunstantijs, multo plus ab hominibus ignorari

quam sciri. Commentum. Errauerunt hic quidã iactantes se de omnibus scire respondere, vt Gorgias. Contra quos fuit Academicorum disciplina, & si non vereor, tamen plus sobria dicentium se nihil scire. Nec mirum de toto cœlo, cũ nec minimum folium arboris tantũ sciatur ab hominibus quantum ignoratur cũ continet numeros & figuras & earũ combinationes infinitas. Prçterea sunt aliqui motus octauæ sphæræ & planetarum prius ignorati ab astrologis, & satis nouiter inuenti. Denique præsupposita creatione mundi: cuius duratio nondum est septem millia annorum secũdum veritatẽ fidei non potuit per obseruationes astrologicas inueniri saltem quoad effectus calculatio magni anni quam Plato posuit 36. milium annorum, & ita de calculationibus aliarum constellationum, quæ non potuerunt totiens repeti vt facerent experientiam certam & naturalem astrologis de talibus vel talibus effectibus cõsequentibus huiusmodi constellationes, quarũ aliquç nunquam fuerunt, aliquæ rarò, aliquæ semel aut bis, propterea finxerunt astrologizantes pagani & infideles Arabum & Indorum infinitã, vel velut infinitam annorum multitudinem, vt Albumasar & Martianus scribunt. Potuerunt igitur per solam diuinam inspirationem factam Adæ vel Abrahæ vel similibus dari veræ regulæ, vel de tota virtute cœli quantum voluit Deus reuelare & nos scire sine curiositate. Valde autem pauca sunt talia pro statu præsentis miseriæ quæ ordinata est ad visum beatitudinis æternæ, vbi videbitur Deus omnia in omnibus.

Propositio nona.

Cœlum habere commensurabiles vel incommensurabiles motus signorum, insuper & certos planetas huic vel illi gẽti dominari prorsus incertum esse. Commentum. Errauerunt vt experientia docuit certitudinem afferre volẽtes, vbi solam posse haberi rhetoricam probabilitatem, deducit magister Nicolaus Oresme, & post eũ Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis sumens exinde radicem vnam difficultatis astrologicorum iudiciorum. Et inde forsan est quod nondum videtur reperta præcisa quantitas anni solaris, aut ex qua radice procedit. Cæterum varietas assignantium huic vel illi plagæ terræ talia vel talia signorum dominia, satis incertitudinem esse monstrat.

Propositio decima.

Cœlum cum sideribus & planetis suum lumen influxiuum pro varietate fractionis & refractionis radiorum luminarium ex diuersitate mediorũ diuersificare, & non veros situs aspicientibus ad terram monstrare. Commentum. Errauerũt hic pauci vel nulli qui sciunt cum astrologia perspectiuã, vnde sumitur radix altera difficultatis astrologicæ iudicationis. Inuenitur & alia difficultas ex collatione zodiaci, vtrum videlicet sit in primo cœlo quodcunque sit illud, an in firmamento secundum figurationem stellarum fixarum in eo. Compertum est enim firmamentum moueri contra motum primi mobilis, & ita consequenter zodiacus mutaretur. Sunt & aliæ difficultates motionis planetarum in suis augibus, epiciclis eccentricis secundũ ascensum, descẽsum, stationem, retrogradationẽ, titubationem, circũgyrationem in centro proprio, quæ omnia punctaliter obseruare

A poterit nemo in quibus & similibus diuina se sapientia ludere dicit & ostendit.

Propositio 11.

Cœlum cum sideribus & planetis illos quantũ in se est culpare, & in abusum retrahere, qui de singularibus effectibus prædicere præsumunt compertum esse & eos crebrò falli & fallere posse. Commentum. Errant tales ex ignorantia, vel ex fraudulentia, vel ex arrogantia. Et quia non attẽdunt veritatem vnius propositionis præsidentis, quod cœlum est solum influens generale. Cuius ratio particularizatur vel singularizatur, aut à

B Deo solo, aut à dispositione materiæ. Si autẽ obijcitur quod inueniuntur prædicere multa vera. Respondetur quod multo plura falsa, & ideo vera dicunt vel à casu vel à multitudine eorum qui dicunt vel à malis quæ præsagiunt, quæ sunt vt in pluribus apud homines, vel à fantasiatione & obseruatione eorũ quæ audiunt, vel à cognitionis secretorum, maximè dominorum & eorum quos frequentant, quæ inuestigant diuersis medijs per fautores suos, & hoc est frequens & expertũ, aut

C fit denique ab immixtione operationis dæmonũ, propter seducendos tam prçdicentes quam fidem adhibentes in talibus, per damnabilem curiositatẽ sciendi futura, & ea quæ pater solus habet in sua potestate. Hinc vulgatus author ait.

Quod Deus intendit, noli perquirere sorte.
Quod statuit de te, sine te deliberat ipse.

Hinc rursus. Mitte arcana Dei. Cõformiter ad sapientẽ: Quæ tibi percepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus operib⁹ eius ne fueris curiosus. Hæc si obseruaueris, miscebit se tibi tuisq; actioni-

D bus Angelus bonus. Signũ autẽ immixtionis diabolicæ actionis est, quod iuxta dictum cuiusdam magni viri sæpe in iudicijs astronomicis, vbi minus est de ratione naturali, & nihil de miraculo, ibi crebrior euentus inuenitur quod esse signũ pactionis cum dæmonibus Aug. tradit. 2. de doctrina Christiana. Et sacræ Theologiæ facultas Parisiensis, idipsum alias declarauit cõtra idolatricam prauitatem. Notetur hic Aug. liu. de Ciu. Dei, satis circa principium. His inquit omnibus consi-

E deratis, non immeritò creditur cum astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituũ non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus satis inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte quæ nulla est.

Propositio 12.

Cœlum super somnia & super auium volatus & garritus multam vim habere, sed non ob hoc somnia vel auguria, vel traditiones magicorum se

F super cœlestem virtutem fundantium in geomãtia, chyromantia, pyromantia, cum similibus obseruandos esse. Commentum. Errauerunt hic quoad partem secundam omnes ferè gentiles & idolatræ Romani, Arabes, Indi, & cæteri, errant & superstitiosi Christiani, sortilegi & magici. Et eò damnabilius quò per fidem veram sunt illuminati & per eam prohibiti ne talibus intendant vel vtantur. Cum etiam videant seueritatem iudiciorum contra tales per Ecclesiasticos ad incarcerationem perpetuam, per seculares ad ignem, per Deum ad gehennam.

Pro-

Propositio 13.

Angelos vel intelligentias non animare, sed regere cœlum cum sideribus & planetis ad Dei gloriosi voluntatem. Commentum. Oppositum dicitur sensisse Plato, & quidam aliorum dicentium totum mundum esse animal magnum. Sed tenenda est fide certa nostra propositio: cui concors est philosophia Aristotelis.

Propositio 14.

Angelos seu intelligentias per imperium & voluntatem influere in spheram corruptibilium, frequenter cum cœlo, & aliquando sine cœli adminiculo. Commentum. Oppositum sensisse videtur maior pars philosophorũ dicentiũ contra fidei veritatẽ, quod Angeli nõ agunt nisi mediatẽ motu cœli cũ suis orbibus, vnde & per orbẽ lunæ dari posuerunt formas in inferioribus virtute actionis suæ intelligẽtiæ & superiorũ. Sed quod per imperium & voluntatẽ agant intelligentiæ concedere videtur Auicenna: ponens libertatẽ contradictionis in Angelis & magis quã in hominibus, sicut est veritas fidei. Quãuis Albertus philosophizans cõformiter ad peripatheticos vel quosdã astrologos voluerit hoc impugnare, deducẽdo ad hoc quod tunc nõ possunt haberi determinatæ regulæ de actionibus vel influentijs intelligentiarum, ex quo libere contradictoriè agerent. Hoc autẽ esse incõueniens reputassent astrologi & philosophi, quos sequitur. Et similiter idolatræ omnes qui per carminationes & magicam artem posuerũt dęmones in idolis concludi vel alligari posse, quemadmodum trahit Hermes Trimegistus de Ægyptijs, qui non habentes quomodo crearent animas, inuenerunt artem quomodo spiritus includerent, & inde miracula facerent, ac responsa darent. Veritas autem fidei concedit consequentiam, & cõsequens illatum per Albertum. Addens dæmones non cogi per partes magicas, sed ita fingere cogi vt colantur sicut dij & homines fallacia multiplici decipiant.

Propositio 15.

Angelos seu intelligentias ad creationem animæ rationalis nequaquam attingere, sed nec eidem illabi posse. Commentum. Oppositum senserunt aliqui philosophantium & hæreticorum ponentium animas rationales ex traduce fieri vel corrũpi. Cæterum quicquid dixerint aliqui de energumenis, lunaticis & similibus, quod dæmon opprimit animas eorum quasi subintrans eas. Quicquid præterea dicat veritas Catholica, quod dæmones sunt incensores vitiorum, & boni sunt illuminatores animarum, nihil istorum fit per lapsum qui soli Deo proprius est, possidens animam ad suum plenum imperium.

Propositio 16.

Angelos vel intelligentias ad immutationẽ humanæ libertatis, naturaliter & immediatè pro statu viæ nequaquam attingere. Commentum. Oppositum videtur posuisse Auicenna & Catholicorum aliqui dicentes animam rationalem super irradiari & super illuminari immediatè etiã pro statu viæ, per lumina superiora Dei & Angelorum, non concurrentiũ sensuali vel phãtastica visione. Et inde conati sunt prophetias tam in somno quã in vigilia, & prçuisiones multas occultas per energumenos. Et ita se saluabat Mahometus epilepticus, quod cadebat non potens ferre illuminationem angelicam. Sed Aristoteles cui fides consentit, est pro nostra propositione dicens. Necesse est quemcunque intelligentem phantasmata speculari, dans signum huius quod deficiente nobis à natura vno sensuum, deficit & nobis scientia de illo sensu. Stat nihilominus quod anima rationalis in sui creatione suscepit formationem seu illustrationem desuper à Deo, in qua & per quam cognoscit veritatem principiorum primorum sine præuia acceptione per sensus seu phantasmata, quamuis in actum non exeat phantasmatibus non præuisis. Ad quod referri posset Boëtij de anima verbum ex Platone, summáque tenens singula perdit.

Propositio 17.

Angelos omnes esse administratorios spiritus & à Deo gloriosos bonos in ministerium pro hominibus qui hæreditatem adepturi sunt salutis datos esse. Commentum. Oppositum qui dicit est hæreticus si se gerat pro Christiano contradicens expressis verbis Apostoli. Et hæc est magna consolatio illorum qui tenent veraciter & sine fictione fidem Iesu Christi, & qui captiuant omnem intellectum in obsequium fidei quia si fiduciam capimus de hominibus peritis in medicina vel astrologia aut arte alia quod adiuuare nos possint, quanto magis hoc facere possumus de angelicis spiritibus.

Propositio 18.

Angelos bonos & malos inter causas liberas & alias quas Deus sic instituit, vt eas proprios motus agere sinat numerandos esse. Commentum. Oppositum nullus fidelis aut aliquis ritè philosophans dicet. Et inde fit quam absque tẽtatione Dei possumus ad angelicum subsidium recurrere, sicut ad peritum medicum, & eum qui potest iuuare nos in necessitatibus nostris de cursu communi & naturali. Excipitur Angelorum malorum consultatio & inuocatio quoniã non est licitum participare cum eis tanquam excommunicatis à Deo & Ecclesia tota, & quia fallaces sunt fallere semper cupientes, non iuuare nisi fictè. Vnde iuxta prouerbia vulgi, ludunt ad falsam societatem.

Propositio 19.

Angelos cœlum & terram iuxta quod exigit electorum Dei deprecatio, salus & ordo, Deo iubente vel permittente, posse mutare, vt solem facere stare, & ignem non ardere. Commentum. Oppositum putant omnes astrologi, infideles & pagani, negantes vera miracula posse fieri, nec illuminati cum propheta dicente: Omnia quæcũque voluit fecit Deus in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Nescientes præterea vel negantes miracula veteris legis & nouæ, qualia legere promptum est in biblia & authẽticis Christianorum libris.

Propositio 20.

Angelos per deuotas ad Deum preces potius quam per curiosas inspectiones vel obseruationes constellationum posse conciliari, & per ipsos opem hominibus dari. Vnde & per fidem sancti vicerunt regna, non per cœlum. Commentum. Oppositum dicentes cõuincuntur ex præ-

missis iuncta promissione Dei dicentis: Quæcunque orantes petitis, credite & fiet vobis, cum similibus multis, iuncto quod nō semper expedit nobis habere prospera quæ petimus, sed magis aduersa quæ fugimus. Nec oportet in recursu, ad eos & Deum tempus orationis per constellationes obseruare, vt Guill. Parisiensis notanter ait & deducit.

Propositio 21.

Angelos præsertim malos in artibus magicis & omnibus superstitiosis operationibus quæ nec rationem naturalem, nec miraculū verum habent, sed ex pacto noto vel occulto non dubium operari & effectum sortiri. Commentum. Oppositum posuerunt qui negauerunt dæmones esse cōtra expressam sacræ scripturæ literam in veteri & nouo testamento. Fuerūt etiam experientiæ multæ in oppositum, & etiam doctrinæ sanctorū, nominatim Augustini, qui notanter dixit, Omnes tales obseruationes tanto magis suspectas & fugiendas esse, quanto sæpius videntur suum sortiri effectum. Et si allegetur quod frequenter multa iubentur illic obseruari in artibus magicis vel sortilegijs quæ sunt sancta & honesta, vt ieiunare castum esse, dicere pater noster & euangelium. Respondebat vnus verè & Catholicè, superstitionē tanto peiorem esse quanto plura miscentur bona, quoniā vnde deberet honorari Deus, honoratur diabolus. Nemo tamē ex hoc intelligat obseruationes Christianorum reprobatas esse, quæ vel ab Ecclesia constitutæ, vel ab eadem rationabiliter toleratæ sunt, quamuis non appareat ratio huius magis quam illius, nisi vel ex voluntate seu auctoritate instituentis, vel à deuota quadam imaginatione facientis quæ non recedit à Deo, sed in exterioribus signis aliquibus se exercet, vt in tali numero orationum, in peregrinationibus, in nouenis & oblationibus nunc candelabrum, nunc panis, nunc gallorum, nunc in gestatione reliquiarum & bibitione ablutionis earum. In quibus pia fide factis non minus potest se immiscere bonus Angelus, quam malus in impia & prohibita fide factis fortassis & empirica medicorū tolerari possunt. Hanc generalem habentia rationem, fortificationem scilicet imaginatiuæ virtutis. Mendax assertio tamen desit.

Propositio 22.

Angelos mediatè & inclinatiuè seu dispositiuè posse super intellectum & voluntatem per immutationem sensuum tam interiorum quam exteriorum pro Dei iussu vel permissione multipliciter operari. Commentum. Oppositū pauci vel nulli senserunt ex astrologis philosophis & Catholicis, qui consenserunt Angelos vel intelligentias esse. Nam & super hac radice fundant astrologi regulas interrogationum & responsionū, & alias multas. Sed falluntur in pluribus ex prætactis causis, quia ponunt angelos influere purè naturaliter, nec satis attendunt liberi arbitrij potestatem, Dei voluntatem, & materiæ diuersitatem.

Propositio 23.

Angelos vel intelligentias in suis actionibus & influxibus liberis ponere sub certis regulis coarctari, tradi & cognosci temerarium & impium necnon & à vera philosophia & Theologia alienum esse. Commentum. Oppositum dicentes

A conuincuntur ex prædictis, maximè propter arbitrij libertatem in angelis regentibus & in hominibus gubernatis.

Propositio 24.

Angelos & Deum cuius ministri sunt illos offendere qui regulas & traditiones præiudicantes influxui libero Dei & Angelorum, immo & hominum libertati, tradunt & palliant sub nomine astrologiæ vel alterius naturalis scientiæ, & talibus auctoritatem vel approbationis occasionem

B dari non debere. Commentum. Oppositum dicentes conuincuntur ex præmissis iuncta lege Dei tam veteri quam noua. Iuncto præterea pro secūda parte illo quod dicit Apostolus: ab omni specie mali abstinete vos, hoc est ab omni scandalo dante occasionem ruinæ.

Propositio 25.

Humanam rationem posse & debere astris cognitis vel incognitis damnari, nec ab eis vitiū trahi. Commentum. Concedunt istam sapientes astronomorum vt Ptolomeus, maximè de sapien-

C te qui præcognoscit cœli constellationes inclinatiuas, quoniam potest adhibere remedium contra noxias, sicut facimus regulariter contra hyemem prouidendo de calefactione & domibus, & contra calores æstatis prouidendo de refrigerationibus, & ita de pestilentijs, diluuijs, bellis & similibus. Tradunt itaque verè & bene iudicia astronomiæ tenere medium inter necessarium & impossibile, quia scilicet sunt de contingentibus & possibilibus aliter se habere. Sed etiam quod

D humana ratio dominetur stellis incognitis, nec trahatur in vitium, probatur ex libertate arbitrij, & ex adiutorio Dei libero quod datur timentibus eum, & ex libero angelorū ministerio, quod adiutorium Dei & Angelorum impetrant super omnem dispositionem stellarum, fides, spes & charitas, quibus derelictis euenit frequenter vt volentes infortunia vitare, in ea ipsa se trudant & inuoluant, vt comprehendantur sapientes in astutia sua.

Propositio 26.

E

Humanam rationem indignam esse per vanitates & insanias falsas, aut saltem incertissimas in sua actione se captiuare, & melancholijs quotidianis anxijs & periculosis agitari. Commentum. Concedunt hoc experti & inter alios Tullius in fine libri de diuinatione. Et hoc dicebat Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis cum obseruationes huiusmodi reprobaret. Addens se timere regis adolescentiæ, ne talibus imbuere-

F tur, & post ab eis non posset auelli.

Propositio 27.

Humanam rationem debere per consultationes probatorum & expertorum virorum, per leges insuper morales & diuinas, se in suis actionibus, maximè in gubernatione rei publicæ, spretis superstitionibus fallacibus regulare. Commentum. Concedunt istam qui attendunt quod nō frustra dedit nobis Deus rationē liberam plusquam brutis. Dedit insuper leges diuinas, naturales & politicas, prudentiam quoq; per experientias multas generatam. Quod ergo humana ratio, libertas & prudentia

prudentia centum vel mille hominũ, immo vnius regni derelinquantur ad inſequendum opinionem vel delirationem vnius vel duorum aut pauciſſimorum fingentium ſe ſcire mirabilia ex aſtris vel aliunde (neſcio quomodo) pro phãtaſia capitis ſui, ſuper euẽtibus & agendis in republica vt quod non eſt bellandum vſque ad tres menſes vel vnum annum cum hoſtibus, qui tamen deſtruunt omnia, & ita de ſimilibus abſque numero. Quod inquam propter paucos tales derelinquatur humana ratio & prudentia, indigniſſimum eſt, fatuum & delirum immo merito Dei iudicio puniendũ, & in ſtultum finem præcipitandum.

Propoſitio 28.

Humanam rationem propter hominis viles & ignotos, & de corruptela iudicij multipliciter ſuſpectos, poſſiméque vt in plurimum fortunatos, & ſine fide quales in tenebris ſuſurrant, indigniſſimum captiuari vel dimitti. Commentum. Concedunt iſtam qui pręcedentem attendunt, & ex terminis ſuis ſe veram eſſe demonſtrat, præſuppoſitis his quę ponit quę tamẽ ſunt per experientias quotidianas manifeſta.

Propoſitio 29.

Humanam rationem propter ſui concauſatione liberam non poſſe vel debere per qualeſcumque experiẽtias cuiuſcumque temporis ſub neceſſarijs euentuũ regulis vel arte concludi. Commentum. Concedunt iſtã qui rerũ connexiones attendunt, & hi qui didicerunt ex logico quod omnis propoſitio copulatiua cõpoſita ex pluribus neceſſarijs cathegoricis vel hypotheticis redditur contingẽs, ſi contineat vnicam propoſitionem contingentẽ. Ac proinde ſumitur efficax argumentum contra regulas aſtrologiæ ſumptas ex quãtiſcũque experimentis ſi liberum arbitrium concurrebat vt cauſa coniuncta ad effectũ requiſita. Potuit enim ſẽper dici de effectu tali quod indifferens erat ad ſic fieri, vel nõ fieri nec inde ligari alterius arbitriũ potuiſſe.

Propoſitio. 30.

Humanam rationem ad Deum glorioſiſſimum qui nutu libero cuncta temperat, & ad finẽ ſupernaturalẽ hominũ genus pręcipuè ordinat debere ſedulo conuerti per fidem ſpem & charitatem. Per adiutorium inſuper angelorum & ſanctorum quos liberaliter & liberè vult Deus agere & ad eos recurſum habere quatenus ordine hierarchico infirma reducantur ad ſuperiora per media. Commentum. Concedunt iſtam omnes veri, & non ſolum nomine Chriſtiani, reputantes talem prouidẽtiam Dei, & ita liberam qualem inſinuauit Chriſtus dicens, quod nec folium arboris: nec paſſer vnus cadat in terram ſine patre Deo, diſcurſus ait: Petite & accipietis. Et ſi habueritis fidem ſicut granum ſynapis &c. Immo & tota veteris teſtamenti ſeries, legalis & hyſtorici atque prophetalis, pręcipuè in pſalmis & orationibus ſanctorum ſanctarumque vix aliud nobis inculcare vel profiteri videntur. Vnde: Iacta in Domino curam tuam, & ipſe te enutriet. Non dicit: iacta curam tuam in cælo. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, non dicit, in cælo. Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, non dixit, in cælo, immo vt vetuit cũ addit: Et non reſpexit in vanitates & inſanias falſas, loquens de curioſis qui defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Et ſuperaddit de miraculis tam nouæ quam veteris legis. Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia opera tua.

Denique ſi Paulus opponatur dicens inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt cognoſci. Reſpondendum eſt quod hæc ſcala creaturarum non eſt amplius neceſſaria fidelibus tenentibus Dei ſolium nunc in luminoſa ſpe, tandem in aperta viſione. Si ponamus illud quod rariſſimè poteſt inueniri temporibus iſtis. Ponamus quod plures ſcientifici in aſtrologica diſciplina conueniant, qui ſunt graues viri in moribus & honeſtate vitæ, & tales qui multa ſint experti in iudicijs aſtronomiæ raditis ſecundum veram philoſophiam & in naturali ratione fundatis, nunquid erant tales contemnendi nec audiendi ab vno principe coram ſuo cõſilio? Reſpondetur planè quod audiendi erunt, ſed nõ ita penitus inſequendi quin ex aduerſo velut in æqui libra ponantur rationes humanæ prudentiæ ſumptæ per experientias & circunſtantias humani regiminis inferioris, quemadmodum etiam ſi conuenirent ex vna parte aſtrologi, & ex altera parte medici ſuper curatione alicuius ægroti. Dicant igitur exempli gratia prudentes aſtronomi concorditer, dum fiat quæſtio de bello incundo contra hoſtes regni. Ecce conſtellatio talis noxia eſt prohibens, non tamen ex neceſſitate iniri bellum per Francos contra Anglicos, dicant ex altera parte prudentes capitanei & milites experti, quod neceſſe eſt vel expedit Francos inire bellum contra Anglicos, penſatis circunſtantijs hinc & inde prouenientibus ex inferiorum diſpoſitione vel radice. Tunc omnibus his in æquilibra poſitis, debebit aſſumi concluſio, quæ pars præponderabit & exequenda erit. Non enim oportet vt omne prorſus iudicium ex radice ſuperiori cæli ſumptum contemnatur. Sed nec expedit vt plus ponderetur quam oportet, vbi & quando & per quos ſeu propter quos non oportet.

Epilogus præmiſſorum.

EPILOGANTES tangamus duodecim radices ab aſtronomorum iudiciorum curioſitate arcentes. Prima eſt Dei glorioſi libera primęuitas in agendo. Secunda angelorum tam bonorum quam malorum ſub Deo libertas in exequendo. Tertia radix eſt cæleſtium luminarium ſola generalitas in influendo. Quarta eſt cęleſtium combinationum & ſituum incomprehenſibilis varietas in concurrendo. Quinta radix mediorum diuerſitas in radiando. Sexta ſeminalium rationũ particularis diuerſitas in comprincipiando. Septima libertas hominũ, quę coniũcta quotlibet cauſis neceſſarijs, cõtingentiam reddit in effectu ſuo. Octaua legalis & prophetalis ſeueritas, talia indicia prohibens & irridens, ſacrorum inſuper veterum & nouorum doctorum diligens talium reprobatio, maximè propter fomitis corruptionem ſcientium, quam ad hæreſes, idolatrias & ſuperſtitiones eſt humana inclinatio prona. Nona raritas ſtudẽtium & peritorum in vera aſtrologiæ diſciplina, cũ tamẽ in iudicijs dãdis multiplex ſupra modũ cõſideratio requiratur vel obſeruatio. Decima myſterij à ſeculis abſcõditi reputationis videlicet noſtræ recogitatio, quæ nihil habet in cælis quicquid reuerizans autor libri de vetula dixe-

rit & falſe aſcripſerit Ouidio. Vndecima hominis ad finem ſupernaturalem ordinatio, & ideo mediorũ ſupernaturalium prouiſio, vt ſupernaturalis ſpes habeatur in Deo aliter quam bobus aut brutis conueniat, aut hominibus ſine deo: Duodecima, miraculorum quæ legem communẽ neſciunt crebra & pene quotidiana per illos & propter illos, qui ad finem ſupernaturalem electi ſunt oſtenſio.

A

ELICIVNTVR ſex doctrinę notantes moraliter quid expedit obſeruare iudicijs aſtrologię nomine coloratis. Prima doctrina. Expediens eſt Chriſtiano cuilibet immo neceſſariũ ad ſalutẽ quod nõ adhibeat fidem ſuperſtitionibus & ſortilegijs meritò ſuſpectis de operatione dæmonum vel inuocationẽ, aut de pacto cum eis ſecreto vel expreſſo, ſunt leges & decreta & biblia pro hac doctrina locis innumeris. Secunda doctrina. Expediẽs eſt cuilibet catholico diligenter cognoſcere prius ſi effectus qui promittitur vel expectatur fieri per aliquas obſeruationes, habeat aliquã cauſam naturalem vel miraculoſam, quia ſi non, tunc vehemẽs eſt ſuſpicio quod talis effectus prouenit ex operatione dæmonum fallacium, & ex pacto cum eis latente vel aperto, & hoc permittẽte diuino iudicio, in deceptionem conſulentium vel confidentium in talibus propter curioſitatem noxiã aliquid habendi vel ſciendi. Tertia doctrina. Expediens eſt non adhibere fidẽ hominibus promittentibus quod faciant effectus magnos & mirabiles niſi prius conſtiterit quod ſint Chriſtani & bonorum morum, & quod velint & offerant dicta ſua vel artem deducere ad examen & iudicium peritorũ in philoſophia naturali, & in medicina, iuribus & theologia, alioquin haberi debẽt meritò ſuſpecti de fallacia vel ignorantia vel hęretica prauitate, nam ſicut lucem veritas amat, ſic odit falſitas. Quatta doctrina. Expediens eſt pro principibus maxime & pro ſua republica, quod nec ipſe nec ſui famaliares intimi & ſecreti dent fidem quibuſcumque iudicijs etiam ſub nomine aſtrologiæ vel alterius ſcientiæ palliatis, niſi prius habitum fuerit conſiliũ vel examinatio per viros multos & graues viros in regimine reipublicæ vbi prudentia maximè locum habet quæ inititur conſilijs ex dictamine rationis & experientia multa collectis, non ex ſuperſtitioſis obſeruationibus quæ deduxerunt ſemper in malum finem principes confidentes in eis, ſicut etiam noſtro tẽpore ſatis & nimis expertum eſt. Quinta doctrina. Expedit illos qui ſe dicunt futura cognoſcere vel mirabilia ſecreta facere per aſtrologiam, prius examinari diligenter de cognitione ipſorum & de libris quales ſunt & qualiter habiti & vnde cõpoſiti, quia non credendum eſt cuilibet dicenti ſe aſtrologum, ſed probandi ſunt & in publico audiendi, ſicut fit de medicis & artificibus alijs. Alioquin ſi tales non audeant in publicum offerre dicta ſua, debẽt haberi meritò ſuſpecti de ſuperſtitione vel fallacia vel hæretica prauitate, quod non quærunt niſi pecunias vel honores ſicut introductores vel fautores eorũdem faciunt, prout milleſies expertum eſt in curijs, principum, & adhuc proh dolor dicitur inueniri. Sexta doctrina. Expediens eſt amatoribus principum & totius reipublicæ, materiam iſtam aſtrologicorum declarate vel declarari facere frequenter tam ſcriptis quam ſermonibus publicis & domeſticis. Alioquin negligentia ſcientium & ſcire debentium noceret hoſtiliter perſonis principum & earum ſaluti tam temporali quam æternæ. Nocet regnis & pollitijs publicis. Nocet denique ipſis negligẽtibus vel impeditoribus ad diſcrimen damnationis perpetuæ, à qua nos eripiat Dominus Ieſus Chriſtus. Amen.

B



QVÆRITVR autem quæſtio concernens omnia quæ dicta ſunt in trilogio aſtrologiæ theologizatæ, ſi libri cõpoſiti per aſtrologos, prę ſertim infideles & idolatras ſint à catholicis tolerandi vel penitus extirpandi? Pro cuius diſſolutione & præcedentium elucidatione notentur propoſitiones quæ ſequuntur.

Propoſitio prima.

C

Libri aſtrologici in quibus plura vera & vtilia continentur quam inutilia, ſuperſtitioſa & falſa poſſunt tolerari ſeu tolerabiliter relegi, ſeruando illud apoſtoli: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Tales autem vt plurimum ſunt libri qui de motibus & menſuris & coniunctionibus corporum cæleſtium ſunt editi, & ex geometricis demonſtrationibus cum experientia fundati, ſicut eſt glorioſus Almageſti.

Propoſitio ſecunda.

D

Libri aſtrologici in quibus plura inutilia & ſuperſtitioſa & falſa, immo & impia & ſacrilega cõtinentur quam vera & vtilia, debent à Chriſtianis omnibus euitari, damnari & penitus aboleri. Tales autem erant libri de quibus ſcriptum eſt Act. 19. vbi dicitur Multi autem ex eis qui fuerunt curioſa ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt omnes coram omnibus, & computatis precijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium, ita fortiter creſcebat verbum Dei & confirmabatur.

Propoſitio tertia.

E

Libros aſtrologiæ multum expedit diſcernere quatenus appareat qui ſunt & qui non ſunt tolerandi. Compoſuit ſuper hac re magnus Albertus opuſculũ quod appellatur ſpeculũ Alberti, narrans quomodo tẽporibus ſuis voluerũt aliqui deſtruere libros Albumaſar, & quoſdã libros alios. Videtur autẽ ſaluo tanti doctoris honore, quod ſicut in exponẽdis libris phiſicis, præſertim paripatheticorũ nimiã curã appoſuit, maiorẽ quam Chriſtianũ doctorẽ expediebat, nihil adijciendo de pietate fidei. Ita & in approbatione quorũdam librorũ aſtrologiæ, præſertim de imaginibus, de natiuitatibus, de ſculpturis lapidum, de characteribus, de interrogationibus nimis ad partẽ ſuperſtitionũ ratione carentium determinauit. Sanctus autem Tho. in ſuis operib. minus attribuit huiuſmodi ſuperſtitionibus imaginum, characterũ, interrogationum, immo ex intẽtione cum efficacia rationũ reprobauit.

F

Propoſitio quarta

Libros aſtrologicos qui tolerantur & leguntur apud Chriſtianos, ſicut, Ptolomei, Albumaſar & Alienſis ideo oportet in auctoritatem talẽ adducere vt credendũ vel tenendum ſit quidquid ex eis vel deducitur vel allegatur. Fallũtur in hoc plures

res astronomorum & simplicium Christianorum, vel aliorum non imbutorum literis sacris, qui protinus vt legunt vel audiunt aliqua de libris talium credunt & assentiunt, cum tamen reperiantur illic errores contrarij fidei. Nec mirum cum etiam in libris Arist. Auicen. Auerrois, & aliorum qui quotidie leguntur simile inueniatur. Sed cautissima religiositate prouisum est in præclara artium facultate Parisiensis vniuersitatis tam per articulos Parisienses quam per statutum iureiurando firmatum per quemlibet qui licentiatur in artibus vbi sententialiter sic habetur. Iurabitis quod dum contingit vos determinare quęstionem aliquam de philosophia, illam semper pro parte fidei determinabitis & rōnes philosophi in oppositum factas dissoluetis. Quanto magis hoc esset obseruandum in libris astronomicis, qui de iudicijs cōpositi sunt per infideles & idolatras vbi multa posita sunt ex superstitionibus idolorum & cultibus dæmonum & fallacibus responsis eorum, ex quibus processit modus compositionis idolorum, quos deos appellabant loquentes & prophetátes & mirabilia operantes, prout loquitur Hermes Trimegistus, & refert August. Vnde & multa traduntur in dictis libris quæ nullam penitus inducunt rationem, nisi per modum narrationis quod in tali constellatione sic eueniet, & in altera aliter. Et tamen astrologi superstitiosi plus inuenire se dicunt veritatis & certi euentus ex talibus regulis, quam ex illis quæ naturali ratione fundantur, sicut de ventis & pluuijs & alijs impressionibus metherologicis. Cum autem pauci sunt astrologi, immo nulli, intromittentes se de iudicijs astronomicis, qui non insequántur tanquam pro fundamentalibus regulis prædictos libros astronomicos & similes. Concluditur hic pro doctrina Christiana quod salubrius, tutius & Deo acceptius est cōtemnere talia iudicia cum suis auctoribus quam dimissis alijs vtilioribus studijs, suam talibus cognoscendis & practicandis curam dare. Rursus additur & alia doctrina quod salubrius, tutius & Deo acceptius est, non requirere, immo nec permittere fieri iudicia publica super euentibus humanorum actuum, quemadmodum dicuntur aliqui in Italia & studijs vniuersalibus attentare. Ratio, quia miscent multa falsa & superstitiosa & contra experientias in sequentibus manifestas, & terrent inde reges & regna, principes & principatus & homines de omni statu, & per vanos timores vel stultas promissiones malorum vel bonorum euentuum, eos aliter agere quam vera & recta ratio moralis dictaret, inducunt. Porrò magnum faceret obsequium Christianitati collegium aliquod theologorum, si libris astronomicis diligenter inspectis, notarent sigillatim passus suspectos, aut palam erroneos & hæreticales cōtentos in eisdem, quemadmodum factum reperitur nedum de libris Aristote. Auicen. & Auerrois, sed etiam de quibusdam libris catholicorum sicut notati sunt passus vel articuli, in quibus magister communiter non tenetur. Postremò si libri magicorum & superstitiosorum aliorum sub velamine astronomiæ vel philosophiæ se pallantium qui iam inueniuntur fuisse damnati cum auctoribus, custodirentur alicubi sine periculo ma-

A nifestationis vel abusus videretur expediens, quatenus resurgentibus vel occurrentibus materijs similibus, confestim haberetur damnationis factæ modus. Sicut euenit Parisijs de libris Ioannis de Barro magici superstitiosi combusti, quales reperiuntur adhuc in Hyspania sub titulo semmaforas. Sicut insuper notatus est rotulus quidam magus quem ingerebat clandestinè quidam in vespertilionem se nominans. Et in proæmio articulorum Parisiensium aliqui tales notati damnatique sunt. Superaddamus illos nedum fatuos

B esse, sed peruersos Christianos qui solent quasi iocando dicere: Qualis mihi cura est, quis me sanet, quis victoriam, quis honorem, quis diuitias det, quis denique adiuuet? sit Deus, sit diabolus, dummodo proueniat mihi illud quod opto. Dum ergo dicitur alicui ex principibus. Ecce Domine tales homines per suam artem sciunt multa facere, magna & mirabilia & futura prædicere, & victoriam de hostibus promittere, si credatur eis, & si fiant ea quæ iusserunt. Respondeat princeps plena fide & inquirat. Sunt

C ne tales homines sancti Dei qui ex reuelatione & gratis sibi diuinitus concessa promittunt. Et si tales sunt cedi poterit eis dum probabunt & dum nihil videbunt nisi sanctum & diuina lege cautum, maximè si fuerit dictis eorum vita concors & probata, nedum vulgari rumore, sed iudicio sapientum qui phreneticas illusiones à veris sciunt reuelationibus separare. Si verò tales homines mira promittunt se facere per philosophicas disciplinas, vt per medicinam vel perspectiuam

D vel geometriam. Respondeat princeps quod studentes de vniuersitatibus publicis magis in tali re sunt credendi, si ratio consonet naturalis. Demum si tales promissores mirabilium, neque miraculis neque ratione naturali se fundant, illos habeo suspectos, superstitiosos repellendos. Auertat Dominus à me Christiano seruo suo vt velim abnegare fidem suam, vel in eius legem quolibet peccare pro quocumque commodo temporali consequendo, siue sit sanitas corporis, siue victoria in bellis, siue opulen-

E tia in diuitijs. Non enim nego talia quandoque Deo permittente prouenire ministerio dæmonum & hominum eis deditorum, sicut magi Pharaonis multa fecerunt similiter ad Moysen. Sed non est bonum mihi relinquere baptisma meum, fidem meam, legem meam, etiam vsque ad mortem propitius sit mihi Deus. Amen.

F

TRACTATVS EIVSDEM CONTRA SVPERSTITIOSAM DIERUM *obseruationem præsertim Innocentum, similiter Lugduni compilatus.*



VLPAT Apostolus eos qui dies obseruabant & annos quales multi sunt qui dies Ægyptios putant infaustos, immo & diem innocentum per totum anni circulum pestiferum esse credunt. Contra quos fit talis argumentatio. Si dies innocētum dicitur infortunatus vel infaustus ad aliquid in-

choandum & alij dies consequenter per totũ annum similiter situati, oportet dare causam radicalem huius infortunij, quia nullus effectus est sine causa faciente. Sumetur ergo causa altero modorum sequentium sufficienti diuisione. Primò vel ex dispositione siderum secundum astrologiã. Secundò vel ex dispositione corporum inferiorũ secundum medicinam. Tertiò vel à formali conditione seu à tota specie secundum naturalẽ philosophiam. Quartò vel ex dispositione morum secundum moralem disciplinam. Quintò vel ex diuina ordinatione secundum theologiam. Sextò vel ex dæmonum actione secũdum artem magicam. Septimò vel ex sanctorum innocentũ merito seu operatione secundum religionem Christianam. Octauò vel ex obseruantium phantasia vel imaginatione quæ allegat experientiam. Sed nulla causarum istarum sufficiens est aut rationabilis, vt hæc ponatur obseruatio nec omnes simul. Talis ergo obseruatio vana est & reprobanda. Et primò de quinque prioribus causis arguitur per indirectum & per locum ab auctoritate quod dari non possint. Vnde si detur causa per astrologiã. Interrogandi sunt astrologi, & inuenitur hoc esse contrarium suis regulis atque principijs, quoniam astrologi variant sua iudicia secũdum varietatem horoscopi. i. positionis siderum ita quod non possit confici almanach vni formæ perpetuum. Quia dies lunæ (exempli gratia) quæ modo est indisposita vel infausta secundum regulas eorum, si etiam erunt veræ, erit in hebdomada sequenti dispositionis alterius. Attento maximè quod in eis quæ concernunt arbitrij libertatem, astra non imponunt necessitatem, iuxta dictum Ptolomei, quod sapiens Dominabitur astris. Et hæc ratio fieri solet efficaciter contra signationem quæ reperitur in kalendarijs de diebus Ægyptiacis seu periculosis. Consequenter per locum ab autoritate sic argueretur de medicis, sic de philosophis naturalibus, sic de philosophis moralibus, sic de theologis. Nam cuilibet experto in sua arte vel scientia magis credendum est quam idiotis & inscijs. Nec oportet satagere ad reparationem subtilem per principia prædictarum scientiarum cõtra tales inexpertos, quia nec intelligerent, nec assentirent. Si autem credere nolunt edoctis gratis errant, & vltro se seducunt. Superest igitur discurrere per alias tres causas, & primò de actione dæmonum. Si allegetur quod causant infortuniũ hoc, manifestè vergit in idolatriam. Si quærantur placari per nihil agendum tanquam plus in hoc timeantur quam Deus ipse & sancti sui. Rursus quia non in his tantum diebus, sed assiduè, sicut dicunt Petrus & Paulus, Aduersarius noster diabolum circumit quærens quem deuoret, cui resistendum est fortiter in fide, non in vana superstitione. Præterea deducunt sacri Doctores, præcipuè Aug. tales agerè illicitè & contra baptismalẽ sanitatem, ita quod euenit iam baptizatis per tales obseruationes illud de euangelio. Dum immũdus spiritus exierit ab homine .s. in baptismo, sequitur quod reuertẽs adducit semper spiritus nequiores se, & fiunt nouissima hominis illius qui eos recipit peiora prioribus. Melius est enim veritatem non agnoscere quam post agnitionem peruersè viuere, eamque factis aut verbis abnegare. Rursus attendatur hic nullam diem esse quę non plena sit infortunijs, nunc istorum, nũc aliorum, pro quibus tamen non est dies quilibet euitandus aut timendus, sed hominum infelicitas vel miseranda est vel culpanda, quorum operationes malæ faciunt, iuxta verbum Augu. malos dies. Denique nihil est fallacius stulti vulgi traditionibus, qui vt sæpius faciunt de non causa causam. Exempli gratia, præcipitabitur aliquis ab equo effreni & indomito, in via lubrica vel in flumine submergetur, confestim vulgares vt audierint, assignabunt huiusmodi infortunij causas diuersi diuersimodè, quæ tamen nullatenus causę sunt huius casus. Dicet vnus quod in exitu domus obuium habuerat vnum cattum vel leporem, vel quod in egressu hospitij offenderat pedem, vel quod mane camisiam inuersam induerat aut calces dexter pro sinistro acceptus fuerat, quod signum Cæsar Augustus sibi reputabat infaustissimum. Dicet alius, Ego sic somniaueram. Crocitabat coruus super tectum, aut bubo cum stridore superuolitauerat, vel gallus præter horã vocẽ dederat. Dicet alius. Ecce mala dies erat & infortunata vel ægra. Dicit alius. Luna quarta erat vel septima aut sol in ortu nubibus obuolutus palluerat, aut stella decidens per aerẽ micauerat. Vel sicut apud Comicum legitur. Introijt in ædes aer alienus, cattus anguis per impluuium decidit de tegulis, gallina cecinit. Interdixit ariolus aruspex (supple vel astrologus) vetuit ante brumam noui negotij aliquid incipere. Alij verò traducent ad mores dicentes, homini tali non poterat bene cõtingere qui sic & sic egerat, vel rapiendo bona vicinorum vel fraudando vel blasphemando, aut quoniam ex iniustis aut reprobis parẽtibus traxerat originẽ. Longum esset omnia prosequi quibus falluntur & fallunt homines inducentes pro se experientiã quasi certam, & fundant confictiones inanes & falsas. Si autẽ allegetur altera causa quod propter rationem occisionis innocentũ prouenit istud infortunium in tali die, nedum in proprio & solo festo, sed cõsequenter per totum annũ. Istud caret ratione, alioquin theologi & viri religiosi atque deuoti deberent istam obseruantiã magis cognoscere & custodire, cuius oppositum inuenitur quia dissuadent illa, reprobant & irrident. Dicunt præterea quod hoc agere non cedit in honorem Dei, vel sanctorum innocentum, vel ad salutem corporalem aut spiritualem, sed vergit ad contumeliam Dei & sanctorũ innocentũ & perniciem corporum & animarũ. Rursus talis honor magis deberetur si esset rationabilis domino nostro Iesu Christo & gloriosissimæ matri suæ in suis & pro suis festiuitatibus quam in festis innocentum. Relinquitur ergo pro causa octaua & vltima, quod talis obseruatio confingitur, vel tenetur, vel exercetur ex sola hominum phantasiatione & melancholica imaginatione. Et hæc phantasiatio superstitiosa & corrupta prouenit in hac materia sicut & in mille, immo in mille minibus alijs similibus, ex varijs seductionibus seu corruptela multiplici virtutis phantasticæ in hominibus, tam ex læsione intrinseca cerebri, sicut testantur medici, quod infinitæ sunt species melancholiæ, sicut in somniantibus, ita frequenter in vigilantibus & semidormientibus, & manifestè in multis

ægritudinibus. Prouenit rursus hęc læsio ab intrinseco (iusto Dei iudicio permittente) per diabolicas illusiones, sicut per autoritates & historias posset introduci. Sunt præterea causæ particulares aliquæ tam per se quam per accidens, quæ tales phantasias & superstitiones & prout vulgo dicitur sorcerias causant aut nutriunt, quæ omnes ad duas radices præmissas possunt trahi. Proueniunt enim huiusmodi falsæ credulitates & confictæ obseruationes quandoque. Primò ex dæmonum suggestione & illusione ad animarum damnationem, & fidei Christianæ subuersionem, sanctorum infamationem. Vel secundò ex gentilium & paganorum & aliorum infidelium derelicta in principio conuersionis ad fidem Christi superstitione. Vel tertiò ex poetarum confictione. Vel quarto ex magicorum maligna traditione. Vel quintò ex fomitis originali corruptione, sicut in vi concupiscibili, ita & in rationali. Vel sextò ex phantasiæ vel imaginatiuæ virtutis debilitatione. Cuius signum est quod vetulæ, pueri, puellæ & idiotæ proniores sunt ad tales superstitiones credendas vel obseruandas. Vnde ortum habuit illud de vetulis epithetō. Vetulæ sortilegæ gallicè *vielles sorcieres*, iuxta quod vnus prædicans aliquādo coram rege & nobilibus dixit: Solebat inquit appropriatè dici, *vielles sorcieres*, videant Domini nobiles, nec trahant ad se vt dicantur gallicè nobiles, *sorciers*, nobiles sortilegi. Et qui vidit, testimonium prohibuit. Attendendum illud psalmistæ ad Dominū. In manibus tuis sortes meæ. Qui dat per hoc intelligi nō in superstitionibus & sortilegijs huiusmodi fictis & plerumque noxijs esse confidendum. Retrahunt enim spem à Deo, suspitionibus occupant, in moribus inquietant, obsunt aliquando rei publicæ, & viam ad hæreses aperiunt. Vel septimò prouenit hæc corruptio iudicij rationis ex primæua à puero per stultas matres & nutrices enarratione. Delectantur enim dicere fabulas admirabiles, & puerilis ætas imbuta talibus vix repellit, quia Quod noua testa capit inueterata sapit. Vel octauo ex humano timore & diffidentia diuini auxilij & curiosa sciendi futura libidine, sicut patuit in Saul & in alijs sine numero. Vel nono ex superba præsumptione hominū, qui volunt reputari scire mirabilia, & despiciunt eruditos in scientijs, & inducunt pro autoritate quicquid imaginentur, & maximè si fuerint in terris longinquis, & audierint stultitias aliarum sectarum, aut hominum sibi similium. Vel decimò ex certa & ex cogitata confictione ad fallendū alios & irridendum, quemadmodum fit apud aliquos pueros scholasticos vel alios trufatores. Vel vndecimò ex electione quorundam romanciorum .i. librorum compositorum in gallico, quasi poeticorum de gestis militaribus, in quibus maxima pars fabulosa est, magis ad ingerendum quandam nouitatem & admirationem quam veritatis cognitionem. Vel duodecimò ex inobedientia ad diuinam legem, & ex modica eius reuerentia vel cognitione. Cuius signum est quod tales superstitiosi citius crederent verbis, vel scriptis, vel narrationibus fabulosis quantumlibet inapparentibus, quam diuinæ autoritati & suis doctoribus, immo & facilius inducuntur difficilia valde operari, vt in ieiunijs & certis orationibus & & certis votis, prout dicuntur vota sanctæ Catharinæ, quam possent induci seruare legis Christianæ facilia, sicut sunt ieiunia per ecclesiam instituta, qualia omnia citius frangerent quam dimitterent suas superstitiones longè difficiliores, quæ nec vtiles sunt, sed in damnationem animarū, & sæpe corporum vergunt, quæ præterea faciunt & ascersiunt infortuniū, sicut dicitur quod imaginatio facit casum. Prorsus vnum pro talibus est salubre remedium, credere peritioribus & eis qui in lege Dei rectè viuunt & docent, alioquin talibus (prout supra tangebatur) fiunt in cassum ratiocinationes, & portabunt iudicium suum. Sed vtinam soli, quoniam voluntariè se seducunt & alios secum trahunt, prout vnus principum tempere nostro dum induceretur vt quæreret consilium à sapientibus, quos sciebat esse tales & sibi beneuolos, vtrum licitæ essent superstitiones quas exercebat & credebat. Respondit: Cur inquirerem à talibus, Ego enim scio quod disconsulerent mihi, ego tamen sic agere & sic credere penitus disposui, nec omittam. Et in hac infelicitate positus & præuentus, morte repentina destitit, vellet nollet nunc agnoscēs, quoniam odit dominus obseruantes vanitates superuacuè. Et è cōtra, Beatus vir cuius est nomen domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

FINIS.

ITEM AB EODEM CANCELLARIO. 8. DECEMBRIS. 1428. LVGduni *aduersus doctrinam cuiusdam medici delati in Montepessulano, sculpentis in numismate figuram leonis cum certis characteribus procuratione renum &c. aliud opusculum.*

CVIVS est imago hæc & superscriptio. Conformiter ad casum propositum de leonis imagine pro curatione renū dicuntur. 12. propositiones, cum additis quæ sequuntur.

Prima propositio

IMAGINVM quæ astrologicæ nominātur fabricatio & vsus, suspectus est plurimum de superstitione & idolatria seu magica obseruatione, patebit ex sequentibus. Secunda propositio. Imaginum huiusmodi fabricatio & vsus, rationabiliter prohibitus est per sacros doctores & ecclesiā. Tertia propositio. Imaginum huiusmodi fabricatores possunt & debent per suos superiores prohiberi, inquiri & culpari, & si parere noluerint cōdemnari, non obstantibus palliatis allegationibus suis sub titulo astrologiæ, maximè quando nō sunt huius scientiæ multi periti secundum terminos à veris astrologis non idolatris constitutos. Ponuntur ad istarum propositionum declarationem quædam regulæ fundamentales. Et est quarta propositio in ordine. Omnis obseruatio cuius effectus expectatur aliter quam per rationem naturalem aut per diuinum miraculum, debet rationabiliter reprobari, & de pacto dæmonum expresso vel occulto vehementer haberi suspecta.

Sic determinauit tempore nostro sacra theologiæ facultas Parisiensis vniuersitas.

A Propositio quinta. Omnis obseruatio quantumcunque sancta & salubris videatur, in decem aut viginti aut centum particulis, si habeat vnicam particulam de idolatria vel hęresi vel de apostasia suspectam aut infectam, debet tota suspecta & infecta reputari, nisi fiat manifestatio preciosi à vili.

Propositio sexta. Omnis obseruatio particularis super effectibus mirabilibus & extraneis sub titulo verarum artium palliata, debet examinari ex circunstantijs librorum & autorum, qui obseruationem huiusmodi particularem tradiderunt. B Ponuntur consequenter propositiones seu regulæ ad declarationem præmissorum & ad particularē applicationem super imagine leonis de qua fit inquisitio. Et est prima, septima in ordine. Characteres seu figuræ vel literæ non habent vel sortiūtur ex causa purè naturali & corporali efficaciam, sicut nec entia mathematica cuiusmodi sunt figuræ & characteres, sunt de potentijs actiuis & in eis secundum philosophum non est bonum neque finis.

C Propositio octaua. Characteres seu figuræ vel literę non habent de ratione sua quod ordinentur ad aliquos effectus, nisi mediante rationali vel intectuali substantia. Significare enim est rem in intellectu constituere.

Propositio nona. Characteres huiusmodi si habeāt vel habere credantur efficaciā, oportet quod hoc sit à causa spirituali, non à purè naturali & corporali, qualis causa est cælum cum suis influentijs in corpora. Accipiatur ex præcedētibus regulis concilium, quid agēdum sit in materia D præsenti de imagine leonis cum circunstantijs. Et sit Hæc propositio prima decima in ordine. Constat in primis ex inspectione, quod ibi sunt characteres, literæ, figuræ & dictiones, quæ nullum effectum habent naturalem purè corporalem ad curationē morbi renum & similium secundum propositionem septimam præcedentem, iuxta quod notetur in speciali. S. Tho. qui tribuit astrologiæ quantum rationabiliter dari potest, ad exemplum Alberti magni magistri sui, consonè tamen ad fidem E catholicam. Notetur inquam in. 2. & 3. contra gētiles in multi capitulis: a. 113. & specialiter in. 117. & 118.

Propositio 11. Constat quod talis obseruatio nō est posita ab ecclesia & sacris doctoribus, tanquā eueniat effectus speratus per miraculum diuinum immo nec per sanctos angelos Dei, qui sunt administratorij spiritus propter electos Dei ad vitā æternam, magis quam ad curam corporalem, & F medicus & astrologus verus non habent se multū intromittere de actionibus sanctorū angelorum circa homines. Patet ex immediatè præcedenti cū inspectionibus iurium, & ratio satis est manifesta.

Propositio. 12. Constat quod si talis obseruatio nitatur & expectet effectum à malis angelis seu dæmonibus, illa est manifestè penitus reprobanda, etiam si videatur finis bonus vtilis vel honestus, quanto magis si esset malus vel suspectus, sicut est inter alios finis quæstus per simulationē astrologiæ aut mirabilium effectuum, super quibus admirantur homines pauca religionis aut fidei. Veruntamen circunstantiæ prædictæ magis apparebunt iuxta practicam primarum propositionum, si reperiatur coniunctio istius obseruationis de imagine leonis cum alijs obseruationibus contentis in autoribus vel libris tradentibus huiusmodi figurationem. Et hoc ideo dicitur, quoniam temporibus nostris inuentus est liber magnus continens tales obseruationes, quarum aliquæ videbantur piæ & vtiles, aliæ verò manifestissimè erant condemnandæ, & superstitiosæ & idolatricę & de hæresi suspectæ vehementer, & vt tales fuerunt etiam igni traditæ pio zelo. Tales multę sunt obseruationes apud Hispanos in libro Ienaforas. Tales apud Iudeos innumerę, tales apud Christianos superstitiosos, sicut de nescio quo Sydract. Tales denique practicari quærūtur, nedum per vetulas sorcerias, sed per multos arma sequentes continuetur. Postremò totiens occurrit ista materia, quod si pro quolibet casu scribendum esset scribendi nullus esset finis. Poterit inter alia videri tractatulus de astrologia theologizata, specialiter circa finem. Concluditur tandem ex omnibus practica super hoc casu particulari, postquam facta fuerint quæ dicta sunt summariè & quod plano sine inuolutione processuū, maximè si delatus reddiderit se obedire paratum sine proterua defensione, prohibeatur ei de futuro quod non amplius vtatur, sed antidotis medicinæ cuius dicitur professor. De præteritis autem sufficiat sine quauis infamia delati, quod honor iudicij fidei cum prælato & officiarijs suis maneat stabilitus. Et ita in catholica & fraterna charitate consulendum est quod delatus taliter obediat sine strepitu & figura iudicij, & per iudicē ita fiat. Si autem inueniatur proterua defensio, nō proteruiæ rigor, sed iustitiæ vigor fiat. Particularis modus reparandi poterit esse talis, postque melius & plenius informatus sum de fabricatione & vsu talium imaginum, quod non sunt secundum catholicam traditionem promitto bona fide, & deinceps nequaquam vter illis. Aut si mitius iudex velit agere, dicat hoc per alium in tertia persona, postquam talis delatus &c. fuit melius informatus &c. promittit &c. Iudex finaliter poterit declarare sententias excommunicationis contra omnes tales &c. Proinde nō valet allegatio quorundam ex historia scholastica, quod Moyses fecit imagines, vnam pro obliuione, alteram pro memoria. Et Salomon exorcismos, quia viris sanctis concurrebat miraculum. Vel si Salomon iam erat peruersus ad idolatriam per vxores, potuit datus in reprobum sensum excogitare magicos ritus, sicut de Nectanabo legitur & Zoraste, qui nascens risit, & postea magicas artes exercuit. Denique Auicenna & similes de actiuate animæ rationalis in materiam exteriorem, & fascinatione non sunt audiendi in modo ponendi.

Finit Lugduni. 8. Decembris. 1428. per Ioannem Cancellarium Parisiensem.

TRACTATVS

TRACTATVS CONTRA MAGISTRVM IACOBVM ANGELI MEDICUM studij insignis villæ Mõtispessulani, de obseruatione dierum quantum ad opera.

Prima conclusio.



OMNE opus Dei sanctũ est & laudabile. Probatur ratione & autoritate. Ratione sic, quia à bono & optimo non exit aut procedit nisi bonum. Deus altissimus omnium creator, est summum & optimum bonum, ergo omnia eius opera bona sunt. Autoritate probatur conclusio per illud sacræ scripturæ Gen. 1. ca. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona &c.

Secunda conclusio. Omnes dies anni sunt opera Dei altissimi. Deducitur conclusio ex textu sacræ scripturæ Gen. 1. vbi per totum capitulum describuntur opera sex dierũ. Et qualiter prima Dei opera fuerunt dies & anni. Primum autem bonũ à bono incepit operari. Hoc idem testatur regius propheta Dauid ita psallens domino: Tuus est dies & tua est nox tu fabricatus es autoram & solẽ. Quocirca canit ecclesia. Æterne rerum conditor, noctem diemque qui regis, & temporum das tempora, vt alleues fastidium.

Tertia conclusio. Omnes dies anni boni sunt. Ista conclusio claré apparet, & sequitur ex duabus prioribus, quia dies & anni sunt opera singularia summæ & infinitæ bonitati. Optimi autem est optima adducere. Dicere ergo aliquem diem esse natura sua malum, est iniuriari Deo, qui artifex est dierum & annorum. Opus namque malũ maliciam arguit opificis & artificis.

Quarta conclusio. Omni anno, omni die & hora diei, bonum & laudabile est opera qualibet sancta, licita & honesta inchoare, facere, operari & perficere. Patet conclusio, quia sicut dies & anni & etiã horæ diei à Deo creatore prodeunt & ducuntur, sic & omnem opus sanctum, licitum & honestum quod omni die & hora inchoatur & perficitur à domino dirigitur inchoatur & perficitur, dicente Christo. Sine me nihil potestis facere. Et rursus euange. Ioannes ait. Omnia per ipsũ facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Intellige conclusionem nisi præcepto Dei vel ecclesiæ illud opus inhibeatur, sicut in diebus festis aliqua opera laboriosa prohibentur aliàs bona, nisi perhiberentur operari festo die. *Ioh. 1.*

Quinta conclusio. Superstitiosa & vana religio ac meritò redarguenda est, non inchoare, operari vel perficere certis anni diebus opus bonum vel sanctum ab ecclesia non prohibitum. Istud est expressẽ de mente apostoli ad Gal. 4. cap. vbi arguit & reprehendit illos de Galacia, ita dicens: Obseruatis dies & menses & tempora & annos. Sequitur. Timeo autem ne forte sine causa laborauerim in vobis. Item si timet aliquis vel recusat bonũ aliquod opus agere vel inchoare certo die, vt hoc est propter reuerentiã & sanctitatem diei, quia vult diem illum sanctificare, & si sic, multo

A magis deberet abstinere ab inchoatione alicuius operis diebus solemnibus, vt sunt festa sanctissima, natiuitati Christi, resurrectionis dominicæ, ascensionis & aduentus spiritussancti, quod non faciunt obseruatores dierum, & annorum. Vel talis obseruantia fit propter deuotionem ad sanctos quorum dies agitur, vel quorum celebritas tali die colebatur, & talis deuotio nullum habet fundamentum, nullam habet rationem, nisi solam voluntatem obseruantis tales dies. Quod si dicant se tales dies obseruare propter euentus & pericula quæ consueuerũt euenire his qui inchoãt aliquod

B opus vel iter aliquod, hoc vanum est & superstitiosum ac sine aliqua ratione. Quolibet enim die, anno & hora die & bona & mala contingunt. Sic ergo periculum diceretur quolibet die aliquid inchoare. Vel dicatur ratio à talibus quæ hæc obseruant quam nec philosophi nec medici immo nec astrologi docent tales obseruantias de festo Innocentum vel alijs festis. Voluntaria igitur est & absque apparentia rationis alicuius talis obseruantia.

C Sexta conclusio. Sicut vera & christiana fides mirabilia operatur in bene credentibus, sic & falsa & mala credulitas Deo permittente euentus malos interdum operatur, vel potius demeretur. Primam partem ad longum deducit per exempla quam plurima, Apostolus ad Hebræ. 11, Sed & de virtute fidei ipsa euangelia multa loquuntur. Reliqua pars conclusionis experitur quotidie in malè credulis, quos ita Deus punit propter malam fidem, immo dum cognoscit Dominus nimium

D adhærere aliquibus vanis obseruantijs, permittit aliquos euentus contingere, & ita eos plus consequenter firmari in tali opinione, vt maior fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant quem sibi fecerunt. Præterea dum imaginatio taliter obseruantium dies & annos, actuatur vltra nimis circa tales dies, quicquid mali euenit tali die, imputant maliciæ diei, nec aspiciunt ad ea quæ bene aut prosperè successerunt tali die à Deo, & occupatur vis imaginatiua circa aliquos euentus minus bonos, quod non potest conuerti ad alia bona quæ

E illa die contingunt. Quare periculum est firmare fidem vel credulitatem, quæ tollit omne iudiciũ & omnem rationem ad oppositum. Vnde meritò permittit Deus tales decipi, & in laqueo suæ credulitatis vanè incidere. Reijciat ergo fides catholica, ac iudicium expertorum seu virorũ literatorum tales vanitates & superstitiosas obseruantias.

Septima conclusio. Victoria belli non diei, sed soli Deo attribuenda. Patet, quia attribuere tamẽ

F opus vt est victoria diei, est tollere honorem Deo debitum cuius est vincere. Quòd autem victoria sit solius Dei, habetur in multis locis scripturæ sacræ, in libris Regum, Paralipome. & Machabæorum. Hoc testatur rex sapientissimus Salomon Prouerb. 21. sic dicens. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet. Propterea Dauid rex deuotissimus, quotienscunque pugnaturus erat, auxilium Dei & consilium quæsisse & inuocasse legitur. Inde est prouerbium vulgare: *Les hommes font la guerre, & Dieu la victoire.*

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS DE GERSON DE ERRORIBVS *circa artem magicam, & articulis reprobatis.*

A



Ollavdanti mihi nuper, vt mos habet venerabiles licentiatos in medicina, oblata est occasio, vt contra superstitiosas obseruationes nostra pro nefas tempestate, & minus & nimis prævalescentes aliqua dissererem. Ea nunc seorsum ad vtilitatem aliquorum separare curauimus ne permixta alijs minus placerent, & minus commodè prodirent in publicum. Sumpto itaque hoc prouerbio pro themate, medice cura teipsum. Circa hanc inter reliquas medicum dicere retuli, vt esset ornatus ad Deum per filialẽ subiectionem, ne quicquam impium, vel superstitiosum, aut diuinis legibus aduersum, sanitatis adipiscendę causa suis ægris suaderet, rememoretur quoque iugiter illius decretalis. Cum corporalis infirmitas &c. Inci dit vt conquirerer de superstitionibus pestiferis magicorum, & stultitijs vetularum sortilegarum, quæ se per quosdam ritus maledictos mederi patientibus pollicentur. At ego data occasione, facilius in hoc diuerticulum lapsus sum quò vtilius, & quò in patrocinium huius corruptelę quidam adducere nituntur in crimen medicinam. Nonne inquiunt, apud solennes quosdam medicorum tales superstitiosæ obseruationes inducũtur, quas etiam scriptis suis inserere curauerunt. Et consistunt in ligaturis, in characteribus, in figuris. Quandoque in verbis peregrinis & incognitis. Quamuis autem ab ipsis nulla pro talibus ratio adducatur naturalis, habent nihilominus efficaciã in curando. Alioquin vane, immo stultè locuti fuissent de eis medicorum sapientes, & scriptis inseruissent. Vnde refert Isido. 4. Etymo. quod Apollo quem Deum fecit antiquitas, per methodica quædam, id est per carmina & incantationes, Æsculapius insuper & filius eius per empirica. i. per experimenta sanauerunt homines quingentis annis ante Hippocratẽ, qui ratiocinatiuam medicinam qua vtimur adinuenit. Deinde vox publica virtutibus huiusmodi carminationum & ligaturarum & empiricorum attestatur, quam ex toto falsam dicere videtur inciuile. Nec deessent argumenta ad hoc ex dictis poetarum Virgilij, Ouidij, Lucani, & aliorum. Ex varijs quoque gentilium celebribus historijs. Cur non licebit inquiũt istis vti, præsertim cum Deus omnipotens virtutes suas indiderit (vt vulgus loquitur) herbis, gẽmis & verbis. Hanc dubitationem ego nunc tribus dictis seu considerationibus breuiter absolui.

B

C

D

Primum dictum.



Robabile in philosophia naturali & secundum veritatem, fide certum est esse dæmones. Primam partem tenuerunt elegantissimi philosophorum Hermes Trimegistus, Plato & omnes doctrinæ suæ sectatores Apuleius, Porphyrius & cæteri. Hoc libri ab eis editi hoc libri de ciui. Dei ab August. palam docent. Hinc est illa famosa inter eos distinctio de cacadæmonibus & calodæmonibus malis. s. & bonis spiritibus. Hęc est positio de existentia dæmonum apud philosophantes faciliori ratione quam opposita defenditur, saluando effectus quosdam mirabiles, quales referunt historiæ fide dignæ in qualibet gente obtigisse, quas omnes negare pertinaciter, proteruire est, & ciuitatem humanam societatemque politicam dissipare, quam mutua fides & credulitas vnius ad alterum consonat, coniungit agglutinatque. Porrò negare dæmones esse, negare eos plurimorum effectuum operatores existere, damnatur apud Christianos vt erroneum & impium, & sacris literis aduersum. Qua in re ridendi sunt, immo durè corrigendi, qui theologos derident mox vt sermonem de dæmonibus faciunt, mox vt eis effectus quosdam attribuunt, quasi fabulosa sit eorũ responsio. Prouenit error iste apud quosdam literatos, tum ex defectu fidei, tum ex debilitate & infectione rationis. Gerunt propriè animam sic occupatam circa corpus, circa res sensibiles, ac earum sollicitas curas vel ita in causarum particularium & visibilium perscrutatione cõsistunt, quod de vniuersalibus & primis entibus ac spiritibus nihil credere vel sapere, nihil tenuiter & eleuate cogitare possunt. Hoc Plato dixit maximum esse impedimentum veritatis, referre. s. omnia ad sensus, & non auerti ab eis. Hoc idem Tullius, hoc Aug. in de vera religione hoc Alber. & Guil. Parisiensem, immo & experientia docuerunt. Tales erant apud Iudæos Saducæi, qui referẽte Iosepho & Hiero. negabãt spiritus esse, tales inimici philosophi quidam, vt Tullius loquitur, tales Epicurei & alij vitam pecudum eligentes, qui nihil esse cõcipiunt aliud à corporibus & extensis. In quorum persona Ecclesiastes & sapiens Sap. ij. Ita quasi sint incantati & dementes, nullam sibi inesse rationẽ nullos effectus spirituales atque inuisibiles indicare videtur: non minus errantes à Nabuchodonosor, qui credebat se bouem esse, & ab alijs maniacis, quorum aliqui se gallos, aliqui murilegos opinati sunt. De grege talium erat insipiens ille qui dixit in corde suo, non est Deus, quia si est Deus, vtique est spiritus, & si nullus est spiritus, nullus est Deus. Neque enim ego negauero quosdam plerumque nimis leuiter ea dæmonibus ascribere, quæ fieri à causis materialibus, naturalibus, rationabilius dicerentur, nam multas & miras in rebus sensibilibus efficacias, multas virtutes existere quis negauerit ex quarum combinatione, alteratione & configuratione fiunt effectus mirabiles, sicut ex applicatione varia speculorum, sicut ex celeri motu & iactatione quarundam rerum, sicut ex immutatione diuersa imaginatiuæ potentiæ in hominibus, sicut ex alijs quadam docuerũt & operati sunt, quarum operationum notitia potest dici magica naturalis. de qua inuestigare quãuis sæpe curiosum esset, & maioris boni impeditiuum, immo et ad errores pronum, non tamen est fidei nostræ contrarium, dummodo philosophia suis contenta limitibus, nihil impium, nihil mendosum nefariumve miscuerit.

E

F

Secundum dictum.

OBservatio ad faciendum aliquem effectum qui rationabiliter expectari non potest à

test à Deo miraculosè operante, necà causis naturalibus debet apud Christianos haberi superstitiosa & suspecta de secreto pacto implicito vel explicito cum dæmonibus. Ista est doctrina sanctorum doctorum, nominatim Aug. in locis pluribus, quibus has obseruationes valide cōdēnauit. 5. de ciui. Dei. 4. confes. 2. de do. Christiana Et recitantur multa in decre. 26. q. 5. & q. 7. pluribus ca. Hanc considerationem notauit vtique facultas thæologiæ in multis articulis, quos ad elucidationem huius materiæ censuit condemnandos.

Articulus tertius est talis, quod inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expressum, non sit idolatria vel idolatriæ species & apostasiæ error. Et intendimus esse pactum implicitum in omni obseruatione superstitiosa, cuius effectus non debet à Deo vel à natura rationabiliter expectari. Porrò ad sciendum quid vocamus pactum implicitum vel explicitum cum dæmonibus & cur istud vel non fiat narrabimus veram fidei nostræ traditionem & hoc quidem breuissime quoniam latior perscrutatio aliam facultatem exigit alium locum & actum. Tradit vera fides quod dæmones nequam sunt spiritus humanæ naturæ hostes acerrimi, sæuissimi, astutissimi, quorum violentiam improbissimamque tyrannidem si non compesceret & frenaret diuina bonitas, de hominibus actum esset quod ipsi funditus deperirent. Iob. 41. Non est potestas super terram quæ comparetur ei, attamen suus conatus omnino vanus est nisi pro quāto permiserit Deus. Sed cur promittat obstupescant insipientes corde. Potest tamē hoc permitti ob alteram quatuor causarum vel obstinatorum damnationem, vel ad peccantium purgationem & punitionem, vel ad fidelium probationem & exercitationem, vel ad gloriæ Dei manifestationem. De obstinatorum damnatione scriptum est in Psal. Immisit in eos indignationes suas, indignationem & iram per angelos malos, & hoc perpenditur in damnatis. De peccantium purgatione & punitione patuit in Magdalena, quæ subiecta erat septem dæmonijs, quia carnalibus vacabat vitijs secundum gloss. Præterea dabantur excommunicati ab initio ecclesię ipsi sathanæ corporaliter vexandi, vt spiritus saluus fieret. Vnus ex sanctis patribus magna prece obtinuit à Domino, vt torqueretur à dæmone, quatenus careret elatione. Cæterum de fidelium probatione & exercitatione, patuit in Iob & Antonio & Paulo secundum quosdam, cui datus est angelus sathanę. Sicut enim necesse est secundum eundem Apostolum hæreses fieri, vt qui probati sint manifesti fiant, ita fiunt ad hoc illusiones similes miraculis, quemadmodum perspicuè positum est Deute. 13. Tentat inquit vos Dominus, si ex toto corde diligatis eum, hæc causa nostris temporibus magnum locum habet. Denique manifestatio gloriæ Dei potest esse causa talis vexationis, sicut in cæco nato, de quo est hodiernum euange. patuit Ioan. 9, & in legione dæmonum, qui porcos intrauit & submersit, non ad porcorum punitionem, sed ad potentiæ Christi manifestationem. Amplius verò nequam spiritus dum seruire permittitur, sęuit non solum apertis viribus, sed frequenter astutis dolis & fraudibus, non tam ad perdendum corda, quam ad seducendum animas, eas in idolatriæ & apostasiæ & inferni foueam dando præcipites. Quamobrem excogitauit vt superbus, vt fallax & dolosus, quo pacto vsurparet sibi ab hominibus honorem diuinum, & à vera religione abducere, reperit quosdam ex hominibus falli magis idoneos, quales sunt omnes qui Deo reiecto nil aliud curam, ad nihil aliud student, quam per fas aut nefas sua desideria pessima compleri. Quorum alij ad diuitias inopes, alij ad honores vanos, alij ad infames concubitus, alij ad curiositatem libidinosam faciendi futuros rerum effectus, aut alia naturę secreta damnabiliter aspirant. Tales cum aspexerit dæmon intendit nunc occulte nunc apertè ad obseruandum quædam instituta sua quibus mediantibus fidem habeant optata consequi. Suadet itaque has obseruationes fieri, non quod à seipsis habeant efficaciam aliquam aut quod per eas ipsi necessitentur, iuxta determinationem facultatis, theologiæ nuper factam, sed ob alteram quattuor causarum. Primò vt Dei lex præuaricetur, secundò vt ipse dæmō diuino cultu & ritu veneretur, tertio vt spes de Deo minor aut nulla habeatur, quartò vt fraus sua minus videatur. De lege Dei prohibente talia habet expressè textus Leui 19. & 22. & Deute. 18. & in sanctorum opusculis. In legibus quoque naturalibus multa per omnem modum, quas leges transgreditur qui talibus operam præstiterit. Vnde Exo. 22. Maleficos non patiaris viuere. Colitur pręterea dæmon per orationes, sacrificia & thurificationes iussas fieri in artibus magicis. Manet siquidem ipse nequam spiritus in priori phantasiā superbissima, qua quæsiuit esse similis altissimo, immo & extolli vult super omne quod dicitur Deus secundum Apostolum. Et ita verum est quod hi ritus tanto plus habent de sacrilega idolatria, & minus excusantur, quanto sanctiora sunt quæ in eis ad honorem dæmoniorum impenduntur. Rursus scit ipse serpens antiquus, quod beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas, & è contra maledicti sunt & odio habentur obseruantes vanitates superuacuè. Quod ergo mirandum si talibus quærit implicare homines adinuentionibus? Postremò quia dæmon semper dare quod promittit neque vult neque permittit, adinuenit quomodo cultores sui deputarēt illos defectus non dæmoni, non suæ arti, sed propriæ vel negligentiæ vel imperitiæ, atque dicerent se non omnia atque taliter obseruasse, qualia & qualiter iubeantur. Constat quoque falli citius homines sub quadam boni specie, & in hoc mira & prorsus miserabilis est humanæ cæcitatis insania, quoniam in hac re decem aut crebra mendacia per vnam casualiter si obtigerit veritatem excusat, vbi mille in alia materia veritates pro vnico mendacio comperto despiceret. Denique tanta ad credendum prohibita noxia & vanam libidinem in tam modica fide credendorum, quis non mirabitur? Hæc est origo, hic finis artium magicarum, damnabiliumque superstitionum ac nefandorum rituum.

Tertium dictum.

PHILOSOPHICA aut medicinalis consideratio nullatenus admittere debet traditio-

nes illas superstitiosas quæ dicuntur methodica vel empirica, quarum.s. nulla potest ratio naturalis assignari, itaque scribentes ea magis insecuti sunt errorem vulgi aut magorum ritus impios quam medicinę rationes. Et mirandum quomodo dudum à libris medicinæ, non iussa sunt abradi. Et quo enim de ratione naturali nihil habent illa vel innituntur operationi diuinæ & supernaturali, & hoc nihil ad medicum vt medicus est, sed est theologicæ speculationi remittendum, aut innituntur operationi dæmonis, & hoc similiter nihic ad medicum, sed ad idolatriæ cultum. Si verò dicantur fieri pro mutatione virtutis imaginatiuæ in ægroto, quatenus fortificetur in eo spes sanationis, aut vt cogitatio tua aliorsum diuertatur esset, hic fateor aliqua ratio naturalis. quoniam vim imaginatiuam plurimum tum conferre, tum obesse regimini sanitatis quis nesciat? Hinc est illud vulgatum, Imaginatio facit casum. Verum caueat obsecro medicus ne volendo sanare corpus alienum, seipsum desipiens inficiat. Quo pacto inficietur? Nimirum per mendacia dum suis patientibus asserit tales obseruationes efficaces esse pro sanitatis obtentu, quas omnino impertinentes aut fabulosas, aut fortassis illicitas esse cognoscit, quanto rectiori fide spem in Deo figendam esse doceret, qui vitæ habet & mortis imperium. Nam inculpatur ipse rex Aza. 2. Parali. 16. quod in infirmitate non quæsiuit Dominum: sed magis in medicorum arte confisus est. Quis non videat maioris criminis esse si quis in talibus superstitiosis spem apponat? Quod si hæc empirica & methodica superstitiosa reperiantur esse virtutis alicuius, tanto perniciosiora sunt secundum Aug. quanto sunt ad seducendum validiora. Ille siquidem effectus cum neque à miraculo vero, neque à causa naturali fieri cognoscatur, vt à seductoribus dæmonijs proueniat consequens est. A seductoribus autem fallacibus, à patre mendacij, ab hoste crudelissimo quid boni, quid veri, quid cōmodi speres, tu videris. Profectò dæmones & si sanarent corpora, illa sanarent Deo irato. Quomodò Deo irato? quia certe necarent animas, & deterius tandem varijs incommodis suos cultores & inuocatores afficerent. Denique obedienda esset prorsus corporalis valitudo, quæ animæ pretio & morte venderetur. Hæc pauca si quis religiosa fide diligenter aduertit, non eum turbabunt obiectiones illæ (opinor) quibus imperiti à spiritu maligno turgidi, obstrepere solent contra fidei pietatem, quæ has omnes superstitiones impias damnat execraturque. Dicunt aliqui non vanam esse aut falsam talium notitiam, quoniam sua veritas probatur per effectum, quasi videlicet negare contendamus, nihil à dæmonijs & suis cultoribus posse fieri Domino permittente. Absit. Nos itaque & magos Pharaonis, & pythonissam Saulis, & Simonem magum & pythonissam in Actibus apostolorum, & exorcistas Iudæorum & idola gentium, & futura antichristi portenta, non solum non negamus, sed ea negantes reprobamus. Sicut enim vera fides mereretur dotari miraculis dum opus est ad ædificationem, ita falsa fides portentis & figmentis in sui damnationem, vel aliorum probationem demeretur illudi. Dicunt alij multa in obseruationibus huiusmodi sanctitatem inesse, tum in orationibus ad Deum deuotissimis, tum in ieiunijs, in castitate & vigilijs, in thurificationibus, in Eucharistiæ etiam sumptione in ceteris denique religiosis obsequijs. Sed planè hic mentitur iniquitas sibi, quasi videlicet rerum optimarum sanctissimarumque non esse possit abusus, quarum nequior ille est & flagitiosior quam aliarum, quasi præterea de modo talia quæreret ad sanctificationem, qui spurcissimus est, & non potius ad sui adorationem, ad malitiæ suæ regimen, & ad sacrificium sacrilegum, alioquin nunquam Deus nunquam sancti viri, qui Deo inspirante locuti sunt, hæc fieri tanta seueritate vetuissent. Nunquam insuper theologia talibus esset aduersata, cui tamen in hac re & suis professoribus credi debet, non indoctis mulierculis, non impijs idolatris, non hominibus datis in reprobum sensum, quilibet enim in sua arte sapiens est, & ei credi debet, iuxta maximam topicam. Dicunt se rursum per hæc omnia intendere obsequium Dei: & non diaboli. Certè ita idolatrę, ita inde necatores apostolorum arbitrabantur se obsequium præstare Deo, nec proinde saluantur. Quanta quæso est illa cæcitas dicere se seruire Deo suis maximè contrariendo præceptis? Cæterum quisquis relegerit has obseruationes nefandas videbit eas æquè ad malos sicut ad bonos effectus introductas, propter quod potissimè teste Aug. doc. circa medium, magici in omni secta plectūtur. Illic videre est impietatem illic virtutis impugnationem, in docendo furta & stupra fieri, in dolendo scire tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Denique præfigitur tibi terminus operandi ipsi diuinæ omnipotentiæ, præstituitur modus quo quasi compellatur operari ipsi diuinæ sapientiæ: statuitur finis ipsi diuinæ bonitati & clementiæ, nam qui aliud sonant istæ traditiones, scribatur hoc in pergameno virgineo, portetur in figura triangulari cum characteribus incognitis & thurificetur suspendatur ad collum, fiant ista certis horis tunc infra triduum aut quatriduum, proueniet absque vlla dubitatione effectus ille quem quærimus, immo hoc sub periculo capitis asseritur, siquidem reuelauerit Deus eis, ipsi viderint, nos scimus, quoniam reuelationes diuinæ non tales sunt, nec prohibet Deus credere illud quod dignatur reuelare. Arguunt iterum & nos in similem causam trahere satagunt. Nonne inquit talia similiter fiunt aut tolerantur ab ecclesia in peregrinationibus certis, in cultu imaginum, in cereis aut ceris aut aquis benedictis, & in exorcismis. Nonne dicitur quotidie si nouem diebus perdurat in hac ecclesia, si ex aqua illa perfundatur, aut si tali se voueat imagini, aut si aliquid talium faciat, ipse mox sanabitur, vel optato potietur. Fateor abnegare non possumus multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio. Tolerantur tamen quia nequeunt funditus erui, & quia fides simplicium quamquam minus in aliquibus bene sapiat, regulatur tamen & quodammodo rectificatur, saluaturque in fide maiorum, quam fidem generali saltem intentione in omnibus suis obseruationibus præsupponunt si piè & humiliter, hoc est Christianè sapiunt, & si ad ostensam veritatis normam

mam obedire parati sunt. Hæc autem est intentio vt talia suscipiantur aut fiant non tanquam necessario efficacia, aut tanquam spes principalis in talibus posita sit Deo postposito, sed quod pietas fidei per ista nutritur & augetur & exaudiri meretur. Secus vbi fides læditur & diuina lex violatur. Vanè igitur & proteruè sumitur in hac re vel exéplum vel argumentum, ex his quæ vulgus indoctum, non quæ cætus theologorum & sapientum docet obseruatque. Quid mirum si theologia & fides corruptores quosdam patiatur vt hæreticos & superstitiosos, vt temerarios assertores, quando & medicina & philosophia & astrologia vera & omnis denique ars & scientia pati aliquid tale cognoscatur, sed fundamentum stabile stat. Tandem oppositionem suam conuertunt alij in querelam dicentes: Ecce talis infirmus est in grandem & luctuosam totius gentis vnius perditionem, ipse desperatur à medicis. Cur non inquiunt, per superstitiosa curabitur, præsertim si per superstitiosa præsumitur in ægritudine teneri, & per similia promittitur liberari? Nonne vana vanis, sicut clauum clauo licet repellere? Nonne sanitas & auxilium vndecunque quæri possunt, sicut ab herbis ita à verbis & à virtute spirituum, sicut à virtute lapidum vel corporum? Cur postremo prohibebit aliquis cogere dæmonem ad obsequendum sibi in bonis, quando sanctorum plurimos vt Anthidiū archiepiscopum Bisantinum, & exorcistas alios ita fecisse commendant historiæ? Respondebimus ad hoc dicentes, primò ad vltimum, quod dæmones possunt & licitè possunt per Deum & sanctos eius ad hoc inspiratos & electos cogi ad præstandum humana quædam obsequia. Ita enim recta fides tenet fecisse Christum & Moysen. & Raphaelem angelum, & Dauid respectu Saulis, & sanctos quasi innumeros dæmoniacorum, immo & Salomonem & quosdam exorcistas Iudæorum, sic egisse videtur sensisse Iosephus, quamquā de Salomone qui postmodum idolatra fuit magis dubia sit sententia, an videlicet de peccato in peccatum de errore idolatriæ in errorem magicarum artium delapsus extiterit, an Deo reuelante dum bonum erat talia cognouerit. At verò si coactio dæmonis aliter expectetur quam per miraculum Deo specialiter cooperante, istud falsè creditur & periculosè quæritur. Falsè quidem propter libertatem dæmonibus insitam, quæ nec ab istis corporalibus quibus perfectior est, nec à carminibus cogitur. Istud autē periculosè quæritur, quia hostis est dolosissimus, & nunc fingit se compelli per tales ritus impios, quibus honorari quærit & animas perdere. Nunc perplexis responsis inuoluit sententias vt Tullius loquitur & historiæ testantur, nunc semitas tortuosas suæ fraudis mille modis tegit. Nobis propter hoc interdicta est societas sua, ne quæramus ab eo veritatem qui mendax est, sicut Christus & apostolus eius Paulus, ipsum etiam vera loquentē obmutescere præceperunt. Non speremus insuper prosperitatem ab eo qui hostis est, nec peccatum ineamus cum eo qui infidus est, nec consortium cum excommunicato, nec fidem proditori perfido adhibeamus. Fefellit reuera omnes & fallet, quos sibi aut institutis suis deditos inuenerit. Historias hæc docentes quia innumeræ sunt non numeramus, de Iuliano apostata, de Zoroastre primo inuentore magicæ artis, de Nectarabo & cæteris absque numero. Affirmamus consequenter cum apostolo, quod non sunt facienda mala vt bona eueniāt. Nō igitur sūt maleficia maleficijs repellenda. Aliter sapere est contra fidem desipere. Superest igitur in omni nostra necessitate sentire cum Iosaphat rege & Deo dicere: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te. Tentetur via naturalis rationis & prudentiæ & artis quantum sciuerimus. Hoc vocatur facere quod in se est, ne videatur tentari Deus, qua via naturali deficiente solum restat in Dei misericordia refugium. Hæc autem misericordia non superstitiosis obseruationibus, sed pijs obsecrationibus, non dæmonum inuocationibus, sed vitæ emendatione, non per homines reprobos, sed probatos comparatur. Si demū volumus mutare sententiam suam, nostram in melius mutemus vitam. Cæterum si permittente iusto Dei iudicio, licet occulto, fiant in aliquo vexationes & immissiones per angelos malos mediantibus pactis quorundam sacrilegiorum cum dæmonibus, vt per inuultuationes, per fascinationes aut carminationes, quamquam de se prorsus ad hæc inefficaces. Dicit vnus doctor talia si reperiātur posse destrui, quibus amotis & dissipatis neque spiritus dissipare poterit à vexatione ad hoc vt pactum suum seruare & artem suam confirmare videatur, aut quia bona fides destruentium opera hæc diaboli sic meretur exaudiri. Ita egit Philippus quondam rex Francorum de imagine quadam cerea, quam dicebant baptizatam & execratam taliter nomine suo, quod ea destructa ipse rex moreretur. Et videbimus inquit, pius rex, fide plenus, si potentior erit dæmon ad perdendum me, quam Deus ad saluandum, & hęc dicens ceram proiecit in ignem. Ita concipere eos arbitror qui dicunt vana vanis esse refellenda, & quod non maleficijs cōtra maleficia liceat abuti, sed humanam rursus impatientiam adire videor. Obsecrauimus inquit Deum nec exaudit, ieiunauimus, peregrinationes multas fecimus & processiones, nec attendit, sic murmur resonat, sic querimonia quasi gens quæ fecerit iustitiam, & quasi populus qui non auersus fuerit à Deo suo, sic erecta ceruice Deum suis petitionibus omnibus volunt esse obnoxium cum tamen verissimæ sint populus qui labijs suis Deum honorat (vtinam & hoc inueniretur, nec verius diceretur hic blasphemat) cor autem eorū longè est à Deo. Conticescat hæc obstinatio diabolica frendens & tabescens contra diuinam prouidentiam, quin potius patiēter expectemus, non præfingentes terminum diuinæ misericordæ iuxta consilium sanctæ Iudith. Nos in Deum totiens deliquimus & in omnem iustitiam, immo in omnem creaturam suam, cur non tolerabimus flagella pij patris. Nos filij nequam dum per filios clientes etiam reprobos placuerit nos punire, duorum sanè est contra stimulum & talem stimulum Dei calcitrare per impatientiam, quia duplici cuspide mortis in anima & corpore recalcitrātes feriuntur. Hæc interim de tota collatione pro medicis antedicta libuit excerpere. Placuit insuper determinationem sacræ facultatis theologiæ, cu-

ius mentio facta est huic opusculo cõnectere, quia ad dictorum firmitatem etiam non mediocriter vtilem iudicaui. Datum per copiam sub signo & subscriptione mei notarij publici subscripti.

A



NIVERSIS orthodoxæ fidei zelatoribus Cancellarius ecclesię Parisiensis facultas theologiæ in alma vniuersitate Parisiensi matre nostra cum integro diuini cultus honore spem habere in Domino, ac in vanitates & insanias falsas non respicere. Ex antiquis latebris emergens nouiter erroris fœda colluuio, recogitare cõmonuit quod plerunque veritas catholica apud studiosos in sacris literis apertissima est, quæ cæteros latet, nimirum cum hoc proprium habet omnis ars manifestam esse exercitatis in ea, sic quod exinde consurget illa maxima. Cuilibet in sua arte perito credendum est. Hinc est Horatianum illud quod Hieronymus ad Paulinum scribens assumit Quod medicorum est promittunt medici, tractát fabrilia fabri. Accedit ad hæc in sacris literis aliud speciale, quod nec experientia nec sensu constant, vt aliæ artes, nec possunt oculis circunuolutis nube vitiorum facile deprehẽdi, excęcauit enim eos malicia eorum. Ait siquidem apostolus, quod propter auariciam multi errauerunt à fide, propterea non irrationabiliter idolorum seruitus ab eodem nominatur. Alij propter ingratitudinem, qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt in omnem idolatriæ impietatem, sicut idẽ commemorat corruerunt. Porrò Salomonem ad idola, & Didonem ad magicas artes pertraxit effrena voluptas. Alios ad hoc ipsum intorsit superba curiositas inuestigandorumque occultorum dira cupido. Alios postremò misera timiditas tota ex crastino pendens, in obseruationes superstitiosissimas impiasque depulit, quemadmodum apud Lucanum de filio Pompei magni, & apud historicos de pluribus notatum est, ita fit vt recedens peccator à Deo, declinet in vanitates & insanias falsas, & ad eum qui pater est mendacij, tandem imprudenter palam apostasiando se conuertat. Sic Saul à Domino derelictus, pythonissam cui prius aduersabatur consuluit, sic Ochozyas Deo Israel spreto, misit ad consulendum Deum Acharon, sic deniq; omnes qui fide vel opere absque Deo vero sunt, vt à Deo falso ludificentur necesse est. Hanc igitur nefariam, pestiferam, monstriferamque insaniarum falsarum cum suis hæresibus abominationem plus solito nostra ætate cernentes inualuisse, ne forsan Christianissimum regnum quod olim caruit monstro, & Deo protegente carebit, inficere valeat tam horrendæ impietatis & perniciosissimæ contagionis monstrum, cupientes totis conatibus obuiare. Memores insuper nostræ professionis pioque legis zelo succensi paucos ad hanc rem articulos damnationis cauterio, ne deinceps fallant incogniti notare decreuimus Rememorantes inter cætera innumera dictum illud sapientissimi doctoris Augustini de superstitiosis obseruationibus, quod qui talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, aut interrogant, sciant, se fidem Christianam & baptismum præuaricasse & paganum & apostatam, id est retro abeuntem & Dei

Rom. 1.

B

C

D

E

F

inimicum & iram Dei grauiter in æternum incurrisse, nisi quis ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur hæc ille. Neque tamen intentio nostra est in aliquo derogare quibuscunque licitis & veris traditionibus, scientijs & artibus, sed insanos errores & sacrilegos insipientium & ritus ferales pro quanto fidem orthodoxam & religionem Christianam lædunt, contaminant, inficiunt radicitus quantum fas nobis est extirpare satagimus & honorem suum synceræ relinquere veritatis.

Est autem primus articulus.

Quod per artes magicas & maleficia & inuocationes nefarias quærere familiaritates & amicitias & auxilia dæmonum non sit idolatria. Error, quoniam dæmon aduersarius & pertinax & implacabilis Dei & hominis iudicatur. Nec est honoris vel Dominij cuiuscunque verè seu participatiuè vel aptitudinaliter susceptiuus, vt aliæ creaturę rationales non damnatæ nec in signo ad placitum instituto, vt sint imagines & templa Deus in ipsis honoratur.

Articulus 2. Quod dare vel offerre vel promittere dæmonibus qualemcunque rem, vt adimpleant desyderium hominis, aut in honorem eorum aliquid osculari vel portare, non sit idolatria Error.

Articulus. 3. Quod inire pactum cum dæmonibus tacitũ vel expressum nõ sit idolatria vel species idolatriæ & apostosiæ. Error. Et intendimus pactum esse implicitum in omni obseruatione superstitiosa, cuius effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

Articulus. 4. Quod partes magicas dæmones in lapidibus, anulis, speculis, aut imaginibus nomine eorum consecratis vel potius execratis includere, cogere vel arctare, vel eas velle viuificare, non sit idolatria. Error.

Articulus v. Quod licitum sit magicis artibus vel alijs quibusdam superstitionibus à Deo au. ab ecclesia perhibitis aliqua facere pro quocunque bono fine. Error, quia secundum apostolum. Nõ sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Articulus. 6. Quod licitum sit etiam permittendum maleficia maleficijs repellere. Error.

Articulus. 7. Quod aliquis cum aliquo possit dispensare in quocunque casu, vt licitè talibus vtatur. Erorr. Articulus. 8. Quod artes magicæ & similes superstitiones & earum obseruationes sint ab ecclesia irrationabiliter prohibitæ. Error.

Articulus 9. Quod Deus per artes magicas & maleficia, inducatur dæmones compellere suis inuocatibus obedire. Error.

Articulus 10. Quod thurificationes & suffumigationes quæ fiunt in talium artium & maleficiorum exercitio sunt ad honorem Dei & ei placeant Error & blasphemia, quoniam Deus alias non prohiberet vel puniret. Articulus. 11. Quod talibus & taliter vti non est sacrificium seu immolare dæmonibus, & ex consequenti damnabiliter idolatrare. Error. Articulus. 12. Quod verba sancta & orationes quædam deuotæ & ieiunia & balneationes, & continentia corporalis in pueris & alijs, & missarũ celebratio & alia opera de genere bonorũ quæ fiunt pro exercẽdo huiusmodi artes

excusent

excusent eos à malo & nõ potius accusent. Error; nam per talia sacræ res, immo ipse Deus in Eucharistia dæmonibus tentatur immolari, & hoc procurat dæmon, quia vult in hoc honorari similiter altissimo, vel ad fraudes suas occultandas, vel vt simplices illaqueet facilius & damnabilius perdat. Articulus 13. Quod sancti prophetæ & alij per tales artes habuerunt suas prophetias & miracula fecerint aut dęmones expulerint. Error & blasphemia. Articul. 14. Quod possibile est per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad volũtatem siue desiderium alterius. Error, & conari facere est impium & nefarium. Art. 15. Quod ideo artes prętatæ bonę sunt & à Deo, quod licet eas obseruare, quia per eas quandoq; vel sæpe euenit sicut vtẽtes eis quærũt vel prædicũt, vel quia bonũ quãdoq; prouenit ex eis. Error. Art. 16. Quod per tales artes dæmones veraciter coguntur & compellũtur, & non potius ita se cogi fingunt ad seducendos homines. Error. Articulus 17. Quod per tales artes & ritus impios, per sortilegia, per carminationes, per inuocationes dæmonum, per quasdam inuultationes, & alia maleficia, nullus vnquam effectus ministerio dęmonum subsequatur. Error, nam talia quandoq; permittit Deus contingere vt patuit in magis Pharaonis & alibi pluries, vel ad probationem fideliũ, sicut habetur Deut. 13. vel in quorundã hominũ dignã flagellationẽ, vel quia abutentes seu consulentes propter malam fidem aut alia peccata nefaria dati sunt in reprobũ sensum, & demerentur sic eludi Art. 18. Quod boni angeli includantur in lapidibus & consecrent imagines vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis artibus continentur. Error & blasphemia. Artic. 19. Quod sanguis vpupæ vel hædi vel alterius animalis vel pergamenum virgineum aut corium leonis & similia habeant efficaciam ad cogendos vel repellendos dæmones ministerio huiusmodi artium. Error. Articulus. 20. Quod imagines de ære vel de plũbo, vel auro, vel de cera alba vel rubea, vel de alia materia baptizatæ & exorcizatæ, consecratæ, sed potius execratæ secundum prædictas artes & sub diebus certis habeant virtutes mirabiles quæ in libris talium artium recitantur. Error in fide, in philosophia naturali, & astrologia vera. Artic. 21. Quod vti talibus & fidem dare non sit idolatria & infidelitas. Error. Art. 22. Quod aliqui dęmones boni sunt, aliqui benigni, alij omnia scientes, alij nec saluati nec damnati. Error. Articul. 23. Quod fumigationes quæ fiunt in huiusmodi operationibus conuertuntur in spiritus, aut quod sint debitæ eis. Error. Art. 24. Quod vnus dæmon sit rex Orientis, & præsertim suo merito, alius Occidentis, alius Septentrionis, alius Meridie. Error. Articulus 25. Quod intelligentia motrix cœli influit in animam rationalem, sicut corpus cœli in corpus humanum. Error. Articulus 26. Quod cogitationes nostræ intellectuales & volitiones interiores immediatè causentur à cœlo, & quod per aliquã traditionẽ magicam tales possunt sciri: & per illam de eis certitudinaliter iudicare sit licitũ. Error. Articulus 27. Quod per quascunque artes magicas possumus deuenire ad visionem diuinæ essentiæ vel sanctorum spirituum. Error. Acta sunt hæc & post naturam crebramque inter nos

Gerson. Prima pars.

A & deputatos nostros examinationem conclusa in nostra congregatione generali. Parisijs apud sanctum Mathurinum, de mane super hoc specialiter requisitos. Anno Domini 1498. die 19. mensis Septembris. In cuius rei testimonium sigillum dictæ facultatis præsentibus litteris duximus apponendum.

PROPOSITIONES

B VENERARILIS CANCELLARII *Parisiensis Ioannis de Gerson super assertionibus fratris Matthæi Grabon, ordinis prædicatorum in concilio Constantiensi in causa fidei de vera religione & perfectione. Quibus propositionibus tredecim doctores maiores, quos pro tunc mundus habuit in Theologia de diuersis vniuersitatibus contra prædictas assertiones adhæserunt.*

C REVERENDISSIMO in Christo patri ac Domino præstantissimo Domino Antonio cardinali Veronensi Ioannes cancellarius Parisiensis humiliter obedire. Reuerendissime pater super schedula per reuerendissimam paternitatem vestram ex commissione Domini nostri mihi transmissa, respondeo conformiter ad responsionem reuerendissimi patris ac Domini mei ac præceptoris præcipui Domini cardinalis D Cameracensis quam responsionem in scriptis ego vidi, & huic adhæreo, paratus si opus fuerit ad declarationem non veriorem, sed fortè latiorem. Scriptum Constantiæ propria manu die tertia, Aprilis, Anni millesimi quadringentesimi decimioctaui.

AD elucidationem veritatis & ad obedientiæ meritum sex propositiones sequentes cum totidem corollariis offeruntur vobis reuerẽdissimo patri E Domino cardinali Veronensi iudici in hac parte per me Ioannem Cancellarium Pariensem.

Propositio prima.

Sola religio Christiana est proprie, verè & antonimaticè dicenda religio, quam Christus obseruauit perfectimo & summo modo. Patet prima pars, quia extra religionem Christianam non est salus. Secundam partem nullus potest negare F Christianus, quia sicut eam Christus docuit in euangelio sic & fecit, quia cœpit facere & docere.

Propositio 2. Religio Christiana non obligat ad obseruantiam consiliorum, neque cum voto neque sine voto, patet, quia iam non essent consilia, sed præcepta.

Propositio 3. Religio Christiana potest absque voto obligante ad consilia perfectè, immo perfectissimè obseruari. Patet de Christo qui non legitur vouisse consilia, qui fuit tamen suæ legis perfectissimus obseruator. Patet insuper de

apostolis & discipulis & Christianis in primitiua ecclesia, quorum multi erant vxorati, multi possessiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio, multi subijciebantur solis prælatis suis episcopis & curatis. Constat itaq; quod nō erant de religionibus Basilij & Augustini, quia nondum fuerant institutæ vel per ecclesiam approbatæ, nec talibus regulis subdebantur.

Propositio 4. Religio Christiana non requirit ad perfectiorem sui obseruationem tam in præceptis quam in consilijs quod superaddatur alia religio, quales dicuntur obseruationes institutæ per sanctos Basilium & Aug. &c. & quales Anselmus vocat religiones facticias, patet ex præcedētibus.

Propositio 5. Religiones huiusmodi facticiæ satis impropriè & abusiuè & forsan arroganter dictæ sunt status perfectionis, patet, quia stat homines imperfectissimos tales religiones profiteri, sicut notat Aug. quod non peiores reperit quā eos qui in huiusmodi religionibus defecerunt. Sed aliunde declaratur hæc abusio vel vsurpatio nominis, quia secundum illos qui nouiter post sanctos doctores vsi sūt tali vocabulo status perfectionis, ille status non dicit apud religiosos perfectionem habitam vel acquisitam, sicut est de statu prælatorum, sed tantummodo dicit perfectionem acquirendam. Cōstat autem quod perfectio acquirenda non est iam acquisita. Et ideo melius nominaretur viæ quædam vel instrumenta seu dispositiones ad perfectione acquirendam, quam diceretur status perfectionis, immo & sicut huiusmodi status sic dictus dirigit & iuuat quosdā ad perfectiorem obseruationem veræ religionis Christianæ, sic & multos impedit atq; præcipitat, quos tutius fuerat in seculo remansisse, quia displicet Deo stulta & infidelis promissio, quæ scilicet vel indiscretè sumitur, vel non obseruatur.

Propositio 6. Religio Christiana perfectius potest & debet obseruari à Papa, cardinalibus & prælatis, etiam si nullo vota sint abstricti vltra legem Dei, quam simplices religionum facticiarum professores, patet, quia sunt in statu perfectionis exercendæ.

Primum Corollarium.

Sequitur primò quod acceptio religionis sicut frater Matthæus Iacobita describit in secunda acceptione vbi vult declarare quid est propriè & antonomaticè religio, est nedum stulta & insania, scilicet & hæreticalis blasphemia, quādo dicit sic: Alio modo inquit accipitur hoc nomen religio secundum quod à religando dicitur, prout homo obligat se ad ea quæ pertinent essentialiter ad statum perfectionis, & illo modo dicitur antonomaticè tantum de illis qui sunt in aliqua de approbatis regulis propriè dictis professi, cuiusmodi sunt Augustini, Basilij, Benedicti, Francisci &c. Patet corollarium ex precedentibus deducendo ad hoc inconueniens quod Christus & Papa & prælati non obseruauerint vel obseruant essentialiter statum perfectionis, quia scilicet non professi sunt regulas prędictas, immo nec deberent dici de vera religione nisi impropriè & analogicè contra primam propositione quæ solidè fundata est. Nec est credibile quod Augu. & sanctus Th. hoc somniauerunt. Vnde & si possint in religione Christiana assignari duo modi viuendi,

secularium videlicet & illorum qui profitetur A religiones facticias, quos communis vsus religiosos appellat. Non tamen ita distinguuntur isti modi, quin multa qui conueniunt talibus religiosis, cōueniunt & conuenire possint verè & meritoriè multis secularibus, immo & perfectius, sicut patet de prælatis qui sunt in statu perfectionis exercende tam maiores quam minores sicut sunt curati, prout multi tenent contra sanctum Tho.

Secundum corollarium. Sequitur secūdò quod extra religiones facticias potest aliquis cum voto simplici vel sine voto Christianam religionem in B suis præceptis & consilijs perfectè obseruare, Et dicere quod tale votum simplex si fieret, esset nullum, & pro non voto deberet computari, est apertissimus error & insanus, sic tamen iste frater ponit circa finem, & in fine sui scripti vltimi.

Corollarium tertium: Sequitur tertiò quod tota doctrina fratris istius innititur stultæ & insanæ phantasiæ, immo & blasphemiæ. Propterea nō est mirandum si hoc inconuenienti dato multa potuerit & deducere conatus est, vt quod implicet C contradictionem aliquem de seculo seruare consilium paupertatis vel castitatis & obedientię, immo quod hoc esset mortale peccatū extra religiones facticias quas solus nominat veras religiones, & quod papa non posset dispensare, & quod aliquis in seculo sic obseruaret consilium paupertatis &c. Et quod dicens oppositum est hæreticus, nec valet ratio sua quod si secularis voueret paupertate, ageret contra illud præceptum. Non occides. quoniā multis modis posset secularis sicut D & religiosus viuere decenter & sufficienter in cōmuni sine proprio, immo & nihil habēdo nisi labores manuum suarū. Potest etiam aliquis de seculo sicut confitetur & verum est, vouere solēniter castitatem, patet in sacerdotibus. Cur nō similiter vouere posset obedientiam pręlato suo seculari, & cum secularibus viuere in communi.

Corollarium quartū: Sequitur quartò quod fautores & defensores istius fratris sunt arcēdi seu repellendi, & nisi desistere voluerint grauiter puniendi, ita tamen quod non laxetur nimia licētia E ad defensionem Begardorum & Beguttarum, si reperiantur effrenes & discholi, & scandalosi in suis obseruationibus, præsertim in contemptum prælatorum suorum secularium & curatorū, iuxta mentem decretalium contra tales editarum.

Corollarium quintum: Sequitur quintò quod Dominus noster papa qui secularis est & similiter sui cardinales & prælati tam maiores quam minores de seculo debent celeriter & vehemēter operam dare, quod talis doctrina pestifera ac blasphema atq; iniuriosa eis extirpetur iudicialiter & pu- F blicè, ne serpat in maiorem perniciem.

Corollarium sextum: Sequitur sextò quod si autor talis doctrinæ cum suis fautoribus inueniatur pertinax & arrogans, & à longo tempore tam cōtra prælatum suum quam magistros & doctores tam in verbis quam in scriptis debet sic attestari quod non habeat facultatem reddendi & deteriora perpetrandi, sicut iam dicitur hoc pluries fecisse recedendo. s. à pręlato suo & iudice, & consequenter semel ab hoc consilio. Alia sunt de validis mendicantibus, & de actione contra iura canonica quæ dimitto.

TE

Tenor responsionis Domini Cardinalis Cameracensis de qua suprà.

A

Reuerendissime pater & Domine: Super schedula papirea sigillo vestro sigillata, mihi ad instigatoris instantiam in quadam causa fidei respondeo deliberationem meam istam esse pro præsenti. Quod coram reuerendissima paternitate vestra conuocentur theologi, qui sunt in hoc sacro concilio quibus proponatur materia, vt communicatis inuicem communi deliberatione sine contentione dicat tandem vnusquisque in publico id quod sibi videbitur
B
conformiter ad sacram scripturam. Et illic ego in fauorem fidei volo libenter interesse. Non enim debet talis materia in tenebris vel particulariter terminari, sed communiter & in luce, vt quilibet qui intererit possit vel docere vel doceri dum se mutuo quilibet intelliget. Et talem modũ seruari in hoc concilio in causis fidei mihi commissis, & nihilominus quia nescio si occurrerit occasio quod non possem interesse in conuocatione pręmissa, dico quod mihi occurrit vt sequitur.
C

Propositiones siue conclusiones super quibus fit inquisitio, habent fundamentum primæ conclusionis principale quod est erroneũ, repugnans nedum rationi theologicæ & morali, sed etiã obseruationi primitiuæ ecclesiæ, quę scribitur. Act. 4 vbi sic in forma dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suũ esse dicebat, sed nec quisquam egens erat inter illos &c. Constat itaq; quod in illa congregatione primitiua fuerunt multi vxorati, & alij diuersarum cõditionum seculares, qui scilicet nõ erant astricti per
D
votum ad tria consilia euangelica, castitatis, obedientię & paupertatis, quemadmodum sunt professi religionum per B. Basilium, Benedictum, & Augustinum, ac similes introductarum, quas iste ponens huiusmodi cõclusiones appellat veras religiones, tanquam extra illas non sit vera religio, quod falsum est, immo hæreticum si sic per pręcisionem intelligatur, quoniam Christiana vera est religio, etiam apud seculares, vt Iacobus in canonica sua notãter expressit. Sunt præterea in dictis
E
propositionibus multæ clausulæ appositæ vltra prædictum principalem fundamentalem errorẽ, quod seculares non possunt viuere sine proprio, quæ continet magnam temeritatem, scandalum atq; proteruiam, & quę possent singillatim reprobari, vt quod dicere oppositum illius quod aliquę conclusiones suę continent sit hæreticum, quod sit implicans cõtradictionem, quod sit peccatum mortale, quod omnis faciens contra iura canonica peccat mortaliter, & ita de similibus. Est ergo
F
deliberatio mea quod propter ista & similia quæ tractatus vel libellus à quo sunt extractæ conclusiones seu positiones antectę continet, damnãdus est vt erroneus & temerarius & scandalosus, & vt dogma falsum sacræ scripturę contrarium, & per cõsequens quod tractatus est hæreticalis & igni tradendus.

Cæterùm de compositore tractatus deliberent Domini iuristæ, istis attentis quid agendum.

In testimonium præmissorum propria manu subscripsit vester totus Petrus Cardinalis Cameracensis.

Gerson. Prima pars.

CONCLUSIONES FRATRIS MATTHÆI GRABON ORDINIS PRÆ-*dicatorum, in sacro concilio Constantiensi oblata ad examinandum, contra quas Cancellarius Parisiensis propositiones scripsit suprà.*

Beatissime pater exponitur sanctitati vestræ ex parte vestri deuoti oratoris fratris Matthæi Grabon conuentus Vvysmariensis prouinciæ Saxoniæ ordinis prædicatorum, ac Mersisburgensis diocesis. Quod cum lector ipse existens in conuentu Groningensi diocesis Traiectensis dictæ prouinciæ & ordinis videret quam plures personas sexus vtriusque nouæ religionis habitum assumentes & conuenticula facientes, nullum habitum approbatum profitentes, statuentésq; sibijpsis superiores pro libitu voluntatis, & sub simulata deuotione populum attrahentes, & multa contra veritatem sacrę scripturę ac sacros canones attentantes, & de eleemosynis Christi fidelium domos sumptuosas ad modum monasteriorum regularium ędificantes, & se inuicem in eis includentes cum obseruatione quorundam rituum minimè per ecclesiam approbatorum. Cœpit super hoc apud semetipsum ardenter cogitare, & an hoc statibus regulis fidei & sacris canonibus ecclesia dissimulare deberet. Reuoluensq; diligentius sacrę scripturę sanctorumq; doctorum libros & sacros canones quasdam conclusiones reprobantes illorũ modum viuendi extraxit & scripturę commendauit. Quarum vna principalis est ex qua alię deducuntur exceptis paucis. Nullus potest licitè & meritoriè, immo nec veraciter obedientiæ paupertatis & castitatis vniuersalia consilia coniunctim extra veras religiones manendo adimplere. Ex qua sequitur immediatè formalis consequentia articulus seu conclusio nona in ordine, quod nullus potest prædictum paupertatis consilium meritoriè, immo nec veraciter obseruare, nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis siue verę religionis. Et dico notanter de istis tribus consilijs simpliciter seu vniuersaliter sumptis. Secundum quid verò & in aliquo casu possunt laudabiliter & meritoriè extra religiones obseruari. Quãdo enim aliquis secularis dat eleemosynam in casu aliquo, quando eam de necessitate pręcepti non tenetur, implet illud consilium paupertatis in illo casu tãtũ. Et quando cõtinet se ab vxoris amplexibus tẽpore illo quando illud facere non tenetur, implet consilium continentię in illo casu, & secundum quid tantum. Quando etiam obedit alicui suo prelato curato vel episcopo in casu quando hoc de necessitate præcepti non tenetur, obseruat illud obedientiæ consilium in illo casu, & ista possunt extra religiones viuentes voto vel sine voto Deo offerre. Vnde dicit sanctus Tho. secunda secundę, quod in seculo viuentes aliquid Deo dant, & aliquid sibi reseruant, & secundum hoc pręlatis ecclesię subduntur. Regulares autem oportet totum Deo quod habent tanquam holocaustum offerre, & hoc fit & fieri potest tãtũ per tria cõsilia vniuersalia prędicta. Et ideo dicit ib. quod ad seculares pertinet tãtũ particularia

vota offerre, ad regulares autem vniuersalia vota. Vnde particularia vota dicũtur sacrificia more veterum, de cuius ratione fuit de offertorio Deo oblato partem dare,& partem retinere. Vniuersalia verò vota holocaustum dicuntur, de cuius ratione fuit totum Deo offerre & nihil retinere, quod pertinet ad solos religiosos se & sua in in modum cuiusdam holocausti Deo dedicantes. Ex quibus sequitur vndecima, quod abdicare quemquam omnia propter Christum extra prędictas religiones manendo seu nisi veram aliquam religionem ingrediatur, est sibi & suis quorum cura sibi incumbit vitã subtrahere, quod est homicidium tot hominũ committere quod eius curæ subduntur. Hæc est de mente sancti Thomæ 2.2.q.33.art. &c. Ex quibus sequitur quod nullus potest abdicationem omnium propter Christum facere extra verã religionem manendo sine mortali peccato, quia subtraheret sibi vitam. Ex quibus sequitur quod omnes peccant qui bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur extra religionem veram manendo, quę est tertia conclusio in ordine. Et etiam quod peccent qui sua propria resignant, non intrantes religionem aliquam approbatam, quæ est 18. in ordine coincidens cum tertia immediate pręcedenti. Ex quibus sequitur 10. quod reputantes se benefacere assumẽdo prædictum consilium paupertatis, remanendo in statu seculari mortaliter peccant. Ratio, quia talis nõ est assumptio ipsius nisi phantastica, peruersa & non vera, vt docet Dominus Ioannes 22. in quadam extrauagante. Gloriosam ecclesiam &c. & ratio idem conuincit. Ex quibus sequitur quod seculares credentes se mereri tali abdicatione (in seculo scilicet manendo) vitam æternam, credũt se posse mereri vitam æternam mortaliter peccãdo. Ex quibus sequitur quã aliquis sit voluntariè pauper propter Christum in seculo manens omnino nihil habendo, nec etiam ipsam voluntatem habẽdi propria includit omni tẽpore contradictionẽ &c. quia includit quod secularis sit religiosus & econtra: quod est omni tempore contradictio. Ex quibus sequitur quod nõ offendi omnes opes simul ab his qui volũt in stato seculari remanere, reducitur quasi immediatè ad illud præceptũ decalogi: Nõ occides, vno casu tantum dempto secundum expositionem sancti Th. q. 33. allegantis ad cõfirmationem dicti sui Ambrosium dicẽtem in primo de officijs. Deus non vult simul omnes opes effundi, nisi forte vt Heliseus qui mactauit boues suos & pauit pauperes ex eo quod habuit vt nulla cura teneretur domestica, sed vt se daret in propheticam disciplinam, quod verbũ scilicet nisi forte vt Heliseus exponit sanctus Th. nisi quis velit statum suum scilicet secularem mutare per religionis ingressum, aut principem de extrema necessitate liberare &c. Et Ioannes in summa conf. sub alijs verbis nisi quis velit ex toto seculum relinquere. Et magister summæ summarum titulo de eleemosyna dicit idem,& loquitur ibi Ambrosius de effusione seu abdicatione actu habitorum ex quibus possit homo conuenienter vitam transigere secundum conditionem status & personæ. Ex quibus sequitur quod dicens pertinaciter omnia esse meritoriè abijcienda propter Christum in seculo manenti hæreticus est dicendus, excepto A vno solo casu deliberando principem de necessitate extrema per quem &c. Ex quibus sequitur quod proprietas temporalium rerum est statui seculari essentialiter annexa. Et per consequẽs Dominus Papa salua autoritate sua non potest dispẽsare cum secularibus vt omnibus in singulari careant seu nihil in singulari habeant. Ex quibus sequitur sextus articulus reddens pręcedentis quinti articuli rationem. Si enim Dominus Papa posset hoc alicui concedere singulari videlicet, posset ei concedere proprię vitę subtractionem &c. Posset B etiam quod pro omni tempore contradictionem implicat, quod Deus secũdum sanctos facere non potest. Sequitur etiam quod religiosus sine peccato mortali non potest abdicare voluntatem habẽdi communia, etiam quando actu talia nõ habet. Quia enim illud quod nullus facere potest sine peccato mortali, nullus potest illud velle facere; & religiosus nõ potest abdicare communia, quia sine illis viuere non posset, cum per suam professionem renũciauerit omnibus & singulis proprijs C singularibus. Sequitur ergo quod religiosus &c. Quia etiam testante sancto Tho. 2.2.q.33.art. &c. nullus dum inconuenienter viuere tribus casibus exceptis. Sequitur quod malè faciant & peccant illud abijcientes, de quo secundũ statum suum & conditionem personæ possint cõuenienter viuere, dictis tribus casibus exceptis &c. Nullus etiam corpore validus extra veram vtilitatem & veram necessitatem existens, potest sine peccato Christi fidelium eleemosynas tollere. Ex quibus sequitur D quod prædicta tria saluatoris consilia sint ita concathenata, vt vbi paupertas veraciter seu meritoriè inuenitur, oportet quod necessariò obedientia & castitas veraciter seu meritoriè inueniantur. Probatur ista, quia papa sic arguit in decretali. Cum de quibusdam. Qui non renunciant proprijs, non sunt religiosi, ergo proprijs renunciantes sunt religiosi. Et omnis religiosus est necessariò simul cum paupertate ad alia duo consilia veraciter obligatus &c.

E *ORDO & numerus articulorum & conclusionum prædictorum.* 1.

Proprietas temporalium rerum statui seculari essentialiter est annexa. 2.

Nullus sine peccato potest illud abijcere quo retento potest conuenienter viuere secundum statum suum. 3.

Omnes peccant qui bona sua simpliciter in elemosynam largiuntur propter Christum. 4.

F *Abdicationem omnium propter Christum nullus facere potest extra veras religiones manendo sine peccato mortali, & dico veras religiones per sedem apostolicam approbatas.* 5.

Papa non potest dispensare cum secularibus vt omnibus in singulari careant. 6.

Si papa posset alicui concedere, hoc tunc posset ei concedere propriæ vitæ subtractationem, quod est contra præceptum decalogi: Non occides. 7.

Religiosus non potest sine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet. 8.

Quod

Quòd aliquis sit voluntariè pauper propter Christum in seculo manens omnino nihil habendo in singulari, nec etiam ipsam voluntatem habendi propria includit omni tempore contradictionem. 9

Nullus potest paupertatis consilium meritoriè obseruare nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis siue verè religionis, dico autem veram religionem secundo modo dictam religionem. 10

Reputantes se benefacere assumendo paupertatem quæ est saluatoris consilium, remanendo in statu seculari peccant mortaliter. 11

Abdicare omnia etiam propter Christum, nisi veram & approbatam religionem ingrediatur est sibi & suis quorum cura sibi incumbit vitam subtrahere, quod est homicidium committere tot hominum quot eius curæ subduntur. 12

Credentes se mereri vitam æternam tali abdicatione credunt se posse mereri vitam æternam mortaliter peccando. 13

Effundi omnes opes simul ab his qui volunt in seculo manere, reducitur quasi immediatè ad illud præceptum. Non occides. 14

Dicens omnia meritoriè esse abijcienda propter Christum remanenti in seculo est hæreticus iudicandus. 15

Nullus potest meritoriè & secundum Deum obedientiæ, paupertatis & castitatis concilia extra veras & approbatas religiones manendo adimplere. 16

Tria saluatoris consilia sunt sic concathenata, vt vbi paupertas meritoria, in quantum est saluatoris consilium inuenitur, oportet vt necessariò alia duo scilicet castitas & obedientia inueniantur qui à paupertate separari non possunt. 17

Matronæ seu mulieres communem vitam ducentes insimul commorantes, beguttæ vulgariter nuncupatæ, quoscunque errores non tenentes aut prædicantes, seu aliàs de erroribus vel hæretica prauitate non suspectæ æternæ damnationis sunt filiæ, & earum status est prohibitus & damnatus. 18

Peccant qui propria sua resignant non intrantes religionem approbatam. Ratio est secundum eum, quia religiosorum est carere proprio, sicut secularibus est necessarium retinere proprium. 19

Non licet præsbyteris & clericis communem vitam ducere nisi in religione approbata sub pœna peccati mortalis. 20

Peccant omnes qui fouent consilio & auxilio communem vitam ducentes extra religionem approbatam. 21

Excommunicati sunt omnes communem vitam ducentes extra religionem approbatam. 22

Quod similiter excommunicati sunt illi qui vitam communem extra religionem approbatam ducentibus præbent eleemosynas. Et qui tales fouent consilio & auxilio vel defensione similiter stant & sunt in statu perpetuæ damnationis, & nisi de huiusmodi excessibus eorum magna contritione pœnituerint, ad vitam æternam non possunt peruenire neque salui permanere. 23

Omnes vitam communem ducentes extra religionem approbatam sunt illi à quibus saluator noster præcipit esse abstinendum, & tanquam à falsis prophetis attendendum. 24

Quilibet faciens contra iura canonica, peccat mortaliter. 25

Nullus corpore validus absque communi vtilitate & necessitate potest extra veras religiones sine peccato eleemosynas Christi fidelium tollere &c.

REVOCATIO ET ABIVRATIO PRÆDICTORVM ARTICVLORVM *& conclusionum.*

EGo frater Matthæus Grabon ordinis fratrū prædicatorum professus cōuentus Vuyssmariensis Merserburgen. dioces. prouinciæ Saxoniæ cognoscens veram catholicam & apostolicam sedem anathematizo & abiuro omnem hæresim, omnémq; falsam & erroneam doctrinam, in quodam meo opusculo, tractatulo seu libello incipiente. Suppono me primò quod non intendo infra scripta, neque quomodolibet alia pertinaciter defendere &c. & sic finientem, & aliam specificat Ioannes an. cuius inuentrices seu assumptrices conscientiam peccatum reputabant (vt inuenitur in glo. vtriusq; super dictum ca. Et per hæc patet responsio ad decimum) maximè ad decem & septem conclusiones peruersas siue assertiones, quarum aliæ sunt hæreticæ, aliæ erroneæ, & aliæ scandalosæ, ac piarum aurium offensiuæ, per me editas & manutentas in dicto peruerso opusculo siue tractatulo aut libello contentas, de qua hactenus infamatus, conuictus & sententialiter condemnatus sum. Consentio sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi. Ac corde & ore puris profiteor eandem fidem & doctrinam me tenere & credere quam sancta mater ecclesia tradidit & firmauit. Iurās per sanctam Trinitatē, & per hęc sacrosancta Christi euangelia, eos qui contra hanc fidem orthodoxam veniūt cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos esse. Promitto etiam quod si ego ipse aliquando contra hæc aliquid sentire, docere aut prædicare præsumpsero, canonum seueritati me submitto. Pręsenti abiurationi per me lectæ & perlectę manu propria me subscripsi, hancque meam confessionem & abiurationem coram vestra reuerendissima paternitate domine Cardinalis Aquilegiensis & iudex & commissarie, reuerendisque patribus dominis prælatis, doctoribus & magistris hic pręsentibus ad hoc specialiter vocatis & requisitis feci & approbaui ad futuram rei memoriam in testimonium pręmissorum.

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS CONtra *sectam flagellantium se &c. sub aliquibus considerationibus.*

LEx Christi dicitur lex amoris, quamquam Dominus sicut dicit Augu. voluit paucissimis sacramentis esse contentam. Et inde culpat eos qui seruilibus eam premunt oneribus, conformiter ad illud primi pastoris Petri Act. 15. quid tētatis Deū imponere iugū super ceruicem discipulorū quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiā Domini nostri Iesu Christi

credimus saluari, quemadmodum & illi. Optimũ verbum, certè verbum omni acceptione dignissimum. Lex Christi non minus debet in cultu suo vitare superstitiones gentilium & idolatrarum, præsertim crudeles & horrendas quã antiqua lex, in quã tamẽ prohibito fit per expressum Deut. 14. vbi dicitur: Filij estote Domini Dei vestri, non vos incidetis. glo. Non debetis in aliquo idolatris assimilari. Et in Hebræo habetur, Non vos lacerabitis, hoc autem faciebant idolatriæ, sicut habetur 4. Reg. 18. vbi dicitur, quod incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec persunderentur sanguine. Compertum si quidem est & traditum homicidas illos & apostatas dæmones esse cupidos effusionis sanguinis, præsertim humani. Lex aliqua quanto est iniquior & dæmonijs obsequentior, tanto semper inuenitur crudelior & amarior: Patet in illis qui filios suos & filias immolabant dæmonijs. Hinc Dominus ait per prophetam: Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem, Christus autem ex gratia sua (sicut notatur in dicto Petri prius allegato) voluit nos misericorditer saluare per sanguinem suum semel effusum, per quem factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Lex Christi maximam sortitur virtutem ex misericordia & gratia sua, cuius gratiæ vasa sunt sacramenta nouæ legis ex virtute operis operati, & ideò quicquid auertit à sacramentis suscipiendis, præsertim à sacramento confessionis, debet reijci fideliter. Constat autem per experientiam, quod taliter se flagellantes non curant de sacramento confessionis vel pœnitentiæ sacramentalis, dicentes quod hæc flagellatio potior est ad delendum peccata quam quæcunque confessio, immo eam æquiparant nonnulli vel præponunt martyrio, quoniam facimus inquiunt vltro fundendo sanguinem proprium, quod ab alijs martyres pati cogebantur. Formidandum tamen istic est, ne apud personas clericales & in locis sacris causet hæc pollutio sanguinis vel excommunicationem vel irregularitatem vel contaminationem & prophanationem in eisdem locis sacris. Lex Christi prohibet sollicitè pœnitentias publicas dandas esse clericis, sacerdotibus & prælatis, propter reuerentiam status clericalis, quanto minus debent tales personæ suscipere pœnitentias huiusmodi publicas, sicut sunt (vt fertur) multi de numero se flagellantium, qui licet videantur celare se, tamen cognoscuntur. Similiter diceretur de personis insignibus in vtroque sexu, de seruanda insuper verecundia iuuenum illic se denudantium, & de non infringenda grauitate virorum, vel autoritate minuenda parentum. Lex Christi si videatur flagella indulgere, iuxta illud. Ecce ego in flagella paratus sum. (Psal. 37.) Nihilominus circunstantiæ debent apponi, quibus rationabile fiat obsequium nostrum. Vna quod huiusmodi flagellatio fiat iudicio superioris imponentis talem pœnitentiam, & quod ab altero fiat, & moderatè & sine scandalo & ostentatione ac sine sanguine, iuxta traditionem Guil. Parisiensis quemadmodum fit huiusmodi flagellatio in religionibus approbatis, & ab aliquibus deuotis personis. Sed aliter longè videmus in illis quæ reprobamus flagellis obseruari. Lex Christi declarata per ecclesiam, cuius

A autoritas maior est in sua consuetudine dicente sancto Thom. quod sit autoritas vnius doctoris, sicut Hieronymi vel Augustini, semper sectam flagellantium se reprobauit, postquam insurgere videbatur in diuersis mundi partibus, & hoc de memoria plurium hominum viuentium, tam in Lothoringia quam in Alamania & in Francia pluribus in locis iuxta narrationes hominum & chronicas Franciæ, ac scripturas fidei digna. Lex Christi frequenter prohibuit multas obseruationes Beghardorum & Begardarum, quæ in pri-

B ma sui introductione prætendebant speciem magnæ religionis ac multi fructus spiritualis in animabus, & exempla salutis atque austeritatis. Prohibuit inquam propter sequelas malas & multas, quæ sub hoc prætextu fieri sunt inuentæ. Non enim est malum quod subsistere posset, si non aliquam speciem haberet in se boni, propterea fallit hæc argumentatio. Proueniunt ex hac secta flagellatorum multa bona, non igitur tollenda vel reprobanda. Lex Christi nedum ordinat

C hominem ad Deum, sed etiam ad proximum & ad principem seu prælatum suum, propterea non debet qualiscunque ritus introduci per populos qui possit causare seditionem vel partialitatem vel superstitionem, sed debent omnia regulatè fieri & ordinatè de mandato & ordinatione superioris, vt nullatenus ordo hierarchicus confundatur, quod fieret si quilibet ad arbitrium suum posset instituere vel fouere nouum ritum sine duce, sine lege stabili, sine ordine vbi sunt

D iuuenes & virgines, senes cum iunioribus simul in vnum diues & pauper, & illorum turba magna, de quibus ait Ecclesiastes. Stultorum infinitus est numerus. (Eccl. 1.) Lex Christi sufficienter data est in præceptis decalogi, quorum obseruatio facta cum bona simplicitate, & vt ita dicatur grossa fide, satis est ad salutem, præsertim laicorum & popularium, absque noua grauissimorum onerum impositione iuxta illud Christi. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. (Mat. 19.) Nec valet si dicatur quod populares suscipiunt voluntariè ta-

E les flagellationes sine prece pro alio, dum inuenitur quod ipsi diuina præcepta liberius in multis inde contemnunt. Est enim contumax humana natura, quæ postquam destituta est ab originalis iustitiæ statu, cupidius fertur in illa quæ sunt adinuentionis suæ quam quæ sunt diuinæ iussionis, & hic est vnus superbiæ gradus, quem apud religiosos loquitur Bern. inueniri, dum plus gaudent in abstinentia vel oratione particulari spontaneè sumpta quam in tota regulari disciplina. Lex Christi sufficienter ab

F apostolis & sacris doctoribus explicata, non inuenitur tales nouitates flagellantium se constituisse prædicando vel aliter, sed potius reprobasse tanquam suspectissimas & periculosissimas, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum apud Iudæos, Saracenos & paganos tanquam lex Christi sit austera, crudelis, & in sanguinibus, nõ in miserationibus enutrita. Lex Christi docet ex præmissis & similibus multis prælatos ecclesiæ pastores & doctores immo & principes, quod sectã huiusmodi cruentam & sanguinolentam (gallice *sanglante*) studeant & laborent destruere

struere seu compescere, tam bonis prædicationibus & bonis suasionibus, quam censuris nedum ecclesiasticis, sed etiam temporalibus more prædecessorum, attento quod sub hoc velamine ac prætextu pœnitentiæ fiunt innumera mala, sicut experti testantur. Insurgunt hæreses, vilipenduntur proprij sacerdotes, contemnuntur confessiones & pœnitentiæ sacramentales, extorquentur dolosis modis pecuniæ, ocia quæ pigros occidũt nutriuntur. Silemus de furtis, de stupris & adulteriis, de periculis quę sunt in falsis fratribus, & fraudulentis sollicitationibus ad omne facinus atque flagitium, ita vt bonis & malis hincinde stathera iusta vel æqua lance pensantis, mala multo plura quam bona parturire cognoscatur hęc secta se flagellantium pridem & pluries iam damnata. Propterea dum repullulat, vel excrescit, toto studio funditus euellenda proterendaque censetur.

Verum quoniam oportet in hoc malo iam radicato, & quod latissimè serpit procedere pedetẽtim & cautè dum quæruntur eradicari zizania flagellatorum huiusmodi simul euellatur & triticum prius seminatum boni salubrisque verbi Dei. Notetur igitur cautela quadruplex infra scripta.

Fiat in primis exhortatio vehemens & crebra de super autoritate sacri concilij dum illud est. Similiter de autoritate Papæ & ecclesiæ Romanæ, quatenus quilibet habeat promptitudinem animi, parere vel obedire mandatis vel institutionibus seu consiliis prædictorum, quemadmodum facit egregius & feruidus prædicator magister Vincentius, sicut patet ex literis propria manu subscriptis, nouissimè missis Constãtiam. In quotidianis inquit recommendationibus sacri & vniuersalis concilij Constantiensis quas facio post sermonem docui & doceo omnes fideles, submittere omnia facta & verba ac etiam scripta determinationi ac etiam correctioni eiusdem sacri cõsilij. Subdendo. Et sic facio in omnibus factis & dictis, ac etiã scriptis meis. Hæc ibidem, quæ manifestant discretam humilitatem & humilem discretionem tanti viri, quæ discretio posita est a sanctis patribus ductrix aurigaque virtutum, dum instar deuoti Bernardi plus alieno quam proprio credit iudicio. Porrò non est formidandum retractationis (quæ forsã opponetur) opprobrium. Sit in exemplo beatus Aug. cuius retractatio nec inhonorauit eum, nec authoritatis dictorum suorum robur euertit. Nihil enim (vt quidam ait) efficacius ad docendum, quam verbum verax, simplex & humile, nihil habens fictionis vel superbię præsumptionis admixtam, quoniam Deus est qui cum simplicibus graditur, dans eis gratiam & virtutum vberibus suis, sine qua laborat in vanum linguam loquentis. Fiat ostensio quemadmodum fuerunt quandoq; inchoata pia deuotione quæ processu temporis inueniuntur deteriores exitus accipere, vel propter scandalum pusillorũ, vel propter scientiæ defectum, sicut loquitur de quibusdam Apostolis: Testimonium inquit perhibeo eis, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Fiat itaque sic docendo, sic prædicando, quod non ita reprobatur personæ singulæ, quæ præsentibus temporibus flagellauerunt se, quod videantur nunc damnandæ, vel penitus execrandæ, dummodo deinde obediant monitioni salutari inculcando, quemadmodum melior est obedientia quam victimæ. Et quod iussione diuina in omni sacrificio tuo sal offeres. Fiat exhortatio diligens & vehemens super laudibus patientiæ, quæ perfectum opus habet, præferendo eam talibus vltro acceptis flagellationibus, iuxta quod loquitur August. conformiter ad Senecam, quod aduersitates seculi huius non tam infligendæ sunt quam dum euenerint patienter tolerandæ, faciendo per patientiam de necessitate virtutem. Non sum tam demens (inquit Seneca) vt ægrotare velim, sed si egrotandum est, patienter tolerabo. Debebunt proinde numerari diligenter atque singillatim tribulationes variæ, nunc temporales, nunc spirituales, quæ assiduè nobis dant & ingerunt velimus nolimus patientiæ materiam, cuiusmodi sunt infirmitates, paupertates, vexationes, angariæ, mortes parentum atque filiorum bella, rapinæ, incendia, detractiones, contumeliæ, labores manuum in agricolis & mechanicis, tentationes rursum variorum peccatorum, quando intus pugnæ & foris timores. Et quis cunctas huiusmodi tribulationes dinumeret? qui tot & tales sunt quod non oporteat nonas superinducere, quoniam satis esset tolerantia fortis tribulationum huiusmodi quotidianarum pro purgatione magna peccatorũ præsertim adiũcta cõtritione & humili cõfessione in re vel proposito, tempore & loco. Iuxta quod rogabat quidam. Fiat pars purgationis meæ purgatorium meum, labor quo hic per singulos dies exerceor. Et profectò sic est, plus aliquando valet pia flagellorum Dei sub eius manu tolerantia sine murmure, sine reprehensione diuinorum iudiciorum, sine rancore vel odio contra superiores suos, vel alios affligentes se iustè vel iniustè, quam si manens iracundus & impatiens nedum flagellaret seipsum ad sanguinem, sed laceraret & decerperet membratim ad mortem.

Immo sicut non licet hominem seipsum propria autoritate mutilare vel castrare nisi pro sanitate totius corporis consequenda, sic nec licet (vt videtur) quod à seipso quis sanguine violenter eiiciat, nisi causam medicinæ corporalis. Alioquin simili ratione posset se homo cauterizare per ferrum ignitum quod adhuc nemo posuit vel concessit, nisi forte idolatræ, vel falsi Christiani, quales reperiuntur in India, qui se putant baptizari debere per ignem.

Fiat in speciali velut in quadam radice prouisio solers & exacta circa societatem illam multum numerosam, à qua videtur inchoata vel saltem multum continuata & obfirmata flagellatio talis. Vnde cum dicant se sub obedientia esse, primitus impetrandum est, quod desistant & desistere suadeant alios sub moderatione quę dicta est, videlicet nisi vel quousque sacrum concilium, vel ecclesia Romana mãdauerit vel tolerauerit hæc fieri, allegando regulam moralem, quod vbi dubitatio surgit de aliquo actu, an possit licitè fieri vel omitti, tutius est omittere quam facere. Præsertim vbi factio generare cernitur scandalum aliorum. Vnde est illud Apostoli. Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in 1. Cor. 8.

æternum. Videretur proinde numerus talis coarctandus & sollicitè purgandus, ne sub eorum multitudine etiam bonorum, mali & reprobi delitescant. Denique populus quando erigitur ad nouitates, illæ sunt illis ingerendæ, in quibus est tuta salubrisque deuotio, sicut de misericordia sanctorum & recursu ad eos, vel ad angelum proprium custodem, ad sanctum cuius nomen personagerit, ad illam matrem Dei & virginalem sponsum suum Ioseph, numerando prærogatiuas eorum.

Proinde si prædicandum fuerit de finali iudicio vel antichristo, fiat hoc in generali concludendo quod in morte quilibet habet suum iudicium proximum & incertum. Quod si quis inducere voluerit miracula noua super antichristi aduentu proximo, notet quod mundus senescens patitur phantasias falsorum miraculorum. Sicut homo senex phantasiatur in somno, propterea sunt nunc habenda miracula valde suspecta, nisi facta prius examinatione diligenti. Obseruandum præterea summopere videtur apud tales de societate, quod nullo modo viuant damnosæ si laborare possint, vt sint admonitionem & exemplar laborantium vt prçter ea nihil agant contentiosè & velut ex vituperio & contemptu prælatorum maiorum & minorum, vel aliquorum generaliter clericorum, neque in prædicationibus faciendis, neque in confessionibus audiendis. Propterea debent in omni loco quo primo veniunt, primitus habere collocutionem & beneplacitum cum ecclesiasticis vel eorum capitibus, ne schisma forsan fiat laicorum ad clericos, vel è contra.

Tandem si forte senserit doctor insignis magister Vincentius non posse conuenienter super præmissis salubriter & efficaciter prouidere, videtur consultius vt ad tempus segregaret præsentiam suam, effugiens tantam societatem, quod si posset visitando sacrum concilium, vel altera occasione sibi sumpta. Hæc interim notata sunt velut in quodam transcursu: magis ad rememorandum quam docendum. 18. Iulij. Anno Domini 1417. Constantiensi tempore concilij.

EPISTOLA MISSA MAGISTRO VINCENTIO ORDINIS PRÆDICATORUM *Dei semiuerbio feruentissimo, coram se flagellantes per magistrum Ioannem de Gerson.*



NOMINATISSIMO doctori & prædicatori zelanti salutem animarum, magistro Vincentio de ordine fratrum prædicatorum, patri meo in Christi charitate dilectissimo Ioanni de Gerson. Tanta de virtutibus tuis doctor egregie fama referente crebrius accepi tanta specialiter in collocutione familiari cum reuerendo patre Domino generali tui ordinis prædicatorum agnoui, vt mihi videaris rectè figuratus secundum nomen tuum per illud Apocalip. quo speculator totius ecclesiastici decursus Ioannes ait. Vidi & ecce equus, & qui *Apoc. 6.* sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens vt vinceret. Existi quidem vt vinceres ô Vincenti gloriose, sed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipse coronatus triumphares? Respondet ille cuius es imitator Paulus, dicens: Arma militiæ nostræ non esse carnalia, cum reliquis similibus, qualia melius ipse nosti.

Suppetunt hoc loco plurima cordi meo, quę libétius & forsan vtilius verbo, ore ad os quã calamo mutu reserarem tuæ sapientiæ, nisi quod aliorsum me trahunt occupationes aliæ. Et quia te grauibus assiduè laboribus intentum protrahere longa scriptorum serie non visum est satis ęquum vel modestum, hoc vnum quod in votis nedum magis, sed quam plurimorum versatur aperiam.

Reddunt tuæ charitati tuóque zelo pacis ecclesiasticæ testimonium hoc insigne hoc celeberrimum præconium, tum multi, tum nominati, præfatus magister ac Dominus generalis, quod inclito Arragonum regno nunquam fuissent concordata pacis capitula, nunquam subtractio, qui tam viriliter & legitimè facta est ab illo nimis proh dolor erga matrem ecclesia, obdurato Petro de luna fuisset attenta, si non autoritatis tuæ pondus & consilij robur addidisses, cuius fauoris tam egregij nosipsi sacro generali concilio præsentes desideratissimę pacis annis iam ferè 40. miserabiliter exulantis, fructum & reditum proximum expectamus.

Et ô te fœlicem ô te ter quaterque beatum, si præsentialiter adesses, si non auditu solo, sed propriis oculis coram cernere volueris propinquam vel vt in ianuis summi pontificis electionem, si videlicet efficaci celeritate si positis interim turbis, iocundam tuæ præsentiæ faciem huic eidem sacro concilio conspiciendam, attuleris fructum (nisi fallor) ampliorem, & te tuisque moribus digniorem afferres, quam si hoc neglecto permãseris in inceptis. Memineris B. Pauli ad Galat. scribentis. Deinde ait post annos 14. ascendi Hierosolymam cum Barnaba & Tyto, & contuli cum illis euangelium quod prædico in gentibus. Seorsum autem his qui videbãtur aliquid esse, ne forte in vanum currerem aut cucurrissem. Hoc satis pro tua re tibi dictum puto. Est siquidem apud nos altera velut Hierosolyma, sunt apostolorum successores reuerendissimi, & Deo amabiles prælati. Sunt legis doctores, cum quibus tuam ipsam prędicationem conferre tam salubriter quam humiliter poteris, vt interim sileam de alio profectu multiplici sperato si veneris. Crede mihi doctor emerite, multi multa loquuntur super prædicationibus tuis, & maxime super illa secta se verberantium, qualem constat præteritis temporibus fuisse pluries, & in varijs locis reprobatam, quam nec approbas vt testantur noti tui, sed nec efficaciter reprobas. Iactantur inde varij rumores per populos, & apud nos quorum multa, & si neque vera neque credenda censeantur, ab illis qui te (sicut Persius loquitur) intus & in cute norunt, nihilominus exemplo Pauli, qui per reuelationẽ certissimus erat prædicationem suam esse secundum

dum Deum, voluit propter condescensionem ad infirmos, propter autorizationem insuper pleniorem per apostolos descendere in Hierusalem & collationem habere cum apostolis. Sic agere placeat nominatissime magister ac Domine, ac interim bene vale, beneuolus susceptor huius litterulæ quam in procinctu scripsi, die qua solemnitatem ipsius quem prænominaui Barnabæ beatissimi Pauli consortis præueniendo recensebam 19. Iunij in vigilia sacrosancti Sacramenti. Porrò quia nescio si forte non exaudiat hanc exhortationem zeli mei tua prudens discretio, nolens huc accedere de præsenti. Iudicaui tecum agere sicut mihi in veritate conscius sum, quod in simili vellem erga paruitatem meam similiter & synceriter agi. Mittimus reuerendus pater prænominatus & ego querelas aliquorum, qui in manus nostras nedum verbis, sed scriptis deuenerunt, & id agimus non ad damnationem tuam, non ad inculpationem, non ad irritationem, nouit Deus, sed cautelam super his omnibus ampliorem. Scio milies expertus quam varia sæpe, quam falsa de prædicantibus referuntur, partim ex arroganti quorundam malitia, contemptu vel inuidia. Scio deniq; qui ait. Da sapienti occasionem & festinabit accipere. Interim bene vale in Domino, qui tuam in bono viã dirigat, custodiat & confirmet. Amen. Finit.

Prouer. 9.

REVERENDÆ magister & pater charissime, familiaria colloquia quæ tecum in Ianua & Padua, & quandoque alibi me habuisse recolo, sermonésque tui salutares quos audiui, de te omne bonum, præcipuè qui humilitatem qui virtutum omnium fundamentum præsumere agunt. Ideo cum dilecto fratre & socio meo cancellario Parisiẽsi ad præmissa te charitatiuè exhortari persuasus sum. Tuus per omnia Petrus cardinalis Cameracensis post scripturam & datam literarum istarum fuerũt die veneris vltimo præterita, vniti sacro concilio domini Castellani, qui similiter ad alios fecerunt & publicauerunt subtractionem à Petro de luna. Digneris ad pacem regni, immo & regnorum laborare, & bene vale. Scriptum 21. Iunij. Constantiæ. Vale in domino, qui tuam in bono viam dirigat, custodiat & confirmet Amen. Tuus ad te deuotus Ioannes cancellarius Parisiensis.

Finit epistola magistri Ioãnis de Gerson ad sanctum Vincentium ordinis prædicatorum missa, in qua hortatur vt concilium Constantiense sua personali præsentia accedere dignetur, sectamque se flagellantium, vt ad tempus deserat, modestissimè persuadet.

TRACTATVS CONTRA PROPRIETARIOS REGVLÆ AVGVST. QVI *ascribitur cancellario Parisiensi quamuis suum non esse verisimilius sit, quia neque in stilo neque in doctrina scriptis suis prorsus concordat.*

HELVS domus tuæ August. pater amicorum, salus obsequium, debitum syncerãq; dilectio aduersus proprietarios regulæ tuæ professores & proprietatis defensores, amicitia iunctos suadet fraternus amor tricuspide ferrum iacere, nõ vt lædat, sed suadeat tutiorẽ vitam veritatis. Impugnabitur ergo prophetas primo loco per ipsam regulam Aug. solito voto promissam. Secundò per autoritatem scripturæ sacræ & canonum. Tertiò dissoluendo pro viribus illorũ rationes, quatenus vepribus proprietatis radicitus, vos amici quorum occasione hęc tracto, iuxta vocationem vestram & regulam, sic in vnum estis cõgregati, vnanimes habitetis in domo Dei, & sit vobis cor vnum & anima vna, & omnia cõmunia, nec sint schismata inter vos, qui propter meum & tuum oriuntur. Charitas enim (dicit regula vestra) non quęrit quę sua sunt, sed cõmunia propriis anteponit, non propria communibus. Et quãto amplius rem communem quam propriam curaueritis, tanto vos amplius proficere noscatis, vt in omnibus quibus vtitur trãsitoria necessitas, superemineat & permaneat charitas. Quoniam innocentes (dicit pater Augu.) non estis, si tacẽdo fratrem perire sinitis, fraternum enim vulnus crudeliter dissimulatur, nec sine animæ periculo misericorditer indicatur. Proprium siquidem habere prohibet Augu. alumnis suis in regulæ exordio, quò magis charitatem & pacem ostenderet finem esse religionis inter fratres, cum dicit: In vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in dõmo & sit vobis cor vnum & anima vna in Domino.

Sequitur: Et non dicatis aliquid proprium, grauius autem peccatum est facere quam dicere, cum exterius opus malitiam superaddat interiori, vt furari, occidere & mœchari, grauius quam dicere aut proponere in mente, ergo si prohibet expresse verbum proprietatis, à fortiori & factum. Nam dictum nequitiam non habet aut bonitatem, nisi sit signum rei cuius est dictum, ergo si prohibet dicere quicquam proprium, magis prohibet habere illud.

Secundò mox sequitur in textu regulæ quã vouistis. Et sint vobis omnia cõmunia. Omne autẽ secundũ logicos est vniuersale signũ quod distribuit pro vniuersis rebus generaliter qui sub possessione cadunt, cuiuscunque naturæ sint siue sint iocalia siue pecunia vel aliud. Ergo falsificatur vniuersalis ista regula in voti vestri periculum per quodcunque particulare proprium, quia propriũ & commune opponuntur.

Tertiò consequenter in textu regulæ subiungitur. Et distribuatur vnicuique vestrum à proposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed sicut cuique opus fuerit. Non dicit, viginti libras aut scuta, sed tegumentum paratum, quod longè paucioris est occupamenti quam precium eius. Nec conformius vitæ apostolorum, à qua regularis vita originem cœpit. Nam sequitur in regulæ textu. Sic enim legitur in Actibus Apostolorum, quod erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique prout cuique opus erat. Non autem distribuebatur apostolis & eorum sequacibus pecunia, sed victus & vestitus, ergo propositum confirmatur. Nam pecuniale vestiarium, æqualitatem quam intẽdit Aug. corrumpit. Patet si contingat senem fratrem & debilem, cui opus est amplius vestimenti quam sano, prodigum fore sui vestiarij, & liberaliter supra modum in comes-

Act. 4.

sationibus exponere quod in tegumento conuertendum est, talis senex infirmus malè vestietur & iuuenis fortis non prodigus melius ipso induetur contra intentionem Augustini.

Quarto arguitur per topicam regulam. Si quod minus videtur inest & illud quod magis. Propriũ ergo habere tolerabilius esset in nouitiis ordinis quam senioribus propter imperfectionem eorũ, sed illis prohibet regula quicquam retinere de seculo dicto. Qui aliquid habent in seculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter illud velint esse commune, qui non habent non quærent in monasterio, ergo si quod de sæculo affertur in monasterio, esse commune oportet, à fortiori illud quod de monasterio est, similiter & redditibus communibus. Demum si in commune reponere habent & proprium vitare nouiter ingressi, à fortiori etiam seniores illis, quorum dicitur esse status & vita perfectior. Et in signum huius eis reuerentia exhibetur à minoribus ordinis. Retinere ergo non licet proprium his qui habuerunt in seculo, neque non habentibus in seculo, in monasterio quærere permittit Aug. ergo omnibus iubet proprium nõ habere, quia omnes qui ingressi sunt, aut habuerunt aut non. Si primũ relinquendum est, si secundum, non est quærendum, ergo nullo modo retinẽdum, quatenus hac arte & modestia diuites humilientur, & pauperes non inflentur.

Quintò edocet Aug. quantum sibi cordi fuerit commune charitatis inter fratres, & abominabile propriũ dissentionis & brigæ fomes, quia de hoc primo loco tractare incipit in regula, vsq; ad locũ de oratione. Non nescius quomodo proprietas schismata facit, vnanimitati aduersatur & paci, quibus opus est orantibus, teste Hug. in expositione regulæ. Non prodest inquit, vna domus si separat diuersa voluntas, quoniam longè maior vnitas animi quam loci, habitus & conuictus cordis quam corporis. Charitas autẽ est quæ habitare facit vnanimes in domo, & pacem veram tribuit. Orationem quoq; exaudibilem facit, nec qui sua sunt quærit, sed quæ IesuChristi. Hinc etiã fratres monet ibidem, ne sapiẽtes sint in oculis suis, opinionis propriæ defensores, aut concordiæ turbatores. Si ergo concordiæ aduersatur propria voluntas, ergo etiam propria cista aut bursa non cõuenit communi charitati, quia illa cõmunia propriis anteponit.

Sextò vbi de oratione, ieiunio & lectura prandij mentionem facit Aug. in regula, consequẽter de cibo infirmorum specialiori loquens quam sanorum inquit. Et si eis qui ex moribus delicatioribus venerunt ad monasterium, aliquid vestimẽtorum aut alimentorum datur quod non fortioribus &c. Frustra nempe dari diceret, nisi hos nihil habere vnde hæc comparantur intenderet.

Septimò idem facit sed implicitè, cum prohibet non figi oculos in visa muliere. Nec dicatis inquit vos animos habere pudicos, si oculos habetis impudicos, ergo cum pari voto promittitur paupertas sicut castitas, abiiciẽda est à manu omnis proprietaria possessio, sicut ab oculo omnis fœminæ dilectio carnalis, quia oculus & manus in istis se habent conformiter, & vtrumque est reuerti ad vomitum. Hinc in visibilibus carnis, illic in opibus sæculi coram iusto iudice. Et sequitur in regula. A Hoc inquit quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris prohibendis obseruetur cum dilectione hominum & odio vitiorum. Cõuictus autem si recusauerit ferre vindictam priuetur à consortio fratrum. Confirmatur, quia plus est rem illicitam tangere quam videre tantum, & adhuc amplius possidere, & ad nutum habere volũtatis quam tangere aut velle, ergo si in voto castitatis prohibetur oculus figi in fœminam, quare non in voto paupertatis prohibetur etiã propria possessio? Non enim minus scandalizat apostasia B seu tergiuersatio secundi quam primi in conspectu hominum.

Octauò non aliter sapit venerabilis Hugo in expositione. Et non dicatis, aliquid proprium. Non dicimus inquit, quicquam meum aut tuum, sed nostrũ, vt dicatur cappa nostra, vestis nostra, graphium nostrum, sic domus, ecclesia & claustrum, omnia in communi habẽda sunt. Carnales sunt fratres qui communia diuidunt, spirituales qui diuisum in communi reponunt, ergo si voluC mus hæreditate possidere Dominum, nihil habeamus ait præter ipsum. Quoniam si aurum, argentum vel quid aliud cum Christo, quæritur (dicit Hiero) cum istis & similibus propriis pars fieri dedignatur Deus. Apostoli imitemur sententiam ad Timoth. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur &c. Quippe tribus Leui non habuit partem in terra.

Nonò in expositione regulæ. Et distribuatur vnicuique prout opus fuerit. Dominus ordinauit D ecclesiam vt plerique spiritualibus, cæteri autem temporalibus vacarent. Præpositorum officia sũt, subditis corporalia ministrare. Subditorum verò spiritualibus, insistere, orationibus videlicet contemplationi & lectioni, ergo confunditur religio, cum quisq; prouisor efficitur necessitatis & communis magister vestiarij tollitur.

Decimò quia vestiarum æqualiter distributum contrariatur regulæ dicenti, quod non æqualiter est omnibus tribuendum, quia non æqualiter valent omnes. Pluribus enim indiget æger quam saE nus, & senex quam iuuenis. Ita enim seruanda est naturæ necessitas vt non intereat corpus, sed seruiat, & non superbiat.

Vndecimò per eundem venerabilem Hugonẽ in expositione huius passus. Et qui aliquid habeat in sæculo, libenter illud velint esse cõmune. Duo enim sunt quæ relinqui oportet propter Deum, facultas scilicet possidendi, & voluntas habendi, iuxta Domini sententiam Lucæ 13. Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Non enim sufficit exteriorẽ F relinquere substantiam nisi interiorem rescindamus concupiscentiam, alias esset renunciatio vocalis tantum & hypocrisis, dissimulatio facta coram hominibus, non coram Deo, qui nouit abscondita cordis.

Duodecimo Hugo exponendo hunc passum, vnanimiter viuite, sic inquit: Paupertas & humilitas generant charitatem inter fratres. Charitas verò nutrit & fouet vnanimitatem concordem & pacem, ergo per locum ab oppositis possessio & superbia discordiã & iurgium, & cum vnus est altero ditior, consequẽter superbior & infestior. Despe-

Despectores enim sunt & iniuriatores diuites, vt dicit Aristot.4.ethicorum, & se dignificãtes super alios, quo deperit confestim fraternitatis vnitas, & per consequens charitas,deuotio,& religio.

Tredecimo,inter occasiones alias proprietatem inducentes, potissimum arbitror fuisse humanum timorem deficiendi in necessarijs tempore ægritudinis & senectutis, quoniã tunc opus est multo pluribus quam cum valemus. Nunquid autem tanta forsitan prouisio foret in regula, circa infirmos & debiles, nisi hanc sollicitudinem à cordibus fratrum intenderet Aug. euellere? vnde sanos ne molestè ferant lautius ægros pasci, ostendit feliciores esse dicens: Melius minus egere quã plus habere.

Decimo-quartò,proprium religiosorum regularium impugnatur per illud Aug.in regula: Quicunque in tantum malum progressus fuerit, vt occulte ab aliquo litteras aut munus accipiat, si hoc vltro offert,parcatur illi & oretur pro eo: si autem deprehenditur aut conuincitur, grauius emendetur, vbi Hugo aliquid occultare inquit, est ordinẽ infringere, & sanctum propositum paupertatis. Qui abscondit inquam mortaliter peccat velut alter Giezi factus sacrilegus. Nobis ait conuenit bene viuere,& bonum exemplum dare,& malam tollere suspicionem. Non est malum, quia munus cum vt sic ex amore procedit, neque quia cultellus aut huiusmodi, ergo quia proprium consequentia probatur, quia ei qui non fecisset votum paupertatis (vt puta seculari) non esset peccatum accipere & seruare, sicut regulari. Nisi ergo perniciosum esset proprium saluti, non vocaret illud Augustinus grande malum grauiterque puniendum, etiam si ex dono vel munere procedat de proprijs bonis seculi, quanto magis ergo si ex impia voluntate seruetur de bonis communibus.

Decimo-quintò,impugnatur proprietas per regulam beati Aug.vbi dicit. Vestes vestras sub vno custode habeatis, vel pluribus, ne à tinea lædãtur. Custodiri iubet vestes dicit Hugo ibidẽ propter duo.Primò ne per incuriam à tinea lædantur: Secundò ne frater quispiam illam quam habet vestẽ propriam credat, si in proprio loco seruaretur, puta in camera vel in cista eius. Ad exterminandam enim omnem proprietatem consequenter dicit Aug. in regula. Non ad vos pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum illud quod deposuerat an aliud recipiat, dum tamen vnicuique prout opus est non negetur. Neque conqueratur deterius se accepisse quam posuerat,sed magis probare, inquit, quantum vobis desit in sancto interiori habitu cordis,qui pro habitu corporis litigatis.

Decimo-sextò, confirmatur exterminatio proprietatis, expositione Hugonis in regulæ passu, Discamus inquit fratres superflua resecare, vt dũ quod opus est non negatur, vltra quam opus sit à nemine requiratur. Superflua quidem est secunda tunica, perfectioni religionis euangelicæ contraria, Matt.10.& Luc.9.Neq; duas tunicas habeatis. Et intellige per tunicam vnam quantum sufficit de vestitu pro tegumento necessario vnius. Superfluum est etiam huiusmodi anhelare, ad quod nõ possunt p euenire cum salute. Nam voto paupertatis sibi velle abstulit & posse. Ad semel verò abiuratum velle anhelare nõ minus ridiculosum

A est, quam si quis de monacho studeret non esse monachus,aut de sterili prolificus.

Decimo-septimò, hoc idem vitium proprietatis condemnat Augustinus in regula dicens: Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Vnum & multa opponũtur.4. Metaph. Cum ergo iubeat vnum & commune vestiarium, sequitur per locum ab oppositis quod prohibet propriũ & singulare multũ. Videte ergo si votum seruatis regulæ, cum totiens infringitis & tam ex-

B pressè,non semel, sed quotidie. Iudicate si ex vno vestiario induimini eo modo quo pascimini ex vno cellario, & si quæ seruatis in vestris cameris vel cistis sub communi sint custodia, sicut vinum in penu aut bladum in horreo. Quod si dixeritis, profectò diem negatis & experientiam oppositam, & cõtradictoria simul vena concedi-tis. Contra quos nil amplius disputandum dicit Arist. nisi tales aut in ignẽ proijcere aut excæcare: quia idem est proijcere & non proijcere illis, ex-

C cæcare & non excæcare. Negare ergo non potestis quin promissam paupertatis fidem violetis,& ad vomitum reuertimini possessionis derelictæ.

Decimo-octauò, August.necdum contentus est commune esse vestiarium aut dona seu munera parentum & amicorum, sed etiam vult esse communia opera singulorum,quod est maius;dicens, nullus aliquid sibi operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori alacritate & studio quã si vobisipsis faceretis. Charitas enim postponit propria communibus, immo propria nescit. Et

D quãto amplius rem communem quàm propriam curaueritis, tanto amplius vos noueritis in religione proficere, quoniam communia curare charitatis est meritoriæ,sua autem propria, naturæ reciprocæ.

Decimo-nonò probatur hoc idẽ per illud quod sequitur in regula. Congruum est enim vt qui filijs suis in monasterio constitutis, aliquam contulerint vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum,illud non accipiatur occultè, sed sit in potestate præpositi, vt in rem communem

E redactum cui necessariũ fuerit præbeatur. Maior autem ratio communitatis videtur esse de bonis ecclesiæ communibus, quàm de ipsorũ parentum donarijs, quæ ex proprio processerunt eorum. Ergo si proprium prohibet in secundis, sequitur etiam quod in primis.

Vicesimo ostenditur hoc ipsum per Hugonem exponentem hunc passum.In communi omnium vita inquit, cuiusmodi est religionis conuersatio nihil licet recipi, nihil occultè retineri. Aliàs iam

F non esset cor vnum, & anima vna, si non essent omnia communia, vbi autem omnia communia, nulla sunt propria. Dic mihi quæso, nonne regulam August. vouisti, nonne vitam regularem secundum eam tenere promisisti, nonne omnia prædicta dicit esse communia?Ergo necessariò aut illam promissam non tenes votifragus, aut nihil penes te proprium habes, alias regularis non es, sed magis irrgularis. Cum enim nihil retinetur, dicit Hugo, proprium, auaritia restringitur, inuidia religatur, & omne fomẽtum discordiæ superfluum resecatur, charitas vnanimis connutritur, & paupertas deuota custoditur. Et dum non licet

terrena retinere, cogitur amplius cœlestia cogitare, tractare, diligere, tanto minus enim superna diligit quis, quanto magis in infimis delectatur.

Vicesimo-primò, proprietas repellitur Hugonis auctoritate. Sunt, inquit, qui grauiter turbătur inter fratres cum non licet donaria retinere parẽtum amãtes seruare munuscula suorum, & in proprio delectantur. Adeò enim sæpe inardescunt vilibus & paruis istis oblectamentis, vt eorum occasionibus soleant turbare concordiam fratrum, quod persuasione diabolica fieri dubium non est, qui in eo tentat in quo magis se prævalere recognoscit. Propterea diligenter omnia terrena calcãda sunt, quæ charitatem fraternam turbare possunt, vt sit laqueus cõtritus & nos liberati sumus.

Vicesimo-secundò, superaddit Hugo supradictus, quod frater qui munus acceptum celauerit, furti iudicio cõdemnetur. Parum dixi, immo certè sacrilegio, quod peius est, quasi Iudæ similis factus proditori. Prodit enim conuentum totum, cum rem eius communem ecclesiæ de sinu charitatis subtrahit in proprium vsum. Verius dixerim, prodit seipsum, cum retrospicit ad abiectum seculum, & regulam violat & votum. Ergo si furtum committis secundum Hugonem seruando seculare donarium, nunquid erit sacrilegus qui de communi sacro proprium suum facit? In communi dederunt fundatores, & nisi in communi retinere potes cum salute.

Vicesimo-tertiò, lauacrum corporis infirmi & lotionem vestium curiosum prohibet Augustin. in regula fieri secundum proprium arbitrium fratrum, sed magis propositi; vt etiam si nolit frater, faciat iubente proposito quod illi expedit pro salute corporis. Et si velit negante illo non faciat vt non obediat suæ cupiditati. Cum ergo beatus pater Augu. cum regula, vota, promissa, maximus & primus sit præpositus post Deum, regularibus filijs suis canonicis præcipiens in tot locis & passibus omnia habere communia, & in proprio nihil, sequitur quod illi parendum est, & non propriæ lasciuiæ: quoniam Hugone teste, non ornat nitor corporis aut vestium sed morum, & spiritualis magis quærenda est munditia quam corporalis. Si ergo propria libido prohibetur in lotione vestis aut corporis, ratione obedientiæ promissæ, quæ propriam abiecit voluntatem, quare etiam non prohiberetur proprietas pecuniæ & iocalium, repugnans voto paupertatis, charitatísque fraternæ, multo minus rationabile videtur in forensibus & alienis proprium licere, cuiusmodi sunt fortunæ bona, in cista aut in camera seruata quam in propria corporis sanitate, longè magis necessaria, sed in ista secunda propria voluntas prohibetur & aufertur, vt dictum est, ergo similiter & in prima.

Vicesimo-quartò, arguitur per illud in regula Aug. de ægrotantium cura laborantium & debilium vel senum, quæ alicui est fratrum iniungenda, vt petat de cellario quod cuique opus esse perspexerit. Quandoquidem ergo necessitate petendæ sunt de communi cellario, ergo si non sit opus proprio pro necessitate infirmitatis, multominus tempore sanitatis.

Vicesimo-quintò, arguitur per eundẽ Aug. ibidẽ. Siue inquit qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus scribendis præponuntur, sine murmure seruiãt fratribus suis. Proprium ergo vestiarium tolerare aut perpeti est regulam interimere promissam, quæ communem statuit magistrum vestiarij per expressum. Communis autem tollitur, cum quisque pro se curam gerit, & per consequens regula corrumpitur & frangitur videntibus, scientibus & volentibus vobis singulis in graue discrimen salutis animarum vestrarum. Regula ponit vnum cõmunem, vos autem proprios omnes: dicite ergo si regulam promissam seruatis.

Vicesimo-sextò, confirmatur hoc ipsum per illud quod mox sequitur in regula. Vestimenta (inquit August.) & calceamenta quando fuerint indigentibus necessaria dare non differant, sub quorum sunt custodia quæ poscuntur. Vbi Hugo. Ministrare debet frater deputatus cõmuni vestiario sine murmure. Caueant ergo fratres, ne nimis petant importunè aut superfluè, nam quicquid superfluum est, mortiferum est illis. Nam vnde pauperes erimus si penuriam non habemus? Attendant quod oblationes fidelium sunt quæ vestiunt & comedunt vt formident populi peccata portare. Vsque ergo ad prouisionem calciamentorum Aug. non descenderet, si quicquam fratribus proprium concessisset.

Vicesimo-septimò, confirmatur per illud Augu. in regula, Lites autẽ nullas habeatis inter vos &c. Maximum autem fomẽtum litium, est proprium, quæ feruntur inter voluntates teste Seneca. Felicem inquit dixerim humanam vitam, si hæc duo pronomina possessiua *meum & tuum*, tollerentur de medio. Et in epistola 14. *Si vis viuere in pace, aut pauper sis, aut pauperi similis.* Rixa autem est inter competitores. Et Ethi. 5. Brigæ & dissensiones sunt institutæ. Et Boëtius in tertio. Vnde forenses quærimoniæ nisi quod vi vel fraude à nolentibus pecuniæ repetuntur cupitæ? Tolle proprium de claustro, & lampades extinxisti inuidiæ, luxuriæ, rixæ, auaritiæ, cæterorumque defectuum.

Vicesimo-octauò, arguitur per illud de regula prope finem. Vt autem cuncta ista seruentur dicit Aug. & si quid minus seruatum fuerit non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendúque, curetur ab eo qui præest vobis. Ipse enim quanto loco superiore, tanto in periculo maiori versatur, nisi corrigat vsus manifestos & defectus patentes, quibus regula corrumpitur & laceratur in periculum salutis animarum: quoniam illius est reddere rationem pro ouibus. Vouit abbas vitam secundum regulam Augustini, & similiter fratres. Illa totiens clamat omnia esse communia, vnum cor, & animam, nihil habere proprium, commune vestiarium, tamen contrarium agitur quotidie. Et quod deterius est, vsque adeò infecit hoc virus cunctos, vt neminem conscientia remordeat: nemo ex abusuum vetustate doleat, aut pœniteat, quod indicium est obstinationis & irremissionis periculum: quoniam qui conscientiam remordentem non habet minimè pœnitet, si non pœnitet, non dolet, si non dolet, non conteritur, quod non conteritur, non confitetur vsque in finem vitæ. Discrimen hoc commune est, sed tamen primo capitis, & consequenter membrorum capitis, quia

quia regulam promissam nec seruat, nec seruare cogit, iuxta vacationis officium, cuius est secundũ Aug. corripere inquietos, consolari pusillanimes, infirmos suscipere, & patientem ad omnes fore. Membrorum autem, quia non tenuerunt promissam regulam, pudet dicere, sed veritas vrget ne in fermentum pharisæorum descendatur, verendum est hodie de quo Matt. 23. scribitur. Væ vobis &c. qui decimatis mentam, anetum, cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis iudicium, misericordiam & fidem. Si breuis producitur & longa corripiatur, si in notula cantus, si in lectura vocabulo titubatur, si rumpitur leuiter silentiũ, si ceremoniç reuerentiales non seruantur, si vestes indecenter cõptç, si cæterisque minimis defectus modicus cõmittatur, corrigitur diligẽter. Quæ autem maiora sunt in corpore regulæ promissè expressa tam frequenter, votáque tria cõcernentia, cuiusmodi sunt superbia, rancor, commessationes, luxuriæ, proprietas, auaritia, pręciosæ vestes, vasa argentea in camera, ceterçque curiositates, proh dolor negliguntur! Tales increpans Christus prælatos vbi supra, cæcos cæcorumque duces appellat, deglutientes camelum & culicem excolentes.

A

B

C

Vicesimononò, concluditur per regulç calcem in quo dicit Aug. Vt autem in hoc libello tanquã in speculo possitis suspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis, quç scripta sunt facientes, agite gratias Deo bonorum omniũ largitori. Vbi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orãs vt ei debitum dimittatur, & in temptationem nõ inducatur amen. Ideo autem legitur dicit venerabilis Hugo, & legi præcipitur ab Aug. septimanatim, vt memoriter teneatur & obseruetur diligenter. Ex quo igitur regula beati patris August. vobis speculum est ô regulares, tam frequenter vobis coram facie proposita, quomodo trabẽ in oculo vestro non videtis, qui festucam videtis in alieno. *Trabes enim vt dicit* Chrysost. super Matth. *est peccatum cleri, festuca autem sæcularium.* Vt cuncta seruentur dicit August. quæ in regula sunt, regula legatur & minus obseruatum non prætereatur sed corrigatur. Quo animo ergo tanto tempore dissimulatis præterire commune vestiarium, vt induamini ex vno vestiario, sicut vescimini ex vno cellario. Negare non potestis quin hoc voto promiseritis solemni, quod in regula legitis quotidie tot in passibus & locis. Ante votum (dicit Aug.) liberum erat reddere, sed necessarium saluti post votum. Voto namque consilia vobis facta sunt præcepta & libera necessaria. Aliquando ergo dolendum est de præterito commisso & futurum cauendum, vt sitis factores verbi & non auditores tantum. Iac. 1. Quoniam si quis auditor est & non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se & abijt & statim oblitus est suiipsius. Sic est audire quotidie in regula legi (si tamen legatur) quod vocati estis, & congregati, vt vnanimes habitetis in domo, quod cor vnum & anima yna & omnia sint generaliter & vniuersaliter communia, & non dicatur aliquid proprium. Quod etiam donarium, aut paternum munus, vel litera non seruetur, sed prohibeatur in communi

D

E

F

quod vestes sub vno cõmuni custode habeantur, quod induamini ex vno vestiario, sicut vescimini ex vno cellario, quod nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera in vnum fiant, quia quanto plus cõmune quam proprium curatur, tanto amplius in religione proficitur. Quod charitas quç sua sũt non quærit, sed postponit propria communibus. Audire inquam, hæc, sed nõ tacere, audire parum est; aut scire regulam, nisi facere sequatur. Seruare deniq; obedientiã & castitatem nõ sufficit, si paupertatem & abiectionem paupertatis neglexeris, quoniam apostolo Iacobo testante, qui in vno offendit factus est omnium reus. Quinimmo quãto crebrius & sçpius auditis & nõ impletis, tãto culpabiliores estis. quoniã 2. Pet. 3. dicitur. Melius erat viã iustitiæ non agnoscere quam post agnitam retrorsum cõuerti. Legitis ergo in ruinã vestram, nisi vos præparetis ad emendationem, neq; regulares vocari meremini, aut habitũ eorum gerere, seu de eorum bonis necessaria vitæ sumere, iuxta intentionem fundatorum, nisi regulam obseruetis pro viribus amodo in futurum, de præteritis pœnitentiam agentes. Donet autem Dominus vt verbis vtar Aug. vt obseruetis hæc omnia proprium abijcientes vt vouistis, quicunque regulares estis, tanquam concordiç & pacis aduersarium. Vos quoq; qui præestis, pro Dei misericordia cogitare animo deuia reducere, & obliqua in directum, neq; dissimuletis vlterius. Non est enim grandis differẽtia, vtrum læthum inferas vel admittas ait Symachus papa, & Innocentius. Error cui non resistitur approbatur, & veritas si non defenditur opprimitur. Ezec. 34. Sanguinem eius de manu tua requiram. *Iacobi 2.*

Hęc de prima parte sufficiant, in qua proprietas regulæ B. Aug. visa est repugnare. In secunda parte, videndum est qualiter proprietas impugnatur per sacram scripturam, & canones, tam auctoritatibus quam exemplis.

SECVNDA PARS HVIVS TRACTATVS.

Religiosorvm status dicit sanctus Th. 2. 2. q. 93. est perfectorum, sicut & episcoporum. Probatur authoritate saluatoris Matt. 19. Si vis perfectus esse, vende omnia, &c. Et Lucæ 10. Maria optimã partem elegit. Ad vitam æternam ingredivolentibus, necessaria sunt præcepta, ad perfectionem cõsilia. Hoc idem dicit Diony. in 5. & 6. c. cœlestis hierarchiæ monachos vel therapeutas, id est, Deo famulantes, perfectos vocans. Cõformiter etiam Paulus ad Col. 3. Super omnia charitatem habere, quç est vinculum perfectionis. Vnũquodq; enim perfectũ est, cum suo iungitur fini, quantum possibile est; hoc autem est per charitatem 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Et Dio. de diuinis nominibus, Extasim est faciens diuinus amor, transponens totaliter amantem in amatum, sanè tamen intelligendum. Totum enim & perfectũ totalitate diligibile, non diligitur nisi à seipso Deus totalitate diligẽtis animæ nisi à beatis: hoc est toto affectu semper in Deum tendere, sed bene totalitate viatoris qui in affectu nihil habet non solum repugnans charitati, quod est pec-

catum; quoniam hoc etiam incipientibus & proficientibus conuenit, sed etiam impeditiuum eius vt sunt sollicitudo, cura temporalium, possessiones, diuitiæ, propria volútas, coniugium & huiusmodi, quæ abijciuntur religionis voto. Nam teste Aug. venenú charitatis est cupiditas. Hinc in collationibus patrú, inquit abbas Moyses, Ieiunia, vigiliç, meditatio scripturarú, nuditas, & priuatio facultatú, nó perfectio, sed perfectionis instrumẽta sunt; nec in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa deuenitur ad finem, quia non omnis religiosus perfectus est, sed tamen perfectum habet statum.

Præcepta remouent quæ charitati sunt cótraria, consilia auté impedimenta actus eius. Dicit Aug. in Enchiridio, quæcunq; mandat Deus quorum vnum est, *non mœchaberis*, & quæcunq; non iubet, sed admonet, potius consilio quorum vnum est, *bonum homini mulierem non tangere*, tunc rectè fiunt cú ad charitatem ordinátur, quia mox vnitur quis Deo, 1. ad Timoth. 6. *Finis præcepti charitas*. Præcepta (vt ait Hiero. ad Demetriadem virginem) & prohibitiones, de necessitate sunt salutis, *vt colere Deú & sabbatum, non occidere, non mœchari, &c.* quia mala prohibentur, & præcipiuntur bona pro illa. Sed consilia, de cócessis sunt & licitis, *vt est libertas voluntatis, vsus carnis in coniugio, possessiones & diuitiæ*. 1. Cor. 7. De virginibus Domini præceptum non habeo, consiliú autem do. Ad horú abstinentiam voto se astringit religionis perfectio, quò perfectius vacetur Deo ad augmentú meritorú, victoriam tentationú, & maiorem vnionem cum Deo. Hinc Isid. de summo bono. Recedere inquit, bonum est corpore, sed longè melius voluntate. Et Anselmus in libro de similitudinibus, ponit de homine vlceribus & arenulis pleno, qui se ligari facit vt secetur & sanetur. Et Greg. super Ezec. Sicut holocaustum est perfectius legis sacrificium, quia totum incenditur, sic qui nihil reseruant, sed sensum, linguam, atque substantiam, omnipotenti immolant solemni voto, vt Deo totaliter se mancipent, perfectioré habent statum, cuiusmodi est religio. Finis siquidem religionis perfectio charitatis, cuius sunt impedimenta tria quæ abiiciuntur voto, libertas sui, possessiones & diuitiæ, & carnis voluptates licitæ secularibus, & prohibitæ religiosis: quatenus per abstinentiá horum promissam, operá dent charitati perfectæ. Cófirmatur idipsum à sancto Thoma vbi supra. Status, inquit religionis, est quoddam exercitium, & disciplina, qua ad perfectum itur charitatis. Ad hoc autem necessarium est ab amore mundialiú affectum diuertere, vt pater per Aug. li. 10. cófessionú. Minus te amat, inquit, Domine Deus quicunq. præter te aliquid amat. Et Mat. 6. Non potestis Deo seruire & mámonæ. Et Ioannes in canonica. Fratres nolite diligere mundú, &c. Quoniá qui diligit mundú non est charitas Dei in eo. Et Greg. in homil. Tanto inquit, quisque minus superius diligit, quáto magis inferius delectatur. Amor ergo siue cócupiscentia carnis & in oculorú & superbia vitæ perpediunt perfectionem charitatis Dei & proximi, trahútque hominé inferius. Sed per oppositum, paupertatis votú, castitatis quoque & obediétiæ, tédit sursú in Deú, veluti nihil inferius habens quod delectet.

Paupertatem commendauit Christus caput Ecclesiæ nascédo, Lu. 2. quoniá à paupere matre virgine nascitur in stabulo, pánis inuoluitur, & A inclinatur in præsepio. In omni deniq; vita sua relucet paupertas. Nihil possidere in proprio commédat vetus testamentum. Numeri 18. dixit Dominus ad Aaron, In terra eorú nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hęreditas tua in medio filiorú Israel. Nimis auarus est (dicit Aug.) cui non sufficit Deus. Et Hiero. Dominus cú istis infimis pars fieri dedignatur. Et Ambro. Hi apti sunt ad regnum cœlorum, qui nullis cupiditatibus occupantur, sed ad futura festinant promissa vitæ cœlestis. Et Greg. Illic cupit animus assistere, vbi se B sperat sine fine gaudere: & ad magna præmia perueniri nó pót, nisi per magnos labores. Si propter te Dominus suæ renunciat matri cú dicit, quæ est mater mea, & qui sút fratres mei, cur tu Domino tuo cupis anteferri? Vnde iuueni quæréti quo pacto vitam haberet æternam, respódit veritas, Si vis (inquit) ad vitam ingredi, serua mandata. Rursus dicente iuuene. Hæc omnia feci à iuuentute, adiecit. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & sequere me. Hoc súmopere C claustralibus notandú. Non enim ait Dominus, máduca, quiesce, dormi, fruere delitiis, & honoribus mundi, thesauros habeto, vasa argentea, iocalia & c. sed dicit, vende omnia, non parté sicut Ananias & Saphira, sed omnia tua, supple quæ habes iusto titulo: nec ait, da proximis sed pauperibus. Nec attendendú dicit Aug. quibus monasteriis aut indigentibus hoc feceris, quoniá omnium Christianorú res vna publica est. Audiant pauperes & lætentur quæ sit pars hæreditatis eorú. Beati D (inquit Christus) pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. E contra Paulus 1. ad Timot. 6. Radix inquit, omniú malorum est cupiditas. Hac cupiditate plus habendi quá opus est secundum glossam magistri, & diabolus cecidit de cœlo in infernum, & parentes nostri primi de paradiso in exiliú. In Græco auté habetur, radix omniú malorum philargyria. i. amor pecuniæ. Scribitur etiam Ecclesi. 10. Auaro nihil est scelestius. Et apostolus vbi supra. Quam quidá inquit, appetentes errauerunt omnino à fide, Christum deserentes, quia in E duobus locis nó potest affectus noster partiri desideriú suum. Breuiter diuersis in locis sacra scriptura laudat & approbat volútariá paupertatem. In religione ergo, quæ est domus Dei, abiicienda est omnis negociatio, & proprietatis possessio. Nó sit (inquit Hiero.) in domo orationis, negociatio, non possessionum amor, non cupiditas, ne ingrediatur Iesus iratus speluncam latronum, & mensam subuertat vendétium in hora nouissima mortis. Multi (inquit Origenes) sunt in domo Dei, quę est ecclesia, non spiritualiter, vt promiserunt viF uentes, sed carnaliter magis vendentes & ementes, qui rarius orationi debitæ vacant, secularibus intenti & dediti negotiis.

Matth. 19.

Matth. 5.
Luca 6.

HActenus proprietas collisa lapidibus sacræ scripturæ, superest eam per canones sacros impugnare, extollendo voluntariá paupertatem.

Clemés quartus 12. q 1. can. dulcissimis & c. dicit. Communis vita omnibus necessaria est fratres, maximè his qui Deo irreprehensibiliter cupiunt militare, & vitam apostolorum imitari. Communis enim vsus omnium, quæ in mundo sunt, omnibus

nibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales orta est dissensio. Denique Græcorum quidam sapientissimus, omnia communia esse amicorum dixit: Et sicut aër ait, aut lux solis, diuidi non potest aut mediari, ita nec cætera quæcunque cõmunia, quæ data sunt omnibus ex natura. Propter quod Dominus ait per prophetam, Ecce quam bonum & quam iocũdum habitare fratres in vnum. Et apostoli, communem in vnum duxerunt vitam: quoniam vt in eorũ actibus dicitur, multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam aliquid dicebat suum, nec erat egens inter eos. Omnes qui domos vel agros possidebant, vẽditis illis offerebant precium ante pedes apostolorum, sicut quidam vestrum cognouerunt & viderunt nobiscum. Ananias autem vir austerus & Saphira vxor eius, quia mentiti sunt, nobis præsentibus corruerunt. Sequitur. Quapropter vobis cauenda mandamus, & vobis obedire præcipimus doctrinis apostolorum & exemplis, vt ab apostolicis regulis non discedatis, sed communem vitam ducentes adimplere satagatis. Ibidem statim allegatur pòst Hieronymus ad Nepotianũ, Clericus interpretetur vocabulum suũ, & esse nitatur quod dicitur, *cleros* Græcè sors est latinè, quia Dominus pars eius, & de sorte Domini sunt. Talis ergo esse debet, vt possideatur à Domino, & possideat ipse Dominum: quod si quippiam præter Dominum possideat, pars eius nõ erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si supellectilem, cũ istis nõ dignatur Dominus fieri pars eius. Hinc Leuita non accepit partem in terra sicut cæteræ tribus. Ambrosius consequenter de fuga sæculi, hoc in loco inducitur, Cui ait portio est Deus, nihil curare debet nisi Deum, ne alterius necessitate & sollicitudine impediatur. Augustinus in eodem loco, Nolo. &c. Duæ res in vobis pollere debent, cõscientia scilicet, & fama. Conscientia est necessaria tibi, fama proximo tuo. Sequitur paulo post: Nulli licet in societate nostra aliquid habere proprium, & si qui habuerint, faciunt quod non licet: Sequitur, qui habent proprium vel habere volunt, aut de proprio viuere contra præceptum, non mecum manebunt in socialem vitam: Malo habere claudos quàm plangere mortuos. Ex concilio Lateranensi extra cap. 2. de statu. mona. Monachi non precio recipiantur in monasterio, nec permittãtur habere peculium. Peculium habere vt dicit magister Gerardus magnus, in tractatu de proprietate monachorum, nõ est habere principale dominium in re ipsa, sed vt seruus sub domino, sub patre fili⁹, sub abbate monachus, ex licentia ipsorum sub quibus sunt. Et tamen hoc nunquam monachis conceditur secundum glossam Inno. qui est lucerna iuris, nisi pro adiuncta administratione, vt si fuerit vestiarius, eleemosynarius, vel thesaurarius, vel huiusmodi commune habens officium, deseruiens vtilitati communi ecclesiæ, vt fidelis sit & prudens dispẽsator, non quærens quæ sua sunt, sed quæ omniũ. Qui autem peculium habuerit, nisi ab abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione priuetur altaris. Et qui in extremis cum peculio fuerit inuentus, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres habeat sepulturam. Quod de vniuersis religiosis prę-

Psal. 132. Act. 4.

cipimus obseruari. Abbas autem qui diligẽter ista non cauerit, officij sui iacturam nouerit se incursurum. Consequenter Clemens 3. paulo post super quodam canonico regulari qui in articulo mortis agens, licet à priore suo monitus, proprium quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit, & fuit inter fratres traditus sepulturę. Et infra, Inquisitioni tuæ respondemus, quod ille canonicus non tantùm fuerat Christiana sepultura priuandus, verumetiam, si sine maximo scandalo fieri potuit, de ipsa proijci dignus est ecclesia. Item ibidem Innocen. 3. abbati & conuẽtui Sublatensi, Cum ad monasterium &c. firmiter inhibemus ne quis de cætero monachorum lineis camisijs vtatur: Prohibemus districtè sub attestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquid possideat, sed si quis aliquid proprium habet, totum incontinenti resignet. Et infra. Si proprietas &c. apud quẽquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signũ perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secũdum quod beatus Greg. in dialo. se narrat fecisse. Vnde si quicquam alicui fuerit destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati aut Priori aut cellario assignetur. Sequitur in fine. Nec æstimet abbas quod super proprietate posset cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò sunt annexa regulæ monachali, vt circa eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. Quod autem votũ solemne religionis indispensabile sit, patet Leui vlti. vbi dicitur: *quod semel sanctificatum est Domino non potest in alios vsus commutari.* Nec facere potest pręlatus, quin Deo consecratus per votum religionis obligetur ad hoc quod vouit. Idem sentit Bernardus in li. de præcep. & dispensatione, quicquid ait in spiritualibus in regula est traditum, in manu nõ relinquitur abbatis. Et paulo post. Neq; enim abbatis super regulam est, cui semel etiam ipse spontanea professione se subiecit & deuouit. Votum etiam paupertatis, indispensabile ostendit sanctus Thomas 2.2.q.89. grauius enim (ait) est quam periurium votum fractum, ex eò quod Deo soli votũ fit & permittitur. Iuramentum autem Deo & hominibus: Secundò quia votum obligat ex fidelitate reddendi Deo promissum, Iuramẽtum verò ex reuerẽtia veritatis quę est ipse. grauior est autẽ infidelitas quã irreuerentia, ergo &c. Et cõfirmatur per eundẽ in eodem libro in materia de voto, vbi dicitur, quod si votũ fiat solemne etiam de impossibilibus, verbi gratia, peregrinatio ægrotis, eleemosyna pauperibus, & huiusmodi, nihilominus debet semper haberi prõptitudo voluntatis, quoties occurrit memoriæ, & facere quod in se est. In his etiam quæ per se mala sunt & bene fieri nequeunt, dispensatio non cadit secũdum Bernard. in epistola ad Adam monachum & in lib. de præcepto & dispensatione, cuiusmodi est habere proprium monacho, qui ad non habendum se astrinxit per votum religionis. Proprium inquit possidere homini sæculari licitum est, monacho autem purum malum. Nam vbi proprietas, ibi singularitas, vt dicit Bern. ad Carthusienses; vbi singularitas ibi angulus; vbi angulus ibi sordes; vbi sordes ibi rubigo & diuisio. Benedictus XII. Illis inquit, quibus incumbit onus de vestiarijs, calciamentis,

& alijs corporis necessarijs prouidendi; statuimus vt hoc decenter faciant tempore congruo, iuxta A suppetentiam facultatum & cōditionem religionis: Et sequitur modus, Et illud quod erit dādum singulis canonicis pro vestiario, taxetur in annuali. Non est intelligenda huiusmodi taxa in pecunijs dandis cuilibet singillatim, sed magis secundum literam regulæ magistro vestiarij: qui debet ista prouidere in communi, pro omnibus illis inquam quibus incumbit onus de vestiarijs & calciamentis &c. Nam distributa cuilibet portione pecuniæ, vt isti falsò opinantur, sequitur, quod B nulli incumbit onus ista prouidendi in communi pro singulis. Et hoc de anathemate Iericho aliquid cum Achan reseruare, Achan idest peruertēs promissum votum, tria de anathemate prohibito (contra Deum) furatur, regulam auream, pallium coccineum, & trecentos argenteos. i. propriam voluntatem, carnis voluptatem, & diuitias sæculi. Tot enim modis religionis frangitur sacramentū, sed non est tacenda punitio huic sceleri inflicta. Mox enim derelicti sunt filij Israël à Domino, & prostrati ab hostibus vrbis Hay. i. à vitijs cunctis C deducti in præcipitium morum. Cum autem fleret Iosue stragem istam, ait Dominus illi: Peccauit populus Israël, & præuaricatus est pactum meū, tuleruntque de anathemate, & furati sunt, & mētiti, & absconderūt inter vasa sua, nec poterit stare ante hostes suos, quia pollutus est. Et non ero vltra vobiscum, donec conteratis virum qui huius sceleris reus est. In quo innuitur quod Dominus in totam ecclesiam irascitur, propter vnum proprietarium, vt dicit auctor summæ vitiorum, propterea persequēdus est talis, ne propter vnum cæteri patiantur omnes. Quoniam vt ait apostolus D ad Ro. 1. Qui talia agunt scelera, supple prius enumerata, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, 83. di. dicit Simachus Papa in decretis. Non est grandis differentia an lethum inferas vel admittas. Et Innocen. ibidē. Error cui non resistitur, approbatur. Pius etiam Papa, quid prodest suo errore non pollui, qui cōsensum præstat erranti. Et Ambro. in lib. de patiētia inquit. Qui à socio si potest iniuriam non repellit, tantus in vitio est, quantus ille qui facit: formidanda sententia religiosis quę sequitur Iosue. 7. E Anathema. i. proprietas in medio Israël est. i. contemplatiuorum. Nō poteris stare coram hostibus tuis, donec conteratur qui contaminatus est hoc scelere &c. Sequitur in fine capituli. Et lapidauit Achan omnis multitudo filiorum Israël, & cuncta quæ contulerat de anathemate, igne consumpta sunt. Potius proprietarius in seculo conteratur lapidibus correctiōnis, & crēmetur facibus F charitatis, & zeli Dei, quam post mortem supplicijs dissimulando deputetur æternis. Scribitur ad propositum 2. Machab. 12. quod cū corpora quæ ceciderant in bello contra Gorgiā Idumeum post diem septimū Iudas pararet sepelire, inuenit sub tunicis occisorum de donarijs idolorum qui apud Iamniam ceperant contra legem, & eos comperit corruisse ob hanc causam. Si ergo Iudæis viris popularibus tam grauis vltio contigit, pro acceptis semel & retentis contra legem eorum donarijs, quid perfectis viris fiet trāsgressione votorum solemnium, nec semel, sed per totam vitam? Apostasia quædam est (dicit auctor summæ vitiorū) proprietas monachorum, maior quam relinquere habitum, aut exire metas ecclesiæ præter prælati licētiam: quia paupertas voluntaria magis est de substantia religionis quam habitus: Religio enim ordinatur ad perfectionem charitatis quæ est amor Dei vsque ad contemptum sui: habere ergo proprium, vt dicit Sanct. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. repugnat perfectioni religionis. Voluntaria paupertas pacis est fundamentum, vt dicit Aug. in lib. 9. de ci. Dei Inter fratres inquit, concors & amica consonātia charitatis fraternæ, cum nihil habet vnus, quod non omnes. Econtrario inter proprietarios, rixæ quotidianæ, inuidiæ, susurratio, detractio, nulla pax, nulla charitas, nulla salus, opiniones, & brigæ; adeò vt quicquid placet vni, displicet alteri. Hinc scissuræ & discordiæ, inæqualitates in habitu & victu, hic abiectè, hic curiosè induitur, hic vt Dominus, ille vt seruus, hic vt pauper, ille vt diues incedit, hic esurit, ille ebrius est, hic aurum cōtra votum possidet, ille debitis multis obligatur, & omnia dilapidat & expendit: Et sic fraudatur intentio fundatorum, contemnitur ecclesiæ institutio, vilipenditur euangelica instructio, negligitur propria salus, & lumen perfectæ religionis (quondam in ecclesia radians) pro maiori parte modernis temporibus proh dolor obscuratur, ne dicam extinguitur. Et hæc de secundo membro dicta sunt.

TERTIA PARS HVIVS TRACTATVS.

EXcvssis vtcunque telis duobus ex pharetra, incultius quàm exposceret ordo & dignitas materiæ, superest accedere ad tertiam, quo pro viribus refellendæ sunt proprietariorum obiectiones.

Primò siquidem loco, quodam palliamēto fallere videntur, dicentes vestiarium non esse proprium, sed magis procuratio, quod abusio est nominis. Nam procurare est curare pro alijs, proprietarius autem pro se solo curat. Item procurator vestiarij per regulam dicitur esse communis pro omnibus, isti autem pro se tantum. In quo contrariantur regulæ, necnon & voto paupertatis. In Deute. 23. cap. scribitur. Cum votum voueris Domino Deo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Si moratus fueris reddere, imputabitur tibi in peccatum. Et paulo post. Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis & facies sicut promisisti Domino &c. Et Malachiæ. 1. Ad vos ô sacerdotes qui despicitis &c. Et infra. Et offertis super altare meum panem pollutum. Et paulo post. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Sequitur in fine, Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolabit debile animal: Masculū vouit Domino regularis, cum paupertatem despōsauit, sed debile reddit qui adhuc seruat proprium.

Irridere ne est Augustinum patrem dicentem in exordio regulæ. Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus &c. Et sequitur. Et non dicatis aliquid proprium.

Secūdò obijciunt cōsuetudinem tanto tēpore, &

& à personis tã discretis & eruditis,& in tot monasterijs obseruatã. Quibus respõdet regula iuris dicẽs,quod possessor malę fidei nullo tẽpore pręscribit.Et Aug.in enchirid 86.Nostris ait tẽporib' multa mala ita in apertam consuetudinẽ deuenerunt,vt aut parua aut nulla esse credãtur, quæ magna atq; horrenda sunt:vsq; adeò, vt non solũ nõ occultanda,verum etiam prædicãda & diffamanda videantur.Item idem super illud ad Gala.*Timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis*, exclamare inquit,compulsus sum,Væ peccatis hominum, quia sola iniusta exhorrescimus. Vsitata verò(pro quibus abluendis filij Dei sanguis effusus est)quamuis tam magna sint,vt omnino claudi contra se regnũ Dei faciant,sæpe videndo omnino tolerare,& sæpe tolerando etiã facere cogimur. Itẽ in sermone quartæ Dominicæ Aduẽtus,Nolite inquit,peccata cõtemnere, in quibus forte iam cõsuetudinem fecistis.Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum.Illico vt obduruit,iam dolorẽ perdidit & putre est, nec amplius dolet; quod autem non dolet, non pro sano habendum est, sed magis pro mortuo computandum.Cum vlcus pungitur & dolet,aut sanum est, aut adhuc spem habet sanitatis. Cum autem pungitur & non dolet,pro mortuo habendum est, & de corpore præscindendum. Dicant igitur proprietatis defensores qui vouerunt paupertatem, an consuetudo ista eos excuset.

Sed dicent forte,quod Papa vel ecclesia cum eis super hoc dispensauit. Audiant Papam Innocentium expresse dicẽtem,Abdicatio inquit,proprietatis,sicut & custodia castitatis,adeò est annexa regulæ monachali, vt nec summus pontifex possit circa eam dispensare; ergo à fortiori nec generale capitulum ordinis,nec Abbas potest indulgere licentiam, cum papalis potestas excedat omnem potestatem inferiorum post Christum,vt habetur 93.di.can.Cyprianus & 12.can. non decet.

Quia autem votum hoc non seruatur multis in locis à pluralibus annis etiam magnis viris, nõ excusat sed magis aggrauat. Inoleuit autem hoc ex negligentia prælatorum in salutis eorum periculum.Nihil magis dissonum rationi, quã habitum ordinis gerere exterius in oculis hominum,& statum perfectionis simulare,interius autem vota saluti necessaria infringere. Rationalis est cõmunis consuetudo quæ à iure probatur, dicit Io. in sum. cõfes.l.2.ti.6. Et quam Romana ecclesia seruat aut præcipit seruandã:irrationabilis autẽ vel iniqua nõ præscribit.Innoc. dicit quod rationabilis illa dicitur,quæ nõ obuiat canonicis institutis, aut quã ius sustinet: Irrationabilis autem, quæ contra canonum instituta & à iure improbatur, cuiusmodi est proprietas inter religiosos.Ait enim Greg.cuidam episcopo,si cõsuetudinem opponis,tibi est aduertendum quod Dominus in euangelio Ioan.14.*Ego sum veritas, non ait, ego sum consuetudo*: Quoniam Cypria. martyris sententia est, quod quælibet cõsuetudo,quãtauis vetustate vulgata,semper est veritati postponẽda,& vsus omnis veritati cõtrarius abolendus est:Cõsuetudo quoq; sine veritate vatustas est detestabilis errorum. Frustra ergo cũ hic abusus proprietatis euangeliorum, canonum, & sanctorum patrum auctoritatibus reprobatur,cõsuetudo dicitur,sed magis vsitata culpa debet vo-

cari,quæ obligat mentẽ pondere suo, vt ait Greg. A in 4. mora. vt nequaquam etiã surgere possit cum velit, & quot vicibus frequẽtationis prauæ astringitur,quasi tot vinculis in mente sua colligatur.

Scribit quoq; Hiero.ad Celantiam,Asperam inquit,& insuauẽ fecit nobis virtutum viã,lõga consuetudo peccãdi.Isido.etiã in libro soliloquiorũ 1. Prauus inquit vitæ vsus aboleri difficulter potest, & assidua cõsuetudine,vitium in naturã cõuertit. Animus sceleribus irretitus vix diuelli potest,dicit Beda in li.de templo Salomonis. Nõ est paruus labor à consuetudine sese pestifera reuocare. Inanis B ergo est hæc excusatio in peccatis & friuola, quæ prætenditur propter consuetudinem malã, quasi diceretur quod abolita sunt præcepta legis, quia iam à maioribus,& maiori parte hominũ non seruãtur, quia non seruare ea à longè est consuetum.

Tertiò obijciunt proprietatis defensores, quod in capitulis eorum, de huiusmodi proprietatis vsu dispensatũ est vsq; adeò, quod amplius non sit timidũ(pace salua dicentiũ)vt dictũ est supra, & allegatum per decretalem Innoc.3.extra de sta.mo- C na.cũ ad monasteriũ,quod votũ paupertatis adeò annexum est regulæ monachali, vt nõ æstimet abbas,quod super habenda proprietate,possit cũ aliquo dispensare,immo nec summus põtifex. Idem dicit sanctus Th.in 2.2.q.99.de voto solẽni, quod est indispẽsabile.Cõformiter ad decretalẽ,quoniã minus est cõmutare votũ,quã absoluere vel dispẽsare.Sed animal Deo votũ cõmutari nõ pôt. Leu. 27.Sãctũ erit(inquit litera)& cõmutari nõ poterit propter melius aut peius. Causam assignat doctor D sanctus, quoniã mox vbi vouebatur Deo, sanctũ reputabatur,quasi à diuino cultui mãcipatũ:Sicut nec nõ calix aut alia res cõsecrata Deo, posset cõmutari in meli' aut peius. Si ergo nõ pôt summus põtifex sanctificationẽ rei inanimatæ tollere,vt lapidis altaris,calicis,aut vestimentorum,ergo multo minus ab homine Deo sanctificato per votũ solẽne religionis.Ideo facere non potest Papa,quod qui religionis professione sãctificatus est Deo,nõ teneatur tribus essentialibus votis, quamdiu stat in religione. Rursus quia votũ est promissio Deo E facta, dicit sanctus Th. & non reddere Deo votũ, species quædã infidelitatis est,quæ sub dispẽsatione non cadit. Et sicut non potest abbas præcipere malum suo monacho,vt dicit idẽ sanctus Th. 2.2. in materia de voto, ita bonum Deo debitum non potest prohibere: Et in manifestis malis dispẽsatio nõ excusat à culpa. Hinc sãctus Bernard. in lib.de præcepto & dispẽsatione, dicit, In per se malis nõ cadit dispẽsatio,& quæ bene fieri nõ possũt,cuiusmodi est habere propriũ ei, qui omnia abiecit in F voto paupertatis.Hoc inquit Bernard.ad Adã monachum, seculari propriũ possidere licitũ est,monacho verò purum malum. Deniq; si dispẽsatum est iure aut facto, non deberet hoc votum exigi à profitentibus,nec permitti in regula.Dicit quoq; Ber.in lib.de præc. & dispensatione, quod quicquid in regula traditur in manu non relinquitur abbatis.Neque abbas supra regulam est,cui semel ipse sese spontanea professione subiecit.

Quartò obijciũt & dicũt quod traditio illa clauiũ excusat,quæ fieri solet quolibet anno in manu superioris.Istud repugnat obiectioni præcedẽti. Nã si dispensatũ est de hoc proprietatis voto vt obie-

ctio præcedens prætẽdit, frustra est clauis tradẽda abbati in signũ consensus. Est etiã contra decretalem sæpius allegatam, quæ votum indispensabile ponit paupertatis, sicut & castitatis: ergo sicut abbas non posset dispensare de fornicatione, ita neq; de possessione in proprio, nisi duntaxat in communi ratione alicuius administrationis vel officij, & nõ pro vestiario vel necessitate singulari, teste decretali ex concilio Lateranensi extra de statu mo. quæ ait. Monachi precia non recipiantur, nec peculiũ habere permittantur. Peculium lõgè minus est quam propriũ: quia secundũ iura, qui res habẽt in peculio, nõ habent plenum aut principale Dominiũ sibi, sed suo superiori, vt seruus sub Domino, filius sub parentibus, & monachus sub abbate, sed ex eorũ sub quibus sunt licẽtia pro tẽpore cõmutãdi, vẽdendi &c. Et hæc potẽtia nõ est libera, sed limitata & subiecta, & tamen cõciliũ Lateranense hoc prohibet monachis, à fortiori, ergo propriũ. Obiectio ergo prędicta abusus est irridere Deum, qui tamen nõ irridetur, vt ait Apostolus ad Gal. 6. Solũ ergo licitũ est illi, & permissum claues abbati vel superiori referre qui habẽt administrationẽ, vt magister vestiarij, thesaurarius, cellerarius aut eleemosynarius, in signũ subiectionis & administrationis. Mẽdosa quoq; est & delusoria veritatis prętensio, clauẽ abbati referre; quia clauem referunt, sed retinẽt opere & affectu quæ sunt sub claue reclusa. Duo sunt (inquit Hugo de sancto Victore) quæ relinquere oportet propter Deũ, facultas retinendi quicquã propriũ, & voluntas habendi: Et tamen tradendo clauem neutrũ relinquitur horũ. Dic quæso defẽsor proprietatis quod seruas in cista, tuum est an non? tuum dicere vetat regula in principio: Nemo inquiẽs dicat aliquid proprium, ergo tuum non est, sed omnium, nec tibi seruare debes, aut in vsũ accipere quod tuum nõ est. quid ergo custodis non tuũ? Repone repone in cõmuni quod tuum non est, sed omniũ in cõmuni, neq; clauem deferas, qui clauem habere non debes.

Quintò obijciũt defẽsores proprietatis dicentes nõ esse propriũ pro hoc quod ad nutrũ manet abbatis quotiens volet reuocare. Contra hos iam in parte responsum est supra. Primò, quia neq; religiosus retinere potest peculium aut seruare, nisi pro administratione officij, nec abbas potest dispensare. Secundò, quia nec abbas est supra regulã quæ hoc prohibet, sed regulæ obligatus & subditus, vt dicit Ber. in lib. de præcep. & disp. Fallit ergo & qui retinet peculiũ, & prælatus qui cõsentit, nisi pro administratione: fera sæuior est leone proprietas, maximè si hypocrisi commisceatur: simulata enim æquitas duplex est iniquitas, dicit Aug. super Ps. 66. Duplici graditur via dicit Greg. quia corpus exterius, sed per amorem gloriæ, mũdo viuit: & cõtra prohibitionem Moysi, induitur veste contexta ex lino & lana. Deut. 23. Per lanam simplicitas, per linũ subtilitas subdolosa intelligitur. Linum celat interius, lanam exterius ostẽtat. Nulla res (inquit Chry. super Mat.) sic exterminat sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatũ, nõ cauetur dum non cognoscitur. Huiusmodi est proprietarius, qui proprium excusat & palliat per abbatis licentiam. Non habeo inquit, nõ possideo, sed abbas meus, & tamen cõtra abbatis voluntatẽ, si forsan pro cõmuni necessitate fratrũ sciret abbatẽ recepturũ quæ possidet, abscõderet; aut si bono modo non posset, inutiliter exponeret.

Sextò obijciunt dicentes propriũ nõ esse aliquid custodire pro necessitatibus secretis, potissimè infirmitatis: quos B. Aug. confundit in eo quod talibus prouidere nõ neglexerit in regula cũ dicit, Ægrotantium reficiendorum cura siue post ægritudinẽ siue imbecillitate laborãtium aliqua, vt febribus, vni alicui debet iniungi, vt de cellario petat quod cuiq; opus esse perspexerit. Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, aut codicibus præponũtur, sine murmure seruiãt fratribus suis: incidis ergo in alterũ laqueorũ, quia vel patrẽ Aug. corrigis, quasi nõ sufficiẽter prouiderit necessitatibus singulorũ, aut de fidelitate diffidis fratrũ, dubitans ne circa ægrotãtes faciãt debitũ suũ, vel quod verisimilius de te solum cogitas, cui parũ aut nihil curæ est de cæteris, dũmodo tuipse prouisus es. Audeo dicere quod obiectio prædicta, officit ea parte vnde sanare putat. quoniã si paupertatis obseruaretur votũ inter fratres, longè feruidior arderet charitas fraterna, & cura atq; sollicitudo maior esset infirmorũ, pietas intimior, & visitatio cordialior: quoniã tunc vno infirmãte omnes infirmarentur, iuxta illud 2. ad Cor. 2. Si patitur vnum membrum, compatiuntur, &c. Si propria nulla essent nemo alium expectaret ad iuuandum & succurrendum fratri infirmanti. Nemo diceret, hic qui infirmatur satis habet vnde medicos habeat & custodes: Tunc quisque succurrendo fratri exemplum daret quomodo vellet sibi in simili casu succurri.

Septimo obijciũt antedicti defẽsores proprietatis, dicẽtes necessariũ propriũ pro festinãdis & suscipiẽdis amicis. Respõdetur eis quod ad hoc est in ordine Aug. hospitalitas instituta, & prouidus frater eloquẽs, & discretus est eligẽdus, qui sciat amicos & benefactores ecclesiæ benignè suscipere, secundum facultatum possibilitatem, iuxta doctrinam Pauli ad Heb. 13. *Charitas fraternitatis (inquit) maneat in vobis, & hospitalitatis nolite obliuisci, quia per hanc quidã placuerunt, &c.* Nec multũ vtilis religiosis cõuersatio frequẽs amicorũ carnaliũ, qui reliquerunt mundum. Propter quod ait Aug. filijs suis in regula circa finẽ: Nõ carnalis sed spiritualis sit inter vos dilectio. Quapropter verò religioso cui mũdus crucifixus est, non multũ affectanda est carnaliũ propinquorũ visitatio: Nã qui de terra est de terra loquitur. Tractãtq; fabrilia fabri. Quæ omnia veris religiosis sunt fugiẽda, imo verius abominanda. Qui non relinquit (inquit Christus) patrẽ & matrẽ, &c. non potest meus esse discipulus.

Octauo obijciũt quod paucioribꝰ expẽsis ecclesiæ prouidetur de vestiario dãdo cuilibet portionẽ pecuniæ, quã in cõmuni, hoc non est verũ, esto tamẽ quod ita sit, tamẽ propter hoc temporale cõmodũ paruũ nõ est frãgendũ votũ, quia nõ sunt faciẽda mala vt veniant bona. Ro. 3. Præposterus ordo, vota postponere paruo lucro; solem, vermibus nocte lucentibus, aurum & gemmas carbonibus. Anteponere diuitias & tẽporalia bona bonis animæ, absurdum est, & ordinẽ peruertere: ergo, &c.

Nono obijciunt dicentes minorem occupationem fratrum esse, dare vnicuique summã pecunię pro vestiario. Cum reuerentia dicentiũ nõ est ita; imo paucior est occupatio vnius aut duorũ, quam omniũ in officio vestiarij: Hoc etiã cõsonat dicto philosophi, Frustra fieri per plura quod potest per pauciora: In veritate siquidẽ ęqualitas est, charitas, pax,


pax, concordia, & quod super omne bonum est Deus. In pluralitate autem, singularitas, diuisio, inuidia, rixa, superbia, & omnis mali fomentum. Et concesso adhuc (quamquam ita non est) quod occupatio maior adesset in cōmuni vestiario prouiso per vnum aut duos, quā per omnes singillatim in proprio, nihilominus tamen minus malum est occupatio, quam voti trāsgressio & regulæ, cuiusmodi est proprietas. Item non minus abiurata est proprietas in vestiario, quā in cellario per regulā, ergo si pro cellario vnus solus impeditur, quare etiam vnus aut duo pro vestiario non sufficiunt, vt obseruetur regula quę hoc totiens iubet fieri: nam negari non potest quin occupatio vnius aut duorum minor sit, quàm omnium fratrū. Et sic retorquetur obiectio in confusionem obijcientium.

Decimò & vltimò subduntur obiectiones cōtra voluntariam paupertatem quas ponit sanctus Tho. in 3. contra gentiles. Hanc siquidem inuadit primò Vigilantius hæreticus, & quidam sequaces sui, non intelligentes de quibus loquuntur, neque quæ affirmat. Naturale est inquiūt cuilibet animali vt sibi necessaria vitæ prouideat, vnde non quęlibet pars anni apta est frugibus & prouisioni ipsorum: Faciunt hoc æstate formicę & apes, vt cōgregent vnde hyeme viuant: sed homo multis indiget quæ nō semper inueniri possunt, ergo opus est illi prouisione. Secūdò, quia per substantiam diuitiarum, esse hominis confirmatur; ergo paupertas est contra legem naturæ: Naturaliter enim diligit vnumquodque permanere, & id quod necessariū est ad illud. Tertiò est homo naturaliter animal sociale ciuile, vt in 1. poli. Aristotel. dicit, Societas amæ est in mutuo iuuamine, & subsidio amicitiæ quæ paupertas implere nō potest: ergo &c. Nam per diuitias & facultates liberam⁹ amicos à malis, ergo bonę sunt. Quartò paupertas est mala per se, ergo &c. antecedēs probatur, quia est occasio furti, adulationis, periurij, & malorū multorū. quintò nam liberalitas est virtus, quæ danda tribuit, & retinet retinēda. Vitium illi oppositum in maius est prodigalitas, quæ omnia largitur: Vitium autem in minus est liberalitas, quæ retinet quæ danda sunt, & dat quæ retinenda. Est ergo paupertas voluntaria vitium in maius, quia omnia sua largitur & nihil retinet pro se.

Pro solutione dictorum dicit idem sanctus Th. quod meliora & maxima bona hominis sunt sciētiæ, & virtutes, minima sunt bona fortunæ extrinseca, media sunt bona corporis. In tantū ergo sunt diuitiæ bonæ, in quantum proficiunt ad virtutis vsum; quia quæ ad finem sunt, modū accipiunt secundum exigentiam finis. Si verò per vsum diuitiarum impeditur virtutis vsus, non amplius bonæ dicēda sunt sed mala. Propter quod dicitur, quod bonū est habere diuitias ei qui vtitur ad virtutes, & malū qui per eas retrahitur à virtute, nimia sollicitudine, vel amore, aut elatione. Hinc dicitur quod cōtemplatiua vita perfectior est quam actiua, quia paucioribus indiget diuitijs, actiua verò pluribus. Occupatur autē humana sollicitudo circa tria, Primò circa se, secundò circa personas sibi coniunctas & familiam domūque, tertio circa res procurandas, quibus homo indiget ad vitæ sustētationem. Paupertatis ergo voto abijcitur sollicitudo rei exterioris, consilio diuinæ legis. Matt. 19. *Si vis perfectus esse &c.* Voto autē continentiæ abijcitur sollicitudo rei familiaris, consilio scripturæ A sanctæ ad 1. Cor. 7. *Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt.* Voto autem obedientiæ, abijcitur sollicitudo sui, curā eius cōmittendo superiori. Heb. vlt. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Est ergo inquit sanctus Th. ib. paupertas laudabilis, quia liberat à vitijs, quibus homines per diuitias implicantur vt mente Deo liberius vacēt, & quāto magis homo per paupertatem liberatur ab impedimentis vacandi spiritualibus, tanto est B laudabilior. Non dicit tanto melior quāto maior, sed quanto liberior est ab impedimētis seculi præpedientibus vacare Deo. Ad primam obiectionē Vigilantij hæretici & suorum sequacium, dicendū est quod naturale sit congregare necessaria ad vitam, non tamen oportet omnes circa hoc opus intendere, quia sicut apes non omnes eidem operi vacant, sed quædam mella conficiunt, quædā construunt ædes, reges autem non vacant istis: Ita hominibus multa sunt necessaria, quę ab vno fieri nō C possunt, sed à multis & diuersis, secundum distributionem diuinæ sapiētiæ. Vita nostra indiget viris spiritualibus à tēporalibus curis alienis, qui pro actuis intendant diuinis sacrificijs, & contemplationibus, ad supplendum defectum secularium, cōtemplatiuorum sustentationi insistentium. Sic oculus videt pro cæteris membris, manus defendit oculum, & laborat pro sustentatione aliorum membrorum, & sic de alijs; *quoniam multa vnū corpus*, dicit apostolus 1. ad Cor. 12. Ad secundum dicendum, quod monachi relinquendo temporalia D non subtrahunt sibi necessaria vitæ, sed remanent eis in communi vita. Ad tertium dicendum, quod nec relinquentes omnia faciunt contra charitatē humanæ societatis, vt satis experientia docet. Ad quartum dicendum, quod diuitiæ non sunt per se bonum, sed vt ordinantur ad bonū rationis: Vnde nihil prohibet paupertatem meliorem fore, si ad id bonum rationis ordinat perfectius quam diuitiæ; quia exteriora bona non sunt nisi vt ad interiora ordinātur: Et sicut vitium ex paupertate ori- E tur malè ordinata ad rationem, sic ex diuitijs, similiter. Ad quintum dicendum, quod paupertas nō contrariatur virtuti, nec est prodigalitas abijcere omnia propter Christum, cum hoc facit religiosus debito sententiæ rationis & charitatis. Nam plus est se morti exponere per virtutem fortitudinis, quam vouere paupertatem, propter liberius vacādum Deo. Et cum arguitur de paupertate quod suadet & cogit furari &c. verum est de coacta, nō autem de voluntaria.

Sileat ergo Vigilantius hæreticus cum suis com- F plicibus & fautoribus: sileāt quoque amodo proprietarij, eorumque defensores & fautores, conuertanturque ab errore viæ suæ, & soluant vota quæ distinxerunt labia sua, vt tandem audire mereantur. *Vos qui reliquistis omnia &c. centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis.* Quam nobis concedat qui promisit. Amen.

Explicit prima pars Operum Joannis Gersonij, edita anno Domini M. DC. V. mense Junio.



IOANNIS MAIORIS
DOCTORIS PARISIENSIS
Disputatio, excerpta ad verbum ex eiusdem Commentarijs in librum 4. sententiarum distinct. XXIV. fol. CCXIII.

ARGVMENTVM.

1 *Ecclesia politiam esse monarchicam.*
2 *Episcopos & Parochos fuisse immediatè à Christo institutos.*
3 *Papam non habere ius gladij aut dominium temporale super Reges & Principes Christianos.*



TERTIÒ circa hanc distinctionem quæro, an Petrus & successores eius primatum habeant in terra ex institutione Christi tam in spiritualibus quàm in temporalibus. Respondetur; licet circa vtrumque membrum variè à varijs respondeatur, & multi sint dicentes quod nullus episcopus ex institutione Christi habet superiorem in spiritualibus: & quemadmodum quilibet rex in suo regno est supremus monarcha, & superiorem in temporalibus non agnoscit, ita esse iactant isti de quolibet episcopo in suo episcopatu. Et si Romanus Pontifex superioritatem habeat, dicunt quod illam ab hominibus acceperit, vel de facto.

Sed ponam conclusiones sequentes quid sentiam explicantes. Quarum prima est. Petrus ex institutione Christi est institutus Apostolorum vertex & caput, & supra quemlibet alium, siue particularem ecclesiam. In præsentiarum enim de præeminentia seu superioritate inter maximum pontificem & vniuersale concilium loqui non propono. Probatur conclusio. Ioannis vltimo Christus dicit Petro: *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Dicis sicut alij dicunt: Non est data ei per illa verba auctoritas super aliquem Apostolorũ, quia illa intelligũtur de pastu spirituali & corporali si essent in necessitate, etiam indefinitè protulit, ad cuius veritatem sufficit veritas vnius singularis, licet enim illa sit oratio imperatiui modi, & per consequens non propositio, tamen loco futuri indicatiui capitur. Contra; pascere in scriptura capitur vt tantum valet, quantum potestatiuè alere, vt Ezechi. 34. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos.* Et Ioannis 10. *Qui non intrat per ostium non est pastor ouium.* Præterea; æquè expediens erat populo Christi habere pastorem potestatiuum vt pastorem, qui verbo vitæ & corporaliter pasceret. Ergo sicut vnum concedis, reliquum concedere debes. Quod dicis Christum indefinitè locutum, nihil valet. Quemadmodũ enim in concessione beneficij, vel priuilegij concessio indefinitè & simpliciter facta intelligitur generaliter, de priuileg. C. Quia circa; sic commissio potestatis vel officij indefinitè & simpliciter facta debet intelligi vniuersaliter: vt scilicet omnia intelligantur concessa quæ non sunt prohibita, & de quibus est committendi ratio: de quibus non est verosimile quod concedés, vnum committeret alicui, & aliud seruaret, quia qui nihil excepit & potuit excipere, totum commisisse videtur.

A

Secundò arguitur ad idem. Christus legislator optimus optimam politiam in ecclesia instituit: sed illa est regalis, vt patet VIII. ethi. & III. politicorum ex philosopho. Nec videtur cui alteri à Petro hanc potestatem commisit; igitur. Insuper Matth. 16. Christus dixit Petro: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Sed dicis: Per pronomen hanc, non demonstrauit Simonem Petrum, sed seipsum quem Petrus confessus est, quia quæsiuit Christus ex Petro: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* & paulò post respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui.* Cui Christus: *super hanc petram* quam confessus es *ædificabo ecclesiam meam.* Et hoc patet per glossam interlinearem, & Augustinum in libro retrectationum sic dicentem: dixi in quodam loco de Apostolo Petro quod in illo tanquam in petra ædificata sit ecclesia, sed scio me postea scripsisse, me sic exposuisse quia à Domino dictum est: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* & super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, &c. Bene in his verbis (dicunt) Petro promittuntur claues, sed non conuincitur ex ipsis quod eas super alios habuerit apostolos, quia Ioannis 20. indifferenter omnibus dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Hoc non valet, nam licet quis scripturam pro Petro adductam per aliam scripturam sic exponere laboret, hoc non sufficit, & ratio est: Nam quando sunt multi sensus scripturæ, & dubitatur in quo sensu scriptura intelligatur, ille sensus est indubitatus, qui à viris omni exceptione maioribus colligitur. Sed sic est in proposito. Anacletus enim Apostolorum contemporaneus xxij. dist. C. Sacrosancta Romana, sic inquit. Sacro-sancta Romana & apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore nostro primatum obtinuit. Idem ostenditur testimonio Marcelli Papæ & martyris 24. q. 1. c. Rogamus. & ita tenuerunt in tota illa ætate, & postea exercita-

B C D E

tissimi & fundatissimi doctores, quibus contraire in hac parte extremæ temeritatis est.

Sed contra hanc conclusioné arguitur. Petrus non erat supra Paulum, ergo non super quélibet constitutus est à Christo. Antecedens probatur, quia ad Galathas II. sic dicit Apostolus: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt, sed contra cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatū circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Ex istis formatur argumentum: Si Petrus fuisset institutus vniuersalis pastor ecclesiæ, poterat æquè immediatè suum officium in quolibet loco exercere, & sic prædicare gétibus. Respondetur. Argumentum nihil aliud probat, nisi quod officiū euangelizandi seu apostolatus non accepit à Petro, sed missus fuit à Deo, priusquam Petrū adiret. Omnes enim erāt Petro pares quātū ad ordiné & episcopatū. Ad illud de determinato loco dicitur, quod in pluribus locis Petrus prædicabat Iudæis, interdum gentilibus vt Centurioni, & cum ab Antiochia transiret Romam, non est verosimile quin transeundo seminauerit verbum Dei. Et licet Paulus dicatur Doctor gentium, quia gentium conuersioni & eruditioni plurimum inuigilauit, interdum tamen etiam Iudæis verbum Dei effudit, vt patet Actuum 7. & 13. Petrus tamen si voluisset, suum officium in quocumque loco poterat exercere.

Secundò arguitur. Anacletus Papa, vt scribitur 21. dist. c. in nouo. dicit sic: Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honoré & potestaté acceperunt, ipsumq; principé eorū esse voluerūt. Et confirmatur hæc auctoritas à signo, quia Græci sequūtur contradictoriū conclusionis nostræ, & non est dicendū quod tantus populus in re tā ardua erraret, populus inquā, qui fidé ante Romanos suscepit, & plerasque ecclesiæ bases habuit. Ad secundū respondet glossa, quod secundariò volebant Petrum esse caput cæterorū; sed hoc primò à Christo habuerunt. Nam si Christus politiam aristocraticam in spiritualibus reliquisset, non potuissent apostoli eam in regalem mutare. Ad aliud, non est verosimile quod primi illi magni Græci tenuerint oppositum. De hæreticis autem Bohemis & posterioribus Græcis loqui non oportet.

Hic potest fieri argumétum de Indis, & Christianis in alijs locis separatis, quia si reliqua necessaria ad fidé crederét, nescij quod Romanus pōtifex sit caput ecclesiæ, durū est dicere quod sint in statu damnationis. Occam in fine tertiæ partis dialogi probabile putat quod politia regalis ecclesiæ potest pro vrgentissima causa duobus ex æquo cōmunicari, licet glo. in c. Non auté. 7. q. 1. teneat oppositū, quia est vna Ecclesia Catholica. Hoc idé tenet Armachanus lib. 7. ad Armenios c. 15. Sed ratio glossæ est nulla, ecclesia enim non dicitur vna ab vnitate capitis ministerialis, sed à Christo & vnitate fidei, vt videre est post mortem Papæ ante creationem alterius. Porrò si essent duo vterque posset absoluere quélibet sibi subiectum. An autem ita fieri possit ab hominibus pro vrgentissima causa ius diuinum exponendo, non insisto, loquor de facto nunc.

Tertio arguitur. Non est vnum caput in temporalibus cui reges sūt subiecti omnes, ergo hoc
A non congruit in spiritualibus. Respondetur. cōsequentia est nulla. Nam primò summus pontificatus est ex institutione Christi, nulla tamen monarchia in tēporalibus est ex eius institutione: & hoc est rationabile, nā cum modica impensa gladio spirituali vtitur Pontifex, vt excōmunicatione, & interdicto & cæteris cānonicis pœnis; gladius autem imperatoris debet esse magnus exercitus, quia si perdatur, victus habebitur cōtéptui, nam euentus belli est dubius, & nunc hunc, nūc illū consumit gladius. Secundò, bona spiritualia
B in nullius possessione sunt, sed sunt cōmunitatis ecclesiasticæ, quapropter congruum est habere vnū caput pro bonorum illorū administratione; bona verò laicorū sunt singulorū, secundū quod homines iustis titulis sua bona acquirunt, emptione, hæreditate, vel alia via; quare nō est opus vno capite pro illis. Insuper variarū regionū diuersi sunt mores in tēporalibus, ergo congruum est habere caput secundū morum exigentiā. Sed duobus regibus contendentibus quis litem diri-
C met? Satius ergo est habere vnum caput in temporalibus. Respondeo. quis pacem inter Federicum tertium & Matthiam Pannoniæ regem cōposuit, cum Imperatorem à Vienna sui ducatus primaria vrbe eiecit Matthias? In nullo enim senatu pro regnorum partitione disputatur, sed finem litis de regnis partiundis gladius imponere solet, loquor de facto. Dicis: quis finem materiæ litigiosæ inter Romanum Pontificem & alium inferiorem ponet? Si dicatur acquiescendum esse capiti, sic dices de Imperatore & Rege. Di-
D co non esse idem, vt patet ex discrimine superius tacto.

Secunda cōclusio. Episcopi reliqui à Maximo Pontifice sunt ex institutione Christi sicut maximus Pontifex. Probatur, nam XXI. distinct. c. in nouo testamento. scribitur: Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, & intelligo de sacerdotio & Episcopatu, & non de iurisdictione; si enim tunc non fuissent Episcopi, non fuissent
E Petro pares in honore. Et in eo. cap. ipsis quoque decedentibus in loco eorum surrexerunt Episcopi. Idem patet XXI. dist. c. 1. in ver. simpliciter. vbi dicitur: Simpliciter verò maiorum & minorum sacerdotum discretio in nouo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui XII. Apostolos tanquam maiores sacerdotes, LXXII. discipulos quasi minores sacerdotes instituit; Petrum verò quasi summum sacerdotem elegit. &c. Præterea glossa margi-
F nalis Lucæ X. dicit: *Sicut in apostolis est forma episcoporum, sic in LXXII. discipulis est forma presbyterorum.* Hoc est curatorum. Et ex istis potest iterum sic formari argumentum. Presbyteri hoc est curati sunt ex institutione Christi, ergo & episcopi. Amplius de summa Trinitate & fide catholica c. 1. § vna. dicitur, quod Sacramentum Eucharistiæ nemo potest conficere nisi sacerdos qui ritè fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis eorúmq; successoribus Iesus Christus; sed sacerdos nō ordinatur à claue sacerdotali, sed solùm episcopali, ergo Christus claues Apostolis tradidit episcopales.

Rursus,

Rursus,dato opposito, scilicet quod episcopi & curati non sunt ex institutione Christi,sed ex institutione summi Pontificis, ita quod Petrus sua auctoritate instituit Apostolos Episcopos, & maximi Pontificis auctoritate instituuntur alij Episcopi,ergo Romanus Pontifex potest vnumquéque episcopum & curatú & omnes destituere de potentia sua absoluta, non creando nouos, quia quos vnus Pontifex sua auctoritate creat, non obligat suos posteriores siue successores cótinuare; nam par in parem nó habet auctoritaté, & *omnis res per quascumque causas oritur,per easdé dissoluitur*:de regu. iur. Omnes. Sed hoc concedere nó reputo cóueniens,igitur.Insuper,idé habetur de cósuetu. c. Quanto. Item cómuniter tenetur, quod episcopi possunt confirmare, & non simplices sacerdotes vllo pacto;sed non video quod maximus *Pontifex possit hanc potestatem* episcopalé plus quàm Sacraméta instituere. Si dicas: Petrus fuit minister creádo reliquos Apostolos Episcopos,& Deus hác potestatem dedit,quod possent confirmare & dare ordines, sicut sacerdos baptizat,& Deus characterem baptismalem infundit, iam habeo intentum. Postquam hæc scripsi ante impressionem occurrit mihi alia probatio istius conclusionis. Nam primus articulus fratris Ioannis Angelus prædicatus Tornaci fuit iste.

Fratres præsentati Episcopo & admissi sunt proprij sacerdotes & veri curati, & melius quàm presbyteri parochiales,quia facultatem suam habent à summo Pontifice, & dicti presbyteri ab Episcopo dumtaxat. Ecce examinationem facultatis nostræ à 34. annnis præteritis. *Quidquid sit de prima parte propter æquiuocationem istius termini proprij,dicit tamen facultas,quod propositio in se & quoad omnes reliquas partes & probationem partis vltimæ, quæ dicitur* (ab Episcopo dumtaxat) *est scandalosa, in fide erronea, hierarchici ordinis destructiua, & pro conseruatione eiusdem ordinis publicè reuocanda & abiuranda.*

Tertia conclusio. Maximus Pontifex non habet dominium temporale super reges. Probatur. Nam dato opposito sequitur quod reges sunt eius vasalli,& eos ad nutum à regno trudere potest de facto,licet peccet sine causa eos expellendo,quemadmodum fortassis contingit de multis eius officialibus & subiectis in temporalibus;sed hoc non est concedendú. Secundò arguitur ad idem. Nullum titulum habet super regnú Francorum, vel Hispaniarum in temporalibus, ergo non sunt ei subiecta in temporalibus,antecedens patet. Nam quæro quem titulum? Si dicas: succecedit Christo, & Christus est Dominus omniú. Contra probare non potes quod Christus secundum humanitatem est Dominus omnium, cùm dixerit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et illo dato consequentia est inualida, & impossibile est eam probare,crebrò enim vicarius non est tantæ auctoritatis quantæ est superior cuius est vicarius. Nam Christus instituit Sacramenta, dedit legem gratiæ, & potest reuocare omne ius diuinum positiuum,hoc tamen non potest Pontifex. Tertiò arguitur: Dato opposito sequitur hæc conclusio: Constantinus nihil dedit Siluestro, sed solum restituit ei debitum, cuius contrarium dicitur 96. dist. C. Constantinus, & 12. q. 1. c. futuram. Præterea ipsi Pontifices fatentur ad se non spectare iurisdictionem temporalem,nec velle iuri regum detrahere, vt Innocentius tertius in c. Nouit. de iudicijs, & Alexander tertius in c. causam quod filij sint legitimi, & in illo famato c. Per venerabilem eo. ti. Innocentius tertius dicit quod Rex Francorum superiorem in temporalibus minimè recognoscit, propterea cum filio tanquam cum inferiore dispensare poterat. Sed dicis cum glossa: non recognoscit de facto, debet tamen de iure. Hanc glo. probo esse Aurelianensem, & textus corruptiuam,quia si sic, Romanus Pontifex non sufficienter respondisset illi nobili de monte Pessulano petenti dispensationem pro suo spurio,quo modo rex cum suo illegitimo filio dispensaret. Nam dixit Romanus Pontifex: Rex Francorum est supremus in suo regno in temporalibus; si locutus fuisset de facto,responsio fuisset nulla, poterat enim sic ille nobilis respondere: ego non cognosco vel non cognoscam amodo superioré de facto. Quintò arguitur: oppositum asserens, & maximum pontificem & reges offendit & eis nocumentum præstat,ergo sapiens non debet illud asserere. Quod non prosit pontificibus manifestum est, quia facit eos quantum in se est sollicitos, vt illud Mathematicum imperium in temporalibus manuteneant, quia non patiuntur diminutionem in temporalibus ad se spectantibus verè vel apparenter, & sic ministratur eis materia rapiendi alieni imperij, quod nunquam ad finem deducere poterunt, vt legimus de Bonifacio octauo contra Philippum pulchrum, & alijs varijs. Similiter est nocumentum regibus in temporalibus pro suis regnis defendendis, & in spiritualibus, quia multa mala tempore belli committuntur. Propterea Ioannes Gerson asserentes talia blandientes appellat. Sexto arguitur. Multi deuoti reges à pontificibus maximis canonizati nunquam Romanos Pontifices supra se in temporalibus admiserunt,& in hoc mortui sunt, ergo signum est quod Romani Pontifices non habent dominium omniú in temporalibus. Septimò arguitur: Papa non est Dominus omnium bonorum ecclesiæ, ergo non est Dominus omnium bonorum temporalium, antecedens patebit paulo inferius in hac distinctione, & consequentia est nota.

Contra secundam cóclusionem arguitur, probando quod solus Petrus est institutus Pontifex à Christo, & omnes alij instituti Pontifices à Petro, argumentis aduersariorum scilicet Petri Paludani in tractatu de potestate ecclesiæ, & Ioannis de turre cremata Cardinalis sancti Sixti, quibus tenent oppositum. Primò arguitur per C. Porrò 66. dist. vbi dicitur; Porrò Hierosolymitanus primus Archiepiscopus beatus Iacobus, qui iustus dicebatur vt secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis & ordinatus, ergo Iacobus Alphei non est ordinatus Episcopus à Christo immediatè. Ad hoc argumentum respondet glossa multifariam, cuius aliquæ expositiones sufficiunt. Vna, quod non ordinarunt eum Episcopum, sed Archiepiscopum, & sic ordinauerunt eum in administrationé ali-

cuius certi loci, prius enim erat Episcopus sine titulo. Sed contra hoc replicant isti: si hæc nō erat vera ordinatio Episcopi facta, non conueniēter susceperunt ex ea formā ordinationis Episcoporū in ecclesia, contra Anacletū in dicto c. In nouo. dist. 21. Responsio. Quæritur ab alijs quis ordinauerit Petrum, & nō dabunt tres. Dico ergo esse cōstitutionē humanā quod Episcopus ordinetur à tribus. Paulus enim nō quæsiuit duos pro ordinatione Titi & Timothei. Nā primæ ad Timotheum 4. dicit: *Noli negligere gratiā quæ in te est, quæ est tibi data per prophetiam cum impositione manuū presbyteri.* Glossa autem marginalis dicēs (presbyteri pro presbyterorum) est voluntaria, magis literæ repugnans quā eam explicans. Rursus Romanus Pontifex, si velit potest solus episcopum aliquem ordinare sine duorum ope, vt Hugo & multi alij concedunt. Præterea Rusticus & Eleutherius qui cum beato Dionysio ad Gallias venerunt non erant episcopi, sed Galliæ episcopos solus Dionysius ordinauit. Ecclesia tamen nunc vtitur tribus episcopis in pontificum creatione, ad imitationem Petri, Ioannis & Iacobi maioris, qui Iacobum Alphei creauerunt, vt dicitur in c. Porrò. Item in c. Archiepiscopus, eiusdem distinctionis habetur quod Archiepiscopus ab omnibus suæ prouinciæ episcopis ordinetur, & si aliter præsumptū fuerit, viribus carere non dubiū est, quia irrita erit ordinatio. Sed istud nō requiritur de necessitate, ergo nec aliud ei adiunctum. Secundò arguitur: in c. In nouo. dicitur quod primò Petro in ecclesia pontificatus datus est. Respondetur, hoc non potest adiuuare aduersarios, quia immediatè ante illa verba dicitur: à Petro sacerdotalis exit ordo, & tamen isti alij concedunt omnes apostolos esse factos sacerdotes à Christo. Pro talibus ergo omnibus dicatur quod Petrus erat primò dignitate Episcopus & sacerdos, quia generalis pastor ecclesiæ. Est etiam vero simile quod prius Christus incepit à Petro, vt in lotione pedum, quod conuincitur ex eis verbis: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Nam si ab aliquo alio incepisset, verosimile est quod ille sicut Petrus recusasset, & passim inter Apostolos ab Euāgelistis primus numeratur. Sed Christus dando ei ordines & episcopatum etiam alios ordinauit. Tertiò arguitur: nihil asserendum de diuinis nisi quod ex diuinarū scripturarū testimonio vel ratione probari potest; sed Apostolos alios à Petro fuisse ordinatos à Christo nec auctoritate nec ratione conuinci potest. Respondeo: minor nō est sufficienter probata, nā sufficit ex maioribus nostris habere fundamentum. Porrò Anacletum Apostolorum vicinum vel contemporaneū introducimus ad hoc conuincendum. C. In nouo. Et refellitur argumentū quærēdo ab aduersarijs, vbi est factus Petrus Episcopus? Non Matthæi 16. quando dixit Christus: *Quodcunque ligaueris. &c.* quia nondum erat sacerdos, & da vnum locum, idem dicam de alijs Apostolis. Per ista autē verba Ioannis vltimo: *Pasce oues meas, &c.* ordinatus est vicarius Dei generalis. Si dicas: constat quod Petrus est factus episcopus licet Euangelistæ non allegent determinatum locum, hoc eadem facilitate dicam de alijs. Sed pro omnibus dicitur, quod primò erant Apostoli, & postea sacerdotes ordinati in cœna, quia ante cœnam nondum corpus Christi consecratum erat sub speciebus panis & vini, & in illa cœna fecit eos sacerdotes cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. nam satis erant ab eo examinati sacerdotio digni, *& est verosimile quod omnes ordines eis contulerit, videlicet & alios sacros & minores, etiam dedit eis in cœna potestatem super corpus suum verum, & vt aliquibus placet, etiam super corpus Christi mysticum in foro interiori*, quia si non dedisset eis potestatem super corpus Christi mysticum in cœna, non fuissent completi sacerdotes, quod reputatur inconueniens. Siue autem per eadem verba dedit eis potestatē super vtrumque, siue per alia non refert, quia vtrumque facere poterat; secus est de episcopis nostris potentiam delegatam & subordinatam habentibus. Oppositum tamen est communius super corpus Christi mysticum, & credo illud esse rationabilius. Post resurrectionem verò ordinauit eos episcopos omnes, Ioannis 20. per illa verba: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Et cum dixisset: insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Nec obstat quod post immediatè subiungitur: Thomas non erat cum illis, quia Christus poterat eum ordinare episcopum absentem, quemadmodum vt scribitur Numeri 11. *Super Heldad & Medad requieuit spiritus absentes*: Etiam Deus est vbique. Et quod istud sit rationabile ostendo, nam in cœna fecit eos sacerdotes, ergo habebant potestatem super corpus Christi verum, & secundum aliquos super corpus Christi mysticum, ergo per illa verba Ioannis 20. dedit eis aliam potestatem constituendi eos magnos sacerdotes, id est episcopos. Nec obstat, quod hoc dicatur sacerdotibus, quia idipsum dicitur in creatione episcoporum. Etiam in alijs ordinibus non habes formam adæquatam qua vsus est Christus quando ordines contulit. Quare arguere de ipso vt de episcopis nostris, est debile argumentum. Insuper tu ipse da formam qua vsus est Christus creando Petrum Episcopum. Quartò arguitur: Barnabas & Paulus non sunt creati episcopi à Christo, ergo nec alij, antecedens patet, quia Actuum 14. dicitur: *Tunc ieiunantes & orantes imponentésque eis manus dimiserunt illos.* Ergo illic facti erant episcopi. Respondetur, consequentia est nulla, quia non erant de sacro Apostolorum numero duodenario, sed Apostoli separatim. Si dicas: Iudas fuit episcopus ante mortem. Nam Psalmo 108. & Actuum primo dicitur: *Et episcopatum illius accipiat alter.* Et tamen ipse non erat ordinatus post vltimam cœnam, ergo Apostoli erant creati episcopi ante resurrectionem. Respondetur, hoc non iuuat aduersarios. Iudas enim nunquam fuit episcopus. Ad verbum autem allegatum dicitur, quod per episcopatum apostolatus intelligitur. Tenendo etiam viam communem non fuit completè sacerdos, quia super corpus Christi mysticum nullam accepit potestatem.

Contra tertiā conclusionē arguitur sic, Pōtifex cōparatur soli, de Maio. & obed. cā. Solitæ, & Imperator lunæ; modò luna lumen capit à sole, igitur. Secundò arguitur: Zacharias Papa deposuit Regem

Regem Francorum, & instituit Pipinum patrem Caroli magni, vt habetur 15. q. 6. c. Alius. vbi Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribit: Alius item Romanus Pōtifex Zacharias scilicet Regē Francorum nō tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quod tantæ potestati erat inutilis à regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrē in eius locum substituit, omnésque Frácigenas à iuramento fidelitatis absoluit. Quod etiam ex auctoritate frequenti agit sancta Ecclesia, cum milites absoluit à vinculo iuramenti. Ad primum dicitur quod ex mystica Theologia debile capitur argumentum, vt dicit Augustinus ad Vincentium Donatistam, & Dionysius in epistola ad Titum, dicens quod symbolica Theologia non est argumentatiua. Item vulgo dicimus: argumētum à simili claudicat vno pede, sed sufficit aliqualis similitudo, nam sicut sol lumen suū lunæ cōmunicat (quod patet ex cornibus eius oppositis soli ipsi in quadris, & plenilunio in oppositione) sic fidē & illustrationē in ambiguis fidei Imperator à maximo Pontifice accipit, & hoc sufficit quoad aliqualem similitudinē. Et reflectitur argumentum in arguentes: Luna aliquod lumen ex se habet, vt videmus in deliquio lunæ cum sol est in capite draconis, & luna in cauda, vel cōtra, & dato quod luna nihil luminis habeat nisi à sole, tamē influentiā aliā habet super humida, cum medullæ ossium sint incremento lunæ maiores. Periti etiā hortorū cultores in inserendis arboribus hoc nouerunt. Idem patet de fluxu & refluxu maris, & hoc per solam suā influentiā occultā habet, imò est mirabile dictu, quod cum est ex altera parte terræ faciat mare fluere & refluere in parte opposita, nec ab hac influentia impeditur à tota sphera terræ, & sol forte influentiam talem ob spheram terræ non habet. Sic dicitur in proposito quod reges non habent suas potestates immediatè à Romano Pontifice, nec influentiam ab eo vllam in temporalibus suscipiunt, sed consensu populi, successione, emptione, donatione, vel alio titulo habent regna. Potestas enim terrena non sic dependet à potestate spirituali maximi Pontificis, vt centurio à principe militiæ, sed sunt duæ potestates non subordinatæ, quarum neutra dependet ab altera, nam regnum possidens non est vasallus Romani Pontificis, nec Imperator illo modo est ei subiectus, saltem quoad terras quas nō habet ab ecclesia, nō enim loquor de terris quas in Italia habet, quas tenet vel tenere debet (vti referunt) vt ecclesiæ obsequatur. Sed cōtra hoc arguitur: ergo totus mundus mōstrosus erit, cū nō habeat vnū caput. Item quomodo aliter maximus Pontifex erit caput ecclesiæ? Respōdetur mundus multas æquiuocationes habet capiendo autē mundū pro vniuerso, Deus est caput eius, & mortuo Pontifice manet caput sicut & corpus. Secundò dico, quod Romanus Pōtifex est caput ecclesiæ, imo totius vniuersi vel esse debet; per Romanū autem Pontificē semper maximū Pōtificē intelligo. Et sicut anima corpori præstat, licet aliquid possit corpus quod non potest anima, tamē anima dicitur simpliciter perfectior, sicut facile est dare duo indiuidua se habētia vt excedēs & excessū, & tamen quia vnū habet conditiones perfectiores, simpliciter dicitur alio perfectius. Exemplum quantitas

A continua immediatius inhæret substantiæ quàm qualitas, & sic quandā perfectionē supra qualitatem habet, sed quia aliquas proprietates multo nobiliores habet qualitas, quia agit, quod substātijs nobilissimis conuenit, simpliciter dicitur esse perfectior. Similiter peccatū quæ in comestione pomi vetiti habebat circūstātiā aggrauantē, quia instigauit virum & plus voluit, sed quia plus rationis habebat protoparēs Adā, datur alia circūstātia peccatum Adæ aggrauans, quo non obstāte vnum peccatū dicitur esse maius alio simpliciter. Simpliciter dico quod sine addito dico, primo priorū.

B Sic rex potest dispēsare in tēporalibus cum illegitimè natis, vt in hæreditate succedant, & nō pontifex, vt ipsimet pontifices ingenuè fatentur, & eorū auctoritates sunt magis cōtra eos quā pro eis. Nec valet dicere quod hoc dicāt ob humilitatē, quia nō deberēt illud facere, vt patet de veracitate quarto Ethi. & eius extremis. Secūdò, nō est vero simile quod vellēt id facere in suā iacturā temporalē. Tertiò, quidquid ipsi dicant vel posteriores, restabit probare quo iure spectet

C ad eos aliorū regnum. Ad secundū respōdet glos. quod nō oportet vti illo vocabulo (deposuit) in significatione qua capitur prima frōte, sed sic exponit: deponētibus cōsensit, & hoc cognoscitur ex Francorū annalibus. Nam cū Hildericus totus deses & inutilis regnaret apud Gallos, & Pipinus habenas reipublicæ strenuè moderaretur, optimates Franciæ miserunt legationē ad Pontificē maximū, quia vniuersitas Parisiensis nondū florebat, sciscitātes ab eo an ille deberet regnare qui

D otio torpebat, an ille qui æstū diei portabat. Quibus cū respondisset Pontifex, quod posterior regnare deberet, primores regni Pipinum Regem creauerūt, & sic Zacharias deposuit, hoc est, erat aliqua causa motiua, quare regni proceres Regē deposuerūt, sicut applicās actiua passiuis dicitur producere ignē. Insuper ex talibus factis singularibus quę ex deuotione ad Ecclesiā, & nō debito iuris fiunt, nō est trahendū aliquid in consequētiā, quemadmodū nec ex multis alijs, vt vbi Imperatores elegerūt maximos Pontifices, similiter

E quod aliqui maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores, & sicut recitat ecclesiastica historia, multi sacerdotes apud Constantinū magnū suas querelas deponebāt, ex quibus nullū potest sumi argumentum. Tertiò arguitur per Bernardum ad Eugenium Papam libro quarto dicentē: *Quid tibi denuo gladiū vsurpare tentas, quē semel iussus es deponere in vaginā? quem tamen qui tum negat, non satis videtur attendere verbum Domini sic dicetis: Conuerte gladium tuum in vaginam, tuus est ergo & forsitan ipse tuo*

F *nutu & si non tua manu euaginandus, alioquin si ad te nullo modo pertineret, apostolis dicentibus: Ecce gladij duo, non respōdisset Dominus: satis est, sed nimis.* Itē est vulgare dictū: *Vnū gladiū habet maximus Pontifex actu, alium in habitu.* Quartò, maximus Pontifex potest dispensare in spiritualibus, ergo & in tēporalibus. Nam qui potest maius, potest minus. Ad tertiū illud de gladijs, est hyperbolicè dictū, quare ex ipso nō potest trahi efficax argumentū. Secundò, ipse ponit forsitan, & hoc sufficit pro toto. Tertiò dicitur quod vnū gladiū habet actu, scilicet spiritualem, cum interdicit & excommunicat, alium habet in habitu, id est potest rogare principes terrenos, quatenus sint sibi subsidio,

& sic habet alium in habitu, id est in potentia, nec capitur hic habitus, vt capitur ab Aristotele II. Ethi. Ad quartum conceditur, quando minus includitur in illo maiori, alioquin non oportet, homo enim potest ratiocinari, non autem volare. Et concludendo dicam quod hic potest esse vna disputatio verbalis & alia realis. Nam si dicatur maximus Pontifex esse dominus omnium, & omnes alij principes eius vasalli, & posse eos instituere & destituere, ad suum nutum, licet iniquè faciat, hoc iudico falsum, & contradictionem huius sensus posui in conclusione. Si verò dicatur, quod nullo modo potest legitimare in tēporalibus, quoad successionē in terris regum, & si legitimet vel legitimare conetur, nihil agit, & quod reges non sunt eius vasalli, sed aliquod dominium habet, petatur in quo sensu. Hoc dixerim, quia interdum inuenimus verbosas positiones in sententia conuenientes & solùm verbis discrepantes. Si enim intelligatur habere dominium in temporalibus casualiter, & multum posse agere ad depositionem regum, suadendo, consultando, imò alios ad gladium prouocando in eos, quando sunt labefactatores fidei, & reipublicæ Christianæ prorsus inutiles, hoc mitius ferendum est, nec est alienum à dictis nostris. Si verò aliqui reges cum populo se tradiderunt Romanis pontificibus, vt fertur de Anglis, nihil ad nos. Collector namque Romani Pontificis pecuniam in Anglia colligit, ex qualibet domo denarium, vt intellexi, qui denarius papalis dicitur; sed illic oportet videre an solus rex regnum Pontifici subdi it, vel rex & populus. Non tamen opinor quod Angli vllo modo permitterent Pontificem destituere suum regem, & alium constituere, nunquam enim aliquem Romanorum pontificum hoc facere permiserunt.

Hactenus quomodo Petrus ex institutione Christi est caput ecclesiæ, & quilibet eius successor, quamuis de successore in euangelio non legatur. *Nam Christus legislator optimus politiam regalem & optimam instituit, non pro vno, sed toto tempore ad diem iudicij vsque. Et tam Episcopi quàm curati sunt ex institutione Christi, vt Petrus. Cæterum Petrus aut successor eius in institutione Christi non habet dominium in temporalibus, sed solum in illis quæ principes sæculi illi benignè & gratis contulerunt & conferunt.* A Dico tamen de iure naturæ esse quod pascatur & sustineatur (si nihil habeat) secundum decentiam capitis, pro quanto vigilat & laborat pro se & reliqua parte corporis. Quamuis autem leges ciuiles de præscriptionibus tollat, vt in c. fi. de præscrip. vel aliquas alias, hoc non arguit Pontificem habere dominium super reges, sed idcirco facit quod lex illa nutrit peccatum, & quod B actus ille non est iurisdictionis ciuilis, sed ecclesiasticæ, ad quam spectat singula peccata salubri remedio cohibere, alioquin nullam legem ciuilem tollere potest, vt dicit glos. in regula Possessor. de regu. iuris lib. 6. Habet tamen Pontifex dominium in terris ecclesiæ à Constantino datis, quas in Italia tenet. Nam Constantinus & populus in illam donationem consensit, & quidquid sit, iam in terris illis præscripsit, & peccat terras illas auferre tentans ab ecclesia. Sed C licet nullus rex superiorem in temporalibus agnoscat, omnium tamen regum caput est Pontifex, quia est eorum caput in spiritualibus. Alibi autem prolixius materiam inter imperatorem & reges deduco, an vllam præeminentiam imperator habeat super reges. *Præterea reliquos Apostolos Episcopos factos à Christo diximus post resurrectionem, & per consequens tam episcopi quàm curati sunt de iure diuino, quemadmodum Romanus Pontifex*, nec aliquis purus homo potest illud ius & illas potestates tollere ab ecclesia plus quàm summum pontificatum; licet Petrus Paludanus D & de Turre cremata teneant oppositum. *Sed hoc quod ipsi tenent censuit in fide hæresim facultas nostra, & hoc idem alijs rationibus munimus.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO RESVMPTIVA MAGISTRI IACOBI ALMAIN [redacted], DIOECESIS SENONENSIS, agitata in vesperijs Magistri Ludouici Bel, qui primum habuit locum licentiæ suæ anno 1512.



POst ingeniosam quæstionis decisionem Magistrorum nostrorum expectatiuam, necnon ornatam præstantissimi Magistri nostri terminorum interpretis expositionem, mihi incumbit ad quæstionem propositam pro viribus respondere: Præsuppositis igitur protestationibus per me aliàs factis, pono tres conclusiones. A

Prima Conclusio.

Dominium naturale, quod homini conuenit ex dono Dei, simpliciter est inabdicabile quantum ad cuncta: similiter & quantum ad certam speciem cibi & potus in omni euentu: Cui dominio post peccatum conueniens fuit superaddere dominium ciuile proprietatis, similiter & iurisdictionis; quo fungentes, executionem gladij materialis habent, à quo ecclesiastici iure diuino minimè eximuntur. B

An liceat homini seipsum fame aut gladio interimere.

PRima huius cõclusionis pars est, *quod dominiũ naturale hominibus cõpetit ex dono Dei:* Pro cuius probatione supponitur quod dominium naturale est facultas seu potestas propinqua assumẽdi res inferiores ad sui sustentationem, secundum dictamen legis naturalis. Lege enim naturali quilibet tenetur se conseruare in esse: Ex qua obligatione, in quolibet oritur potestas res inferiores sumendi in vsum, ad sui conseruationem: quæ potestas dominium naturale vocatur, cuius titulus est *necessitas*; de quo dominio dicitur *in necessitate omnia sunt communia*, & istud dominium quoscũque dominos simul compatitur. Ad istud dominium apud quosdam pertinet potestas alterum inuadentem occidendi, *seruato moderamine inculpatæ tutelæ*. Huic dominio, nullũ ius humanũ derogare potest, cũ iure inferiori non abrogetur ius superius. Ex istis sequuntur aliqua corollaria. C D

Primùm est non obstante quacumque appropriatione facta Sorti per ius positiuum, si aliqua res sit necessaria ad conseruationem Sortis, similiter & Platonis, & Plato eam prius occupauerit, licitè potest ea vti, quia seclusa appropriatione facta Sorti per ius positiuum, Plato ad hoc fuisset obligatus iure naturæ. Nec æstimo probabile quod dicit Armachanus, quod Plato fuisset obligatus dare dimidium Sorti, quamuis sequeretur vtriusque mors: Sed ius positiuum per quod facta est appropriatio Sorti, iuri naturali non derogat, Igitur, &c. Huius sententiæ est Petrus de Palude dist. 15. lib. 4. sentent. vbi dicit *quod melior est conditio possidentis:* Opposite Scotus in eadem. distinct. E F

Secundum corollarium contra Armachanum est, quod istud dominium non fundatur in charitate, absurdum enim foret dicere quemlibet

Prima pars.

vtentem cibo & potu in subleuationem suæ necessitatis, nouum incurrere crimen: aliàs tanta requireretur probatio ad sumendum potum aut cibum corporalem, sicut ad sumendum corpus venerabile Christi.

Tertium corollarium, non potest aliquis per sententiam cuiuscunque iudicis, ob quamcumque culpam, hoc dominio priuari, ita quod ei subministrato cibo & potu, non foret licitum vti ad sui conseruationem. Istud corollarium est de mente sancti Thomæ 2. 2. q. 69. artic. vltimo. In solutio. 2. argumenti, vbi sic dicit, nullus ita condemnatur, quod inferat sibi mortem, sed quod ipsi patiatur, & ideo non tenetur facere illud, vnde mors sequatur: & statim subiungit sic, etiam si aliquis sit condemnatus, vt fame pereat, non peccat si cibum sibi occultè subministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere.

Quartum corollarium, contra ius naturale facit habens superfluum respectu naturæ (licet nõ respectu status) non communicans alteri, quem cognoscit pati indigentiam respectu naturæ. Istud corollarium videtur esse contra sanctum Thomam 2. 2. q. 32. artic. 6. similiter in 4. sent. distinct. 15. & ratio corollarij est, quia status quilibet est de iure purè positiuo, quod iuri naturæ derogare non potest. Huius sententiæ est Durandus in 4. dist. 15.

Istis præmissis probatur ista prima pars per illud quod scribitur Genes. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis semen generis sui, vt sint vobis in escam.* Ex quo sequitur corollario quod Deus hominem hoc dominio naturali priuare potest. Quicquid enim dat Deus ad extra, merè contingenter dat. Vnde etiamsi præcepit Sampsoni per interiorem reuelationem, vt euulsis columnis faceret domum ruere, quamuis ad hoc sequeretur mors eius, eadem ratione præcipere potest ne quis comedat & bibat, quamuis sequatur mors. Secundo sequitur probabilitas opinionis Durãdi in tractatu de legibus, quod existentibus duobus meliori & minus bono, quibus præsens est aliquid præcisè, quod tantùm sufficit ad alterius sustentationem, debet minus bonus meliori cedere, quamuis illud industria minus boni sit acquisitum, quia magis bonus habet magis de bonitate veri dominij supremi, cum eum magis Deus diligat: etiam cum ista inferiora sint facta propter hominem, tãquam minus perfecta propter magis perfectum, erunt magis facta propter magis perfectum hominem, quam propter minus perfectum. Et consequenter deducitur probabilitas opinionis sancti Thomæ, quod aliquis potest sibi subtrahere simpliciter necessarium ad sui conseruationem, vt det magnæ personę à qua dependet respublica ciuilis aut Ecclesiastica.

Secunda pars est, quod est simpliciter inabdicabile, est similiter quantum ad certam speciem: proinde in omni euentu non licet homini seipsum interficere, nec positiuè omittendo scilicet id quod est necessarium ad sui conseruationem. Nam si abdicaret in omni euentu hoc dominiũ quantum ad certam speciem, seipsum interficeret interpretatiuè in aliquo casu, scilicet si necessariò indigeat cibo, & nihil sit illi præsens præter illud comestibile. Huius opinionis est Dominus Armachanus in suo 2. lib. de paupertate Christi, cap. 25. Ex quo sequitur Carthusiensem posse comedere carnes si nihil sit aliud præsens, & si egeat cibo: & hoc deducit Panormitanus in ca. Si verò, de iureiurando: nolim tamen negare, si immineret scandalum, debere potius mortem sufferre, iuxta illud Pauli, *Si scandalizauero fratrem meum non comedam carnes in æternum.* Secundum corollarium est, contra legem naturæ faciunt qui in tantùm vacant abstinentiæ, vt vitam suam notabiliter abbreuient.

Ius gladij concessum esse reipublicæ ad sui conseruationem.

Tertia pars conclusionis est, quod conueniẽs fuit tam dominiũ ciuile proprietatis quã iurisdictionis supperaddi dominio naturali: Pro cuius probatione, quælibet communitas aliquorum ad inuicem conuersantium, est velut vnum corpus cuius singuli alter alterius sunt membra iuxta illud dictum Pauli ad Roman. 12. Secundò supponendum est, quod in illa communitate iure naturali est potestas quædam qua licitè illos quorum vita est in perturbationem eius, potest à corpore præscindere, etiam per mortem, & istud deducitur à priori ex ratione sancti Thomæ. 2. 2. q. 64. Omnis inquit, pars ordinatur ad totum cuius est pars, velut imperfectum ad perfectum: & si saluti totius corporis expediat abscisio alicuius membri, puta quia est putridum, aut cæterorum corruptiuum, laudabiliter abscinditur. Cum ergo quælibet persona singularis, comparetur ad totam communitatem sicut pars ad totum, ideo si aliquis sit perniciosus communitati, & ipsius corruptiuus, laudabiliter occiditur à communitate. Et probatur idem à posteriori, quia cum communitas det principi auctoritatem occidendi, sequitur quod est prius in cõmunitate & non ex datione cuiuscumque alterius nisi dicatur Dei: Ergo in ea est illa potestas naturalis. Prima consequentia tenet per illud: *Nemo dat quod non habet.* Et si dicatur, Curatus nõ presbyter dat suo Vicario potestatem absoluendi quam non habet istud negatur, quia solùm dat iurisdictionem quam habet.

Ex isto primo sequitur corollariè, quod potestas occidendi quantum ad institutionem non est positiua, quamuis sit positiua quantum ad cõmunicationem certæ personæ vt puta regi, aut certis personis de communitate paucis aut pluribus qui eam regant aristocraticè aut timocraticè: Quia cum hoc præceptum *non occides* sit de iure naturali, nisi ab eo per ius naturale aliquis casus exciperetur, per ius positiuum quodcumque, saltem humanum excipi non posset, cum humana potestas (vt singulis certum est) super ius naturale non existat. De diuina autem inter doctores est dubium.

Secundum corollarium, nulla communitas perfecta hanc potestatem à se abdicare potest, sicut nec singularis homo potestatem quam habet ad se conseruandum in esse.

Tertium corollarium, Princeps non occidit auctoritate propria, nec illam potestatem potest ei conferre respublica. Hinc dicit Gulielmus Parisiensis quod dominium iurisdictionis Principum, est solùm ministeriale in ordine ad communitatem, sicut dominium sacerdotis, respectu remissionis peccatorum, est solùm ministeriale in ordine ad Deum.

Quartum corollarium, non potest renunciare communitas potestati quam habet super suum principem ab ea constitutum, qua scilicet potestate eum (si non in ædificationem sed destructionem regat) deponere potest, cum talis potestas sit naturalis: & istius sententiæ est glossa. 23. q. 3. can. Ostendit, vbi dicit, Populus habet iurisdictionem licet dicat lex quod eam transtulit in Imperatorem. Nam si ciuitas vel populus non haberet iurisdictionem, quare puniretur propter delictum iudicis? 23. q. 2. can. Dominus, vbi dicitur sic: Gens & ciuitas petenda est bello, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est: non enim punienda foret ciuitas nisi iurisdictionem haberet ad compellendum. Et iterum sequitur, quod non est dabilis, in quocũque casu naturaliter, monarchia purè regalis, capiendo monarchiam purè regalem, prout visus est capere quidam istis diebus, quando vnicus præest, & nullis subest: nam apud philosophum, non ita capitur politia timocratica, sicut ipse capiebat.

Quintum corollarium, quod falsissimum est illud Scoti. q. 3. dist. 15. quod non licet quemquam occidere auctoritate publica nisi in casibus exceptis à deo ab isto præcepto *non occides*: Si intelligat de exemptione facta per ius positiuum diuinum, qualia erant iudicialia veteris testamenti (prout videtur prætendere) quia tunc ante legem Moysi non licuisset quemquam interficere cum tunc nullum esset adhuc ius positiuum, & in lege Euangelica non liceret quemquam interficere saltem nisi pro homicidio, quia iudicialia antiquæ legis sunt reuocata, & nullus casus videtur exceptus in lege Euãgelica, nisi dicatur homicidium fuisse exceptum Matth. 26. vbi dicitur. *Omnes enim qui gladium acceperint gladio peribunt:* Si vero intelligat de exemptis à Deo per ius naturale, non facio difficultatem, sed tunc nulla erit eius probatio ad probandum quod pro simplici furto non licet quemquam interficere.

Istis suppositis probatur illa pars. Si enim res singulis communicatis non appropriarentur sed remanerent communes, cultura earum negligeretur: quia quod commune est negligitur, & corpore fortiores à debilioribus cuncta aufferrent: Ergo conueniens fuit superaddere dominium ciuile proprietatis.

De dominio Iurisdictionis probatur, quia communitas regulariter facile congregari non possit (penes quam residet naturalis auctoritas malos

malos coërcendi & vnicuique particulari supposito ius dicendi ad pacificam cohabitationem) congruum fuit, vt eam delegaret alicui aut aliquibus qui facile congregari possent.

Vtrum Ecclesiastici sint iure diuino exempti à Iurisdictione ciuili.

VLtima pars est quã non assertiuè propono, sed solùm probabiliter, & inquirendæ veritatis gratia, etiam causa conferentiæ cum doctissimo viro Magistro Roberto Iacquinot in sacra Theologiæ facultate licentiato meritissimo, necnon venerabilis Collegij Bellouacensis vigilantissimo primario, nempe quod Ecclesiastici à iurisdictione coactiua ciuili, nõn iure diuino eximuntur, & primo probatur ex illo Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* Et quod per potestates seculares intelligat principes seculares, ex sequentibus manifestè apparet, *Nam principes, non sunt timori boni operis sed mali:* Et iterum, *non enim sine causa gladium portat.* Et quod ista subiectio non sit solùm ad vitandum scandalum, patet iterum ex sequentibus. *Ideóque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Secundo probatur & apparenter exemplo Beatissimi Pauli Actuum 25. vbi refugiens iudicium coactiuum sacerdotum, *dicit ad tribunal Cæsaris appello, ibi oportet me iudicari, Iudæis non nocui, si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori, & iterum Cæsarem appello:* vbi dicit glossa interlinearis, quia ibi est locus iudicij, ergo refugiens iudicium sacerdotum, confessus est se iurisdictioni coactiuæ Cæsaris se fuisse subiectũ: Sed, credendum ne est Apostolum fictè dixisse, *à quo oportet me iudicari?* aut metu mortis? quia iam pro veritate mori elegerat ipso teste dum dixit: *Ego enim non solùm alligari, sed & mori paratus sum in Hierusalem, propter nomen Domini nostri Iesu Christi.* Multæ sunt aliæ auctoritates quas breuitatis causa omitto, & probo ratione.

Si per hoc quod homo consecratur in sacerdotem (de simplici tonsurato non facio difficultatem) efficeretur iure diuino non subiectus principi, sequeretur quod nullus veniret ordinandus nisi ex licentia principis: Consequens est falsum & absurdum, patet sequela, ante ordinationem Princeps habet aliquod ius in istum hominem, quo etiam ipso inuito priuatur per ordinationẽ ex parte opposita: sed nullus iure suo nisi ex consensu proprio, aut culpa, pro qua à superiori priuari potest, debet priuari: Hinc est quod Episcopus ordinans seruum despoticum, sine consensu domini, tenetur domino ad restitutionem.

Secundò, si iure diuino sit exemptus eo quod presbyter, ergo per quamcumque degradationẽ non potest fieri laico principi subiectus, & per consequens nec à laico iustè iudicari, cum ad iustum iudicium subiectio requiratur: Patet sequela, cum enim iure diuino sit exemptus, & iure diuino prohibitus erit principi vsus gladij in sacerdotem: Sed tota ecclesia ius diuinum immutare non potest, ergo non potest per quamcumque degradationem aut sententiam humanam, subijci iudicio laico, sicut necnon sacerdos fieri.

Sententiæ oppositæ videtur esse Innocentius 3. in cap. Solitæ de maioritate & obedientia di-
A cens: Quod autem dicitur *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, intelligendum non est quod rex vel Imperator super bonos & malos gladij acceperit potestatem, sed solum in eos qui vtentes gladio eius iurisdictioni sunt commissi, & eiusdem sententiæ cum Innocentio est Panormitanus in eodem cap. 6. notabili: similiter vltimo cap. de Foro competenti, vbi dicit quod priuilegium datum ecclesiasticis non fuit alicuius noui collatio, sed tantummodo iuris de-
B claratio: Idem tenet glossa in can. Si Imperator 96. distinc. vbi sic dicitur, antequam esset aliqua cõstitutio, clerici non erãt de iuridictione laicali vnde omnes constitutiones quæ emanarunt non sunt nisi iuris declaratio. Et Carlerius, copiosum tractatũ ea de re edidit cõtra Bohemos. Nihilominus Gulielmus Occam, Marsilius de Padua, & Ioãnes de Parisijs dicunt hoc esse priuilegium, & fuit datum tempore Iulij. 1. adhuc viuente Constantino magno: vnde refert Platina, ipsum fuisse primum, qui prohibuit ecclesiasticos litigare
C coram iudicibus laicis.

Notandum est tamen circa hanc partem quod principes laici non possunt iam hoc priuilegio ecclesiasticos priuare, quia nullus potest alterum ob quamcumque culpam, aliqua libertate sibi competente priuare, nisi in eum habeat iurisdictionem, cum priuatio talis actus sit iurisdictionis: Sed principes laici in ecclesiasticos iam nullam habent iurisdictionem, saltem quantum ad eorum personam, cum eam quam prius habue-
D runt à se abdicauerint, ergo libertate donata eos priuare non possunt: similiter ecclesiastici nunquam principibus laicis fuerunt subiecti, quantum ad ea quæ eis iure diuino competũt, vt sunt Sacramentorum administratio, & decimarum susceptio: hæc materia amplissimum requireret tractatum.

Secunda Conclusio.

Dominium Ecclesiasticum seu Euangelicum à puro homine non est instituibile, quo cuncti fideles coërceri possunt nec aliquis eximi potest
E fidelis, sed infideles tantum: & à regali dominio immutabile est in aristocraticum aut timocraticum, & ex institutione diuina, nullam habet in temporalibus iurisdictionem annexam.

Potestas ecclesiastica ab hominibus institui non potest & de plenitudine potestatis Papæ.

PRima pars cõclusionis est, quod dominium Euãgelicum seu Ecclesiasticum supremum, non est ab homine puro, nec ab hominibus instituibile: Pro cuius probatione supponitur hic
F quod non loquimur de dominio quod habent ecclesiastici super peccata in foro secreto & pœnitentiali, cuius actus non potest exerceri in inuitum, sed loquimur de dominio quod respicit forum exterius & publicum, & est potestas à Christo immediatè instituta ad coërcendum fideles ad viuendum secundum leges Euangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ, & hæc potestas potest exerceri in inuitum.

Ad quos autem actus se extendat hæc potestas, tanta est apud Doctores controuersia vt nimis confusa sit materia, ita vt his temporibus (vt dicit Gulielmus Occam) summè necessarium fo-

ret, quod per sapientes iuramentis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos, declararentur quæ spectant ad plenitudinem potestatis, quã ecclesia noscitur obtinere. Quidam enim eam ita ampliant forsitan adulationis causa, vt beneficia & priuilegia obtineant, vt omnis absorpta videatur principum potestas: Cæteri verò ex aduersa parte, forsan vt principibus adulentur, eam tantum arctant, vt principum secularium voluntati subijciant, vt Marsilius de Padua, dicens neminem posse excommunicari ab ecclesiastico iudice, nisi ex principis consensu, vt videre est in suo libro qui *defensorium Pacis* intitulatur.

Aliqui eam extendunt vsque ad dissolutionem matrimonij rati & non consummati, vt gloss. in cap. quod votum, de voto & voti redemptione lib. 6. Similiter gloss. in cap. ex publico, de conuersione coniugatorum vbi ponit hanc propositionem meo iudicio periculosissimam & condemnandam, quod summus Pontifex posset statuere quod per secundum matrimonium rumperetur primum. Eiusdem sententiæ est Panormitan. In eodem cap. Similiter Magister Thomas de vio Caietanus in opusculis nuper impressis: sed hoc est contra verbum Christi Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet nisi fornicationis causa.* Hoc præterea est contra substãtiam Sacramenti matrimonij, quod est vinculum indissolubile, nec verissimile est, si dissolui posset per hominem quin ex sacris literis hoc posset comperiri, sicut de matrimonio inter infideles altera partium ad fidem conuersa: nec significat matrimonium istud ratum & non consummatum, præcisè vnionem Dei ad animam, nec etiam ad ecclesiam, quæ est inseparabilis. Et si allegat aliquis quod tale matrimonium ex iure purè positiuo dissoluitur per votum solemne castitatis ad minus per ingressum religionis, hoc negat de Palude distinc. 27. 4. sent. sed ex iure diuino, quod ex traditione ecclesiæ habemus.

Aliqui eam extendunt ad dispensandum contra ius naturale, vt gloss. in ca. auctoritatẽ 15. q. 6. Alij contra prohibitionem Dei dicunt posse dispensari vt angelus in summa super isto termino Papa, sed hoc in ijs quæ non sunt primaria legis naturæ principia, vt sunt quidam gradus consanguinitatis à lege diuina prohibiti, & allegat ex Archidiacono Florentino factum Martini vi. eiusdem est sententiæ Panormitanus cap. per venerabilem, qui filij sunt legitimi, & quod falsum sit istud manifestè patet, quia non potest subditus alicui legi, in illam legem, nec inferior in legem superioris, qualis est Papa in ordine ad legem Dei, & legem naturæ & mirum est quod tales eum ab illis etiam legibus non absoluant.

Aliqui verò hanc potestatem extendunt ad aufferendas minores prælatos sine causa rationabili & iuris ordine non seruato, ita quod nunc tenet sententia, ac si esset iusta, & eo facto quo placet summo Pontifici depositus est, quamuis ita faciendo peccet, vt Petrus de Palude tractatu suo de ecclesiastica potestate art. 5. & artic. 6. dicit vnum quod est mirandum, quod rex non potest deponere vasallum vt alterum instituat, imo si deponat non tantum peccat, sed etiam nihil facit. Papa autem si destituat magis bonum sine

A causa, & loco eius ponat minus bonum, licet peccet, tamen institutio tenet. Si autem minus bonum destituat, vt ponat magis bonum, tenet institutio & non peccat. Quæ profectò sententia est igne digna, cum constet prælatos & titularios verum ius habere, quo nullus inuitus sine causa rationabili priuari potest, ista tamen potestate absoluta visus est vti sanctissimus pater modernus, in prælatos nostros vt infra patebit.

Aliqui verò ad infideles eam protendunt, ita

B quod per eam ad præcepta legis naturæ saltem compelli possint, vt Panorm. in cap. nouit de iudicijs: Cuius oppositum satis habetur ex ca. gaudemus, de diuortijs, vbi dicitur eos quæstionibus canonicis minimè arctari iuxta illud Apostoli: *quid enim ad nos de his qui foris sunt iudicare?*

Aliqui ad peccata secretissima, puta peccata cordis extendi putant, ita quod pro eis homines ligari excommunicatione possint, vt gloss. In Clementina de hæreticis. Sed hoc est fermè aduersum omnibus doctoribus dicentibus ea pec-

C cata iudicio Dei reseruata, de pœnitent. dist. 1. ca. cogitationis pœnam nemo patiatur ab homine, inquit glossa, sed bene à Deo, & hoc patet per ca. mandato de Simonia, & ca. tua nos, & per parabolam Saluatoris Matth. 13. qua prohibentur crimina eradicari censura excommunicationis sub nomine zizaniæ, quãdo à frumento dignosci non possunt. Et hoc non potest Ecclesia apud Durandum, in 4. dist. 13. non solum propter defectum cognitionis, sed propter defectum iuris-

D dictionis.

Non videtur mihi insuper hæc potestas ad eos qui sunt in purgatorio extendenda, cum vbicunque in Euangelio fierent promissa aut collata dictum sit *quodcunque ligaueris super terram, aut quodcumque solueris super terram. Quæcumque ligaueritis super terram, & quæcumque solueritis super terram,* & nunquã de ijs qui è vita decesserũt facta est mentio: Et ex hoc sequitur quod non possunt animæ in purgatorio existentes à pœna solui per indul-

E gentiarum largitionem, sed bene per suffragia, & hoc optimè deducit Carlerius in tractatu quem fecit de ista materia.

Alij verò hanc potestatem nimis restringere videntur, dicunt enim eam non extendi nisi ad peccata commissa in rebus purè spiritualibus iũcta contumacia, vt puta quæ sunt Euãgelio propria vt puta peccata commissa contra articulos fidei & Sacramenta, non autem ad peccata quæ sunt contra legem naturæ. Et huius sententiæ videtur esse Gulielmus Occam circa finem sui

F Dialogi & Ioannes Gerson lectione. 4. de vita spirituali animæ, veruntamen videtur mihi satis conformiter ad textum euangelicum, ad quæcumque mortalia manifesta, quibus iuncta est contumacia, hanc potestatem extendi ita quod per eam contumaces ligari possint, nã Matthæi 18. vbi instituta est hæc potestas dicitur, *si peccauerit in te frater tuus, &c.* vbi non distinguit Christus de his peccatis, vel illis, sed vniuersaliter de singulis peccatis mortalibus loquitur, & statim subiungit denunciandum esse ecclesiæ, cum ad charitatiuã correctionem aliquis non vult emendari: & iterum si ecclesiam non audierit, venit excom-

excommunicandus. Huius sententiæ est Durandus in tract. quem egit de ista materia, vbi dicit A iurisdictionem ecclesiasticam extendi ad omnes actiones Christianorum, non solùm clericorum, sed etiam laicorum, maximè si per modum iniuriæ vel cuiuscumque alterius peccati considerentur: & ad hoc probandum, rationem quam dicit irrefragabilem, adducit, sed plus cogit textus præallegatus, quàm eius ratio.

Corollariè sequitur, quod extenditur ad cogendum eum, qui vendidit vltra iustum precium (quamuis non dimidium iusti precij) vt restituat: Secundò sequitur, quod extenditur ad co- B gendum purè laicum, vt soluat debitum aut cedat bonis: quis dubitat talem nolentem soluere, in fratrem suum peccare? seruandus igitur erit processus iste Matth. 18. in ipsum, & istud corollarium ponit Carlerius in tract. contra certas personas malè sentientes de clauibus Ecclesiæ ad Archiepiscopum Bisontinensem. Veruntamen ecclesiasticus id non debet attentare, vbi paratus est iudex laicus cogere, ne in grauamen principum videatur Christus hanc potestatem insti- C tuisse. Sed quando deest laicus iudex, aut si non desit, & non vult, aut si velit & non potest, tunc ad potestatem ecclesiasticam recurrendum est cap. licet de foro competenti. Illud corollarium prius positum, est de mente Panormitani ca. in ciuitate de vsuris, vbi potest compelli clericus ad restituendum id quod habet vltra iustum precium in foro contentioso. Idem puto de laicis, saltem in foro ecclesiastico, & istud bene notandum est cum videatur expressè contra capitulum D Cum dilecti de emptio. & vendit. Et contra glossam in eodem cap. sed falsum est quod dicit glossa in illo capite, quod licitum est contrahentibus sese citra dimidiũ precij decipere, nec iure canonico approbatur contractus ille, sed bene iure ciuili, cum non sit verisimile ius canonicum conditum instinctu spiritus sancti deceptionem dolosam approbare: Istis suppositis, probatur prima pars secundæ conclusionis.

Potestas includens aliquid, quod excedit omnem facultatem humanam, non potest institui E ab homine, nec à communitate, sed potestas ecclesiastica aliquid includit omnem potestatem humanam excedens, scilicet posse relaxare pœnam debitam in purgatorio, & posse aliquem excludere à suffragijs Ecclesiæ: similiter posse consecrare, & posse absoluere à peccatis, quæ singula humanam facultatem excedunt. Ergo, &c. & hoc argumento vtuntur doctores ad probandum quod ecclesia non potest instituere Sacramentum, & ex consequenti sequitur quod non F potest instituere aliquid, quod ex vi operis operati remittat venialia peccata, sicut imaginantur aliqui de aqua benedicta.

Nullus Christianus, à potestate Ecclesiastica eximi potest.

SEcunda pars est, quod illa potestate cuncti fideles possunt coërceri, & quod ab illa nulli possunt eximi; quæ probatur satis ex dictis circa processum illum. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* & ex eo quod dictum est Petro, cum promissa est ei hæc potestas *quodcumque solueris & ligaueris super terram, &c.* Si enim eximeretur aliquis, falsa esset hæc propositio. Insuper cum illi potestati non ex institutione humana, sed diuina cuncti fideles subijciantur, & quando aliquis subijcitur alicui non ex proprio consensu, sed auctoritate alicuius, nõ potest ab illa subiectione eximi, nisi auctoritate eiusqui eũ subiecit, vel auctoritate sui superioris, si habeat superiorẽ: hinc est quod contra obedientiam debitã Ecclesiæ præscribi non potest. Et multi Imperatores & Reges hac potestate fuerunt excommunicati, vt Innocentius Papa Archadium Imperatorem excommunicauit, quia consensit vt Ioannes Chrysostomus pelleretur à sede sua. Et beatus Ambrosius, licet non esset vniuersalis Ecclesiæ Episcopus tamẽ Theodosium magnum Imperatorem excommunicauit, vt can. duo sunt 96. distinct.

Politia Ecclesiastica ita est monarchica, vt nullo modo possit mutari in aristocratiam aut democratiam.

TErtia pars est, quod illud dominium non sic est mutabile in aristocraticum aut timocraticum, quod secluso Concilio vniuersali, pluribus suprema potestas ecclesiastica communicaretur, siue in magno numero, siue in pauco, & ista pars est gloss. 2. q. 1. can. non autem. Oppositum probabile reputat Gulielmus Occam 3. parte dialogi, quod sic probo, quia si communicetur pluribus, aut communicatur eis copulatim aut diuisim: Si primum, sit ita ergo quod communicetur duobus, & nullus eorum seorsum potestatem habeat, tunc vno istorum capto, cum supremam iurisdictionem alter non obtineat, potest illa potestate ligari, & per consequens, tunc in istis copulatim non residet: Si diuisim, ergo nullus alterũ poterit ligare aut soluere, cum par in parem non habeat imperium, & sic falsificatur illa propositio *quodcumque ligaueris, &c.* Huius sententiæ est glossa, in can. non autem, 7. q. 1. & Armachanus lib. 7. quæstionum Armenor. cap. 15.

Potestas temporalis non est annexa potestati Ecclesiasticæ.

VLtima pars est, quod ex Institutione Christi nullam habet potestatem laicam annexam: Ista proposito patet auctoritate Bernardi dicentis: *non in possessionibus sed in criminibus est potestas vera.* Et ex cap. nouit de iudicijs. vbi Innocentius ad Prælatos Franciæ scribens. Non enim intendimus, inquit, iudicare de Feudo cuius iudicium ad Regem spectat; sed decernere de peccato cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Secundò probatur eadem propositio, de ratione potestatis laicæ est pœnam ciuilem posse infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. sed nullam talem pœnam ex institutione diuina infligere potest ecclesiastica potestas, imo nec incarcerare vt plerisque doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur vt puta excommunicationem, reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur ex iure purè positiuo sunt. Et si dicat aliquis ad potestatem ecclesiasticam spectat ciuiles leges auferre, vt patet ca. vltimo de præscriptionib. vbi abrogatur lex permittens præscriptionem fieri cum mala fide: re-

uiter dicitur prout habetur in gloss. in regula possessor de regul. Iuris in 6. quod nullam legem A ciuilem aufferre potest suprema potestate ecclesiastica fungens, nisi illa contineat peccatum, quemadmodum erat lex illa præscriptionis, & actus ille non est actus iurisdictionis ciuilis, sed Ecclesiasticæ, ad quam singula peccata cohibere spectat, & ex ista propositione infero corollaria.

Utrum Constantinus magnus dederit Papa Imperium occidentale.

PRimum est, si Constantinus Magnus dederit summo Pontifici Imperium occidentale, B fuit vera datio, & non solum debiti redditio. Dicitur notanter si dederit, cum in singulis Canonibus vbi asseritur ipsum dedisse ponatur *palea*, vt patet in vtroque can. Constantinus, distinct. 96. & mirum est si dedisset quo modo hoc tacuisset Platina. Bene referunt de quarumdam Ecclesiarum Romæ dotatione, sed de Imperio nihil.

Secundum corollarium est, Constantinus magnus contradicente populo occidentali non po- C tuit ad summum Pontificem transferre Imperium, cum potestas quælibet ciuilis, & præcipuè suprema, nisi tyrannidem appelles potestatem, ex libero consensu populi introducatur, nec cõsensus ex metu cadente in constantem virum sufficeret, cum non sufficiat ad translationem rei particularis, vt communiter dicunt Doctores. 14. distinct. 4. sentent. quamuis iuristæ nominatim gloss. & Panorm. In cap. Abbas, de his quæ vi metusue causa fiunt, sentiat oppositum, & præ- D cipuè de rebus in quibus competere potest actio quod metus causa: & per hoc dicunt non posse fieri matrimonialem corporis trãslationem, cum non competeret actio quod metus causa, *quia quos Deus coniunxit homo non separet.* Sed probabilior est theologorum opinio, & ex isto iterum deducitur Christianissimum regnum Gallorum, nunquam fuisse subiectum Imperio Romano, nam manifestum est eos tyrannicè intrasse, & populum nunquam postea liberè consensisse in E subiectionem: sed si consenserit hoc fuit ex metu cadente in constantem virum.

Regnum Franciæ nulli subesse in temporalibus.

ET iterum sequitur corollariè, Christianissimum Francorum Regem, nulli subesse in temporalibus, & hoc habetur in capit. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi, vbi dicitur Rex Francorum nullum in temporalibus recognoscit superiorem: & quamuis dicat glossa, hoc est de facto & non de iure, quia de iure subijcitur Imperatori, illa glossa destruit textum, cum sta- F tim subiungatur, & ideo sine alterius iniuria nostro se iudicio subijcere potuit. Si enim iure alterum haberet superiorem, vt puta Imperatorem, manifestum est illi superiori iniuriam factam esse, se alteri ab eo subijciendo.

Tertia Conclusio.

Dominium Ecclesiasticum supremum, prius tẽpore, maius perfectione & extensione in Ecclesia quam in summo Pontifice existit, quo Concilium generale (sine auctoritate Papæ congregabile) fungens, quemlibet actum illius dominij in quemlibet Christi fidelem exercere potest.

Potestas Ecclesiastica, natura & tempore prius est in ecclesia quàm in Papa.

PRima pars huius conclusionis est, quod dominium Ecclesiasticum est prius tempore in Ecclesia quam in summo Pontifice: Probatur sic: Istud dominium fuit collatum Ecclesiæ, Matth. 18. vbi data est primò potestas cognoscendi de peccato in foro exteriori cum illo præcepto, *dic Ecclesiæ.* frustra enim præciperetur Ecclesiæ denunciari, nisi apud eam cognoscendi resideret auctoritas. Secundò data est Ecclesiæ potestas, sententiandi cognitione præuia, & non obtemperantes sententiæ, pœna mulctãdi, quod est proprium iurisdictionis coërcitiuæ, quando dictum est: *Si non audierit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et quod de Ecclesia prout est plurium collectio intelligatur, patet, quia statim pluraliter subiungitur *quæcumque solueritis & quæcumque ligaueritis, &c.* in quibus verbis etiã apud Doctores contrarios, data est Ecclesiæ auctoritas statuendi constitutiones sententiæ latæ, non solum sententiæ excommunicationis, sed & suspensionis à fructibus, imo & depositionis à titulo: Sicut multum probabile est iam esse canonẽ sententiæ latæ in hæreticos, & illos qui post adeptum beneficium non promouentur infra annum & hoc tenet de Fontibus in quodlibetis. Sed adhuc tunc nullus erat institutus summus Pontifex, sed præcisè post resurrectionem Ioan. vltimo, cum dictũ est Petro: *Pasce oues meas,* quod etiam apud aduersarios tenetur, quamuis ei prius fuisset promissa potestas Matth. 16. *Dabo tibi claues regni cælorum.* Ergo prius fuit collata ecclesiæ quam summo Pontifici. Vnde sicut potestas ciuilis coërcitiua (cuius finis est felicitas politica, scilicet ciuiliter ad inuicem conuersantium) est prius tempore in corpore politico quam in quocũque eius mẽbro, ita Christus prius corpori suo mystico ecclesiasticam potestatem contulit (cuius finis est felicitas superna) quam cuicumque membro.

Ex hoc infero probabiliter corollariè, quod si Christus nullum post resurrectionem suam summum Pontificem seu vicarium generalem instituisset, Ecclesia, tamen in gradu æquè perfecto potuisset instituere: Probatur, quamuis nullum instituisset, iam prius erat suprema ecclesiastica potestas coërcitiua instituta & ecclesiæ communicata; Ergo etiam potuisset eam alicui supposito committere, sicut ciuium multitudo potestatem suo principi committit.

Secundò probatur & meo iudicio peremptoriè, cum Christus instituit Petrum summum Põtificem Ioan. vltimo, nihil potestati de nouo cõtulit ecclesiæ sed soli Petro, nec vnquam postea legitur aliquid de nouo contulisse, & tamen notissimum est quod Petro mortuo in ecclesia fuit potestas instituendi aliquem summum Pontificem, ergo & ante institutionem Petri, & per cõsequens si Christus non instituisset, ecclesia potuisset instituere.

Potestas maior est virtute in Ecclesia quàm in Papa.

SEcunda pars est, quod illa potestas est maior perfectione & extensione in ecclesia quam in summo Pontifice: Quod sit maior perfectione, pro-

probatur sic, est in Ecclesia indeuiabiliter, ita quod errare non potest in his quæ sunt fidei & bonorum morum, nec errare potest in sententiando, ita quod malè sententiaret, cum semper ei assistat Spiritus sanctus veritatis doctor & infallibilis director, & nihil iudicat aut statuit nisi eius instinctu, iuxta illud quod scriptum est Actuum 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*: Sed in summo Pontifice est deuiabiliter, ergo est perfectior illa potestas in Ecclesia quàm in summo Pontifice.

Ex ista parte infertur corollariè, quod determinatis per summum Pontificem non est necessariò credendum (quamuis non sit oppositum publicè dogmatizandum) nisi manifestum sit ex sacris literis, ex reuelatione, aut determinatione Concilij determinantis, aut per Concilium necessariò credendum. Propter hanc causam visum est Gulielmo Occam in 1. quæst. de potest. summi Pontificis cap. 9. multa in decretalibus contineri quæ hæresim sapiunt, & nititur deducere ex pluribus passibus. Primò ex cap. Per venerabile, qui filij sint legitimi, vbi dicitur: Sanè cum Deuteronomium secunda lex interpretetur; ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo testamento debeat obseruari: Sed manifestū est multa in Deuteronomio poni, quæ obseruanda in nouo testamento asserere hæreticum est. Si dicat obseruanda sunt in sensu mystico, ita & ea quæ ponuntur in Leuitico, & alijs libris. Et sic nullam poneret differentiam, & ita Occam deducit de plerisque alijs locis, quæ tamen mallem humiliter exponere propter reuerentiam.

Secundò est in Ecclesia inauferibiliter, in summo autem Pontifice aufferibiliter.

Probatur nunc, quod sit maius extensiuè in Ecclesia quam in sommo Pontifice, nam in Ecclesia est ad instituendum summum Pontificem, aut eius institutionem aliquibus committēdam, sicut commisit dominis Cardinalibus, nō autem sic est in summo Pontifice. Secundò est in Ecclesia ad arctandum vsum potestatis in summo Pontifice, si ea vtatur non in ædificationem Ecclesiæ, iuxta illud Saluatoris, *Si scandalizauerit te oculus tuus erue eum à te*, quantum ad vsum, dicit glossa, quemadmodum arctauit in mandatis & reseruationibus, &c. Sed in summo Pontifice non est ad arctandum vsum illius potestatis in successore sequenti, cum par in parem non habeat Imperium. Tertiò est in Ecclesia supra summum Pontificem, non solùm in materia fidei, sed in singulis, vt tenet Ioannes Patriarcha Antiochenus in tracta. de ista materia, quod etiam concedit glossa in can. Si Papa dist. 40. in peccatis scandalizantibus totam Ecclesiam.

An, & quo in casu Concilium possit congregari sine Papa aut Cardinalibus.

Tertia pars est, quod Concilium generale congregabile sine auctoritate Papæ, ista potestate fungitur, pro cuius partis ampliori declaratione, dico primò quod iure diuino summo Pontifici competit auctoritas ordinaria & regularis Concilium generale conuocandi, & nulli alteri: summo enim Pontifici iure diuino obligatur quilibet fidelis obtemperare & nulli alteri. Ergo iure diuino soli summo Pontifici regulariter & ordinariè suijciuntur cæteri prælati, vt ad eius præceptum teneantur pro vtilitate ecclesiæ ad certum conuenire locum. De collegio autem Cardinalium, apud eos qui dicunt quod sunt de statu hierarchico succedentes Apostolis, prout assistebant Christo, similiter & Petro ante eorum diuisionem, satis probabile est quod illi collegio hæc auctoritas iure diuino competeret, cum duodecim Apostoli, & non solus Petrus multitudinem discipulorum conuocauerint, Actuum 6. Ex quo iterum sequitur quod non solùm de statu Episcoporum, qui Apostolis succedunt, sunt vocandi ad Concilium ad habendum vocem deliberatiuam, sed etiam de statu curatorum, qui succedunt discipulis. Secundò dico, quod si Papa & collegium Cardinalium ita obstinati essent vt etiam vrgente necessitate, nollent concilium conuocare, non esse credendum à Domino derelictam ecclesiam absque medio oportuno vt se conseruet, tueatur, & protegat, aliter melius esset ordinata politia purè ciuilis quàm ecclesiastica, cum principibus negligentibus tuitionē politiæ, possit populus ab aduersarijs se defendere. Vnde in tali casu, meo iudicio, quælibet ecclesia particularis, ad cuius notitiam peruenit necessitas congregandi Concilium, nec non eorum vel eius obstinata malicia, ad quem vel ad quos ordinariè spectat conuocare, cæteris, non præceptiuè, sed consultiuè illam necessitatem manifestare debet, necnon certum locum aut certa nominare, ad quem vel ad quæ tutus pateat accessus, ad instar oculi, qui cum præuidet pericula corpori imminere, cæteris manifestat membris, & locum ostendit ad quem confugere possint, & instrumenta quibus se protegant: & post istam manifestationem, cæteræ ecclesiæ particulares, non humano sed diuino præcepto, ad locum aliquem tutum debent conuenire. Sicut postquam per expertum medicum alicui dictum est, de aliquo cibo quod est necessarius ad eius sustentationem, non præcepto medici, sed ex præcepto legis naturæ tenetur illud sumere. Corollariè sequitur, quarumdam prouinciarum prælatos, de necessitate Concilij sufficienter instructos, nec aliter laborantes pro pace ecclesiæ, non esse in conscientia tutos.

Dico tertiò, si singulæ Ecclesiæ particulares, post hanc institutionem ad certum conuenirent locum, apud illam collectionem ecclesiæ residet auctoritas, imò etiam si à casu conuenirent, vt dicit Ioann. Gerson. Quis enim dubitat, quin apud collectionem Apostolorum, qui à casu conuenerant in transitu Virginis, tanta fuerit auctoritas sicut si Petri præcepto conuenissent? Dico quartò probabiliter, nihil temere asserendo, si post talem insinuationem causæ necessariæ congregationis fiendæ, aliquæ particulares ecclesiæ (cæteris perniciosè negligentibus) apud aliquem certum locum conueniant, quod tota residet in eis auctoritas. Si enim non posset dextera manus, aut nollet per imaginationem, corporis defensioni vaccare, nunquid apud sinistram residebit defendendi corporis potestas?

& si neutra manuum velit aut possit, in cæteris membris residebit, & hoc est satis conforme dicto Christi, *vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum*: & dicit in nomine meo, & non *in nomine Petri*. Et istud iterum probatur, nam possibile est summum Pontificem cum vna Ecclesia, obstinatum esse, & nolle vacare ecclesiæ ædificationi, sed potius destructioni: quo in casu quis asserere auderet in parte residua potestatem non esse? vtinam zelus domus Dei, nostri temporis prælatos cum regio propheta comederet, & zelarent salutem fideliũ Christi plusquam pecuniam, non differrent properare ad Concilium Pisanum, aut quemuis alium locum tutum, & occurrere effusioni tanti sanguinis Christiani, necnon vt verisimile est, innumeræ animarum perditioni, quæ eorum custodiæ commissæ sunt, vident enim Ecclesiam Gallicanam ad quemcumque locum tutum paratissimam proficisci, quis enim eis locum tutum Romam æstimabit esse? cum in eos tantùm sæuiat sanctissimi patris animus, vt penes Romanos suos concilium esse iudicet, non expectato patrum aduentu, non obstante legitima appellatione interiecta, & non seruato iuris ordine in eos processerit, deponendo, & excommunicando, vt iam eos intitulet olim Lugdunensem, & Senonensem Episcopos, & sic de alijs: causam scilicet dicturus, cum aduenerint patres qui depositi sunt, si venerint: aut etiam si videatur non dicturus, sed peiora facturus. Quid vobis videtur? quis dubitare poterit hæc tempora periculosa magis esse, quàm tempora schismatis? cum caput, ac si esset in destructionem sibi potestas data, & non in ædificationem, in eos qui saluti corporis Christi intendunt, sæuire tantùm videatur, & pro eo quod bene arguunt, plectere pœnâ? Sed illas censuras nullomodo esse timendas, constat ex eo quod dicunt Doctores, in 4. distinct. 8. nominatim Durandus, cum sententia manifestum errorem continet (vt puta si dicatur excommunico te quia credis in Deum) nullomodo est timenda nec seruanda in secreto aut publico, sed de his hactenus.

Concilium potest exercere omnes actus Iurisdictionis.

VLtima pars est quod Concilium generale omnes actus Iurisdictionis Ecclesiasticæ in quemlibet Christi fidelem exercere potest. quod possit dispensare, patet ex can. Presbyter, dist. 86. quod possit Canones obligantes condere, patet ex 18. capit. Actum, & ex can. si quis, de Clericis 12. q. 2. quod possit dare indulgentias, patet, cum indulgentiæ dentur ex thesauro Ecclesiæ, cuius Papa minister est: Si enim minister ex thesauro domini aliquid erogare possit, à fortiori Ecclesia domina poterit: quod possit excommunicare, patet ex can. Episcopi, & placuit 11. q. 3. & cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitentijs & remissionib.

An summus Pontifex, vt summus Pontifex, pœna Ecclesiastica affici possit.

CIrca istam partem, Dominus vesperizatus Magister Ludouicus Bel, posuit propositionem mecum collatiuam, quod summus Pontifex potest excommunicari manens summus
A Pontifex. Cui propositioni nollem contradicere, quia determinatum est per Concilia antiquitùs, & nunc per sacrum Concilium Pisanum renouatum, quod summus Pontifex illi præcepto, *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* subjicitur non solùm actiuè sed etiam passiuè: Veruntamen eius propositio non est ita certa, quin zelatores maximi potestatis illorum conciliorum, de ea dubitauerint, non propter impotentiam Conciliorum, sed rei contradictionem, vt patet ex Nicolao de Cusa, in libro quem compi-
B lauit in Concilio Basileensi, qui intitulatur de Concord. Catho. opus profectò insigne, in quo præclarissimè, de potestate Conciliorum & summi Pontificis, & Regum & Imperatoris definit, cap. 18. lib. 2. Cum enim Papatus in libera administrandi potestate consistere videatur, & nihil aliud videatur esse quam libera potestas super omnes ligandi & soluendi, & Ioann. Gerson consideratione habita de statu Papali sic dicat, Status Papalis quamuis eximat Papam à le-
C gibus purè positiuis ciuilibus, aut canonicis, sic quod secundum eas coërceri punitiue non potest: & quod loquatur de Canonibus generaliorum Conciliorum, satis patet ex eadem consideratione, & ad istud probandum adducam rationes quæ mihi videntur apparentiores, relictis auctoritatibus quæ variæ sunt.

Primò sic, Papa non potest separari à communione fidelium, ergo non potest excommunicari; Consequentia tenet, quia excommunicatio quælibet, illam separationem importat, &
D probatur antecedens, quia cum quis excommunicatur eius subditi licitè cum eo nō possunt cōmunicare, vt ex omnibus Doctoribus notũ est. Sed summo Pontifici quilibet fidelis est subiectus, ergo nullomodo potest separari à licita fidelium communione. Et confirmatur ista ratio, quia Papa iure diuino tenetur quemlibet Christi fidelem pascere, & quilibet Christi fidelis ab eo pasturā accipere, quia iure diuino est ei determinata cura cuiuslibet fidelis, quando Christus
E dicit: *Pasce oues meas*, Sed Concilium generale, à præcepto diuino soluere non potest, ergo, &c.

Secundò, si summus Pontifex posset à Concilio excommunicari absque depositione, ergo poterit remanere summus Pontifex excommunicatus dissoluto concilio; Consequentia tenet, quia post talem sententiam poterit dissolui absque depositione & absolutione Pontificis, sed quæro quis tunc eum absoluet? Et apparet quod nullus poterit soluere nisi in mortis arti-
F culo: quia nullus potest absoluere à censura lata ab homine vel hominibus nominatim, nisi ille qui tulit, aut illi qui tulerunt, si à communitate feratur: vel ad eum aut ad eos superior: Tum secundò, absolui à tali censura est actus Iurisdictionis fori exterioris, quem in Papam nullus, nec aliquod Collegium, præter Concilium generale habere dignoscitur: hinc dicunt Doctores, etiam Gerson, quod Pontifex nulli potest se submittere, qui possit eum excommunicare, licet possit se alicui submittere qui possit eum à peccato soluere.

Tertiò


Tertiò si summus Pontifex possit excommunicari à Concilio, ergo poterit incurrere senten- A tiam Canonis sententiæ latæ à Concilio, sicut est canon de semel confitendo in anno, & sic esset excommunicatus summus Pontifex ipso facto si non confiteretur semel in anno: Hoc autem foret periculosissimum, quia tunc quicumque actus iurisdictionis, sicut sunt excommunicationes, dispensationes, beneficiorum collationes, &c. nulli essent, cum excommunicatus quilibet, exercitio iurisdictionis careat.

Præterea tunc non esset orandum pro summo Pontifice, similiter tunc caput esset à corpore se- B paratum, & sic non esset amplius caput.

Et ad omnes Canones Conciliorum Constantiensis & Basileensis latos contra summum Pontificem sub pœna suspensionis, respondet Nicolaus de Cusa, quod sunt intelligendi sub pœna suspensionis ab exercitio Iurisdictionis fori exterioris.

Et ad rationem, Curatus manens Curatus potest excommunicari, Respondetur non esse simile, quia cuilibet Curato ex iure purè positiuo determinatæ sunt istæ vel illæ oues: Sed summo Pontifici iure diuino omnes Christi fideles determinatæ sunt oues, hinc ipso remanente Pontifice, non potest earum communione priuari.

FINIS.



LIBELLVS DE AVCTORITATE ECCLESIÆ, SEV SACRORVM CONCILIORVM EAM REPRÆSENTANTIVM, EDITVS A MAGISTRO Iacobo Almain [redacted], Senonensis diœcesis, Doctore Theologo, contra Thomam de Vio Dominicanum, qui his diebus suis scriptis, nisus est omnem Ecclesiæ Christi sponsæ potestatem eneruare.

Auctoritas Ecclesiæ seu Conciliorum, ad auctoritatem Papæ comparata.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, DOMINO Tristando de Salezar, Senonensi Archiepiscopo, Iacobus Almain humilis Doctor Parisiensis, Salutem.



Vod in primis exoptabam (reuerendißime in Christo Pater domine Senonensis Archiantistes) mihi hoc tempore sorte quadam obtigit argumentum, scilicet edendi quidpiam in assentatorias, & quasi quodam adulationis illicio, summum Pontificem sibi nimis blandiendo demerentes doctrinas, illius fratris Thomæ de Vio Caietani, hominis alioquin eruditi (nisi suam eruditionem assentationis macula contaminasset, & nisi sacratißima illa Concilia Constantiense & Basileense, suis procacibus verbis infamare & suggillare annisus esset) cuius rationibus, vt Diogenis instar dolium aliquod, aut vt Sisyphus saxum voluerem, ne vnus, inter tot operi intentißimos, cessator esse viderer, neu desidià aut inerti otio contabescere, atque in vmbraculis domesticis (alijs ad rem attentißimis) ignauiter consenescere: Pro modulo meo vt cumq; respondere institui, & citra cuiuspiam assentationem, maledicámq; infamationem, suas debilitare, imò quoad potero confutare rationes, & gallicis (vt aiunt) armis, suam arcem oppugnare. At quia hi nostri codicilli parum me auctore futuri sunt plausibiles, operæ pretium est, amplum aliquod nomen augustúmq; præ se ferant, cuius velut auspicio freti, iam iam prodituri in lucem, manusq; hominum venturi, ancipitem iudiciorum aleam securè experiantur: eam enim esse libelli nostri rationem facilè cognorim, vt nisi magno aliquo patrocinio defendatur, vix eum à calumnia defendam. At cum mecum ipse animaduerterem, cuinam istas nostrarum vigiliarum primiciolas attitularem dicarémq;, visus es mihi super omnes dignißimus, domine Tristande Archiantistes Senonensis meritißime, tum quod es literatorum hominum fautor præcipuus & amantißimus, tum quod elapsis diebus, videor mihi non spernendo amoris loco apud te semper fuisse, ac nunc etiam esse, ita vt sperem, neq; verbo, neq; facto, opem tuam quoties implorauero, vllatenus mihi defuturam. Eat igitur, & tuo præsidio suoq; fulcimento munitus libellus iste in manus hominum, quem si tibi vni cordi esse cognouero, sum factus voti compos, in animo habens posthac in talibus materijs tractandis & conscribendis, ingenioli vires nullatenus intermittere. Vale.

CAPVT

Capvt I.

In quo tractatur de origine Iurisdictionis ciuilis, vt per eius comparationem notificetur iurisdictio Ecclesiastica: sicque lege naturali, Ecclesia auctoritas super Papam demonstratur.



QVemadmodum Deus, naturæ auctor, hominem cõdidit cum naturali iure seu potestate ea quæ suæ sustentationi ac conseruationi necessaria sunt sumendi, necnon & ea quæ nociua sunt repellendi: (super quo iure fundatur potestas eum qui iniuste aggreditur interimendi, si seruetur moderamen inculpatæ tutelæ. quãuis oppositum dogmatizet de Ancona in suo tractatu de potestate ecclesiastica, cuius rationes nunc omitto, cum non sit hæc materia præsentis speculationis) similiter & cõmunitas quælibet aliquorũ adinuicẽ ciuiliter conuersantium (quæ iuxta dictũ Pauli ad Rom. 12. *velut vnũ corpus est, cuius singuli alter alterius sunt mẽbra*) naturalem habet potestatem, se nõ solum in esse, verumetiã in esse pacifico conseruandi, ad quam spectat eos quorũ vita est in perturbationẽ communitatis etiam per mortẽ præscindere. Et istud deduci potest ex sancto Thoma 2. 2. q. 64. *Omnis enim pars ordinatur ad totum cuius est pars, velut imperfectum ad perfectum: & si saluti totius corporis expediat abscisio alicuius membri, puta quia est putridum, aut cæterorum infectiuum, in toto corpore residet auctoritas illud præscindendi.* Cum ergo quælibet persona singularis cõparetur ad totam cõmunitatem, sicut pars ad totum, ideo si aliquis sit perniciosus in cõmunitate, laudabiliter à cõmunitate interimitur. Et istud idem ostendit sic, Cõmunitas cõfert principi auctoritatẽ occidendi eos, quorum vita in perniciẽ Reipub. cedit, ergo illa auctoritas est per prius in cõmunitate, cum nemo alteri det quod non habet: & antecedens notum est, cum Princeps à se auctoritatẽ illam non habeat, nec habet eam immediatè à Deo, saltẽ vt in pluribus, Nam vt dicunt doctores, præsertim Durãdus in tractat. de Iurisdictione Ecclesiast. non est intelligẽdum quod auctoritas regis secularis sit à Deo sic, quod eam immediatè alicui cõmiserit regulariter, sed quia secundum rectam rationem, quã Deus hominibus indidit, est alicui cõmissa. Et non videtur (cum non sit à Deo immediatè commissa) à quo sit principi collata, nisi ab ipsa communitate: Igitur assumptum est verum: ex antedictis inferuntur aliqua corollaria.

Lege naturali ius gladij concessum est Reipublicæ.

PRimum est, primaria potestas iurisdictionis coërcitiuæ, etiam vsque ad mortem infligẽdam, non est quantum ad eius institutionem purè positiua, quamuis eius communicatio certæ personæ, vt puta Regi, aut certis personis de cõmunitate, paucis aut pluribus qui eam regunt aristocraticè aut timocraticè sit positiua. Et istud manifestè ostenditur, quia hoc præceptum *non occides*, cum sit de iure naturali, ab eo nullus potest excipi casus per quodcumque ius positiuum, A saltem humanum, cum humana potestas supra ius naturæ non existat. Ergo primaria potestas occidendi, non est positiua humana sed naturalis.

Quamuis populi consensu, ius omne & potestas translata sit in Regem, tamen respublica semper habitu retinet potestatem.

SEcundum corollarium est, nulla communitas perfecta hanc potestatem à se abdicare potest, sicut nec singularis homo quam habet B potestatem ad se conseruandum, imò nec ea priuari potest nisi à Deo: & huius sententiæ videtur esse glossa 23. q. 3. in Can. Ostendit, in qua sic dicitur, populus bene habet iurisdictionem licet dicat lex quod transtulit ius suum in Imperatorem. Nam si ciuitas vel populus non haberet iurisdictionem, quare puniretur propter defectum iudicis, vt 23. q. 2. can. Dominus, vbi dicitur, ciuitas bello petenda est quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est.

C Tertium corollarium, tota communitas potestatem habet super principem ab ea constitutum, qua eum (si non in ædificationem sed in destructionem politiæ regat) deponere potest, aliàs non esset in ea sufficiens potestas se conseruandi: & ista potestate Gallorum communitas quondam vsa, Regem suum deposuit, non tam pro criminibus, quam pro eo quod tanto regimini inutilis esset, vt habet glossa can. Alius 15. q. 6. vbi dicitur, quod Zacharias Regem Francorum deposuit, habet glossa, id est deponenti- D bus consensit. Hac eadem potestate vsi filij Israël recesserunt à Roboam, qui erat Salomonis naturalis successor, eligentes in Regem super se Ieroboam, vt patet 3. Regum. 12. Et quamuis super aliquem populum à Deo acceperint aliqui iurisdictionem ciuilem immediatè, vt videtur probabile de Saüle, & Dauide, nihilominus semper toti communitati fuerunt subiecti, casu quo in destructionem communitatis regerent.

E *Quænam, & cur politia dicatur regalis.*

QVartum corollarium, non ideo dicitur politia aliqua regalis, quia vnicus ei præsit, qui sit tota communitate in iurisdictione maior, nec ei quouis modo subiectus, sed solum propter hanc causam, quia vnicus præest, qui in quemlibet alterum de communitate iurisdictionem habet, & est eo superior, & hoc minimè reperitur in politia timocratica, aut aristocratica; nec conueniens foret aliquem vnum taliter cõ- F munitati præfici, qui esset ea tota in omni casu superior, nisi talis foret indeuiabilis, quemadmodum de Christo censetur, qui communitatem regere posset secundum voluntatem, & non secundum legem, & tunc esset politia illa perfectè regalis.

Quintum corollarium est falsum esse illud Scoti distinct. 15. quæst. 3. quod non licet quemquam occidere auctoritate publica, nisi in casibus exceptis à Deo ab isto præcepto *non occides*: Si intelligat de exemptione facta per ius diuinum positiuum, qualia erant iudicialia veteris testamenti (sicut videtur prætendere)

tunc, tempore legis naturæ non licuisset quemquam interficere, cum tunc nondum esset ius diuinum positiuum, nec gentibus tempore legis Mosaïcæ licuisset aliquem interimere, cum eis illa lex non esset data: Similiter in lege Euangelica, non esset principibus licitum aliquē ad mortem damnare, saltem nisi pro homicidio, cum lex vetus sit rēuocata, & Euangelium nullum excipiat casum, nisi dixeris homicidium exceptum fuisse Matth. 26. *Omnes qui gladium acceperint gladio peribunt.* Si autem intelligat de exemptis à Deo per ius naturale, nō facio difficultatem, sed tunc nulla est eius probatio ad probandum quod pro simplici furto non licet interficere.

Ex omnibus his facile est videre, quomodo potestas qua rex vtitur, est potestas communitatis; hinc auctoritate publica dicitur agere, & hanc ob rem Gulielmus Parisiensis dicit, *dominium principum esse ministeriale.* Consequenter facile est videre quod principatus regalis, & principatus aristocraticus & timocraticus, non differunt inter se quia sint diuersę potestates, cum idem obiectum penitus habeant, sed propter diuersitatem subiectorum. Sed quia de hac potestate ciuili in hoc tractatu nihil intendo principaliter dicere, propterea hæc sufficiant.

CAPVT II.

In quo ostenditur potestatem ecclesiasticam non esse naturalem, nec humanitus instituibilem.

CVm Christi fidelium collectio non sit solùm corpus politicum, & ad finem naturalem ordinatum (qui est viuere secundum virtutem) verumetiam corpus mysticum Christi, & ad finem supernaturalem, vitam scilicet æternam ordinatum, ad cuius consecutionem legislator de medio nostri suscitatus, iuxta vaticinium Moysis, Christus scilicet, legem gratiæ & libertatis tulit, quamobrem & potestatem instituit, non ad corpora occidenda, qualis est potestas ciuilis (*quia non quærit mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, nec venit perdere quemquam sed potius singulos viuificare*) sed ad compellendum fideles legem Euangelicam cōseruare, alterius pœnæ metu, scilicet spiritualis; de cuius potestatis integritate duo sunt, Primum est auctoritatiuè posse ius dicere, siue definiēdo, siue aliquid quod conferat multum ad consecutionem finis statuendo: Secundum est, posse dictum ius non obseruantem aliqua multare pœna. Hæc autem potestas non est naturalis, sed positiua, non ab homine puro aut ab hominibus instituibilis, sed à Deo solo.

Pro cuius probatione supponendum est, quēadmodum optimè declarat Herueus in suo tractat. de potestate Papæ, quod aliud est instituere potestatem, & institutam alicui personæ communicare: & istud manifestum est ex priori capitulo, cum populus potestatem occidendi non instituat, quia est naturalis sed eam principi communicet: Instituere namque potestatem, est ordinare quod in communitate sit aliqua potestas tanta & talis, ad tot casus, ad talem populum, & sic de similibus; & talis institutio, tempore præ-

A cedere potest communicationem certæ personæ. Potestas autem talis, potest conferri alicui dupliciter, vno modo quod conferatur determinatæ personæ, vt cum Rex Petrum aut Gulielmum instituit alicuius ciuitatis Bailliuum: Alio modo, non determinatæ personæ, sed personæ determinatæ conditionis, vt si rex institueret aliquam potestatem iurisdictionis in aliqua ciuitate, ordinando quod quicumque à talibus eligeretur, eam consequeretur & talis electio, est dispositio vltimata ex parte recipientis, quæ facit

B eum capacem talis potestatis ex antiqua institutione principis.

Istis suppositis, probatur quod à solo Deo est hæc potestas instituibilis: hæc potestas non est instituibilis nisi vel à Papa, vel à communitate Christiana, vel à Deo; sed primò quod non possit institui à communitate Christiana saltem propria auctoritate, probatur sic, quia talis potestas includit aliquid quod humanam potestatem excedit, puta posse relaxare aliquid de pœ-

C na debita in foro Dei, aliquem reddere incapacē, quantum ad Deum, suffragiorum Ecclesiæ, & multa alia. Ergo à communitate Christiana institui non potest. Et quod à Papa institui non possit, manifestè patet ex hoc, quia prius saltem natura est illam potestatem esse, quàm aliquem esse Papam.

Corollariè sequitur quod nec ista potestas ab homine puro, aut hominibus destitui potest.

D Secundò sequitur corollariè, quod potestas Ecclesiastica, de qua nunc loquimur, est potestas coërcitiua immediatè à Christo instituta, quæ valet exerceri in alterum etiam inuitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximū & principaliter intentū.

Discrimen potestatis laicæ & Ecclesiasticæ.

COnsequenter ex dictis, multiplex haberi potest differentia inter potestatē Ecclesiasticā iurisdictionis in foro exteriori, & potestatem laicam prima ex parte institutionis, cum vna sit naturalis quantum ad institutionem, altera su-

E pernaturalis: secunda ex parte finis, vna enim est ad finem naturalem, altera ad supernaturalem: tertia ex parte pœnarum quæ infligi possunt per has potestates; quia per vnam corporalis pœna dumtaxat, per alteram verò spiritualis præcisè: Quarta ex parte subiectorum, quia vnius, capax est etiam infidelis; alterius verò, nullus capax est nisi sacro baptismate regeneratus: etiam vna scilicet temporalis, in infideles exerceri potest; altera in solos fideles vt infra patebit. De alijs autem potestatibus ecclesiasticis à coërciti-

F ua, quas optimè declarat Ioannes de Parisijs, & consequenter Petrus de Alliaco, in hoc tractatu nihil dicere intendo.

Tertium corollarium est quod Marsilius de Padua deuiauit à fide, omnem coërcitiuam iurisdictionem ab ecclesia aufferens, vt videre est in suo tractatu, qui in quibusdam voluminibus *defensorium pacis* intitulatur.

Quartum corollarium, potestas ecclesiastica in se considerata, nullatenus ab hominibus restringi potest, si enim ab ipsis non sit instituibilis nec destituibilis, nec ab ipsis fieri potest quod in aliquos

quos

quos actus non possit in quos poterat prius: Et istud corollarium bene tractat Ioannes de Gersonio, consider. 7. de potestate Ecclesiastica, & quia hæc certa sunt, non curaui auctoritatum aut rationum numero munire.

Capvt III.

De plenitudine potestatis ecclesiasticæ, & ad quæ se præsertim extendat.

Tanta est inter Doctores controuersia de plenitudine huius potestatis, & ad quæ se extendat, vt pauca sint in ista materia secura, ita quod his temporibus, vt dicit Gulielmus Occam circa finem primæ partis dialogi, summè necessarium foret, quod per sapientes iuramentis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos declararentur quæ ad plenitudinem potestatis ecclesiasticæ spectant.

Quidam enim eam ita ampliant, forsitan adulationis causa, vt beneficia & priuilegia obtineat, vt omnino absorpta videatur principum potestas, nec non ad actus se extendat in destructionem Ecclesiæ.

Quidam enim eam dilatant vsque ad dissolutionem matrimonij rati & non consummati, vt glossa Ioannis Andreæ, in cap. quod votum, de voto & voti redemp. in 6. & glossa. in cap. ex publico, de conuersione coniugatorū, quia ponit hanc propositionem, quod summus Pontifex posset statuere quod per secundum matrimonium rumperetur primum non consummatum, sicut rumpitur per ingressionem religionis: quæ quantum periculi contineat, aduertere potest lector. Eiusdem sententiæ est Panormita. in eod. cap. & cum ipsis deuiauit Magister Thomas devio, in suis opusculis aureis, de diuersis ac curiosissimis materijs: Istud est contra verbum Christi Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet, nisi fornicationis causa*, vbi homini potestatem dissoluendi matrimonium denegauit. Secundò si dissolui posset sine ingressu religionis, non est verisimile quin hoc comperiri posset ex sacris literis, quemadmodum de matrimonio inter infideles, altera partium versa ad fidem. Tertiò, si summus Pontifex non potest debitorem absoluere inuito creditore (si enim oppositum dicatur, creditorum multi ad ipsum currerent pro absolutione) ergo nec potest mulierem ab obligatione, qua est obligata viro suo, absoluere. Et hanc partem pro indubitata tenet Scotus 31. dist. 4. & Petrus de Palude 27. eiusdem.

Sed pro priori parte arguitur vt magis pateat veritas, dissoluitur matrimonium ratum non cōsummatum per votum solemne religionis; sed voti solemnitas non ex iure diuino sed humano est, vt patet per cap. præallegatum, quod votum, in quo dicitur, voti solemnitas, ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, ergo ex statuto humano dissoluitur matrimonium. Secundò si votum solemne ex statuto diuino dissolueret matrimonium non consummatum, à fortiori illegitimaret iure diuino ad matrimonium sequens: minus est enim illegitimare quam contractum dissoluere, cum primum possit ecclesia, & non secundum. Sed falsitas consequentis ostenditur, quia si illegitimaret iure diuino, non posset summus Pontifex nec ecclesia tota dispensare cum illo qui vouit solemniter in quocumque casu, cum non possit contra ius diuinum.

Tertiò matrimonium contractum & ratum significat solùm coniunctionem Christi & animæ fidelis, quæ dissolubilis est: ergo illud matrimonium est etiam dissolubile. Si dicatur quod significat etiam coniunctionem Christi & Ecclesiæ indissolubilem, vt dicit Magister sententiarum dist. 26. libri 4. consequenter & Richardus: contra, sequitur bigamiam contrahi, si, vxore prima mortua, ante consummationem cōtraheret cum secunda: vel è conuerso, si aliquis aliquam, cuius vir mortuus esset ante consummationē, in vxorem duceret: hoc autem est contra cap. debitum de Bigamis non ordinandis. Probatur tamen sequela, quia ratio bigamiæ est defectus Sacramēti, quia non est vnicus vnius, sicut Christus vnus, vnicè coniunctus est Ecclesiæ.

Ad primum istorum respondetur, bene verum est quod modus per quem solemnizatur votum, est ex statuto & determinatione Ecclesiæ, non tamen sequitur effectum sequentem ad votum solemne per quod vouens moritur ciuiliter, esse de statuto Ecclesiæ. Ad secundum quod est forte ad probandum quod in voto solemni non cadit dispensatio, videtur mihi dicendum, quod votum solemne iure diuino tandiu illegitimat, quandiu obligat, ita quod si tentent contrahere, secluso quocumque statu humano non contraherent. Sed quia potest emergere casus in quo amplius non obligat, & tunc cessat illegitimare: & sic Papa non dispensat nisi capiendo dispensare vt tantum valeat sicut ius declarare. Ad tertium, dicitur primò, quod consequentia prima nihil valet, in statu enim innocentiæ, matrimonium cum non esset Sacramentum, non significasset aliquam coniunctionem indissolubilem, & tamen non fuisset dissolubile: Dicitur secundò, quod antecedens est falsum, imo significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, vt habet Magister sentent. dist. 26. libri 4. & Richardus consequenter, quamuis tamen apud Richardum non tam perfectè, sicut matrimonium consummatum: Dicitur vlterius quod consequentia nō valet, qua infertur bigamiam illis casibus contrahi, & hoc solùm quia Ecclesia non statuit quod contrahatur: Contrahitur enim solùm per diuisionem carnis pluribus, vel alicui, quæ diuisit pluribus.

Aliqui istam potestatem extendunt ad infideles, vt Panormitan. in cap. nouit de iudicijs, dicens quod per istam potestatem ad præcepta legis naturæ, saltem compelli possunt: sed oppositum istius habetur ex cap. gaudemus, de diuortijs, vbi dicitur eos constitutionibus canonicis minimè arctari, iuxta illud Apostoli *quid enim ad nos de ijs qui foris sunt iudicare*. Arctarentur enim constitutionibus ecclesiasticis præcipientibus ea quæ sunt iuris naturalis sub censuris. Secundò, cum communicatio non sit aliud quam à consortio fidelium & participatione Sacramen-

torum separatio, sequitur infidelem excommunicari non posse, & si in oppositum allegetur illud Christi Matth. 16. dictum Petro cum ei promissa fuit hæc potestas, *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum in cælis; & quodcumque solueris erit solutum in cælis*: Et illud Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* In quibus auctoritatibus, dicit *quodcumque, & quæcumque* vniuersaliter, Respondetur, quod vtraque auctoritas de fidelibus intelligenda est, de his autem auctoritatibus infrà magis patebit.

Aliqui ad peccata secretissima cordis eam extendi volunt, vt gloss. in Clementina de hæreticis: Oppositum istius ab omnibus ferme doctoribus tenetur, & pro maiori elucidatione, supponendum est esse quoddam peccatum quod in solo consistit actu interiori, cum scilicet ad nullum opus exterius fit progressio: Aliud est peccatum ad opus vsque exterius progrediens, & istud est iterum duplex; quoddam quod non est peccatum ex opere exteriori ad quod progreditur, sed solùm ex mala relatione interiori, vt dare eleemosynam propter malum finem; est aliud quod est peccatum ex opere exteriori, quia scilicet prohibitum est, & istud multiplex est: quoddam est, quod iuridicè probari potest factum esse; scilicet per duos vel tres testes, & etiam actor ipsius peccati: Et est aliud, quod nec iuridicè probari potest sed actor non, vt cum reperitur trucidatum corpus, sed cum trucidaretur nullus præsens erat: est aliud quod nec iuridicè probari potest, nec eius actor propter defectum testium ad vtrumque. Secundò supponendum est, quod ecclesiastica potestas non solùm est ad infligendum pœnam pro crimine præterito probato, sed ad statuendum aliquid sub pœna, quod quidem statutum solùm respicit futura, de constitutionib. ca. cognoscentes, eodem titulo. capit. vltimo. Cuius transgressor eo facto quod transgreditur, pœnam illam incurrit, vt videre est in plerisque statutis.

Istis suppositis, dicitur primò quod Ecclesia nihil potest super peccata cordis & quæ ad actum exteriorem nō sunt progressa, & addit Durand. 17. dist. libri 4. non solùm propter defectum cognitionis, sed propter defectum iurisdictionis, ea enim Deus suo reseruauit iudicio, qui scrutatur corda & renes: hominibus autem ea quæ foris sunt dedit iudicare: & sententia Durandi multum apparentiæ habet, quia si hoc non esset propter defectum iurisdictionis, sed cognitionis, Ecclesia ad minus posset in illa, statuendo sicut in opera exteriora futura, quæ nunquam probari poterunt propter defectum testium: Pro actu enim exteriori quamuis occulto, incurritur pœna iuris, vt regulariter tenent doctores, nominatim de Palude in 4. distin. 13. Tunc probatur ista propositio, Primò per parabolā Saluatoris Matt. 13. de zizanijs, vbi secundum expositionem Doctorum prohibentur mali sub nomine zizaniorum eradicari per censuram excommunicationis, quando à bonis, intellectis per frumentum, cognosci non possunt. Secundò, per ca. cogitationis de pœnitentia dist. 1. cogitationis pœnam nemo patiatur, vbi glossa, ab hominibus, sed benè à Deo. Adduci possent ad hoc probandum pleraque capitula, vt capitulum Sicut tuis literis, de Simonia, & cap. Tua nos, eodem titul. can. erubescant distin. 32. can. Consuluisti. 2. q. 5. Secundò dicitur, si procedatur ad peccatum exterius, quod quidem opus non est malum nisi propter malam relationem interiorem, ad tale peccatum non extenditur Ecclesiastica potestas iuridica, cum enim non sint illa opera prohibita secundum suam substantiam, sed solùm secundum interiorem relationem, ad quam puniendam non extenditur ecclesiastica potestas, nec extendetur ad illa peccata. Secundò probatur, idem non potest etiam ex natura operis, & non solùm ex defectu testium, probari opus illud peccatum esse, nisi de relatione probaretur; ergo, sicut relatio ecclesiasticæ non subijcitur potestati, ita nec peccatum illud. Tertiò dicitur, quod ecclesiastica potestas extenditur ad peccatum iuridicè notum, cuius actor, iuridicè Ignotus est; probatur per can. quidam maligni spiritus, 5. q. 1. vbi de quodam qui contra Castorium notarium ac responsalem Apostolicum nocturno silentio in publico ciuitatis loco contestationem posuerat, in eius crimina loquentem, dicit. Adrianus Papa, qui si non exierit, neque publicè confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpserit, vel consensum tantæ iniquitatis consilio præbuerit, ex Dei & Domini nostri Iesu Christi spiritu definimus, vt sancti eius corporis & sanguinis participatione priuatus sit: & iste est vnus casus apud Gulielmum Occam, in 3. parte sui dialogi, in quo recurrendum est ad potestatem Ecclesiasticam in crimine ciuili. Quartò dicitur ad peccata exteriora, quæ secundum se sunt prohibita, quamuis non iuridicè possint probari propter defectum testium, nec etiam actor, nec extenditur hæc potestas statuendo: probatur ex capit. Porrò, de sententia excommunicationis, in quo dicitur eos qui manus violentas in fratres suos iniecerunt, qui non conuicti, sed priuatim veniam postulant, esse monendos vt satisfaciant his quos læserunt, & apostolicæ sedi se præsentent, cum ab alio sine speciali mandato absolui non valeant; ergo illi sunt excommunicati. Absurdum enim foret dicere, eum qui violentas inicit manus in clericum, quamuis secretè, non esse excommunicatum. Et in omnibus istis, de Iuridica potestate loquor, quæ forum exterius respicit.

Capvt IIII.

In quo ponuntur obiectiones contrariæ, & soluuntur.



Contra primum istorum quatuor dictorum, obijcitur quod habens solùm peccata cordis, vi statuti Ecclesiæ, *Omnis vtriusque sexus*, tenetur in paschate confiteri ea, & si non confiteatur incurrit censuram excommunicationis, vt patet ex dicto cap. ergo potestas ecclesiastica ad illa cordis peccata extenditur. Secundò, inquisitor fidei omittens procedere contra hæreticos, siue quocumque

cumque actu exteriori, incurrit censuram excõmunicationis, vt patet in Clemẽtina multorum, A de hæreticis & glossa ibidem. Hinc patet apertè, quod ex constitutione militantis Ecclesiæ, ligat crimen omnino occultum ad pœnas suspensionis & excommunicationis, & ad hoc inducit cap. primum de statu monachorum eodem libro 5. quia verè. Vbi de monachis discurrentibus per curias principum dicitur, quod si vt suis prælatis, aut monasterijs damnum aliquod inferant, ad dictas curias se transferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto: hic non excommunicantur B pro eo quod ad curias principum se transtulerunt, sed quia intendunt prælato aut monasterio damnum inferre, & sic pro solo actu interiori. Tertiò arguitur, si Ecclesia alicui præcipiat sub pœna excommunicationis, quod aliquam accipiat in vxorem, eam scilicet cum qua prius contraxerat sponsalia, & proferat illa verba exterius, & non consentiat interius, videtur excommunicatus, cum non accipiat eam in vxorem, & hoc est propter omissionem solius actus interioris, C ergo etiam pro solo actu interiori excommunicari potest. Deinde, arguitur contra tertium & quartum dicta, Primò per capit. sicut tuis literis, de Simonia, in quo dicitur illos autem qui dederunt pecuniam vel etiam receperunt in tantum constat esse culpabiles quàm si eorum excessus esset Ecclesiæ manifestus (quæ non iudicat de occultis) pœna canonica essent feriendi: Ergo si nõ sit manifestus, non sunt feriendi, & in can. erubescant 32. dist. in quo de presbyteris, diaconis, D & subdiaconis qui mulierculas non abiecerunt, dicit quod sunt excludendi à suorum graduum dignitate, & statim subiungitur, de manifestis autem loquor, secretorum autem Deus & cognitor & iudex est. Secundò arguitur Matth. 18. vbi instituta est hæc potestas Ecclesiastica, datur forma secundum quam sit ea vtendum, sed sic est quod ibi præcipitur reum esse ecclesiæ denũciandum, & conuincendum per duos vel tres testes; Ergo non extenditur hæc potestas ad ea peccata exteriora, quæ probari non possunt. E

Solutio obiectionum contrariarum.

AD primum istorum dicitur primò, quod confiteri est actus exterior, & sic præceptum illud non fertur immediate & per se super actum interiorem, quamuis feratur super exteriorem, qui est de actu interiori: dicitur secundò secundum Durandum, quod præceptum Ecclesiæ principaliter fertur super communione, quam constat actum esse exteriorem in foro exteriori cognoscibilem, quia ad dignè cõmunicãdum iure diuino prærequiritur omnium mortalium confessio: & sic præceptum ecclesiæ non F fertur super actum illum confessionis sacramentalis, sed solùm per accidens. Ad secundum dicitur, quod inquisitor fidei non excommunicatur pro actu interiori, sed pro omissione actus exterioris, quæ iuridicè, sicut actus cuius est priuatio, quantùm ex se, probari potest. Ad tertium dicitur quod in illo casu, non incurrit sententiam excommunicationis, cum nihil agat nec committat quod iudicio ecclesiastico subsit; eodem modo, sicut nec ille qui in Paschate sumeret Eucharistiam non præuia sufficienti dispositione, non veniret arcendus ab ingressu Ecclesiæ secundum tenorem illius statuti, Omnis vtriusque sexus. Ad primùm argumentum contra vltimum dictum dicitur, quod illa capitula intelligenda sunt de pœna ab homine inferenda: sunt enim canones quidam, qui non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ, quibus scilicet transgressoribus non infligitur eo facto pœna, sed declaratur infligenda per iudicem, & horum transgressores non subijciuntur illi pœnæ, nisi notorij sint, & quamuis glossa ex can. Erubescant, fundet argumentum pro opinione eorum, qui dicunt quod occultum delictum non irrogat irregularitatem, oppositum tamen huius opinionis satis determinatum est ca. Quæsitum, de temporibus ordinandorum, vbi dicitur, si proposita crimina puta adulteriũ, periurium, homicidium, falsum testimonium, ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi præter reos homicidij post pœnitentiam in iam susceptis ordinibus impediri: Ergo homicidæ incurrunt irregularitatem, quamuis nõ sint notorij. Ad secundum ex textu Euangelico, eodem modo dicendum est, quod processus ille intelligitur de eo quod per iudicem, & nominatim feriendus est pœna ecclesiastica. Ista omnia requirerent maiorem processum, sed quia solùm accidentia sunt, & non essentialia principali proposito, eum omitto.

CAPVT V.

De ijs qui nimis restringunt potestatem Ecclesiasticam.



AB aliquibus mirum in modum restringitur hæc potestas, dicunt enim aliqui, eam solùm extendi ex institutione Christi, ad punienda peccata in rebus purè spiritualibus, puta quæ propria sunt legi Euangelicæ, vt sunt peccata commissa contra articulos fidei, & Sacramenta; & non ad peccata quæ sunt contra legem naturalem, saltem nisi causaliter, & huius sententiæ videtur esse Gulielmus Occam, circa finem sui dialogi, etiam in 1. parte eiusdem libri lib. 6. cap. 8. vbi dicit, spiritualia sunt illa quæ religioni Christianæ sunt propria, & quæ in nulla alia secta sunt reperta, nec ad legem naturæ spectantia, sicut quæ pertinent ad Sacramenta Ecclesiastica dispensanda, & ad causas fidei terminandas: Eiusdem sententiæ est Ioannes de Gersonio, lection. 4. de vita spirituali animæ, vbi dicit, quod in terris subiectis immediatè summo Pontifici, quantum ad tẽporalitatem pro peccatis commissis contra legem naturæ, non sunt homines feriendi pœna ecclesiastica, sed laica.

Videtur mihi, tamen saluo meliori iudicio, hãc potestatem ad quæcumque mortalia notoria, iuncta contumacia, extendi: Probatur primò ex cap. Nouit de Iudicijs, vbi dicit Innocentius iij. scribens prælatis per Franciam constitutis, non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum scilicet regem spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere

possumus & debemus: Et notum est, quod ibi loquitur de peccato commisso ex detentione rei A alienæ.

Secundò probatur ex auctoritate Christi, Matth.18. vbi sicut infrà probabitur, fuit instituta hæc potestas ecclesiastica, *si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit lucratus es fratrem tuum, &c.* In qua auctoritate, nulla fit distinctio huius vel illius peccati, sed indifferēter de omni mortali loquitur: & quod solùm de mortali loquatur, satis notum est per hoc quod subditur, *si te audierit lucratus es animam eius*: B per veniale enim nullus est perditus. Ergo pro omni mortali, & si ad fraternam correctionem non emendetur, est denunciandus Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit excommunicandus, & per consequēs ista potestas ex ordinatione Christi, ad quæcumque peccata mortalia, saltem notoria, extenditur, & meo iudicio multùm ponderanda est illa auctoritas.

Tertiò arguitur, quia Paulus excommunicauit fornicarium publicum 1. Corinth. 5. & in eodem cap. dicit, *si quis nominetur inter vos fornicator,* C *aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.*

Quartò, arguitur ex ratione quam sumit Durandus ad hoc probandum, & etiam ea vtitur sanctus Thom. in libro de regimine principum. Cuius est considerare finem, eius est iudicare de his quæ debent ordinari ad finem, quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine: debet enim intendens aliquem bonum finem, eligere ea quæ sunt congrua fini, & tollere ea D quæ finem impediunt: verbi gratia, medicus cōsiderat sanitatem corporis, & suum est considerare de his quæ conseruant sanitatem, & de his quæ impediunt. Sed omnes actiones humanæ debent ordinari ad consequendam vitam æternam: Cuius ergo, vel quorum est considerare de salute animæ & de spiritualibus, eorum est iudicare de quibuscumque actionibus per quas deuiāt aut deuiare possunt à salute sua circa quamcumque materiam: Et istius sententiæ est Carlerius in tractatu quem compilauit contra quos- E dam errantes in materia clauium, vltimo corollario, vbi dicit quod extenditur clauis ecclesiastica ad cogendum purè laicum ad soluendum debitum, vel cedendum bonis.

Sequitur corollariè ex dictis, quod extenditur hæc potestas ad cogendum eum qui vendidit vltra iustum precium, quamuis non vltra dimidiū iusti precij, vt restituat: Quis dubitat talem venditorem esse obligatum ad restituendum? & sic restituendo peccat in fratrem, & per consequēs, F cum eo procedendum est secundum præceptum Euangelicum, *si peccauerit in te frater tuus*, præallegatum. Istud corollarium est de mente Panormitani cap. in Ciuitate, de vsuris, vbi dicit, potest compelli clericus ad restituendum id quod habet vltra iustum precium in foro contentioso: & statim subdit, idem puto de laicis, saltem in foro ecclesiastico, & ibi loquitur de eo qui habet vltra iustum precium, sed citra dimidium iusti precij, vt satis patet legendo.

Et si contra ista dicat aliquis, sequeretur quemlibet peccare qui conueniret proximum coram iudice laico de actione in qua consistit peccatum mortale: Consequentia tenet, quia quilibet talis contrauenit huic præcepto, *si peccauerit in te frater tuus.* Secundò sic, corollarium illatum in fine est contra cap. Cum dilecti, de emptione & venditione; in quo videtur dici emptionem minus iusto precio tenere, dummodo non sit minor dimidio iusti precij.

Ad primum negatur sequela, dico enim quamlibet partem illius præcepti, *si peccauerit in te frater tuus* (continet enim tria partialia præcepta) esse præcepti affirmatiui, & obligare solùm pro tempore quo non potest aliter retrahi frater à peccato: Et sic, si possit retrahere per conuentionem coram iudice laico purè laicum hominem, non obligatur pro tunc Ecclesiæ denunciare: Propterea ecclesiasticus non debet attentare vsum huius potestatis in purè laicum pro peccato ciuili, quando iudex laicus est paratus exercere suam potestatem in illum, ne videatur hæc potestas introducta esse in grauamen principum laicorum. Sed quando deest laicus iudex, aut si non desit, non potest; aut si non possit non vult, tunc ex præcepto Christi ad potestatem ecclesiasticam recurrendum est.

Ad secundum dicitur, quod in illo cap. non dicitur emptionem citra iustum precium, sed supra dimidium iusti precij esse validam, & non esse cogendum emptorem ad supplendum iustum precium, sed solùm dicitur emptionem citra dimidium iusti precij esse rescindendam, aut emptorem cogendum esse ad supplendum iustum precium, ex quo non sequitur, quod si sit supra dimidium iusti precij, non sit cogendus. Notandum est tamen, quod hac potestate non est vtendum in aliquam personam, nisi tribus istis concurrentibus, quemadmodum optimè deducit Carlerius in trac. de punitione criminum publicorum Ecclesiasticorum contra Bohemos: primum est iurisdictio; secundum conuictio; tertium est pax salua, & istud tertium satis patet ex parabola Saluatoris, Matth. 13. de zizanijs & frumento.

CAPVT VI.

In quo ostenditur lege diuina, quibus immediatè sit collata suprema potestas Ecclesiastica à Christo.



Consequenter videndum est quibus sit immediatè collata hæc potestas ecclesiastica, & sit prima propositio: Immediatè à Christo collata est Petro primo summo Pontifici. Probatur primò, quia Matth. 16. postquam Petrus Christo sciscitanti, *vos autem quem me esse dicitis*, responderat, *Tu es Christus filius Dei viui*, aliquibus interpositis dicit ei Christus, *dabo tibi claues regni cælorum: quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*: Ergo Christus cum fidelis sit, & seipsum negare non possit, aliquando contulit claues regni cælorum beato Petro, inter quas ponitur potestas illa coërcitiua. Secundò patet, quia à Christo dictum est beato Petro, *Pasce oues meas, pasce* agnos

agnos meos. Ioan. vltimo, ſuper quibus verbis dicit gloſſa ordinaria, *Paſcere, eſt credentes ne deficiant confortare, terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, prouidere, exẽpla virtutum præbere, aduerſarijs obſiſtere, peccantes corrigere.* Et iſtud vltimum notum eſt ad hanc coërcitiuam poteſtatem ſpectare, & in hoc conueniunt ſatis ſinguli doctores, dicentes Chriſtum tunc eum feciſſe ſuum generalem vicariũ, & ad hoc adducunt innumeras auctoritates.

Secunda propoſitio, Chriſtus hanc poteſtatem immediatè contulit Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro collectione omnium fidelium, ſiue pro collectione omnium prælatorum maiorum & minorum, qui ſuccedunt Apoſtolis & diſcipulis, ſiue pro Concilio generali Eccleſiam repræſentante. Probatur per illud Chriſti, Matth. 18. præallegatum, *ſi peccauerit in te frater tuus, &c.* Vbi præcipit Chriſtus, nollentem corrigi ad fraternam correctionem, denunciari Eccleſiæ, & ſi eccleſiæ monitioni non obtemperet, excommunicandum, & dat eccleſiæ auctoritatem excommunicandi dicens, *quæcumque alligaueritis, &c.* & quod de eccleſia, prout eſt plurium collectio intelligatur, Patet ex eo quod poſtquam dixit: DIC ECCLESIÆ, *& ſi non audierit Eccleſiam ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, ſtatim ſubiungit pluraliter, *quæcumque alligaueritis ſuper terram, &c.* Ergo non capit ibi Eccleſiam pro vnico ſuppoſito, ſed pro pluribus: Et quod non intelligat de ligatione & ſolutione in foro ſecreto & pœnitentiali, vt dicit de Palude in ſuo tractatu de iſta materia, manifeſtè patet ex præcedentibus: Nam in foro ſecreto, nullus debet peccatum alterius deferre ſeu reuelare, niſi quando eſſet peccati proprij circunſtantia mutans ſpeciem, & non poſſet proprium confiteri peccatum ſine reuelatione alieni. Sed Chriſtus in iungit ibi alienum peccatum deferri & reuelari, & eum cuius eſt peccatum ligari aut ſolui, ergo loquitur de ligatione & ſolutione in foro publico & exteriori.

Secundò probatur per illud quod ſcribitur, Actuum 15. In quo capite narratur quo modo in Concilio Apoſtolorum & ſeniorum propoſita fuit quæſtio de ceſſatione legalium, & an conuerſi ex gentibus circuncidendi eſſent. *Placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primarios in fratribus, ſcribentes per manus eorum Apoſtoli & ſeniores fratres, &c.* Et aliquibus interpoſitis ſubiungitur concluſio illius concilij. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil imponere vltra vobis oneris quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine ſuffocato, & fornicatione.* Vbi non dicitur Petrum hoc impoſuiſſe, quamuis eſſet præſens, ſed totum Apoſtolorum & ſeniorum concilium: Ergo penes Eccleſiam eſt poteſtas ſtatuendi ſeu præcipiendi, quæ ad poteſtatem iuriſdictionis ſpectant.

Tertiò probatur auctoritate Gregorij quæ ponitur in can. *ſicut ſancti Euangelij quatuor libri, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe*; & in fine Canonis redditur cauſa, *quia dum vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere quos ligant, aut religare quos abſoluunt.* Non dicitur enim, quia dum A Petri aut ſummi Pontificis conſenſu conſtituta ſunt; nec dicitur quos ſummus Pontifex ligat, ſed quos patres ligant. Ad hoc eſt can. Decreuit 88. diſtinc. vbi dicitur *Decreuit ſancta Synodus*, & non dicitur: Decreuit ſummus Pontifex, ad denotandum quod auctoritas definitiua, apud ſynodum reſidet. & ca. nimis, de iureiurando, vbi ſummus Pontifex auctoritate ſacri Concilij, & non auctoritate propria præcipit, ne clerici perſonis ſecularibus præſtare iuramentum fidelitatis cogantur, à quibus nihil temporale obtinent. B

Quartò, Eccleſia poteſt elargiri indulgentias, quod ſpectat ad claues fori exterioris; ergo Eccleſia habet illas claues: probatur antecedens, dantur indulgentiæ de theſauro Eccleſiæ, & non de theſauro Papæ, ergo eccleſia à fortiori poteſt eas dare quam Papa.

Item poteſt Concilium repræſentans Eccleſiam, condere Canones ſẽtẽtiæ latæ depoſitionis, & excommunicationis, vt patet de Carthaginenſi Concilio VIII. vt ſcribitur in can. C Placuit 8. q. 1. Placuit vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur.

Item, poteſt aliquem deſtituere, quod eſt iuriſdictionis, vt patet per ca. ex geſtis, de clericis nõ reſidentibus, vbi dicitur, in ſynodo. Anaſtaſius Cardinalis preſbyter, tituli beati Marcelli, ab omnibus canonicè eſt depoſitus, eò quòd parochiam ſuam per annos quinque contra ſtatuta deſeruit; vbi non dicitur à ſolo Papa depoſitum D eſſe.

Hanc materiam latiſſimè tractat Gaufredus de monte electo, abbas ſancti Honorati inſulæ Lirinenſis, in tractatu quem edidit tempore Cõcilij Baſileenſis, diſcurrendo per ſingulos actus iuriſdictionis, puta per excommunicationes, per indulgentias, diſpenſationes, Canonum editiones, & ſic de alijs, quæ ibidem latiſſimè poteris videre.

Ex his omnibus, ſequitur corollariè, conformiter ad Ioannem de Gerſonio, quod per hæc verba DIC ECCLESIÆ data eſt Eccleſiæ & Concilio E generali poteſtas cognoſcẽdi: & per verba ſequẽtia, *ſi non audierit Eccleſiam, &c.* data eſt cognitione præuia ſententiandi poteſtas, & non obtemperantes ſententiæ, mulctandi pœna: & per verba ſequentia, *Quæcumque alligaueritis, &c.* data eſt primò Eccleſiæ poteſtas aliquem ligandi excommunicatione, & ab eadem ſoluendi: data eſt ſecundò poteſtas aliquem ligandi ſtatuto ſeu præcepto, cui obedire tenetur quilibet pro rationa- F bili cauſa; & pro ſimili cauſa eum ſoluendi ab eodem præcepto, & ibi fundatur poteſtas diſpenſandi. Data eſt tertiò poteſtas aliquem ligandi ad pœnam temporalem pro crimine, & ab eadem pro rationabili cauſa ſoluendi per indulgentiarum largitionem. Data eſt tertiò poteſtas aliquẽ alligandi animarum curæ, quam ſi ſumpſerit, iuxta dictum Sapientis in Prouerb. *Illaqueatus eſt verbis oris ſui, & captus proprijs ſermonibus*; & eundem pro rationabili cauſa ab eadem cura ſoluendi, vt infrà magis declarabitur. Et ſequitur iterũ, quod in Eccleſia eſt poteſtas legiſlatiua, contra Thomã

de Vio, cap. 12. & istud deducetur infrà magis. De potestate immediatè data Apostolis (loquẽdo semper de ista potestate iurisdictionis) pro nunc dicere omitto.

Caput VII.

In quo, ex praxi primitiua Ecclesiæ, comparatur potestas Iurisdictionis data Ecclesiæ, ad Petrum siue summos Pontifices eius successores, quantum ad maioritatem.



Idendum est consequenter, quoniam in ecclesia est potestas iurisdictionis ecclesiasticæ, similiter & in summo Pontifice, ex immediata Christi collatione; quo modo se habeat ecclesia ad summũ Pontificem, quantum ad hãc potestatem, vtrum in proportione æqualitatis, aut in proportione maioris inæqualitatis, vel in proportione minoris inæqualitatis, & est materia huius tractatus principaliter intenta.

Pro qua materia, supponendum est quod de ratione maioris potestatis multa sunt. Primùm à minori ad maiorem est appellatio.

Secundum, constitutus in maiore potestate, potest iudicare constitutum in minore potestate.

Tertium, potest vsum minoris potestatis limitare, & quasdam constituere leges secundum quas tenebitur minor procedere.

Quartum, potest constitutum in minori potestate eâ priuare, exigente delicto.

Secundò supponendum est, quod quando cõparo ecclesiam seu Concilium ad summum Pontificem, indifferenter intelligo de Ecclesia seu Concilio eam repræsentante, non incluso summo Pontifice, vt puta quia non est, aut si sit, non potest compatere, quia est detentus apud infideles captiuus, aut si possit, contumaciter non vult sufficienter vocatus.

Istis suppositis, pono hanc propositionem cõtra Magistrum Thomam, cap. 17. sui tractatus, Ecclesia siue Concilium generale, est in hac potestate summo Pontifice superior, & quamuis ista propositio sit per sacra Concilia Constantiense & Basileense determinata, ita quod sicut sacrum Euangelium foret veneranda, quia tamen illa Concilia, pro tempore determinationis, nullius existimat vigoris; contra eum procedam alia via, primò ostendendo hanc propositionem non esse fictionem nouam, vt dicit ille doctor, sed antiquam Doctorum sententiam.

Augustinus in Epistola ad Glorium, Eleusium, & Felicẽ Grammaticum & cæteros, quæ est 162. inter Epistolas, commemorat de depositione Ceciliani Carthaginensis Episcopi, ab Episcopis Africanis iniustè facta, qui vidẽtes orbem communicare cum Cæciliano, & non cum eo quem instituerant, necnon à transmarinis Ecclesijs (quæ in ordine ad nos sunt citramarinæ) ad Cæcilianum communicatorias litteras transmitti; elegerunt (dicit Augustinus) vt fertur propter duas causas agere causam cum Cæciliano apud Melciadem Episcopum Romanum, & transmarinos Episcopos, parati ad vtrumque, vt si eum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis euincere, satiarent plenissimè cupiditatem suam: si autem non possent, in eadem quidem peruersitate durarent, sed iam tamen quasi haberent quod dicerent, malos iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati, & statim subdit ad propositum, Quasi non eis ad hoc dici posset, & iustissime dici: *Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti, essent eorum sententiæ soluerentur.* Et quibus verbis, manifestè sequuntur duo, primùm, quod non solùm à sententia summi Pontificis, verumetiam à sententia summi Pontificis & Concilij particularis ad vniuersale Consilium appellari potest: Secundum est, quod ab vniuersali Cõcilio, sententia summi Pontificis & Concilij particularis, solui potest: legat igitur & perlegat, & iterum relegat illam epistolam, & non dicet fictionem esse nouam Ioannis de Gersonio, sed antiquam Augustini veritatem.

Secundò probatur, nam in VIII. Concilio Cano. 21. qui incipit, definimus neminem prorsus, cuius pars habetur 22. dist. can. definimus, dicitur, *vniuersalis synodus cum conuenienti reuerentia quamlibet quæstionem de Romanorum sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Ecce, quod licet Concilium omnem quæstionem de Romana sede definire habeat, id tamen cum reuerentia, propter eius primatiam facere debet, & hoc notissimum est ad maiorem spectare auctoritatem.

Tertiò arguitur auctoritate Damasi Papæ, quæ ponitur inter epistolas Ambrosij, epistola 72. in libris impressis. Vbi deputati à Concilio Capuẽsi, ad cognoscendum de Bonoso Episcopo in aliquibus accusato, sententiam sciscitati sunt à Damaso Papa, ex consilio Ambrosij, vt patet epistol. 71. & ita respondet Damasus: Sed cum huiusmodi fuerit Cõcilij Capuensis iudicium, vt finitimi. Bonoso Episcopo atq; eius accusatoribus iudices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de eius factis cognoscerent, *Aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset: Nam si integra esset hodie synodus, rectè de his quæ vestrorum scriptorum comprehẽdit series decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi aut elabendi accusatoribus vel accusato copiam dare, vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit.* Ecce quod Damasus Papa dicit, se non posse de illa causa cognoscere, de qua posset si synodus adhuc esset integra, idest non commisisset alijs iudicium, & quod illa verba non sint Ambrosij, patet ex sequentibus, subditur enim deinde: Cum Episcopus Bonosus, post iudicium, misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiã consuleret interdictã sibi ecclesiã irrũpere atq; ingredi, respõsũ est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, vt quod videretur

retur vobis iusticiæ conuenire statueretis, quibus hanc synodus dederit auctoritatem: hoc de se non dixisset Ambrosius. Sequitur iterum, *ideo primum est, vt ij iudicent quibus iudicandi facultas est data, vos enim vt scripsimus, synodi vice decernitis, nos quasi ex synodi auctoritate iudicare non conuenit.* Ex his manifestè patet Damasum Papam, non solùm confessum, Concilium esse eo superius in iudicando, sed & ipsos deputatos per Concilium in ea causa in qua deputati sunt.

Quartò arguitur, *contulit Dominus claues Petro summo Pontifici, vt signo & figura ecclesiæ,* Ergo per amplius, & magis contulit Ecclesiæ. Probatur antecedens per Augustinum super Ioannem, & ponitur 24. q. 1. can. quodcumque. *Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit.* Nec valet dicere, sicut dicit Thomas de vio, quod hoc est intelligendum ad istum sensum, quod non solùm personæ Petri, sed & officio suo in æternum duraturo collatæ sunt claues: & quia officium Petri est officium capitis, quod habet influere in corpus reliquum, ideo officio capitali data, toti corpori data dicuntur & sunt. Probo enim, quod non ad illum sensum dicit Augustinus datas esse Ecclesiæ: quia hoc modo claues esse datas Ecclesiæ, esset eas datas esse propter ecclesiam finaliter, & non ei datas esse formaliter, quod manifestè est contra Augustinum, dicentem in eodem cap. *Si hoc tantùm Petro dictum est, puta quodcumque ligaueris, &c. non hoc facit Ecclesia,* vbi pro inconuenienti infert istud consequens, quod Ecclesia non ligat, & quod non soluit.

Item, idem Augustinus super Ioannem, super illo verbo, *Tu vocaberis Cephas,* mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum, Petrus autem à petra, Petra autem Ecclesia, ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia: Etiam ad istum sensum, Petrus & quilibet eius successor, vtitur clauibus vice Ecclesiæ vniuersalis quam significat, sicut rex quilibet, vice communitatis exercet iurisdictionis actus, ita quod summus pontifex excommunicat, confert beneficia similiter & indulgentias, & sic de alijs actibus Ecclesiasticæ potestatis, auctoritate totius Ecclesiæ: Et istud rationabile est ex eo quod suffragia quibus priuatur excommunicatus, sunt Ecclesiæ & non summi pontificis: Hinc prælati dicuntur nomine Ecclesiæ, & non proprio illa auferre. Erit igitur totius Ecclesiæ aliquem posse illorum participatione priuare. Hinc dicit quidam doctor, Paulum noluisse excommunicare publicum fornicarium vt patet 1. ad Corinth. 5. nisi Corinthijs congregatis, vnde sic dicitur, *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, iam iudicaui vt præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, &c.*

Et ita concedẽdum est, quemadmodum Deus condens humanum genus, indidit ei naturalem potestatem iurisdictionis ad finem naturalem, & non alicui supposito regulariter (hæc enim potestas communicata est particularibus suppositis à communitate, qui sunt velut communitatis ministri in exercitio illius Iurisdictionis, vt patet ex primò capite) ita Christus regenerans Ecclesiam ad finem supernaturalem, ei illam potestatem positiuam ad illum finem communicauit, quam posset, & etiam teneretur (cum non semper possit esse congregata) alicui supposito communicare (qui vt minister Ecclesiæ, hanc potestatem exerceret). Et sicut communitatem aliquando Deus præuenit, communicans alicui supposito ciuilem potestatem (vt Moysi super populum Israel) ita & Christus Ecclesiam præuenit, communicando ecclesiasticam potestatem positiuam Petro, vt vice ecclesiæ eam exerceret, quam ecclesia ei potuisset communicare, cum prius esset à Christo instituta & Ecclesiæ collata, vt infra patebit.

Quintò arguitur, si esset ita Papæ collata potestas super totam Ecclesiam, quod quamuis eam exerceret in destructionem Ecclesiæ & non in ædificationem, & esset toti Ecclesiæ perniciosus, quantum ad consecutionem finis, nec posset tamen à tota Ecclesia puniri; Primò sequitur quod politia ecclesiastica non esset ita bene ordinata sicut politia ciuilis: quia contra bonam ordinationem politiæ ciuilis foret, non posse membrum aliquod auferre, cuius conuersatio in destructionem totius cederet. Secundò, hoc esset in detrimentum ipsiusmet Papæ, esset enim miserabilior omnibus hominibus, si à malo compesci non posset.

Sextò, Papa est vniuersalis Ecclesiæ filius, ergo ei subiectus, & antecedens patet ex Ambrosio in libro de symbolo, *Non habebit ibi Deum patrem, qui noluit hic habere Ecclesiam matrem*: cauendum est ergo summo pontifici, ne Ecclesiæ deneget obedientiam. *Stultus enim homo despicit matrem suam, & filius stultus mœstitia est matri suæ,* Prouerb. 10.

Septimò arguitur, si sint duo contendentes de Papatu; Ecclesia vniuersalis siue Concilium eam repræsentans, est eorum iudex, ergo in vtrumque habet iurisdictionem & superioritatem. Consequentia tenet, nullus est enim ordinarius iudex alterius: quod autem Ecclesia sit in iurisdictione superior, patet manifestissimè ex can. Si duo, dist. 79.

Et istius sententiæ, scilicet quod Ecclesia siue Concilium generale eam repræsentans, sit in iurisdictione maior summo Pontifice, fuit beatus Hieronymus dicens. *Si autem auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe.* Nec aliquid habet apparentiæ solutio fratris Thomæ de Vio, dicentis Hieronymum loqui de maioritate meritorum: nam non dicit Hieronymus, si merita quærantur, sed si auctoritas, & sic de maioritate potestatis, & non meritorum loquitur.

Hanc superioritatem recognoscens Nicolaus Papa, scribit Lothario regi, nisi vitet contubernium pellicis suæ, quæ erat excommunicata, quod adhibitis duobus vel tribus testibus, sanctæ denunciaret Ecclesiæ, & sic fieret sicut Ethnicus & publicanus. 11. q. 3. can. præcipuè: & certum est, quod Papa non dicebat denunciaturum sibimet.

Hanc etiam superioritatem recognouit Symmachus Papa, qui cum à quibusdam accusare-

tur, auctoritate sua concilium congregauit, à quo inter ipsum & accusatores fertur sententia distinct. 17. §. hinc etiam. Ad hanc veritatem corroborandam etiam adduci posset quod scribitur Actuum 8. *Quod Apostoli qui erant Hierosolymis, cum audissent quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem*: & per cōsequens, illa congregatio Apostolorum erat Petro maior, iuxta illud quod scribitur in Luca. 7. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit; & seruo meo fac hoc, & facit*: nec valet solutio Thomæ de Vio, dicentis 11. capit. sui tractatus, ex hoc non sequi aliquo modo inferioritatem Petri. Nam Spiritus sanctus missus est à filio, iuxta illud Ioannis 16. *Quem ego mittam vobis, &c.* & tamen non est subiectus, & statim subdit idem frater, malè theologus est, qui ex missum esse, infert subditum esse. Nam ista consequentia est optima, Spiritus sanctus mittitur à filio, ergo est à filio, vel eo inferior: & sic oportet fateatur quod Petrus sit ab Ecclesia: Similiter nec potest rationabiliter dici, quod Petrus fuit missus consilio & non præcepto, cum non fuerit missus solus, sed Ioannes cum eo. Et tot sunt testimonia de ista superioritate Ecclesiæ & Concilij ad summum Pontificem, præter determinationes Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in quæ blasphemo ore lacessit idem frater.

Similiter, est tanta rationabilitas in lumine naturali, si bene consideretur iurisdictionum fines, (non sunt enim iurisdictiones possessiones particulares) vt nemo sanæ mentis de ea superioritate dubitaret: *Sed inimicus homo, qui non cessat in agro dominico per se & suos ministros seminare zizania, cognoscens Ecclesiam non posse in capite & in membris aliter reformari quàm per Concilium, induxit adulatores quosdam (qui plus quærunt hominibus quàm Deo placere, & plus quæ sua sunt quàm quæ Iesu Christi) in hunc errorem perniciosissimum Ecclesiæ, quod summus Pontifex ei non est subiectus. Si enim singula beneficia vendat, aut sacrilegis & perniciosissimis personis distribuat, aut nitatur Ecclesiam omnimodo destruere, non erit via ad resistendum ei, nisi Ecclesia sit eo superior.* Et ex propositione ista, probata meo iudicio sufficienter, probanda tamen inferius, descendendo ad particulares actus iurisdictionis, infertur.

Primò, quod falsa est glossa in cap. cum ex illo, de translationibus episcoporum, dicens illa quæ his versibus continentur ad solum Papam pertinere, si excludat concilium.

Restituit Papa solus, deponit & ipse,
Diuidit, ac vnit, eximit atque probat:
Articulos soluit, synodumque facit generalem,
Transfert & mutat, appellat ab illo nullus.

Sequitur secundo, quod Papa ex vna parte sumptus, non est maioris potestatis quàm totum residuum Ecclesiæ ex altera parte; nec æqualis cum aggregato ex ipso, & toto residuo Ecclesiæ: & ita dicam de Concilio vniuersali legitimè congregato, siue Papa adsit siue non. Et istud corollarium est directè contra Thomam de Vio, 6. & 7. cap. per totum, in 6. enim cap. ponit quod

A Concilium auctorizatum etiam per Papam, non est maioris auctoritatis quàm Papa ipse: Istud corollarium patet primò ex illo quod habet glossa in can. legimus distinct. 93. *Statuta Concilij generalis præiudicant statutis Papæ, si contradicant.* Hinc quamuis Leo Papa reclamauerit contra constitutionem Chalcedonēsis Concilij, quod Constantina sedes præcederet Alexandrinam, præualuit tamen constitutio Concilij reclamationi Leonis, per cap. Antiqua, de priuilegijs, & 22. distinct. can. renouantes. Et istud optimè deducit Nicolaus de Cusa. Hinc etiam

B fit quod consuetudo generalis Ecclesiæ, quæ vnanimi consensu introducitur, statutum pontificale abrogat.

Secundò, probatur idem corollarium & quātum ad primam, si summus Pontifex habeat iurisdictionem super totum residuum ab ipso categorematicè, ergo poterit in illud totum etiam inuitum aliquem actum iurisdictionis exercere: Consequentia patet, quia potestas iurisdictionis fori exterioris in inuitum exerceri potest: &

C falsitas consequentis probatur, non potest illud totum categorematicè excommunicare, aut interdicere, vt notum est, nec ad aliquid, ipso renitente illud obligare, vt patet per illud Augustini *leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus vtentium approbantur.* can. in istis, distinct. 4. & in eod. can. probatur illud exemplo Thelesphori Papæ, qui decreuit quod clerici generaliter ieiunarent à quinquagesima, & non potest dari alter actus iurisdictionis, quem

D in totum illud residuum, etiam inuitum, exercere possit. Igitur, &c.

Sequitur tertiò, quod ecclesiastica potestas, est prius tempore in ecclesia, quàm fuerit in aliquo summo Pontifice: probatur, fuit instituta ecclesiastica potestas, & Ecclesiæ collata, Matth. 18. vt ex antedictis satis haberi potest (& hoc ponit Ioannes de Gersonio consider. 4. sui tractatus de Ecclesiastica potestate): Sed tunc nullus erat adhuc summus Pontifex, nec fuit post, vsque ad resurrectionem cum dictum est Petro

E Ioann. vltimo. *Pasce oues meas*, ergo prius tempore fuit in Ecclesia ecclesiastica potestas, quàm in summo Pontifice, sicut supradictum est, quod prius in populo fuit potestas ciuilis coërcitiua, imò est in eo naturalius, quàm in rege.

Ex isto corollario sequitur aliud, quod quamuis Christus non instituisset Petrum summum Pontificem, hoc potuisset facere Ecclesia: & istud corollarium est expressum Henrici de Hassia, prout reperi in quodam extracto ex opusculis eius: Patet istud corollarium, quia cum illa ec-

F clesiastica potestas fuerit prius in sua plenitudine in Ecclesia, Ecclesia potuisset alicui committere, à quo non potuisset eam auferre, nisi pro causa rationabili, quemadmodum populus ciuilem commisit regi: ergo Ecclesia potuisset aliquem instituere summum Pontificem.

Probatur secundò, & apparenter meo iudicio, idem corollarium, cum potestas electiua Papæ fuerit in Ecclesia mortuo Petro, & non à Petro, vt infrà probabitur, ergo à Christo: Sed non potest reperiri quando fuerit à Christo collata

collata Ecclesiæ, nisi Matth. 18. Nam cum dictũ est Petro, *pasce oues meas*, nihil ecclesiæ, sed soli Petro A collatum est, ergo in ecclesia fuit potestas electiua Papæ, antequam Petrus fuerit Papa: & sic, cum maiori apparentia dicetur Christum, cum fecit Petrum summum Pontificem, præuenisse ecclesiam, & id ex gratia Petro contulisse, quod Ecclesia potuisset ordinare ex Christi institutione, quàm quod præuenerit Petrum, dando Apostolis ordinis potestatem, iuxta phantasiam fratris Thomæ de Vio, in tertio capitulo.

B

CAPVT VIII.

In quo ponuntur & dissoluuntur obiectiones aduersariorum.

Oppositum propositionis probatæ in priori cap. nituntur veritatis inimici multis rationibus suadere; Primò, Papa est caput Ecclesiæ vniuersalis, & non solùm singulorum mẽbrorũ, quod monstratur primò ex auctoritate ipsius Constantiensis C Concilij, ante & post electionem Martini V. vbi dãnatur propositio illa Ioannis Hus, Petrus nec est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ Catholicæ: & illa altera, nõ est scintilla apparentiæ, quod oportet esse vnum caput in spiritualibus regens ecclesiã, quod semper cum ipsa ecclesia militante conuersetur; hîc expressè dãnatur quod Petrus non fuit caput Catholicæ Ecclesiæ: Catholicum enim idẽ est quod vniuersale; & ad hoc Hieronymus in libro de ortu & obitu sãctorũ, in nouo testamẽto, Petrus inquit, in Christi ecclesia firmamẽ- D tũ est, Cephas corporis Christi, principatus & caput est, & hanc rationem deducit de Vio, suo sexto capit.

Secundò, soli Petro dictum est *Pasce oues meas*, in hoc Christus instituit regimẽ ecclesiæ Monarchicum, & si ridiculosa illa responsio detur, quod Christus dixit Petro pasce oues, nõ ecclesiã meã, quasi fecerit eum pastorẽ singularũ ouiũ, non ipsius ecclesiæ, quæ significat totum consurgens ex omnibus ouibus, manifestè excluditur hoc, ex eo E quod in oratione dicitur, *Deus omniũ fideliũ pastor & rector famulũ tuũ N. quẽ pastorẽ ecclesiæ tuæ præesse voluisti*: & in Concilio Lugdunẽsi, de electione, lib. 6. cap. vbi periculũ, Papa rector vniuersalis ecclesiæ, & gregis dominici director dicitur: vbi patet, quod respectu ecclesiæ & gregis, quæ collectiones significant, & non solùm respectu particularium personarum, pastor, rector, & director, est Papa.

Amplius Ioannis 10. Saluator inquit, *Alias oues* F *habeo, &c.* & subdit *fiet vnum ouile & vnus pastor*: at certum est quod ouile significat vnum continens oues, & ex hac auctoritate arguitur sic, Ecclesia, vt vna ex Iudæis & gentilibus, est Ouile, & Petrus, cui dictum est, *Pasce oues meas*, est pastor illius ouilis, ergo ecclesia vt vna, non est supra Papam, sed sub eo, vt ouile sub pastore. Et confirmatur, quia ecclesia seu Concilium distinctum supra Papam, aut est oues, aut ouile, aut pastor; non est oues, quia ex vtrisque ouibus, Ouile vnum constituendum dicit Dominus: non est pastor, quia cum Petrus sit vnus pastor ecclesiæ, vt monstratum est, & ecclesia esset alius pastor, essent duo pastores contra Dominum, dicentem *fiet vnus pastor*, ergo est ouile; & cum non sit ouile nullius pastoris, est vnum ouile vnius tantum pastoris, qui est dominici gregis rector & director.

Tertiò arguitur, non minus Papa est Episcopus ecclesiæ Catholicæ, quam quilibet Episcopus suę ecclesiæ; sed quilibet Episcopus, est Episcopus singularum personarum, & totius collectionis earum in vnam communitatem, ergo est Papa: & confirmatur, quia cum ecclesia sit nomen collectiuum, & significet collectionem fidelium (vt dicitur de consecrat. dist. 1. can. Ecclesia) & Episcopus dicatur Episcopus ecclesiæ talis, oportet vt primò sit Episcopus ipsius ecclesiæ, & secundariò singularum personarum, ac per hoc, Papa qui intitulatur Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, & non illorum aut omnium Christianorum, est primò Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, & secundariò membrorum eius, & quando dicitur, est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, est distributio accommoda, sicut quando dicitur cælum tegit omnia.

Quartò arguitur, Papa habet supremam potestatem in ecclesia Dei, ergo non subest ecclesiæ: antecedens patet ex conditione iam dicta in Cõcilio Constantiensi per Martinum V. vbi de Papa loquendo, dicitur habens supremam potestatem in ecclesia Dei; consequentia probatur, quia supra supremam auctoritatem in ecclesia Dei, nõ potest maior intelligi in eadem ecclesia Dei: Imò ex hoc etiam sequitur, quod tam ecclesia quam Concilium, subditur Papæ, quia non sunt duæ supremæ potestates in ecclesia Dei: principatuum enim pluralitas, cum sit mala, vt patet 12. Metap. à Iesu Christo summè bono, qui vult ecclesiam suam optimè disponi, esse non potest. Et confirmatur hoc auctoritate Innocentij tertij, in Concilio generali, capit. cum ex eo, de pœnitentijs & remiss. vbi dicitur, quod Romanus Pontifex, plenitudinem detinet potestatis. multa alia cap. ad hoc adduci possunt.

Quintò arguitur, Papa est proximus & immediatus vicarius Christi & Apostolorum, ergo nullam habet in terris potestatem priorem se: Antecedens patet, in eadem condemnatione articulorum à Martino V. in Concilio Constantiensi: Consequentia patet, quia proximo & immediato nihil est propinquius & immediatius: Et ex hoc patet primò, quod erroneum est dicere, quod ecclesia, vt distinguitur contra Papam, habet immediatam auctoritatem à Christo supra Papam; sic enim ecclesia non Papa esset immediata vicaria Christi: impossibile est enim esse duo subordinata ambo æquè proxima & immediata à Christo. Confirmatur auctoritate Thomæ dicentis in tract. contra errores Græcorum cap. 66. Christi vicarius suo primatu & prouidentia, vniuersalem Ecclesiam, tanquam fidelis minister Christo subiectam seruat, & oppositum sentire dicit erroneum: & istæ sunt rationes in quibus principaliter prædictus frater Thomas de Vio se fundat.

Sextò arguitur, multis auctoritatibus in cap. significasti, de electione, dicitur quod Concilia generalia recipiunt auctoritatem à Papa; ergo non sunt supra Papam, cum nemini possit Papa dare potestatem coërcitiuam supra se, potest enim alicui committere vt eum absoluat à peccatis, sed non potest se alicui subijcere qui eum liget aut absoluat vinculo excommunicationis, vt dicit Thomas in 4. Item in can. ita Dominus 19. distinct. ex quo Dominus Iesus Christus munus potestatis clauium ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua in corpus omne diffunderet: ex qua auctoritate, patet quod nec Ecclesia, nec Concilium, nec quæcumque persona, aliquid potest habere de iurisdictione ecclesiastica, nisi in quantum sibi à Papa conceditur. Item in can. Nemo. 9. quæst. 3. nemo iudicabit primam sedem, neque enim ab Augusto, nec ab omni clero, nec à regibus, nec à populo iudex iudicabitur: & super illo verbo, *ab omni clero*, dicitur quod Concilium non potest iudicare Papam, vt sequitur in eadem glossa: innumeræ sunt aliæ auctoritates, sed omnium est similis solutio.

Solutio Rationum Thomæ de Vio.

AD primum, negat Ioannes Patriarcha Antiochenus, vir profectò doctissimus, qui interfuit Cōcilio Basileensi (cuius meminit Panormitanus in tract. quē edidit super depositione Eugenij iiij.) quod Papa sit caput totius Ecclesiæ categorematicè, etiam loquendo de capite ministeriali, notum est enim de Christo capite principali: Considerato inquit, quod esse caput denotat præeminentiam & superioritatem, quā summus Pontifex non habet supra Ecclesiam, cum non sit Dominus Ecclesiæ sed minister, dictum est enim Petro à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Et non est dictum *ædificabo Ecclesiam tuam*: maior est autem qui recumbit & minor qui ministrat, iuxta dictum Saluatoris: Est ergo minister inferior, & non superior dominâ; respectu tamen Ecclesiarum particularium, Papa est caput ministeriale, quia ratione ministerij Petro commissi, habet super eas superioritatem, vnde Pelagius Papa, in can. quamuis vniuersæ, 21. dist. quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ & Apostolicæ constitutæ sint Ecclesiæ, vnus thalamus Christi sint, tamen sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica, nullis synodicis constitutis cæteris ecclesijs prælata est, sed voce Domini, &c. In quo non dicit, quod Ecclesia Romana est prælata vniuersali ecclesiæ, quæ est Christi thalamus, sed cæteris Ecclesijs particulariter consideratis, ab eadem Romana distinctis. Et ad omnes auctoritates sonantes quod Papa sit caput ecclesiæ, respondet quod fit distributio pro particularibus ecclesijs, & non pro tota. Et conformiter ad eum dicit Nicolaus de Cusa vltimo cap. sui secundi tractatus. lib. de Concord. Catholic. quod constitutus est Petrus & summus Pontifex quilibet superior singulorum, A sed non omnium: & eodem modo responderent ad secundum argumentum, in quo probatur quod sit pastor vniuersalis ecclesiæ, & negaretur consequenter, quod oporteat dicere quod sit primò caput & pastor alicuius totius congregationis, & secundariò personarum singularum.

Secundò, respondetur ad argumentum, quāuis concedatur Petrum aut summum pontificem quemcumque esse caput totius Ecclesiæ vniuersalis ministeriale, non oportere tamen omnem proprietatem capitis propriè dicti, reperiri in isto capite similitudinario, & hoc præci- B puè cum Ecclesia tota non dicatur corpus Petri, sed solùm Christi corpus, vt patet ad Roman. 12. vbi dicitur, *multi vnum corpus sumus in Christo*; & sic, vt dicatur totius Ecclesiæ caput, non oportet quod sit toto residuo in auctoritate superior, saltem si sit in vnum congregatum per se, aut suos legatos, principales partes repræsentantes: Sed sufficit quod in quodlibet partiale mēbrum superioritatem habeat, & iurisdictionem exer- C cere possit per totum illud corpus dispersum, vt regulariter est. Et dicitur vlterius, quod dicitur Pastor totius ecclesiæ vniuersalis, quantum ad administrationem pabuli spiritualis verbi Dei & Sacramentorum, illa enim per concilium non exercentur, sicut actus Iuridici, sed per singulares personas. Et quod ista duo argumenta non debeant mouere, &c. patet, nam quamuis rex dicatur caput regni in ciuilibus, non est tamen concedendum quod sit regno congregato su- D perior in ciuilibus: Pariformiter de Papa, in ordine ad Ecclesiam, dicendum est: & ista argumenta, parum motiua sunt, ad inferendum quod sit error intolerabilis dicere quod Concilium sit supra Papam: *Imò, oppositum est error totius Ecclesiæ destructiuus, & Ecclesiæ sponsæ Christi perniciosissimus*; nec sequitur, vt infert idem de Vio, quod regimen Ecclesiæ sit Aristocraticum seu populare, in quo tota auctoritas apud vnum non residet: nam non dicitur regimen regale, in quo sit vnicus toto residuo superior (quia E tunc non esset in ciuilibus regimen aliquod regale) sed quia est vnicus (quolibet altero superior) qui totius populi vices gerit, cui data est potestas exercendi actus iurisdictionis (regulariter existentis in populo) vice populi, qui regulariter congregari non potest, vt ex antedictis constat satis.

Et per ista facile solui potest confirmatio secundi argumenti, quod Ecclesia distincta contra Papam, est ouile & oues Christi; nam dictum est Petro *pasce oues meas, non tuas*: Et illi ouili, data est F à Christo potestas vnumquodque membrum arcendi ad legem Ecclesiasticam, quæ quia regulariter exerceri non potest per totum, communicauit eam vni supposito vice totius, relinquens ecclesiæ exemplum quonam pacto ipse facere deberet in posterum, & ille dici potest pastor totius residui modo supradicto.

Ad tertium, in quo arguitur de Episcopo particulari, dicitur, quamuis concedatur quod Episcopus particularis tota sua diœcesi in potestate ecclesiastica sit maior, non potest tamen ex hoc, idem

idem inferri de Episcopo vniuersali: & ratio est, quia Episcopus particularis, non solùm gerit vices suæ diœcesis, in ordine ad populum sibi cómissum, sed etiam totius Ecclesiæ vniuersalis, in ordine ad eundem populum; aliàs non posset aliquem simpliciter excommunicare, vt bene arguit Scotus in 4. Secundò, dicitur quod Ecclesia particularis, cui præficitur diocesanus aliquis, habet superiorem communem sibi & suo diocesano in terris (ecclesiam scilicet vniuersalem): Propterea bene conceditur Papam esse superiorem sua diœcesi particulari sibi commissa, distincta contra ipsum, vt Papa.

Ad quartum, dicitur primò, quando dicitur Papa habet summam potestatem in Ecclesia, de singulis auctoritatibus hoc sonantibus, fit comparatio solùm Papæ ad quodlibet aliud particulare suppositum, puta ad quemlibet alium Patriarcham, Primatem Archiepiscopum & Episcopum, non autem ad totam collectionem aut Concilium eam immediatè repræsentans, cuius est minister: quemadmodum, quando dicitur regem habere supremam potestatem in regno suo. Secundò dicitur, quantùm ad id quod infertur, quod essent duæ supremæ potestates in Ecclesia Dei (quemadmodum dicit Carlerius in tractatu, quem edidit de auctoritate sacrorum generaliũ Conciliorum, & qualiter se habent inter se auctoritates eorum & summi Pontificis, in secunda propositione) quod in Ecclesia, Concilio, & Papa, non sunt diuersæ potestas, sed est eadem plenitudo potestatis: non possunt enim esse duæ plenitudines, & hoc est rationabile: nam vbi vnũ propter alterum, ibi vnum tantùm est, secundũ regulam Aristotelis in Topicis: Sed propter Ecclesiam, est potestas summi Pontificis, iuxta illud, *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Deus regere Ecclesiam, &c.* Ergo, est ibi vna potestas, quemadmodum in rege & regno, quamuis in Ecclesia, potestas illa ad aliquem actum extendatur, ad quem non extenditur in Papa, puta ad electionem, & depositioné summi Pontificis, vt infrà patebit: sicut apud sanctum Thomam, eadem est potestas sacerdotalis in simplici sacerdote & episcopo, & tamen in Episcopo ad aliquos actus extenditur, puta ad confirmandum, & ordinandum, ad quos non extenditur in simplici sacerdote. Et consequenter glossandi sunt omnes textus, dicentes in summo Pontifice esse plenitudinem potestatis, quod hoc est verum tanquam in ministro Dei & Ecclesiæ, in ordine ad singula, non consequenter ad omnia.

Ad quintum, dicitur quod potest intelligi multipliciter quod Papa sit proximus & immediatus vicarius Christi; vno modo, quod immediatè sit à Christo sine quocumque actu humano, seu sine consensu subditorum in se, vel in gerentibus vices eorum; & sic certum est, nullum fuisse immediatum Christi vicarium, quo ad potestatem spiritualem, præter Petrum: Alio modo, quod sit immediatus vicarius Christi, quantum ad exercitium potestatis immediatè à Christo institutæ (cum inter homines visibiliter conuersaretur) & ecclesiæ collatæ, & sic concedendum est, quemlibet summum Pontificem esse immediatum vicarium Christi, quemadmodum reges singuli (iuxta dictum Pauli) sunt ministri Dei in vindictam malefactorum, non quod illam immediatè à Deo susceperint primo modo, sed quia ex consensu populi, habent exercitium potestatis quam Deus indidit populo: Et quia frequenter adducitur analogia hæc de populo, probatur iterum quod in ipso populo sit iurisdictio hæc ciuilis: Nam in terris immediatè subiectis summo Pontifici, in quibus nullum recognoscit superiorem quo ad temporalitatem, prætores seu iudices licitè causas sanguinis exercent, & nõ auctoritate sua, nec auctoritate alicuius principis laici, cum nullus in illum populum iam habeat iurisdictionem: nec etiam auctoritate quæ sit formaliter in summo Pontifice; absit enim dicere in summo Pontifice esse formaliter potestatem ad occidendum, cui Dominus vsum gladij materialis prohibuit: Ergo auctoritate quæ est formaliter in populo. Ad confirmationem de auctoritate Thomæ, parum nobis est curæ de ea, cum eius dicta nimis secundum literam accepta, fuerint plerisque doctrinæ eius zelatoribus occasio errandi in hac materia.

Ad sextum, dicitur primò, quod omnes auctoritates quę regulariter adducuntur, sunt ipsorum summorum Pontificum, qui (vt in pluribus fimbrias suas nimis extendentes) sibi attribuerunt quod est Ecclesiæ proprium: nihilominus, ad primam quæ adducitur ex cap. significasti, de electione & electi potestate, dicitur quod illud est intelligendum de auctoritate relata ad hoc, quod Concilia generalia non possunt regulariter esse legitimè congregata, nisi per vocationem Papæ, de qua auctoritate habetur 17. dist. per totum. Sed postquam Concilia generalia sunt auctoritate Papæ, vel aliter congregata, tum non habẽt suam auctoritatem à Papa, sed immediate à Christo, & illi potestati subijcitur summus Pontifex, sicut minister domino!

Ad auctoritatem ex can. Dominus 19. distinc. dicitur quod licet potestas iurisdictionis fuerit beato Petro tradita, fuit tamen ei tradita, vt ministro Christi & Ecclesiæ, per Concilium repræsentatæ, considerato quod in tali traditione, Petrus Ecclesiam significauit, vt allegatum est ex Augustino, & sic tradita est ei cum onere, quod Petrus & eius successores, vt ministri Ecclesiæ, illi subijcerentur.

Ad auctoritatem ex ca. nemo, dicitur primò à quibusdam, hoc esse intelligendum quantum ad peccata occulta, non solùm quantum ad ea quæ iuridicè probari non possunt (puta per duos vel tres testes) sed quæ Ecclesiam non scandalizant & perturbant, & hoc videtur satis conforme textui, dicitur enim, nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperate desiderantem: conformiter ad illud Apostoli, iusto non est lex posita: sed secus est quando notoriè scandalizat Ecclesiam, secundum glossam in can. Si papa, dist. 40. Sic etiam practicatum fuit in concilio Constantiensi contra Ioannem XXIII. Et ita respondendum est ad cætera capitula, ijsdem causa & quæst. puta ca. *Aliorum* & ca. *facta*. Peccata verò subditorum, quamuis non sint scandalizantia, dummodo iuridicè probari possint, regulariter iudicantur. Posset dici secundò, hoc esse intel-

ligendum regulariter, cum regulariter ad superiorem summi Pontificis recursus haberi non possit: vel dicitur, quod ibi, *toto clero* non capitur collectiuè, sed distributiuè. Vel dicatur, vt alij volunt, quod capitur pro collegio Cardinalium: Et sic ex his facile patebit solutio omnium fundamentorum *Illius perniciosissimæ opinionis, quæ eneruat modum omnium quo reformari possit Ecclesia, visa malitia iam currente.*

Capvt IX.

Inquiritur in quo aut in quibus sit primaria potestas electiua summi Pontificis.



Viso de superioritate Ecclesiæ seu Cōcilij eam repræsentantis in ordine ad Papam, nunc descendendum est ad speciales actus illius potestatis: Et primò inquiritur, in quo sit primaria potestas electiua Papæ: & ad istud dicit prædictus frater Thomas de Vio, cap. 6. & 13. quod est in summo Pontifice.

Pro cuius impugnatione, supponimus quod hic non inquirimus de primaria potestate electiua simpliciter, seu constitutiua Papæ; seu applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad singularem personam, cum notum sit illam esse in solo Deo: sed loquimur de primaria potestate applicatiua sub Deo, imò & sub Christo secundum humanitatem, secundum quam Christus etiam est supra totam ecclesiam, imò & supra totum orbem: & de ista dicitur, quod est in ecclesia & non in summo Pontifice.

Probatur primò, illa primaria potestas est in ecclesia aut in summo Pontifice, (cum non dicat aliquis Cardinales immediatè à Christo accepisse illam potestatem) Sed non est in summo Pontifice, ergo in ecclesia: probatur minor, quia si in solo summo Pontifice sit illa potestas electiua successoris, aut ordinandi à quibus & qualiter debeat eligi, sequitur, cum summus Pontifex sit homo peccabilis, sicut cæteri, & prauis actionibus, negligentijs, malitijs, ac nequitijs valeat irretiri, quod posset totam ecclesiam Christianam relinquere absque potestate eligendi summum Pontificem: posset enim priuare Cardinales illa potestate, cùm ab ipso solo eā habeat, quo facto, vel negligēdo, vel ex malitia differendo, vel tempus sufficiēs nō habēdo, posset mori antequā de electoribus summi Pontificis aliquid ordinaret, & sic tota Christianitas sine potestate eligendi summum Pontificem remaneret. Hanc rationem tangit Gulielmus Occam 3. parte sui dialogi, tractat. 1. lib. 1. cap. 16. Et si dicatur, sicut videtur dicere idem frater, quod in isto casu deuolueretur potestas illa ad ecclesiam, tunc arguitur, nunquā potestas aliqua, ex negligentia alicuius, deuoluitur in alterum, nisi simpliciter & absolutè sit superior: Potestas enim Papalis, propter eius negligentiam, non deuoluitur in Episcopum, sed potestas Episcopi de prouidendo beneficio vacanti, in eius negligētia deuoluitur ad summum Pontificem. Amplius, si in illo casu habeat ecclesia potestatem illam, quæritur à quo habeat immediatè, cum à semetipsa habere non possit; & si dicatur à Christo, difficile erit reperire in sacris literis fundamentum in quo possit stabiliri, quod in illo casu habeat, & non regulariter.

A Secundò, non est verisimile quod Christus voluntati vnius hominis commisisset auctoritatem summi Pontificis, cum huius charitas in tātum refrigescere facile possit, quod sanguinem & carnem loco sui subrogaret, & forsitan vnum pseudo-prophetam, & sic facile vna progenies diceret, *hæreditate possideamus sanctuarium Dei*: & quilibet Pōtifex, cum videret instare finem dierum suorum, aliquem ex consanguineis studeret

B loco sui subrogare, & hanc rationem tangit Armachanus 7. lib. quæstionum Armeniorum cap. 19.

Tertiò, si primaria potestas constitutiua Papæ & ordinatiua de electoribus esset in summo Pōtifice, eodem modo primaria potestas destitutiua summi Pontificis, in eo casu in quo destitui posset (vt est casus hæresis) etiam apud aduersarium esset in summo Pontifice, & sic par in parem haberet Imperium, & summus pontifex cō-

C stituere posset quod à solis duobus vel tribus in casu hæresis destitueretur summus Pontifex, cōsequentia probatur, quia per easdem causas generari habent & destrui potestates istæ.

Quartò arguitur sic, si in summo Pontifice sit potestas electiua successoris, vel ergo est in eo potestas electiua successoris sic, quod per semetipsum possit successorem eligere, vel solùm quia aliquibus potest illam potestatem communicare; secundum nihil habet apparentiæ: si dicatur

D primum, ergo per hoc solùm quod summus Pōtifex vult alterum ei succedere, & ille alter vult acceptare, ille alter efficitur summus Pontifex: quod si concedatur, sequitur istud inconueniēs, quod esset in potestate duorum, facere quod alternatis vicibus quilibet per annum in ordine suo, esset summus Pontifex, more Annæ & Caïphæ: consequentia patet, quia summus Pontifex A. pro sua voluntate potest constituere B. summum Pontificem: & rursum in fine Anni, B. iterum poterit constituere A. & sic consequen-

E ter.

Quintò arguitur, Christus non contulit summo Pontifici aliquam potestatē perniciosam Ecclesiæ, sed vt habet glossa in can. Si Petrus, hoc est perniciosum quod aliquis sibi eligeret successorem. Ergo Christus non contulit summo Pontifici illam potestatem: & propterea dicit Gulielmus Occam loco præallegato, quod nulla potestas est concessa summo Pontifici, quæ regulariter vni personæ perniciosè committeretur. Et ad istam propositionem videtur fuisse

F vsus primitiuæ Ecclesiæ: nam à plebanis assumebantur curati, 51. dist. can. qui in aliquo, & à clericis & plebanis Episcopi, 62. dist. can. nulla ratio. Et à Cardinalibus Episcopis, alijsque Cardinalibus clericis, & toto clero ac populo acclamante; assumebatur summus Pontifex 23. distin. can. in nomine Domini.

Sed contra hoc arguit aduersarius, primò ex facto Petri, nam Petrus elegit sibi successorem, ergo & quilibet alius summus Pontifex hoc facere potest: consequentia tenet, quia quilibet summus Pontifex succedit Petro in eadem potestate

testate: & antecedens probatur per can. Si Petrus 8. q. 1. vbi dicitur si Petrus princeps Apostolorum adiutores sibi adsciuit Linum & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut soluendi aut ligandi normam eis tradidit: sed successori suo Clementi, qui sedem Apostolicam post eum tenere promeruit ipso tradente sibi.


Secundò arguitur, ad Romanum Pontificem spectat ordinare actum electiuæ potestatis, determinando quando & qualiter debet fieri electio, & determinando subiectum illius potestatis, dum constituit quod ad duas partes Cardinalium ad minus spectet electio: nec potest tota Ecclesia (summo pontifice secluso) illam legem mutare.

Ad primùm istorum dicitur primò secundum Armachanum loco præallegato, quod Petrus nō ordinauit Clemētem, sed ordinandum nominauit, patefaciens fratribus quid de suo successore sentiret: nam Matthiam, quamuis Spiritu sancto plenus, noluit sine fratrum consensu, loco Iudę, subrogare: etiam credendum est, quod nec hoc fecerit de Clemente, nisi ad hoc Domini sensum accepisset. Propter hoc posset dici secundò, quod instinctu Spiritus sancti hoc fecit, quo etiam suam præuidit mortem. Aliter dicit Gulielmus Occam, quod in casu in quo non est verisimile posse congregari subditos qui eligant sibi superiorem, & instat mors Papæ, & necessitas est quod sit aliquis citò futurus, ad occurrendum imminenti periculo, tunc posset summus pontifex ratione necessitatis instituere successorem, ne videatur Deus non sufficienter prouidisse suæ ecclesiæ, & eiusdem est sententiæ Archidiaconus in dicto can. & ad hoc allegat can. primum 31. quæst. 1. vbi dicitur, propter necessitatem factum est quod frater duceret sororem, sed cessante necessitate cessat prouisio.

Ad secundum, dicitur quod Papa non dedit potestatem Cardinalibus eligendi successorem: sed hoc habent ab ecclesia seu à Concilio eam repræsentante, & hòc patet in sexta synodo, in cap. in nomine Domini, vbi Nicolaus Papa decernit & statuit non auctoritate propria, sed sanctorum Patrum, de modo electionis summorum Pontificum. Ex dictis patet, quod si Cardinales omnes essent mortui, aut nollent eligere, aut nō possent, ad vniuersitatem fidelium spectaret eligere, aut electores instituere, cuius est solius iudicare an institutio facta per Cardinales sit sufficiens, an non. Secundò sequitur, quod vbi Cardinales manifestè sibi tradita potestate abuterentur, hæc vniuersitas eos priuare posset hac potestate, necnon eam alijs committere, & meo iudicio opposita opinio est error periculosissimus.

Capvt X.

In quo inquiritur ad quem, vel ad quos spectet vltimata eorum quæ sunt fidei resolutio, & demonstratur Papam errare posse, non Concilium.



INuestigandū est, an ad Papam, vel ad Ecclesiam seu Concilium eam repræsentans, vltima eorum quæ sunt de fide decisio ac determinatio spectet: Prima pars.

hic enim non loquimur de decisione seu determinatione doctrinali, quæ ad vnumquemque virum peritum spectare dignoscitur, sed de auctoritatiua & iudiciali, & quantum ad istud, dicit prædictus frater Thomas de Vio, quod ad summum Pontificem vltima eorum quæ sunt fidei decisio spectat, fundans se in dicto sancti Thomæ 2. 2. quæst. 1. artic. vltimo: & vltra, dicit summum Pontificem, quamuis possit errare errore personali in credendo, non posse tamen errare errore iudiciali in fide: cuius ratio est, quia error Papæ esset error totius ecclesiæ, quia ad ipsum spectat finaliter determinare de fide, quid tenendum, quid repellendum, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, vt dicit sanctus Thomas, in tract. contra errores Græcorum cap. 67. vnde & Petro dixit Christus, *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: Iuxta quod etiam 24. q. 1. dicit Innocentius Papa, can. quotiens, Quotiens ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, idest, sui nominis honorem & auctoritatem habentem, recurrendum est, & istam opinionem suam deducit 9. & 11. capitulis.

Contra quam, sit ista propositio, Papa potest errare errore iudiciali, de errore personali omnibus notum est, probatur ista propositio, duo summi pontifices determinauerunt contraria, etiam in his quæ fidem tangunt, ergo alter eorum errauit errore iudiciali: Antecedens patet, de Ioanne xxii. & Nicolao, quorum vnus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi nec in proprio: alter oppositum, vt videre est in eorum extrauagantibus.

Secundò, Innocentius iij. & Cælestinus, determinauerunt contraria super ista propositione, vno coniugum ad hæresim transeunte, alter qui remanet in fide, potest ad secunda vota transire: determinatio Innocentij iij. quod non potest, ponitur in cap. Quanto, de diuortijs: determinatio Cælestini, vt dicit glossa in eodem cap. olim, ponebatur in decretalibus, de conuersione coniugatorum in fine.

Tertiò, aliqui statuerunt contra Euangelium, vt Pelagius qui fecit constitutionem quod omnes subdiaconi Siciliæ à suis vxoribus abstinerēt, quas in minoribus ordinibus duxerāt, aut ab officio cessarent, quam (quia erat iniqua & contra Euangelium) retractauit Gregorius 1. eius successor, vt patet 31. dist. can. ante triennium, in textu & in glossa, si enim potuerit iudicialiter statuere contra Euangelium, ita & definire.

Quartò arguitur, si summus Pontifex non possit errare iudicialiter in his quæ sunt fidei, sequitur summum pontificem non posse fieri hæreticum circa propositiones nondum determinatas, & ad quas credendas non tenetur aliquis explicitè, vt erat articulus de conceptione ante determinationem, & de processione Spiritus sancti à filio: consequentia patet, quia non potest esse pertinax, cum pertinacia nihil aliud sit nisi nolle credere, quamuis determinetur: non enim haberet summus Pontifex propositum illud (quod nollet credere) quamuis ipse determinaret: Similiter sequitur ex propositione quod de-

terminatio solius summi pontificis ligaret suum successorem. Similiter si summus Pontifex sit hæreticus, & ad ipsum solùm spectet vltima eorum quæ sunt de fide decisio, quomodo iudicari poterit esse hæreticus? Decidet enim quæcumque contra ipsum allegata, esse ad aliquem sensum intelligenda suæ assertioni non oppositum. Cuius decisioni, apud aduersarium, plus fidei tribuendũ est, quam totius residui ecclesiæ determinationi. Mirum est enim, quod homini hæretico ita assisteret Spiritus sanctus, quod non fineret eum iudicare & decidere esse vera, quibus assentitur, B imò ad iudicandum oppositum compelleret; nec valet dicere quod non potest errare vtens concilio & requirens adiutorium vniuersalis ecclesiæ, sed bene vt singularis persona, quemadmodum errauit Leo, * contra quem iuit Hilarius, sicut dicit quidam, quia hoc nihil est aliud dicere, nisi quod ecclesia siue Concilium non potest errare, & non solùm errat prædictus frater, sed sibimet contradicit. Dicit enim in fine capit 4. quod sententia Ioannis Euangelistæ, præualuisset sententiæ Clementis Papæ in doctrina C fidei: Si enim sententiando non potuit errare Clemens, nec summus Pontifex quicumque, iuxta promissum Christi Ioan. 14. *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*, & secundum orationẽ Christi, qua orauit pro Petro ne eius fides deficeret, tantum standum fuisset sententiæ Clementis, quantum sententiæ Ioannis, imò & plus, cum apud Clementem fuisset (iuxta dicta eius) fienda vltima decisio fidei, quemadmodum apud Petrum si adhuc superuixisset.

* Liberius fortè.

Ex his satis patet, quod summus Pontifex potest errare sententiando in materia fidei, Si enim errare non potuisset, frustra fuissent conuocata quatuor Concilia generalia principalia, contra quatuor hæresiarchas, puta Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: suffecisset enim solius Papæ decisio: imò apud aduersarium tantæ potestatis est solus Papa in definiendo, sicut aggregatum ex ipso & residuo.

Alia sunt decisa per summos Pontifices, quæ adducit Gulielmus Occam in prima quæst. de potestate summi pontificis, quæ nititur ostẽdere sapere hæresim: Primũ est id quod habetur extrau. qui filij sunt legitimi, cap. per venerabilem, vbi dicitur, cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur in nouo testamento debeat obseruari, &c. quibus verbis si intelligat Innocẽtius iij. quod sunt obseruanda in sensu literali, quemadmodum in veteri testamento, quo ad multa, est erroneum, quia ibi sunt multa cæremonialia sicut patet cap. 13. & 14. Si autem intelligat quod sunt obseruanda secundum sensum mysticum & moralem, sic non solùm seruari debent illa quæ sunt in Deuteronomio, sed etiam quæ in alijs libris Mosis decernuntur, vt legitur dist. 6. can. his itaque. Multa alia adducit doctor ille, vt videre poteris cap. 11. quæstionis præallegatæ, & vnum inter cætera præcipuum est, reperiuntur nonnulli summi Pontifices definuisse se in temporalibus supremam habere potestatem, cæteri verò oppositum: & ex his sequitur corollariè, quod determinatis per summos Pontifices non est necessa- A riò credendum, quamuis non sit oppositum publicè dogmatizandum, nisi de falsitate constet, vt dicit Ioannes de Gersonio.

Sequitur secundò, quod vltima resolutio in his quæ fidei sunt, nõ spectat ad summum Pontificem: non est enim verisimile, quod homini potenti in his quæ fidei sunt errare, vltimam commiserit Deus decisionem.

Sequitur tertiò, quod nõ pro persona Petri sola, aut successoribus orauit Christus ne deficeret fides eius, sed pro vniuersali ecclesia per Petrum repræsentata. Cum omnibus prædictis bene stat, quod si summus Pontifex faceret quod in se est ad rectè determinandum, non permitteret Deus eum errare, imò hoc dicit Altissiodorensis de vetula, quod nunquã permitteret Deus eã errare errore personali in his quæ sunt fidei, si faciat quod in se est: Sed summus Pontifex potest sententiare aliquid esse de fide, & non facere quod in se est ad rectè sententiandum.

Et ad argumentum quo infert summum Pontificem non posse errare definiendo, quia eius error ad Ecclesiam vniuersalem spectaret, consequentia non valet; non enim tenetur tunc Ecclesia determinationi summi Pontificis assentire, sicut nec tenetur, cum summus Pontifex aliquid præcipit contra Euangelium obtemperare. Et ad auctoritatem sancti Thomæ, non est magna vis facienda, & ad cap. maiores, de baptismo & eius effectu; in quo dicitur, maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas esse, &c. dico hoc verum esse D regulariter (quia regulariter non est Ecclesia congregata) sed non pro vltima & necessariò credenda determinatione habenda. Vel sunt referendæ summo Pontifici, vt conuocet concilium, quia eius est ordinariè conuocare, ad quod vltimum iudicium spectat.

Secunda propositio, Concilium vniuersale in his quæ fidei sunt errare non potest, & sic ad ipsum vltima fidei decisio spectat. Quod non possit in his quæ fidei sunt errare, patet, quia specialiter dirigitur à Spiritu sancto, qui iuxta promis- E sum Christi, omnem veritatem docet. Vnde & in conclusione Concilij Apostolorum Actuum 15. dixerunt Apostoli, *visum est Spiritui sancto & nobis*, præponentes Spiritum sanctum tanquam præsidentem & specialem directorem Concilij: & nõ dixerunt *visum est Petro & nobis*, & istam conclusionem satis innuisse videtur Augustinus, cum inquit, *Euangelio non crederem, nisi ad hoc me cogeret Ecclesiæ auctoritas.* Non enim plus tenerer credere Euangelio Ioannis, quàm Euangelio Gamalie- F lis, nisi quia illum recipit ecclesia & non istum. Vnde & in vij. Synodo, vt patet 16. dist. can. placuit, dicitur placuit huic sanctæ synodo, vt amodo confirmata & rata sint canonum Apostolorum LXXXV. capitula. Quid autem intelligat per capitula, videatur disputatio glossæ, & hanc indeuiabilitatem à fide possumus deducere ex dicto Christi, cum dicit Apostolis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Non enim intelligi potest illud de Apostolis in personis eorum, cum non erant vsque ad consummationem seculi victuri, sed in eorum successoribus, nec hoc alicui certo ex successoribus promittit

promittit Christus sed collectioni: Concilium enim generale verè repræsentat Concilium Apostolorum & seniorum. Ista conclusio iterum patet ex alio, nam fatetur quilibet Christianus *se credere in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam*, & sic ad eam, eorum quæ sunt fidei vltima decisio spectabit. Cum enim Papa fatetur se credere in vnam sanctam Ecclesiam, non intelligit quod credat in semetipsum. Et tanta creditur assistentia Spiritus sancti Concilio generali, vt non solùm ipsum indeuiabiliter sententiet de fide, sed etiam aliquæ personæ assistentes Concilio ingenuè confessæ sunt & scripserunt Concilium esse superius ad summum pontificem; dissoluto verò concilio, quia non amplius eis assistebat spiritus veritatis, in oppositum ceciderunt errorem, vt patet de Panormitano, in duobus eius tractatibus, quorum vnum composuit in Concilio Basileensi, alterum post Concilium: primus intitulatur, *de potestate Concilij & Papæ*: Secundus, *de depositione Eugenij*.

Sed contra istud arguit Panormitanus in cap. significasti de election. & electi potestate, vbi asserit, quod est vnica ecclesia vniuersalis quæ errare non potest, & non Concilium, & eius argumentum sumit prædictus frater Thomas, & argumentum est istud, errauit Concilium Meldense, & creditur simplici auctoritati Hieronymi contra illud Concilium: nam in Concilio Meldensi; vt legitur in can. placuit 36. q. 2. placuit vt hi qui rapiunt fœminas, aut furantur, aut seducunt eas, nullatenus habeant vxores, quamuis postmodum conueniant aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint: & ijsdem causa & quæst. can. tria, dicit Hieronymus, tria legitima coniugia in scripturis leguntur, Primũ, &c. Secundum virgo in ciuitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit pater eius dotabit eam, iste vir quantũ iudicauerit, & dabit precium pudicitiæ eius: & dicit Gratianus quod auctoritas Concilij non præiudicat auctoritati Hieronymi, maximè cum ipsa testimonio diuinæ legis nitatur. Secundò arguitur, vnica est ecclesia pro cuius fide rogauit Christus ne deficeret, quæ non est vniuersale Concilium, cum Concilium sit pars eius: ergo Concilium errare potest.

Ad primum istorum, dicitur primò, quod raptor post raptum non potest licitè ducere in vxorem raptam, quamuis eam dotauerit & consenserint parentes, nisi prius condignæ subiaceat pœnitentiæ: hoc satis bene deducit Martinus in libro de Temperantia, quæst. de raptu, cum talis sit excommunicatus, & excommunicatus nullum potest licitè suscipere Sacramentum. Dicitur secundò quod concilium, cum in ipso sit plenitudo potestatis iurisdictionis ecclesiasticæ, potuit talem raptorem simpliciter illegitimare cum rapta, ante condignam pœnitentiam: & Martinus videtur esse opinionis quod ita fecerit, conformiter ad can. si autem, causa & quæst. præallegatis, vbi dicitur, si autem necdum eas quas rapuerant cum voluntate parentum sub desponsationis vel dotalitij nomine in coniugium duxerunt, quando hæc constitutio omnibus fuerit promulgata, ab eorum coniunctione separentur, & publicæ pœnitentiæ subigantur. Et vt dicit Martinus, hoc de raptoribus est intelligendũ, & vt statim patet in eodem textu, peracta publica pœnitentia, raptores possunt matrimonialiter cõiungi, & sic videtur Conciliũ eos illegitimasse vsque ad peractam publicam pœnitentiam. Hieronymus autem loquitur pro tempore ante Cõcilium, pro quo nondum erant illegitimatæ personæ. Scio autem alios dicere esse verum matrimonium si contrahant ante publicam pœnitentiam, sed hic modus mihi probabilior videtur. Et ad auctoritatem Gratiani dicentis auctoritatem Concilij non præiudicare auctoritati Hieronymi, dico illud dictum cum paleis annumerandum esse.

Ad secundum, quod Concilium generale repræsentat ecclesiam, pro cuius fide orauit Christus, & eodem gaudet priuilegio quo ecclesia repræsentata, sicut omnino eandem potestatem habet, imò ecclesia vt dispersa, nullum actum iurisdictionis exercere potest, nec aliquid sententialiter definire, & sic infallibilitas in definiendo ei competere debet vt congregatæ in concilio, & si dicat quod Papa repræsentat Ecclesiam sicut & concilium, vt supra frequenter dictũ est quod ei datæ sunt claues vt signo ecclesiæ, ad hoc dicit Nicolaus de Cusa, quod Papa repræsentat remotè, concilium autem propinquissimè, cum in eo, si sit vniuersale, debeat de qualibet ecclesia particulari aliquis esse, qui gerat vices eius, vel saltem debeat esse sufficienter vocatus: & priuilegium ecclesiæ transit in concilium immediatè eam repræsentans, non autem in summum Pontificem: & hanc materiam scilicet de infallibilitate Concilij in ijs quæ sunt fidei, latè prosequitur Gulielmus Occam 1. & 3. partib. sui dialogi: Et istius sententiæ fuit Marsilius de Papadua, Nicolaus de Cusa & plerique doctores, qui doctissimè scripserunt.

De errore autem facti, quodquidem factum ex sacris literis trahi non potest; Concilium posse errare nemo est qui dubitet, nec illustratur à spiritu sancto speciali illa assistentia, nisi in necessarijs: & ex hoc sequitur non oportere quamlibet sententiam definitiuam Concilij esse veram. Aliqua enim eius sententia in facto consistit, puta quod iste sit Papa, vel non sit Papa; ista vxor illius vel non vxor illius: & quamuis sententia sit falsa, rectè tamen & iustè sententiat, quia secundum allegata & probata.

Ex his manifestè sequitur, Papam non solùm errore personali, sed & errore iudiciali errare posse in materia fidei, sicut & in alijs materijs: & mirum est quod aduersarij non asserunt eum impeccabilem, & credo assererent, nisi quotidiana summorum Pontificum opera, ad credendum oppositum compellerent.

Caput XI.

In quo inquiritur de superioritate Concilij respectu summi Pontificis.



CVm ex supradictis constet Ecclesiam & Concilium esse in iurisdictione maiorem summo Pontifice simpliciter, & in potestate applicatiua Papatus ad

certam personam, & in potestate definitiua eorum quæ sunt fidei, & cum vnus actus superioris iurisdictionis sit; constitutum in inferiori deponere ab ea potestate in qua est inferior, inquirendum est consequenter, an concilium posit deponere summum pontificem, & primò vtrum in casu hæresis.

Circa quam materiam, sentit prædictus frater Thomas de Vio plura, Primum est, summus Pōtifex factus hæreticus, non est ipso facto depositus, vt patet 19. cap. libri sui: & fundamentum eius est; quia non est ipso facto depositus iure diuino: Nullum est enim ius diuinum sententiæ latæ excommunicationis aut depositionis, quamuis bene sententiæ ferendæ excommunicationis, vt satis bene deducit Gulielmus Occam circa finem, 1. partis sui dialogi de excommunicatione: & apud eundem fratrem ista consequentia est bona, non est eo facto excommunicatus, ergo nō est ipso facto, quia plus exigitur ad incurrendā priuationē ipso facto, quàm ad incurrendā excōmunicationem: quoniam incursus censurarum non requirit declarationem, sicut incursus priuationis apud iuristas. Et resolutoriè tenet, quod nulla iurisdictio perditur ipso facto per hæresim interiorem: & in hoc concordat cum Ioanne de Gersonio, & in hoc eiusdem sententiæ sum cum ipso: & præter auctoritates & rationes quas inducit ad hoc probandum, aliquas adducam ad probandum quod non requiratur fides infusa ex iure diuino, vt homo sit capax iurisdictionis ecclesiasticæ. Nam homo cum baptizatur, ponens obicem gratiæ per peccatum mortale, non infidelitatis, sed per aliquod aliud peccatum, nullam recipit à Deo virtutem infusam, vt satis haberi potest ex ijs quæ dicunt doctores de connexione istarum virtutum Theologicarum, quantum ad infusionem, & præsertim ex Scoto circa finem tertij: similiter si aliquis hæreticus desinat esse hæreticus dissentiendo ab hæresi, sed non pœnitendo de peccato præterito (dissensus enim propositionis hæreticæ non necessariò infert contritionem peccati præteriti) in illo non infunditur fides infusa, quia quem Deus sanat perfectè sanat, & tamen nullus istos diceret non esse capaces iurisdictionis ecclesiasticæ si eligantur, cum nullus sit hæreticus. Secundò, idem motiuum adduci potest, quo moti sunt sancti patres ad damnandam hæresim eorum qui dicebant hanc potestatem fundari in charitate ex iure diuino, quia tunc periret omnis certitudo status & ordinis hierarchici: nemo enim de altero scire potest an sit in charitate; ita nec sciri potest, vtrum sit in fide, seu quod non sit hæreticus hæresi interiore: & bene fateor hanc rationem non esse efficacem ad probandum euidenter propositum. Certum est enim, quod de nullo certitudinaliter certitudine euidentiæ sciri potest quod habeat hanc potestatem, sicut nec quod sit baptizatus, cum ad baptismum requiratur intentio ministri, de qua solus ipse, inter homines mortales, habet euidentiam.

Secundò dicit, quod summus Pontifex hæreticus est deponendus, & hoc manifestè patet ex can. Si papa, 40. distinc. & 24. q. 1. per multos canones: & singuli doctores in hoc conueniunt, vel quod sit depositus, vel deponendus.

Tertiò dicit, quod est deponendus à Concilio, A non potestate auctoritatiua quam habet super Papā, sed potestate ministeriali, quā habeat super Papam, vt patet 20. capite: & cap. 22. ponit quod potestas ecclesiæ relata ad Papam, est ministerialis; relata ad coniunctionem Petri & Papatus in fieri vel dissolui (subiecto existente disposito) est auctoritatiua: ita quod sententia definitiua ex hac auctoritate procedens super coniunctionem talis materiæ, Petri hæretici cum papatu, dissoluit auctoritatiuè coniunctionem illam: sicut electio Ecclesiæ auctoritatiuè super coniunctio- B nem non super Papam, coniungit Petrum dispositum, idest fidelem & voluntarium cum papatu. Ad cuius euidentiam, notat quod in Papa inueniuntur tria, scilicet papatus, persona quæ est Papa, puta Petrus; & coniunctio vtriusque, scilicet, papatus in Petro: ex qua coniunctione, resultat Petrus Papa: papatus est à Deo immediatè, Petrus est à patre suo, coniunctio autem papatus in Petro, post Petrum primum à Christo immediatè institutum, non est à Deo, sed ab homine vt C patet, quia hoc fit per electionem hominū: Concurrit autem duplex consensus humanus, ad causandum hanc potestatem, scilicet eligentium & electi, & ista ad longum poteris videre in ipso 19. 21. & 22. capit. quæ non solùm falsa sunt, sed manifestè ad inuicem & cum aliquibus prioribus repugnant.

Primò, illud quod dicit in Ecclesia esse auctoritatiuam potestatem super coniunctione papatus & Petri, repugnat dictis eius in 13. & 6. capit. D prius impugnatis: scilicet quod potestas electiua Papæ, seu applicatiua potestatis ecclesiasticæ ad hanc vel illam personam, est in solo Papa.

Secundò, ista duo repugnant, quod sit auctoritatiua potestas in ecclesia super coniunctione papatus & Petri, & similiter super eius dissolutione, & non supra Papam quod manifestè ostēditur exemplo quo vtitur, retorquendo illud in ipsum: habere enim auctoritatiuam potestatem super hominem, non est habere auctoritatiuam potestatem super animam, nec super corpus, sed E solùm super separationem animæ à corpore, cum nihil aliud agat auctoritatiuè occidēs hominem. quid igitur aliud erit habere auctoritatiuam potestatem super Papam, nisi posse papatum ab ipso auctoritatiuè separare?

Tertiò, si Ecclesia aut Consilium eam repræsentans non habet auctoritatiuam potestatem super Papam, ergo Papa à Concilio illo citatus, non tenebitur comparere, nec contumax non comparendo existimari poterit. Quid ergo iudi- F cabunt, personam inauditam, nec obligatam respondere? meritò eis dici poterit illud Apostoli, *tu quis es qui alienum seruum iudicas*?

Quartò omnis actus punitiuus iustè inflictus alicui personæ ratione peccati, est ab eo qui habet auctoritatiuam potestatem super eum qui punitur, vel à commisso ab habente, ergo cum ista separatio sit actus punitiuus Papæ, est ab habente auctoritatiuam potestatem super Papam, vel à commisso ab habente: si tu dicas quod est ab ecclesia commissa à Deo habente auctoritatiuam potestatem super Papam, eodem modo dicam potestatem Papæ, super quemcumque, esse mini-

ministerialem solùm, & non auctoritatiuam.

Quintò Ecclesia potest tunc excommunicare papam hæreticum antequam deponat, vt patet ex primo dicto eius, dicit enim hanc consequentiam esse bonam, non est excommunicatus ipso facto, ergo non est depositus, ista igitur erit bona, non potest excommunicare, ergo non potest deponere; & ista, potest deponere, ergo potest excommunicare: & certum est, quod excommunicatio est actus habentis auctoritatiuam potestatem super excommunicatum, & si concedat illud, Concilium posse excommunicare Papam, quomodo saluabit quod in Concilio (secluso Papa) nulla sit potestas iurisdictionis?

Amplius, dicit papam posse aliquibus (puta dominis cardinalibus) committere illam ministerialem potestatem supra Papam hæreticum, cum quo defensare nõ posset, quin par in parem haberet imperium, & sic esset verum quod dicit glossa 24. q. 1. can. Achatius, hic est casus in quo Papa papam ligare potest, posset enim Papa lapsus in hæresim, à cardinalibus illam aufferre ministerialem potestatem, & non teneretur subire eorum ministeriale iudicium, & vt puto, speciali Dei concursu, tam manifestè ad inuicem repugnantia posuit, vt suæ doctrinæ falsitas ex eis manifestè omnibus pateret: hoc est enim proprium falsorum testium, dicit August. super psalmo. *Noli æmulari*, quod ex dictis eorum, aut signis aliquibus, semper conuinci possunt: quod probat ex facto militum, qui erant custodiæ sepulchri Christi deputati, dixerunt enim *nobis dormientibus venerunt discipuli, &c.* si enim dormiebant, quo modo sciuerunt eos venisse?

Sunt igitur istæ propositiones veræ, Prima, Papa hæreticus hæresi interiori solùm, non est depositus ipso facto: & hæreticus hæresi exteriori non est depositus ipso facto iure diuino: An autem sit depositus ipso facto iure humano non papali, sed conciliorum (possunt enim statuta condere sententiæ latæ depositionis, sicut dicit de Fontibus, vt qui post adeptum beneficium infra annum non promouetur, ipso facto perdat titulum) non est omnino improbabile dicere quod sic, oppositum tamen mihi probabilius est.

Secunda propositio, est deponendus à Concilio habente auctoritatiuam potestatem super ipsum, & non solùm super coniunctionem, à quo vocatus tenetur comparere, necnon ad interrogata respondere: & hanc potestatem auctoritatiuam, Papa nulli potest committere, cum par in parem nullam habeat potestatem: concedẽdum est tamen bene, cum Thoma de Vio, quod Concilium nullam habet potestatem super papatum in se consideratum, & hoc ponit Gerson in suo tract. de ecclesiastica potestate, & de isto habitum est satis in 2. cap.

A

Capvt XII.

In quo inquiritur, vtrum in alijs casibus præterquam in hæresi deponi possit summus Pontifex.



Idendum est consequenter, an possit summus Pontifex puniri depositione, propter aliud crimen ab hæresi, circa quam materiam prædictus frater Thomas à 25. cap. inclusiuè, ad finẽ vsque tenet quod

B non; vnum fundamentum eius, in 25. cap. est, quod non potest Papa in aliquo casu deponi nisi in casu determinato lege diuina: Casus autẽ hæresis in sacra scriptura plerisq; in locis est determinatus, vt patet ad Galat. 1. vbi de hæretico dicitur *Anathema sit.* idest separatum: & 2. ad Thessal. 3. *subtrahatis vos*, & 2. ad Corinth. 6. *Nolite iugum ducere*, & 2. Ioannis 2. *Nolite recipere nec ei aue dixeritis*: & ad Titum 3. *hæreticum hominem deuita, &c.* In quibus omnibus auctoritatibus significatur, hæreticum hominem esse separãdum & excom-

C municandum: & nullus est alius casus exceptus, quod patet ex sententia Saluatoris, Matth. 23. *Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint facite, secundum autem opera eorum nolite facere*: Vbi Dominus apertè statuit subditos debere audire prælatos malę vitæ, & bonæ doctrinæ: Constat autem quod doctrina ad fidem spectat, vita autem & opera ad malos mores aliorum criminum: & confirmatur ex sen-

D tentia Petri 1. Epist. cap. 2. *Obedite præpositis vestris non tantum bonis, sed etiam dyscolis*: & pro ampliori probatione supponit in 26. cap. quod ad hoc, vt potestas ista ecclesiastica coniũgatur cum aliquo supposito, aliquæ dispositiones requiruntur in illo supposito de necessitate simpliciter, & aliquæ de bene esse: requisitæ de necessitate simpliciter sunt duæ, scilicet esse voluntarium & esse Christianum; nunquam enim aliquis quantumcumque electus est Papa, nisi consentiat, & similiter nisi sit membrum Christi, non est Papa: se-

E cunda dispositio exigitur de iure diuino, & prima de iure naturæ: requisitæ autem dispositiones ad bene esse, sunt boni mores, scientia ecclesiastica, charitas, experientia regiminis, & alia huiusmodi, sine his enim Petrus electus si acceptat, est Papa, quamuis malus: & quia facilius est destruere quam construere, duabus simul requisitis, necessariò ad constructionem, quæcumque earum deficiciat dissolui potest.

Ex his format aduersarius rationem ad proban-

F dum intentum hoc modo, sola contraria (ex cõditionibus necessariò requisitis ad esse Papæ) reddunt Papam deponibilem, sed inter crimina, sola infidelitas contrariatur conditionibus necessariò requisitis ad esse Papę, ergo sola infidelitas inter crimina reddit Papam deponibilem. Prima propositio patet ex hoc quod depositio, est non esse Papæ, & vnumquodq; in suo esse perseuerat, si contrarium non superuenit. Secunda autem propositio probata est, quia cætera vitia contrariantur conditionibus requisitis ad bene esse Papæ. Statim subdit, vellem hanc rationem in statera poni, & non friuolas & apparentes per acci-

dentia vagantes.

Sed meo iudicio, si in statera poneretur parui reperietur ponderis, fides enim non requiritur necessariò ad esse Papæ (cū effectus hæreticus sit adhuc Papa apud aduersariū, & si eligatur hæreticus & acceptet, efficitur Papa) sed solùm requiritur necessariò baptismalis character, qui est indelebilis cum consensu ex parte Petri: ergo æquè fortiter probaret sua ratio, quod pro hæresi deponi non posset: & mirum est, quomodo hanc rationem tam fortem reputauerit, quæ æqualiter probaret oppositum determinati per ipsum, in capitulis immediatè præcedentibus, sicut propositum. Insuper, sicut reperitur in sacris literis hominem hæreticum esse separandum seu excommunicandum, ita & pro alijs vitijs hoc idem reperitur, vt 1. Corinth. 7. *Si is qui frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi ne cibum sumere.* Et Christus innuit hominem esse excommunicandum pro quolibet mortali cui iuncta est contumacia, Matth. 18. quos passus, si glossauerit aduersarius de subditis habentibus superiorem, glossabo & similiter passus per eum allegatos de hæretico. Et ad dicta Saluatoris, & Petri, conceditur quod quandiu bene docent & remanent prælati, sunt audiendi.

Ostenso ergo sufficienter eius opinionem non esse fundatam supra firmā petrā sed super arenā, pono hanc propositionem, summus Pontifex nō solùm deponi potest ab Ecclesia seu Concilio pro hæresi, verumetiam & pro alio crimine notorio ecclesiam scandalizante: probatur ista propositio ex his quæ ponuntur in Epistola Clementis ad Iacobum, refert enim Petrum sibi dixisse cum eum institueret, *neque enim iudicem aut cognitorem secularium causarum te hodie constitui voluit Christus, ne prafocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis,* & infra, *si enim mundialibus curis fueris occupatus, teipsum decipies, & eos qui te audiunt, non enim poteris quæ ad salutem pertinent plenius singulis quibusque distinguere, & ex eo fiet vt tu tanquam non docueris quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant.* Ex quibus manifestum est, Papam etiam propter negligentiam deponi posse, nolo tamen asserere Clementem ita ad Iacobum scripsisse, cum reperiatur, Iacobum illum, ante Petrum octo annis decessisse martyrio: sed ecclesia non spernit illam Epistolam quod, sufficit.

Secundò arguitur sic, vibrando argumentum in quo aduersarij se fundant in ipsos, si Ecclesia non possit auferre Papam regentem eam in destructionem eius, & cateruatim animas ducētem ad inferos suo instinctu & suo exemplo, sequitur politiā purè naturalem & ciuilem, esse melius institutam quàm sit ecclesiastica politia. Non enim bene esset instituta politia purè ciuilis & naturalis, si eius regē perturbantem eam, destituere non posset: Imò potestatem eum destituendi & occidendi (tanquam membrum corruptiuum totius corporis) communitas à se abdicare non potest: Imò opposito dato, videretur politia esse serua despoticè. Cum ergo Christus instituerit Ecclesiasticam politiam ad finem supernaturalem, perfectiorē in suo genere quàm sit politia purè naturalis, cum posteriora generatione sint priora perfectione, sequitur quod politiæ ecclesiasticæ reliquerit potestatem suum principem & regem ecclesiasticum, si non in ædificationem sed destructionem regat, destituendi: imò aliàs non solùm peius instituisset eam quam politiam purè ciuilem, sed à communitate aliquid aufferret, quod ex iure naturali ei competere dignoscitur, necnon communitatem Christianam liberam non effecisset, imò potius seruam strictissima etiam seruitute. Et hanc rationem ponderet, & nō eam quæ leuissima est, quam magni æstimat ponderis: & dicere quod in simili casu non reliquerit Deus remedium communitati, nisi orationes, cū aliud remedium oportunum & oportunius relinquere potuisset; nihil aliud est, nisi dicere politiam ecclesiasticam non bene institutam, & effectam seruam.

Amplius, notum est seclusa hæresi, summum Pontificem esse posse reipublicę ita perniciosum, quod à republica veniret aufferendus per mortem corporalem ex illa potestate ei naturaliter indita: Si non possit ergo tunc destitui aut post, destitutionē si perseueret [nec tamen] per mortem corporalem aufferri possit, nonne necessariò concedendum erit, Christum in instituendo Ecclesiasticam politiam, eam priuasse aliqua potestate sibi naturaliter indita, ad eius pacificam conseruationem?

Amplius, cum duo sint contendentes de Papatu; quemlibet eorum potest vniuersalis synodus prætensa potestate priuare, propter vnionem & pacem Ecclesiæ, quamuis in aliquo eorum sit vera papalis potestas: ergo à fortiori, pro crimine perturbatiuo totius ecclesiæ: & antecedens patet manifestè ex can. si duo, 79. distinct. vbi dicitur, si duo contra fas fuerint electi, nullus eorum debet recipi, sed ille quem vniuersalis consensus elegerit, & istius sententiæ est glossa in can. si Papa, vbi dicit, certè credo quod si notorium est crimen eius quodcumque, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari, nam contumacia aliquando dicitur hæresis, vt 71. dist. can. si qui presbyteri, & contumax dicitur infidelis, vt, 38. distinct. can. nullus.

Amplius, si electus in summum Pontificem nō constitutus in sacris accipiat vxorem, quis audebit dicere totum ecclesiasticum statum ita decolorari absque possibili remedio?

Amplius, si rex aliquis in longinquam decedēs regionem relinquit aliquem vicarium generalem, & ille interea regat tyrannicè, vicarius ille, vt notum est, à communitate poterit deponi: ergo eodem modo, cum Christus decedens à communitate christiana, qui est verus rex noster, reliquerit vicarium ministrum generalem, à communitate aufferri poterit si tyrannicè regat.

Amplius, cum ex prædictis notum sit, Ecclesiam seu Concilium eam repręsentans, esse in casu hæresis ordinarium iudicem Papæ, & habere potestatem auctoritatiuam super ipsum, quo ad destitutionem, & non legitur à Christo esse Ecclesiæ collata talis auctoritatiua potestas in eo solo casu, Imò non legitur quod ecclesiæ fuerit collata aliqua talis, nisi Matth. 18. vbi in omni casu peccati

peccati notorij, cui iuncta est contumacia, collata esse videtur: *Et hæc fuit primitiua Ecclesiæ sententia, sanctorum doctorum Hieronymi, Ambrosij, & Augustini, sed superuenientibus casibus in summis pontificibus, in quibus deponi possent, non defuerunt adulatores eis suggerentes, quod non possent iudicari; asserentes eos non ministros Ecclesiæ, sed Dominos*: id quod mirum est, cum singuli Doctores dicant quemcumque prælatum in administratione sacramentorum, esse solum ministrum Ecclesiæ, & non dominum, hinc in eo requiritur intentio faciendi quod Ecclesia intendit de necessitate, & non alia, & velint nolint isti, habent hoc fateri, in exercitio Iurisdictionis.

Et si non legatur Christum dixisse auferendum esse caput, sed bene oculum, manus, aut pedes, verum est quod nunquam auferendum est totaliter caput, sic quod numquam sit amplius futurum aliquod aliud caput; sed bene auferendum est istud, sine quo in corpore remanet vita, imo quod corpori infirmitatem affert quantum est ex se: ad hæc autem probanda innumeræ & rationes & auctoritates adduci possunt.

Sequitur primò, quod potestas in summo Pōtifice à Concilio potest quibusdam certis legibus limitari, & quantum ad vsum arctari. Si enim caput in corpore humano efficiatur languidum seu infirmum, licitum erit cæteris membris, membrum illud ligare & cauterizare, nec non vnam partem capitis abscindere pro sanitate totius corporis.

Secundò sequitur corollariè, quod Concilium generale, summum Pontificem (exigente vtilitate Ecclesiæ) absque culpa ipsius summi Pontificis, destituere potest, sicut tempore schismatis de vero summo Pontifice.

Similiter, si incarceratus foret apud infideles, & de eius liberatione nulla foret spes, post adhibitum laborem ad redimendum, & hoc ex precedentibus est ita notum, quod alijs rationibus non curo munire, nec aliquid apparentiæ habet in oppositum argumentum de Petro, cum esset in vinculis, cum pauco tempore ibi fuerit, & de eius deliberatione apud fideles extiterit spes. Si enim in tali casu non posset Ecclesia summum Pontificem sibi constituere, ita nec posset aliquē qui summi Pontificis gereret vices. Et cum possint occurrere multa quæ per summum Pontificem expediri debent, vt confirmationes Archipiscoporū, & prælatorum ei immediate subiectorum, nullomodo illa expediri possent.

Sequitur tertiò, quod potestas vniuersalis Ecclesiæ seu Concilij vniuersalis supra Papam, simpliciter & absolutè non est chimera, vt dicit præfatus doctor, in Ecclesiam sanctam blasphemans.

Sequitur quartò, quod Christus non instituit summum Pontificem suum generalem vicarium in omnimoda potestate quā habebat secundum humanitatem: Nam habebat potestatem instituendi sacramenta, similiter instituendi summum Pontificē, similiter faciendi articulum nouum super infideles, & super totam Ecclesiam categorematicè, & nullam istarū habet summus pontifex.

Sequitur quintò, summum Pontificem esse vicarium Ecclesiæ vniuersalis & ministrum, quamuis dicatur etiam vicarius & minister Dei, quemadmodum princeps laicus, est minister communitatis, qui tamen ab Apostolo Paulo dicitur minister Dei: sed specialius summus pontifex dicitur minister Dei & vicarius, in quantùm ministrat in ea potestate quæ non est in communitate naturalis, sed positiua precisè, & ex sola institutione Dei, illa tamen potestas est communitati collata.

Sequitur vltimò, conformiter ad Ioannem Patriarcham Antiochenum, similiter Nicolaum de Cusa, in suis tractatibus de ista materia, quod Concilium generale, in singulis & omnibus est supra summum pontificem, & hæc breuiter & sub compendio quodam, de ista comparatione posui, intendens amplissimum facere tractatum de omni potestate Ecclesiastica & laica, & de singulis earum actibus.

Vtrum autem summus Pontifex possit excommunicari & suspendi manens summus Pontifex, ita quod si tentet facere nihil faciat, etiam quantum ad absolutionem sacramentalem, videatur Nicolaus de Cusa. 2. parte sui libri cap. 18.

Et ad omnia capitula quæ videtur asserere summum Pontificem non posse iudicari nisi sit à fide deuius vt can. Si Papa 40. dist. & can. Oues. 2. q. 7. dicitur quod *pertinax præsumitur à fide deuiare, & includitur in hæresi pertinacia*: vel dicatur secundò, quod vt patet ex can. Si Papa, in illis can. dicitur nullum posse Papam iudicare, & non dicitur de collectione: dicitur tertiò, quod contra Papam non est regulariter congregandum Concilium, nisi in casu hæresis aut grauis peccati, totam Ecclesiam scandalizantis: & ad id quod habetur. 17. dist. can. Concila §. Symmachus, vbi dicitur Symmachus Papa sedis Apostolicæ præsul, ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis & liber, cuius causam totam Dei iudicio reseruamus, dicitur quod accusatores eius non potuerūt imposita crimina probare, & sic tanquam eis secreta reliquerunt sancti Patres, in synodo Dei iudicio: auctoritatiuè accusatores condemnantes.

Caput Vltimum.

In quo inquiritur, quo modo poterit Concilium contrà Papam congregari.

Cum ex superioribus notum sit satis, Concilium supra Papam iurisdictionem habere, in casu igitur in quo veniret Papa iudicandus, quonam pacto cōgregari poterit Conciliū, quia nō est verisimile Papam congregare contra se, inquirēdum est.

Et sit prima propositio, ad nullum auctoritatiuè spectat congregare Concilium præterquam ad summum Pontificem ex iure diuino; probatur sic, auctoritatiuè congregare Concilium, est ijs qui interesse habent, præcipere vt ad certum locum conueniant; sed nullus præter summum Pontificem, singulis qui habent interesse, auctoritatiuè præcipere potest vt in certum conueniant locum ex iure diuino, ergò nullus præter ipsum auctoritatiuè congregare potest:

auctoritatiuè enim congregare, est congregare ex auctoritate, cui cæteri ratione auctoritatis teneãtur obtemperare: dico notanter nullus, quia Cõcilium vnum potest futurum Concilium auctoritatiuè congregare, præcipiendo singulis vt certo tempore ad certum conueniant locum. Si enim præcepto Papæ taliter præcipientis sit obtemperandum de necessitate, à fortiori & præcepto Concilij: de collegio autem Cardinalium, apud eos qui dicunt quod sunt de statu hierarchico, ex institutione Christi succedentes Apostolis, prout assistebant Christo & Petro, ante eorum diuisionem, quemadmodum dicit de Alliaco, non est improbabile dicere quod iure diuino hæc auctoritas illi collegio competit, Papa nolente congregare, concurrente casu necessitatis. vnde & Actuum 6. duodecim Apostoli, & non solus Petrus conuocauerunt multitudinem discipulorum. Et ex hoc iterum videtur sequi, quod non solum de statu Episcoporum sunt vocandi ad concilium ad habendum vocem deliberatiuam, sed & de statu Curatorum, qui succedunt discipulis, sed de hoc aliàs: Sed cum Papa & collegium istud adeò obstinari possint, vt etiam exigente necessitate nolint conciliũ conuocare, quia forsan congregandum est pro corrigendis euidentibus excessibus eorum, quonam pacto tunc congregari poterit?

Et sit secunda propositio, quælibet Ecclesia particularis, ad cuius notitiam peruenit congregandi Concilium necessitas, debet cæteris Ecclesijs necessitatem congregandi manifestare, & sic denunciatiuè congregare, non autem præceptiuè, & nominando locum ad quem sit omnibus tutus accessus: debet enim oculus videns corporis periculum, cæteris indicare membris, vt contra periculum se protegat corpus & defendat, & ista manifestatione facta, cæteræ Ecclesiæ tenentur consentire & conuenire primæ, non virtute præcepti primæ, cum in eas nullam habeat iurisdictionem, sed virtute præcepti diuini, sicut postquam per expertum medicum alicui indicatum est de aliquo necessario ad sui conseruationem, tenetur ille ad illud, non virtute præcepti medici, sed virtute pręcepti iuris naturalis & diuini.

Corollariè sequitur, in multis prouincijs prę-latos sufficiẽter instructos de necessitate Concilij, non aliter laborantes pro pace Ecclesiæ, non

A esse in conscientia tutos.

Tertia propositio, si post huiusmodi insinuationem singulæ Ecclesiæ particulares, ad certum locum suos legatos mittant, apud illam collectionem residet totius Ecclesiæ auctoritas, imò etiam si à casu conuenirent: nam vt dicit Ioannes Gerson, quis dubitat apud Collegium Apostolorum (qui à casu conuenerant vt dicitur in transitu virginis) tantam fuisse auctoritatem, sicut si Petri præcepto conuenissent?

Quarta propositio, si aliquæ particulares Ecclesię, insinuatione tali facta, ad certum conue-

B niant locum, cæteris contumaciter renuentibus conuenire, in illo aut alio quocumque securo loco, apud conuenientes totius Ecclesiæ residet auctoritas, saltem quantum ad [procurandam] necessitatem occurentem: Si enim ligata foret dextera manus, aut ad imaginationem, pertinaciter nollet vacare defensioni corporis, apud sinistram, tunc defendendi corpus tota residebit auctoritas: & si vna pars alicuius prouinciæ, inimicis volentibus eam destruere nolit occurrere, quis dubitat reliquam partem, quamuis sit minor numero, pro tunc habere auctoritatem totam

C prouinciam defendendi? & si prouinciæ alicuius pars vna, nollet consentire in mortem alicuius membri, cuius vita in destructionem totius communitatis cederet, nulli dubium est, residuam partem posse illud membrum auferre, & pro tunc occurrenti periculo occurrere, quamuis de alijs quæ non imminent, pro tunc nihil possit statuere: Ergo & in proposito, vbi aliquę ecclesiæ conuenient, cæteris renuentibus, quantum ad necessitatem occurrentem, in ipsis residebit auctoritas.

D Et hæc sunt, quæ pro auctoritate Ecclesiæ Iesu Christi sponsæ scripsi Parisijs, ipso donante, contra quædam asserta à fratre Thoma de Vio, in tractatu quodam, quem vt ipse testatur, scripsit anno salutis M. D. XI. ætatis suæ XXXXIII. Et hæc scripsi anno Domini M. D. XII. doctoratus mei, anno I. mense II. de ætate verò, ne vento gloriæ agitari videar, taceo: in quibus si aliquid sit erroneum, protestor me semper submissum determinationi Ecclesiæ vniuersalis.

FINIS.

CLARISSIMA



CLARISSIMA ET ADMODVM VTILIS ACVTISSIMI DOCTORIS THEOLOGI MAGISTRI IACOBI ALMAIN SENONENSIS expositio, circa quæstionum decisiones Magistri Gulielmi Occam, super potestate summi Pontificis.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA ET LAICA.

QVÆSTIO PRIMA.

CAPVT I.

De diuisione potestatis in Ecclesiasticam, & secularem; & de earundem definitionibus.



AD petitionẽ cuiusdam venerabilis viri, doctor has octo quęstiones de potestate summi põtificis edidit, & primò quærit, vtrum potestas suprema spiritualis, & potestas suprema secularis siue laica, in tantùm ex natura rei distinguantur, quod simul in eundem cadere non possint, hoc est, quod non possit vnus & idem homo illas duas potestates habere: Sed antequam materiam quæstionis aggrediamur, veniunt termini declarandi, primò videndum est quid sit potestas, secundò quotuplex, eam diuidendo in spiritualem & temporalem.

Vnde potestas in genere nihil aliud est, quàm *facultas quædam propinqua, ad exercendam aliquã operationem in aliquo supposito*: exemplum, domificator habet potestatẽ domificandi, id est facultatẽ, qua in propinquo potest exire in talem operationẽ, & ignis habet potestatem calefaciendi: verùm in proposito non capitur ita generaliter; sed pro potestate iurisdictionis: & potestas iurisdictionis *est facultas propinqua ius dicendi, id est, ferendi sententiam etiam in inuitum*, vt dicit Marsilius de Padua in secundo suo, tractans hanc materiam de origine potestatũ, quod iudex propriè est ille, qui habet facultatem propinquam ferendi sententiam, & potestatem præcipiendi, vt illa sentẽtia demãdetur executioni, & potestatem ferendi pœnam contra non facientes vel repugnantes: & sic illa tria sũt in iudice, verbi gratia, iudex siue præses, habet potestatẽ dicendi ius inter personas altercantes, & ferendi sententiã inter illas, & dicto iure habet præcipere, vt sententia ab eo lata demãdetur executioni: hoc facto potest imponere pœnam secundũ exigentiã negotij, non demandantibus suam sententiam executioni, vel contradicẽtibus. Iam doctor præsupponit, quod sunt duæ tales potestates, vna laica siue temporalis, & alia spiritualis siue Ecclesiastica.

Et primò videndum est de ecclesiastica tanquã de nobiliore. potestas Ecclesiastica iurisdictionis, vt dicit de Gersonio, *est potestas à Christo Apostolis, discipulis, & eorũ legitimis successoribus supernaturaliter & specialiter tradita ad ædificationẽ Ecclesiæ militantis, secundùm leges Euangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ.* Primo ponitur *potestas* loco generis, & tangitur causa efficiens huius potestatis, cũ dicitur a Christo: nam ante aduentum Christi, A non erat potestas Ecclesiastica coërcitiua secundum multos, & quamuis secundum aliquos, in antiqua lege Mosis excommunicarent, tamen dico quod illo modo excommunicari, erat extra synagogam eijci: quicquid sit, de hoc non habebant talem potestatem Ecclesiasticam, sicut nunc habemus in lege gratiæ: tangitur etiam causa materialis, & qui sunt habentes talem potestatem in ista particula *Apostolis &c*: Et causa formalis in isto verbo, *secundum leges euangelicas*, quia qui sunt tali potestate præditi in dicendo ius, debent vti legibus Euangelicis Ecclesiasticis, & non B ciuilibus: Vltimò tangitur causa finalis in vltima particula.

Sed potestas laica siue secularis, *est potestas a populo ex successione hæreditaria, vel ex electione alicui, vel aliquibus tradita regulariter, ad ædificationẽ communitatis, quantum ad res ciuiles secundũ leges ciuiles, pro consequutione habitationis pacificæ.* Primo tangitur causa efficiens & origo huius, scilicet *a populo regulariter*: & licet aliquando Deus specialiter dederit aliquibus hanc potestatem laicã, vt Saüli 1. Regum 10. & Dauidi 2. Reg. 5. & aliquibus, qui vtebantur ista potestate super Israel, vt patet Iudicum 1. tamen regulariter neminem Deus in- C stituit.

Potestas laica, quo ad officium & institutionem, non quo ad communicationem, est a Deo.

HAc occasione quæritur, vtrum talis potestas laica sit a Deo: & videtur quod sic, ad Roman 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit*, & sequitur in textu, *non est potestas nisi a Deo.* ideo talis potestas laica est æquè bene à Deo, sicut potestas spiritualis. Pro solutione dicit Durandus in. 1. de Origine iuris, quod potestas tem- D poralis siue laica est a Deo *quantum ad debitum* sed frequenter non est a Deo *quantum ad acquisitionem & vsum*: primum probatur, nam secundum dictamen rectũ, debitum est talem esse potestatem: naturaliter enim iudicant homines quod oportet eos subdi alicui, qui eis iudicium & ius siue iustitiam administret. Ergo secundũ iudicium rectum naturaliter nobis insitũ, debitũ est talẽ potestatẽ regiã seu secularẽ esse: ex ordinatione enim insitũ est nobis tale iudiciũ naturale, vt cõformiter

ad ipsum viuamus, & hoc à Deo. *Nam signatum est lumen vultus tui super nos*, hoc est Deus naturaliter nobis inseruit lumẽ vultus sui, hoc est vnum iudicium, quo naturaliter iudicamus omnes politicè ad inuicem viuentes debere esse subiectos alicui vel aliquibus, quibus incũbat ex officio facere mutuam iusticiã. Ergo quo ad debitum ipsa potestas secularis siue laica, est ex ordinatione diuina, sed non est à Deo regulariter ad istũ sensum, quod alicui Deus communicauerit istam iurisdictionem laicam: quia nunquam alicui regulariter immediatè Deus cõmunicauit hanc potestatem, nec dedit speciale præceptũ vt alicui cõmunicaretur, ideo non est à Deo quantũ ad istũ sensum.

Et sic tangitur prima differẽtia inter has duas potestates, quia ecclesiastica est immediatè à Christo instituente: sed laica, quamuis à Deo sit ex ordinatione, quantum ad debitum, nunquam tamen est à Deo regulariter & immediatè instituta. Et in primo sensu capit Paulus, *non est potestas nisi à Deo, &c.* Secunda differentia, potestas spiritualis fundatur in dono spirituali & supernaturali, alia verò non, igitur ex parte fundamenti differũt, spiritualis enim fundatur in charactere, vtrum in fide, difficultas est, sed omnes concedunt illam fundari in charactere baptismali, hoc est in illo dono supernaturali & spirituali: sed potestas laica nõ fundatur in illo, quia etiam ipsa est apud infideles. Ex hoc sequitur, quod fuerunt baptizati Apostoli ante cœnam, quia valde verisimile est quod instituti sunt à Christo sacerdotes sicut nunc instituuntur: sed modo non possunt institui nisi prius fuerint baptizati, igitur, &c. Tertia differentia sumitur ex fine immediato & propinquo ordinationis potestatis ececlesiasticæ, vt ducantur homines mediante ipsa ad felicitatem æternam, sed finis alterius est vt ordinentur homines ad pacificam cohabitationem, & sic multipliciter differunt illæ duæ potestates, scilicet ex parte instituentis, fundamenti, & finis.

Capvt II.

De multiplici potestate Ecclesiastica.

Consequenter videndum quotuplices sunt potestates Ecclesiasticæ, de Alliaco, post Ioannem de Parisijs, assignat sex species potestatis Ecclesiasticæ immediatè à Christo traditas, Prima est ordinis, hoc est sacerdotalis potestas & est essentialiter ipse character sacerdotalis, & talis fuit instituta à Christo vt postea videbitur: vnde regulariter dicitur, quod fuit instituta in cœna quando dixit Apostolis, *hoc facite*, hoc est accipite potestatẽ hoc faciendi, hoc est consecrandi: Armachanus dicit quando vocauit eos Apostolos. Secunda est potestas administrandi sacramenta populo, & præcipuè Sacramentũ pœnitetiæ, & regulariùs dicitur quod fuit instituta in die, quando insufflauit dicens, *accipite spiritum sanctum, &c.* & ad hanc spectat potestas baptizandi, & licet omnes possint baptizare in casu necessitatis, soli tamẽ sacerdotes possunt ex officio. Tertia potestas est iurisdictionis quam definiuimus suprà, & est in foro exteriori, idest potestas corrigẽdi & inferẽdi pœnã in cõtumaces etiã inuitos, & fuit tradita Apostolis, Matth. 18. in istis verbis. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* & habetur tandẽ ibi, *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus:* similiter *quæcumque solueritis & ligaueritis, &c.* etiam ligamine excommunicationis: Quarta est potestas instituendi ministros, distribuendi beneficia & dignitates Ecclesiasticas, & quando ista fuerit collata & quibus est difficultas: dicit Occam quod fuit data Petro Ioann. 1. *Tu vocaberis Cephas*, quia ad caput spectat distribuere officia membris, sed hoc non est verisimile quia immediatè subdit, quod Cephas interpretatur Petrus: sed opinio communior & probabilior est, quod fuit collata per illud verbum *pasce oues meas*, nam ad officium pascendi, non solùm spectat quod audiat confessiones & ministret Sacramentum pœnitentiæ, sed etiam quod possit alios instituere super determinatas regiones & populos, ad eos pascendos & erudiendos in necessarijs ad salutem. Ideo Petro fuit data potestas etiam instituendi ministros ad pascendum & instituendum & distribuendum cæteras dignitates ecclesiasticas, sicut Episcopatus, Curas, &c. Quinta, potestas est Apostolatus seu prædicationis, quod idem est; hanc contulit Apostolis Christus Matthæi & Marci cap. vltimo: *Ite prædicate Euangelium omni creaturæ*: Vltima potestas Ecclesiastica quæ oritur ex supradictis, est potestas accipiendi & etiam exigendi à subditis temporalia pro necessitatibus victus & vestitus, instituta à Christo quando dixit *dignus est operarius mercede sua.*

Notandum est quod dicit Occam in 3. parte Dialog. lib. 2. cap. 3. quod duo sunt hominum genera, & hoc habetur ex beato Hieronymo, can. duo sunt, in decretis: sunt enim homines spirituales, & laici. Item rerum, quædam sunt spirituales, & quædam temporales seu seculares: Res spiritualis est vt Euangelium, doctrina sancta, Sacramenta, &c. Res purè seculares, vt sunt bona temporalia: Item peccatorum quoddam seculare, & quoddam spirituale, quia in hac definitione quæritur ad quæ peccata se extendat potestas illa. Occam dicit quod *seculare peccatum est quod seclusa quacumque reuelatione diuina, & stando in lege naturæ esset peccatum*, vt homicidium, quia secludendo quamcumque legem diuinam adhuc est peccatum. Sed *peccatum spirituale est quod est de directo contra Euangelium*, quod nobis ex reuelatione diuina traditum est, vt peccata contra Sacramenta commissa, sicut illa quæ committuntur contra legem naturæ vocantur secularia. Item negotiorum, quædam sunt spiritualia, & quædam temporalia: exemplũ primi, vt celebratio missarum, exhibitio Sacramẽti, coniunctio matrimonialis, &c. exemplum secũdi, vt venditio, emptio, locatio. Item causarum quædam spirituales seu ecclesiasticæ, & quædam temporales seu seculares: seculares quæ sunt de negotio seculari, vt de emptione, de furto, &c. spirituales seu ecclesiasticæ, quæ aguntur de re spirituali, vt de simonia, matrimonio, &c. Item iurisdictio, quædam ecclesiastica, & quædam secularis: item iudicum quidam ecclesiasticus, & quidam secularis, &c.

Patet

Patet ergo, quid sit potestas laica & quid ecclesiastica, & de differentijs earum, tam ex parte instituentis, quam ex parte fundamenti, quia vna est instituta immediatè à Christo, alia à populo: & vna fundatur in prudentia & in bonis naturalibus: alia verò in bono spirituali supernaturali, scilicet in charactere baptismali: similiter ex parte finis differunt, & sic patet triplex earum differentia.

CAPVT III.

De fundamento potestatis spiritualis siue Ecclesiastica.

NVnc consequenter mouẽdę sunt quęstiones, & primò circa potestatem ecclesiasticam, vtrum fundetur in charitate vel in fide, vel solùm in charactere baptismali: pro solutione sit prima propositio.

Potestas Ecclesiastica non fundatur in charitate, oppositum huius fuit error pauperum de Lugduno Valdensium, quem postea reuocauit Ioannes VViclef, & vltimatè condemnatus contra Bohemos in Concilio Basileensi. Apparentia pro ipsis erat, quod antequam Christus daret hãc potestatem Petro, præmisit signum, scilicet *diligis me?* & signum erat, quod antequam posset illam habere, requirebatur charitas, alias frustra quæsiuisset *diligis me?* Sed probatur oppositum, & sit probatio primæ propositionis, quia sequeretur, quod totus ordo ecclesiasticus esset incertus & instabilis: patet primùm, quia secundum hunc modum dicendi, nullus auderet firmiter asserere se esse Episcopum aut Curatum, &c. patet, quia nullus est de communi lege qui auderet firmiter asserere se esse in gratia, quia nescit homo *vtrum odio an amore dignus sit.* Ergo si requiritur de necessitate charitas tanquam fundamentum, vt aliquis fungatur ista potestate ecclesiastica, nullus esset certus, an haberet illam, quia de communi lege, nullus est ita certus, quin possit à gratia sæpius etiam in die cadere: ergo si eo ipso quod cadit perdatur potestas ecclesiastica, esset multùm incertus, &c. quod nemo habet concedere.

Vltrà dicebant Bohemi, quod potestas ecclesiastica non solùm fundatur in gratia gratum faciente, sed in gratia prædestinationis: sed hoc est multò maius periculum quam asserere quod in gratia gratum faciente, nam, vt imponit eis quidam doctor, dicebant quod gratia prædestinationis facit hominem esse membrum Ecclesiæ, & non gratia gratum faciens: sed ad hoc sequeretur maior incertitudo, quia est magis incertum aliquem esse prædestinatum, quàm esse in gratia.

Secunda propositio, quam ego probabiliorem reputo; quia eius opposita non est damnata, potestas ecclesiastica non fundatur in fide ex iure diuino, quamuis aliqui tenuerint oppositum, vt Occam & de Turrecremata: sed Gerson est eius opinionis, quod non necessario requiritur fides, vt aliquis habeat hanc potestatem: patet, quamuis non esset ita incertus ordo Hierarchichus [de fide sua quam de charitate], tamen remaneret adhuc incertus, quia nullus potest certitudinaliter scire an habeat fidem infusam. Secundò nullibi in Euangelio reperitur passus ad hoc

A probandũ, ergo nihil est asserẽdum circa hoc nisi habeatur passus expressus. Sed apparentior ponitur ratio, & suppono quod conferre beneficia spectat ad forum publicum ecclesiasticum, tunc accipio Episcopum vel Curatum simoniacum mentalem, & vt apparẽtior sit ratio, capio Papam hæreticum mentalem, qui habet errorem in intellectu cum pertinacia in voluntate, ita quod nullum sit signum exterius per quod possit conuinci ipsum esse hæreticum: secundũ hanc opinionẽ,

B non esset amplius Papa, patet nullus potest fieri de non Papa summus Pontifex. nisi altero istorum trium modorum, scilicet quod eligatur ab Ecclesia, vel à Concilio gerente vices ecclesiæ, vel ab aliquibus gerentibus vices ecclesiæ vel Concilij, puta à Cardinalibus, vel nisi sit specialiter à Christo talis potestas Papalis collata immediatè, sed nullo istorum modorum talis efficeretur Papa, ergo illatum verum, & non potest seipsum constituere Papam, nec tenetur in illo ca-

C su in foro exteriori reuelare suum peccatum, neque se diffamare. Igitur iam ecclesia exponeretur magno periculo, scilicet quod nullus esset Papa, ideo probabilius est, quod potestas ecclesiastica iure diuino non fundatur in fide infusa.

An ipso facto hæretici priuentur potestate Ecclesiastica.

DVbitatio an hæretici sint priuati ista potestate ecclesiastica ipso facto quo incidunt in hæresim, vel quando incipiunt manifestare suam hæresim, & videtur quod non perdant illam, nisi quando incipiunt manifestare suam hæresim per

D cap. Audiuimus, de hæreticis: dicitur quod antequam incipiant prædicare suam hæresim adhuc si confixerunt, eo ipso quod incipiũt, neminem damnare possunt: sequitur ex hoc quod antequã manifestarent suam hæresim poterant damnare, & vti tali potestate ecclesiastica. Pro solutione huius, dico quod habentes hanc potestatem correctionis, seu potestatem à Christo collatam, non solùm habent potestatem instituendi pœnam pro peccatis præteritis, sed etiam insti-

E tuere possunt contra peccata futura aliquos canones sententiæ latæ, in quam incidunt transgressores sine aliqua alia sententia. Prima pars patet de se, secunda probatur, multi sunt canones sententiæ latæ, vt patet de percutiente clericum, ergo ecclesia habet hanc potestatem. Item notũ est quod non reperens rem suam certo tempore, talis res per auctoritatem ecclesiasticam, puta per præscriptionem, vel vsucapionem efficitur alterius, talia sunt iura canonica sẽtẽtiæ latæ quã-

F tum ad præscriptiones, vel vsucapiones secũdum leges, quæ aliquando sunt etiam sententiæ latæ. Ergo habens potestatem ecclesiasticam potest edere canonem pro peccato futuro, ita quod transgrediens incidat in pœnam illius canonis eo ipso facto quod transgreditur, in cap. quicumque, de cõcubinarijs in Pragmatica, eo ipso quod notorij sunt concubinarij, priuantur fructu futuro beneficij per semestre, idest per sex menses: ergo sicut Ecclesia potest aliquem probatum hæreticum destituere à suo beneficio per sententiam latam ab homine, ita potest edere canonẽ, quod quicumque incidet in hæresim manifestam, quo

facto cadet in illam, erit sua potestate ecclesiastica priuatus.

Secunda propositio est multùm appares, quod ita ecclesia edidit canonem sentétiæ latæ, quo ad priuationem beneficiorum & potestatis ecclesiasticæ contra hæreticos, Patet sic, sunt expressi textus ad hoc 24. q. 1. can. *didicimus omnes omnino schismaticos & hæreticos nullam habere potestatem ecclesiasticam*, ergo est multùm apparens & probabile quod ecclesia ita instituerit canonem sententiæ latæ, quo ad priuationem omnis potestatis iuris Ecclesiæ, contra hæreticos: & causa est quia sunt in periculo maximo ouium sibi commissarum perdendarum, igitur.

Tertia propositio, iurisdictio ecclesiastica quælibet, fundatur in charactere baptismali iure diuino, ita quod nullus est capax illius, nisi habeat characterem baptismalem: ex hoc sequitur, quod non baptizatus non potest alia Sacramenta recipere ecclesiastica. Ista tertia propositio nō potest euidenter probari per sacras literas, neque per aliquid antecedens deductum ex illis, sed expressè est determinata per ecclesiam, de presbytero non baptizato, cap. si quis, vbi dicitur quod si non baptizatus videatur recepisse ordines, baptizetur, & postea reordinetur. Ergo signum est quod character baptismalis de necessitate præsupponitur, antequam aliquis recipiat hanc potestatem ecclesiasticam. nam baptismus est omnium Sacramentorum ianua, & nullus efficitur membrum ecclesiæ, nisi prius fuerit baptizatus. Ergo in talem non baptizatum, nullam habet iurisdictionē summus Pontifex, ergo non potest talem ordinare quantumcumque attentet: vltrà si non potest talem ordinare; ergo talis, non est capax potestatis Ecclesiasticæ.

Capvt IIII.

An potestas Ecclesiastica sit æqualis in omnibus sacerdotibus, & vtrum ab alio quàm à Deo possit institui.

QVæritur consequenter, vtrum in quolibet sacerdote sit æqualis potestas ecclesiastica, vel maior in vno quàm in alio: & non quæritur vtrum sit maior secundum institutionem humanam, sed secundum institutionem Christi primariam & diuinā, hoc est vtrum ipsa potestas Ecclesiastica, ex primaria institutione diuina, sit æqualis in omnibus sacerdotibus.

Pro solutione sit prima propositio, omnis potestas purè ecclesiastica est à solo Christo instituta, & in ista parte tangitur secunda differentia inter has duas potestates pro cuius declaratione supponitur illud quod habet Héricus in suo tractatu de potestate, quod aliud est instituere potestatem, & aliud instituere aliquem in aliqua tali potestate: vnde instituere potestatem, est facere quod in aliqua communitate sit illa potestas ad regendum talem communitatem: sed instituere aliquem in tali potestate, est alicui dare auctoritatem, vt in supposita illius communitatis illa potestate vtatur: & inter ista duo, vnum potest esse sine alio, & vnum est prius alio. Nam prius est instituta potestas, quàm aliquis instituatur in illa,
A quia potest esse, dato quod nulli supposito detur, & si non tempore, saltem prius natura: sed sic est quod Christus potuit instituere quod in communitate christiana esset aliqua potestas, qua posset aliquis alicui subdi & arceri à malis, & qua peccantes posset punire, puta per excommunicationem, &c. antequam dederit alicui auctoritatem vtendi tali potestate. Nam Matth. 18. instituit auctoritatem & potestatem excommunicandi, *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* sed pro
B tunc, nulli supposito Ecclesiæ dedit potestatem vtendi tali potestate, scilicet excommunicandi, sed solùm Ioannis vltimo, quando dicit Petro *Pasce oues meas*, ergo institutio talis potestatis præfuit antequam esset aliquis qui haberet auctoritatem vtendi tali potestate. Similiter in ciuilibus, potest institui potestas aliqua vel aliquod genus cruciandi & puniendi malefactores, antequam sit aliquis habens potestatem & auctoritatem vtendi tali potestate. Ideo opinio cuiusdam doctoris videtur vera, quod quamuis Christus
C nullum instituisset Papam, puta Petrum, nihilominus Ecclesia potuisset aliquem instituere Papam & supremum hierarcham: Patet, antequam Petrus esset Papa institutus, auctoritas papalis erat iam instituta, ergo tunc per electionem potuisset fieri quod aliquis habuisset potestatem vtendi tali potestate in subditos ecclesiæ, sicut nunc eligitur Papa.

Istis suppositis, patet prima propositio, videlicet quod potestas ecclesiastica est immediatè à
D solo Christo instituta, imò instituibilis: patet, non potest institui potestas ad regendum aliquam cōmunitatem, nisi ab illa cōmunitate, vel à superiori illius communitatis, quod probatur. Non potest aliquis obligari nisi per consensum suum, vel ex præcepto & voluntate superiorum, quia non est nisi iste duplex modus obligandi: sed ista potestas ecclesiæ, est ad regendam communitatem christianam, ergo non potest institui nisi à Christo superiore huius communitatis, vel à communitate Christiana: & non potest assignari superior
E communitatis Christianæ, nisi Christus vel Papa: sed non potest institui à Papa, nec à tali communitate Christiana, ergo solùm ab ipso Christo: quod non à Papa, patet, prius natura est esse potestatem Papalem, quàm sit Papa, igitur: Similiter, nullus potest se instituere in aliqua communitate superiorem, ergo, &c. Quod non à tota communitate, patet, potestas aliquid includens quod superat & excedit omnem facultatem humanam, non potest institui à communitate hu-
F mana: sed potestas ecclesiastica aliquid includit omnem potestatem humanam excedens, scilicet posse pœnam relaxare in purgatorio, & aliquem excludere à suffragijs Ecclesiæ, puta per excommunicationem: similiter includit posse consecrare corpus Christi, quæ quidem excedunt omnem potestatem humanam, ergo minor vera. Hoc argumento vtuntur doctores, ad probandum quod Ecclesia tota non potuisset instituere aliquod Sacramentum, quia Sacramentum aliquid includit scilicet conferre gratiam, quod totam potestatem humanam superat & transcendit, ergo non potest institui à potestate humana.

Potestas

Potestas ordinis, aequalis est in omnibus sacerdotibus.

SEcunda propositio, potestas ecclesiastica est in singulis sacerdotibus æqualis; patet, quilibet sacerdos quamlibet materiam consecrabilem consecrare potest, nec potest quicumque alter, quamcumque aliam constitutionem facere quin consecret: ergo quilibet tantam habet potestatem consecrandi sicut alter. Vnde nō potest facere Papa, quod si sacerdos attentet cōsecrare panem triticeum, quin consecret; similiter & vinum; ergo quantum ad consecrationem, quilibet tantam habet potestatem super corpus Christi & sanguinem, sicut alius.

Vtrum potestas administrandi sacramentum pœnitentiæ sit in omnibus aequalis.

TErtia propositio, de secunda potestate ecclesiastica, scilicet administrandi Sacramenta fidelibus, est controuersia inter doctores, an in omnibus sit æqualis vel non, & hoc circa tria puncta: Primum est de administratione Sacramenti pœnitentiæ, vtrum ex institutione Christi, seclusa cōstitutione humana, sit tanta potestas in quocumque sacerdote, sicut in quolibet alio, quod est quærere, vtrum simplex sacerdos habeat tantam potestatem quemcumque fidelem absoluendi sacramentaliter, sicut Papa, seclusa constitutione humana; Secundum punctum est, vtrum ex institutione Christi, quilibet sacerdos habeat potestatem administrandi Sacramentum confirmationis: Tertium, vtrum quilibet sacerdos ex institutione Christi habeat auctoritatem conferendi sacros ordines vel non.

Quantum ad primum, duplex est modus dicendi, vnus quem recitant communiter doctores, & quem tenet Armachanus & Durandus, quod omnes sacerdotes ex institutione prima Christi, seclusa constitutione & potestate humana, habent æqualem potestatem vnumquemque fidelem absoluendi: Patet, concurrentibus omnibus quæ sunt de necessitate Sacramenti secundum institutionem Christi, est verum Sacramētum, & disposito suscipiente, talis suscipit verum effectum Sacramenti: sed ad Sacramentum pœnitentiæ, necessaria sunt minister, materia & forma, minister est quilibet sacerdos ex institutione Christi, quia cuilibet sacerdoti dictum est Ioannis 20. *quorum remiseritis peccata, &c.* materia, sunt peccata confessa; forma est ipsa absolutio verbalis, *absoluo te, &c.* Dispositio suscipientis, est ipsa contritio. Tunc arguitur sic, secundum institutionem Christi, quilibet sacerdos est minister, & accepit potestatem conferendi hoc Sacramentum, & peccata confessa sunt materia: ergo quādo ista tria concurrunt, verum est Sacramentum pœnitentiæ. Secundò probatur & multum apparenter, quilibet sacerdos in extrema necessitate vnumquemque dispositum realiter de facto absoluit: ergo realiter & de facto vnumquemque absoluendi habet auctoritatem: Patet, quia si non haberet, in nullo casu absolueret, quia non datur ei noua potestas propter nouum casum superuenientem. Item secundum multos alios, nunquam fuit data iurisdictio, nisi quando dictū est Petro. *Pasce oues meas*, & tamen erant sacerdotes: ergo quantum ad absolutionem sacramentalem, quilibet quemlibet habet potestatem absoluendi. Præterea, vt dicit Durandus, sacerdos

A reuelans confessionem punitur non solùm tanquam reuelans secretum, sed tanquam reuelans confessionem, etiam dato quod reuelauerit confessionem non sui subditi, secundum constitutionem Ecclesiæ. Præterea, sit Sortes quod ignoret constitutionem, quod quilibet tenetur suo proprio Curato confiteri, & confiteatur alteri non suo, non ponens obicem, recipit verum Sacramentum; ergo talis sacerdos ministrat Sacramētum; ergo habet potestatem & auctoritatē. Item sit Sortes peccator credens Platonem esse suum

B curatum qui de facto non est, ex tali ignorantia confitetur Platoni & non ponit obicem, talis recipit verum Sacramentum & rem Sacramenti: igitur, Plato illum realiter absoluit, & sic secundum hanc opinionem, quilibet sacerdos ex institutione diuina & Christi, habet tantam potestatem quantum ad illam iurisdictionem in foro interiori sicut alius, & sicut Papa; nec potest Papa facere quin absoluat si attentet, dummodo alius non ponat obicem.

C Contra hoc, arguitur sic, bene sequitur iste de facto qui confitetur alieno, & ignorat constitutionem de non confitendo alieno, est absolutus; ergo si postea perueniat ad eius noticiam, quod alter non erat eius curatus, non tenebitur amplius confiteri: patet, nullus qui confessus est sua peccata & absolutus ab illis absolutione sacramentali, tenetur amplius illa confiteri, nec potest de nouo obligari ad illa confitenda: sed talis est absolutus sacramentaliter; ergo non potest

D iterum de nouo obligari ad illa confitenda: Patet, non est in potestate Papæ eum qui fuerit realiter & sacramentaliter absolutus obligare denuo ad confitendum, & hæc est propositio Gersonij. Nam in primis, confiteri peccatum est vnum ex grauissimis & difficillimis præceptis legis nouæ; sed Ecclesia non potest obligare nos ad ea quæ sunt difficillima, puta ad ingressum religionis, & ad perpetuam continentiam; ergo, si sum iam confessus peccata mea, Ecclesia non potest me obligare ad illa eadem confitenda: Sed conse-

E quens propositionis prædictæ videtur falsum, puta quod talis qui confessus est per ignorantiam sacerdoti, quem credebat suum curatum esse, qui tamen non erat, non teneatur iterum illa peccata confiteri: Patet, quia quilibet semel in anno tenetur omnia sua peccata confiteri proprio sacerdoti. Secundò arguit Gerson, capio peccatorem adultum qui multa peccata commisit ante baptismum, post baptismum Ecclesia nō potest eum obligare vt confiteatur illa ante baptismum commissa: ratio est, quia illa sunt sacra-

F mentaliter dimissa per baptismum; ergo similiter dicendum est in casu prædicto. Item multi dicūt, vt Scotus in 4. quod peccata semel confessa & absoluta sacramentaliter, non sunt amplius materia confessionis, & si confiteantur iterum non erit absolutio sacramentalis, nec Sacramentum, nec aliquid operabitur in eo, qui iterum illa confitetur, hoc est non conferet gratiam, & est probabilior opinio quàm opposita: & ego concedo cum Gersonio, quod talis non tenebitur amplius confiteri sua peccata quæ fuerunt sacramentaliter dimissa: vnde dicit Gerson in lectionibus su-

per Marcum, quod Ecclesia non potest aliquem obligare ad confitendum peccata à quibus est semel absolutus sacramentaliter: & præcipuè innititur isti rationi; non potest Ecclesia imponere onus vltra quod impositum est à Christo, & ex difficillimis; ergo cum iam adimpletum est iuxta præceptum Christi, Ecclesia non potest amplius obligare ad iterum confitendũ,& talis si commisit aliquod peccatum à tempore præcedentis absolutionis,confiteatur proprio sacerdoti.

Prima igitur opinio est, quod potestas absoluendi sacramentaliter à peccatis, est in omnibus sacerdotibus æqualis, & si attentent absoluere absoluunt,nisi confitens ponat obicem, nec potest facere Papa,quin absoluant si attentent, quia non potest facere Papa quod positis necessarijs ad Sacramentum,quin sit Sacramentum, illis tribus supradictis positis:ergo non potest facere, quin suscipiens recipiat gratiam.

Secunda opinio est,quod ex institutione Christi est maior potestas ecclesiastica quantum ad administrationem Sacramenti pœnitētiæ in vno quam in alio,hoc declarans Gerson considerat.5. ait,quod antequam aliquis possit absolui ab altero,duplex requiritur subiectio, vna spontanea, qua quis se subijcit liberè in tali foro secreto: secunda subiectio est iuridica, quæ scilicet non est ex spontanea subiectione, sed ex auctoritate superioris facta: imò dicit ista opinio, quod antequam aliquis absoluat alterum simpliciter si tentet,requiritur illa duplex subiectio, scilicet spontanea,& iuridica. Vltrà dicunt doctores,quod ex institutione Christi, in nullius fuit potestate,nisi in Petro, ita quod Christus nullos homines vnquam subdidit alicui nisi Petro, quādo fecit eum curatum vniuersalis Ecclesiæ illo verbo *pasce oues meas*, tunc Christus contulit potestatem iuridicam Petro,& cunctos Christianos signatos charactere baptismali, fecit subiectos Petro subiectione iuridica. Vltrà dicunt, quod etiam est verisimile, quod ex institutione humana episcopatus diuisi sunt à Petro, vel à successoribus eius, vel ab episcopis, nam quod sit vna cura hîc, & alia alibi,non instituit Christus,sed institutum est ab ipso, cui à Petro, vel à successore eius collata est potestas instituendi & diuidendi curas & episcopatus: nam alijs dedit auctoritatem iuridicam, & quibusdam certum populum: Tunc dicunt quod nullus (dato etiam quod attentet) absoluit,nisi in illo sit illa duplex subiectio,& hæc opinio potest suaderi apparenter.

Primò,si ex institutione Christi,quilibet posset in quelibet vti ista potestate clauis,sequitur quod sicut Papa non potest impedire quin degradatus & suspensus consecret si attentet; ita non poterit impedire quin etiam absoluat sacramentaliter in foro conscientiæ si tentet absoluere;antecedens patet, quia Papa non potest immutare quod est ex institutione diuina: sed ex institutione diuina habet auctoritatem consecrandi, eodē modo, si habeat potestatem absoluendi ex institutione diuina,absoluit; sed consequens est falsum,quod patet quia qui absoluitur ab excommunicato,non est absolutus in cap. ad probandum,de sententia & re iudic. hoc argumentum facit de Palude, sed non est multùm ad propositum,quia loquitur de sententia in foro exteriori.

A Sed probatur apparentius per cap. Omnis vtriusque sexus,in quo dicitur, quod si aliquis iusta de causa alieno voluerit confiteri sacerdoti, petat licentiam à proprio, aliàs non poterit absolui ab alio vel ligari:ergo iste qui non est eius curatus, si attentet illū absoluere nō absoluet: & quod hoc sit de iure diuino,videlicet quod nullus possit eligere confessorem sine licentia sui curati vel superioris, patet per cap. si Episcopus,de pœnitentiis & remissionib. in 6. vbi dicitur, quod nulla consuetudine introduci potest, quod aliquis posset

B eligere confessorem præter licentiam superioris: Tunc bene sequitur, nulla consuetudine introduci potest quod aliquis posset eligere confessorem qui possit absoluere per liberam subiectionem,ergo quod iste alteri non possit, est de iure diuino, quia contra quodlibet ius purè humanum,aliqua consuetudo introduci potest: patet per præscriptionem, imò magis statur consuetudini,quando est contra ius purè positiuum,quod nihil habet de iure diuino vel naturæ admixtum:

C ex quo sequitur,quod in Papa est maior potestas administrandi Sacramentum pœnitentiæ, quam in quocumque alio,quia iure diuino id habet:ergo quicumque se subijcit,liberè absoluitur à Papa, & non à quocumque alio: ex quo sequitur secundò, quod quicumque confitetur alteri non curato,quem credit inuincibiliter esse suum curatum,licet absoluatur propter ignorantiam, nihilominus illa absolutio non est Sacramentalis: Patet, ibi non est materia Sacramenti pœniten-

D tiæ quæ requiritur iure diuino, scilicet subiectio illa iuridica, sed in tali casu est tantummodo subiectio prima,quæ non sufficit,igitur.

Vtrum Papa ab aliquo sacerdote absolui possit sacramentaliter.

Contra hanc opinionem sunt apparentiæ magnæ, quoniam secundum hanc opinionem sequitur, quod Papa à nullo posset absolui sacramentaliter: Patet, quia non est alicui subiectus nisi prima subiectione, scilicet voluntaria & non iuridica: quia Papa non habet superiorem

E præter Deum, ergo non est subiectus alicui ista secunda subiectione; ergo si requiritur ista duplex subiectio,Papa non poterit sacramentaliter ab aliquo absolui. Item Sacramentum pœnitentiæ institutum fuit Ioannis 20. *quorum remiseritis, &c.* in die resurrectionis, sero cum introiuit ianuis clausis; postea fuit dictum Petro Ioā.21. *pasce oues meas.* Tunc arguitur sic,in illo tempore intermedio, fuerunt plusquam octo dies interme-dij à tempore institutionis Sacramenti pœniten-

F tiæ,antequam diceret Petro *pasce oues meas*,in quo verbo, fuit data illa subiectio iuridica: Ergo simpliciter ex institutione diuina non requiritur ista secunda subiectio,sed solùm propria.

Quantum ad primum argumentum, sequitur quod Papa à nullo, &c. nego consequentiam, quia Papa est vel potest esse peccator; ergo potest obligari vt confiteatur; ergo potest alicui confiteri sacerdoti. [Quod autem obijcitur] quia antequam confessio sit sacramentalis requiritur duplex subiectio de necessitate, dicit Durandus in 4. distinct. 19. quod est verum in omnibus alijs à Papa, dans talem causam, quod clauis ista, quæ

vocatur

vocatur potestas iurisdictionis in foro pœnitentiali, quantum est de se, est respectu omnium hominum & peccatorum, & est primum eius dictũ, quod in institutione illa *quorum remiseritis, &c.* nulla fuit facta exceptio: Dicit vltrà, quod talis potestas clauis fuit data Petro respectu aliorum à se, ita quod non est inclusus in illa neque successores eius, quia Petrus nec eius successor potest seipsum absoluere; igitur à quolibet sacerdote absolui potest, ideo in illo non requiritur talis secunda subiectio iuridica; secus est de alijs qui non possunt absolui sacramentaliter, nisi sint subiecti ista duplici subiectione.

Quantum ad secundum, cum arguitur Sacramentum pœnitentiæ fuit institutum antequam diceretur Petro, *pasce oues meas*; ergo in illo intermedio confiteri potuit, & tunc nulla erat subiectio secunda, ergo talis non requiritur, antequam quis possit hoc Sacramentum conferre & alius recipere: Dico quod consequentia non valet, hoc Sacramentum erat institutum antequam diceretur Petro *pasce, &c.* ergo poterat conferri ab aliquo puro homine. Nam Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ antequam essent instituti ministri & sacerdotes, ideo non sequitur, est institutum, ergo potest conferri ab aliquo puro homine, quia stat quod nondum sit institutus minister illius Sacramenti.

Alia est difficultas circa hanc materiam, & arguitur multùm apparenter, in extrema necessitate quilibet sacerdos quemlibet absoluit sacramentaliter, etiam à quocumque peccato, & tamē non habet iuridicam auctoritatem super personam illam, sed solùm per liberam subiectionem; ergo illa iuridica auctoritas non requiritur. Quãtum ad hoc dico quod habet auctoritatem iuridicam ex commissione, quia auctoritate Ecclesiæ vel Papæ absoluit: nam Papa quemlibet sacerdotem committere potest vt quemlibet absoluere possit.

An sacerdos excommunicatus, aliquem possit absoluere in articulo mortis.

Alia difficultas quam tractat de Palude in 4. Sortes est in extrema necessitate vel in maximo periculo mortis, nullum habet sacerdotem præter sacerdotem excommunicatum, vtrum teneatur illi confiteri, videtur quod non, quia non debet participare cum excommunicato, à fortiori nec cum illo in Sacramentis. Similiter videtur quod talis sacerdos excommunicatus nō potest illum absoluere, quia sententia lata ab excōmunicato nulla est. Dicit de Palude quod tenetur confiteri illi & potest illum absoluere, quia illa necessitas æquiparatur ignorantiæ, ideo excusatur, & talis necessitas non habet legem. Nam participare cum excommunicato, qui ignoratur excommunicatus, non est peccatum, in cap. ad probandum, de sentent. & re iudicata. Si est publicè excommunicatus, sententia & absolutio est nulla, ergo per argumentum à contrario sensu, si est secretè, est bona. Item certum est quod teneor participare cum excommunicato in necessitate corporali, ergo à fortiori in spirituali, & animæ, vt si non possum sacramentaliter ab alio absolui, teneor petere absolutionem ab excommunicato, & dicit de Palude quod iste excommunicatus

A non possit, est solùm de iure positiuo: sed necessitas non subijcitur legi positiuæ, quamuis semper subijciatur diuinæ. Cum ergo necessitas nōn sit subiecta legi positiuæ, ergo potest contra rigorem iuris positiui non autem contra intentionē. Ideo relinquitur satis probatum quod secundum hanc opinionem omnes sacerdotes sunt impares quantum ad hanc secundam potestatem.

An sacerdos possit conferre Sacramentum confirmationis.

B Alia est difficultas, vtrum omnes sacerdotes sint æquales in administratione Sacramenti confirmationis, dicit Armachanus & Marsilius quod omnes sunt æquales in collatione Sacramentorum, & quilibet potest de facto, quamuis non possit de iure. Sed opinio communior est quod solus Episcopus est minister huius Sacramenti confirmationis & ordinis, patet de consuetudine, cap. quando.

Quarta propositio, quantum ad hanc materiā non omnes sacerdotes sunt æquales, puta quantum ad ecclesiasticam potestatem iuridicam &

C publicam quæ respicit forum exterius, ad quam spectat peccata punire, conferre beneficia, constitutiones edere, excommunicare, degradare, indulgentias conferre: & quamuis ista propositio non possit ex sacris literis deduci, est tamen firmiter tenenda, ita quod in vno est maior potestas quam in alijs: patet sic quia opposito dato sequitur quod ordo hierarchicus esset omnino inordinatus & confusus, quia quando vnus ligaret, esset in potestate alterius soluere. Item sequitur

D quod nullus presbyter haberet potestatem super alterum quantum ad hanc potestatem coactiuā, quia par in parem nullum habet imperium: vnde Papa omnes potest punire & nullus ipsum. Ergo sequitur quod ex institutione Christi non omnes sunt omnino æquales. Item, si episcopus attentet excommunicare non suum, talis non est excommunicatus, ergo non habet auctoritatem à iure diuino. Item arguitur apparenter, Christus fuit sapientissimus (quia plenus sapientia) & instituit optimam politiam, sed optima politia de-

E bet regi regimine regali, vt dicit Aristoteles in politicis, hoc est quod sit vnus qui in vnumquēque habeat auctoritatem punitiuam, & nullus alius in alium, ergo verisimile est quod in spiritualibus Christus instituerit superiorem qui habeat quemlibet coërcere & nullum super eum, ideo vni scilicet Petro & successoribus eius, data est vniuersalis potestas cōstituendi Canones, & cōferendi beneficia, dignitates ecclesiasticas per totum vniuersum orbem, & nulli alteri. Ipse enim

F in vniuerso orbe habet præuentiones, & potestatem conferendi indulgentias plenarias in toto orbe, & nullus alter hoc facere potest. Hic dicit Scotus quod Papa potest aliquem auctoritate à Christo sibi collata excōmunicare maiori excōmunicatione. Et ratio eius est, quando est aliquis excōmunicatus maiori excommunicatione, quilibet tenetur talem vitare: sed episcopus in diœcesi alterius non potest hoc prohibere, neque ligare maiori excommunicatione, ideo sequitur quod est maior potestas secundum institutionem Christi in vno quam in singulis. Imò in vno est suprema, & in quibusdam alijs est solùm potestas

inferior ad illam, quæ est suprema, & talis vocatur potestas Papalis, & *est libera facultas propinqua vtēdi potestate Ecclesiastica in quemlibet Christianum.*

Ideo resolutoriè dicendum est ad istam secundam quæstionem, quod quantum ad iurisdictionem quæ respicit forum exterius, quod non est in singulis sacerdotibus æqualis, sed est vna suprema, scilicet in ipso Papa etiam ex institutione Christi, & non solùm ex humana.

Caput V.

An suprema potestas Ecclesiastica possit duobus simul ex æquo conferri, & ex Monarchica in Aristocraticam aut Democraticam mutari.



Onsequenter videndum est, vtrum ista suprema potestas, quæ est suprema in vno, possit duobus simul ex æquo conferri, ita quod politia Christiana, quæ est regalis, possit commutari in aliam speciem, puta in Aristocratiam aut timocratiam, & hoc lege Euangelica stante, propter aliquam legitimam superuenientem causam: & videtur quod sic, nam aliquando fuerunt duo, quorum quilibet erat Papa ex æquo; Vnde vnum est verisimile quod hic supponitur, quod Petrus vsque ad mortem exclusiuè fuit Papa, sed simul cum eo ipso adhuc viuente fuit Clemens etiam Papa, habens plenitudinem huiusmodi potestatis. Ergo illa potestas aliquando fuit duobus communicata ex æquo, maior est nota, quia Petrus habuit illam a Christo instituente ipsum, sed minor patet, in can. Si Petrus, 8. quæst. 1. vbi dicitur, quod Petrus Linum & Cletum adiutores asciuit, dans normam apostolicam, & potestatem ligandi non contulit Lino, sed tantùm Clementi, qui, beato Petro tradente sedem Apostolicam meruit obtinere: habetur ex illo can. quod talis potestas ligandi & soluendi, Petro viuente, fuit in Clemente, & hoc habetur in historijs summorum pontificum, quod Petrus fecit Clementem Papam, & hoc ipso adhuc viuente. Itē arguitur, possunt esse duo Episcopi ex æquo in eodē episcopatu, similiter duo Curati in eadem Cura, ergo & duo Papæ: Consequentia tenet, quoniam Papa nihil aliud est, quàm Curatus vniuersalis Ecclesiæ: Probatur antecedens, Nam Augustinus accessit Valerio Hipponensi Episcopo & factus est coepiscopus. Ergo quilibet tam Valerius quàm Augustinus in solidū erat Episcopus Hipponensis: Ergo in vtroque erat potestas illa ex æquo. Item possunt simul esse duo imperatores, quorum quilibet est imperator, ex can. nunc autem, 21. dist. vbi dicitur, tempore Maximiani & Diocletiani Augustorum, ex hoc verbo Augustorum, sequitur quod quilibet erat Augustus, Ergo erant tunc duo imperatores: Item supponitur, quod omnis verus successor Petri habet eandem vel tantam potestatem ex institutione Christi, quantam habuit Petrus: Item tunc arguitur sic, si sit possibile duobus istā supremam potestatem communicari, vt Lino & Cleto, quæritur an Linus possit ligare Cletum, vel non: si sic, ergo Cletus non est Papa, cum habeat superiorem in spiritualibus scilicet Linum, imò implicat quod Papa habeat superiorem in spiritualibus & potestate Ecclesiastica, & sit Papa: si non, ergo ista propositio falsificatur de successore Petri, *tibi dabo claues &c. & quodcumque ligaueris super terram &c.* quia non potest ligare illum: ergo non habet tantam potestatem, quantam habuit Petrus ex institutione Christi, & non loquor de ligatione in foro interiori, sed exteriori coërcitiuo, vbi implicat, quod Papa iuridicè ab vno ligetur (non dico a Concilio) & si talis non potest ligare, ergo non est Papa; nam Nicolaus de Cusa dicit, quod *Papalis potestas est libera ligandi, & soluendi facultas super alios a se:* sed in isto casu, Linus non esset Papa, quia non posset ligare Cletum, & sic videtur quod politia regalis Christiana non potest mutari in aliā speciem, & hoc quærit Occam in 2. parte dialogi, lib. 2. a cap. 20. vsque ad 28.

Pro veritate elucidanda, termini prius declarandi sunt: nam politia regalis non est nisi politia, in qua quidem vnicus rectè dominatur ad vtilitatem totius communitatis: Aristocratica est quādo pauci dominantur ad vtilitatem communitatis: Timocratica quando valde multi dominantur ad vtilitatem communem: hoc declarat Aristoteles 8. ethic cap. 10. dicens, quod triplices sunt reipublicæ species, & totidem transgressiones, scilicet regnum, optimorum potestas, & tertia censupotestas; & inter has, summa & optima est regnum, infima autem censupotestas; & media optimorum potestas: & species oppositæ, siue transgressiones sunt, regni transgressio, tyrannis; optimatum potestatis, paucorum est potentia; & censupotestatis, popularis potestas. Vltra supponitur, quod nulla est politia purè ciuilis, & nulla est regalis, quin possit mutari in aliam speciem, puta timocraticam vel Aristocraticam, quia quælibet talis est instituta iure purè positiuo, ergo quælibet potest in aliam mutari.

Istis suppositis sit prima propositio, in nullo est suprema potestas spiritualis, quin ipso viuente alteri conferri possit; patet, nullus habet istam plenitudinem potestatis, quin possit liberè ea cedere, adueniente legitima causa, quo facto alteri poterit conferri: maior patet per cap. quoniam in 6. de renunciatione: Similiter habetur de Marcellino, qui cessit Marcello: similiter de Clemente qui cessit Lino, ergo nullus habet plenitudinē huius potestatis, quin simpliciter cedere possit, sicut dicitur in illo capit. prælegato, quia tum difficultas erat, vtrum Papa posset papatu cedere, hoc est renunciare illi potestati, quam tunc habebat. Dominus de Gersonio allegat tres rationes pro vna parte, sed glossa illius capit. dicit quod non, quia omnis renunciatio debet fieri in manibus superiorum, sed Papa non habet superiorem igitur, &c. Rationes Gersonij valentiores sunt istæ, notum est quod quando Papa consentit electioni, facit votum de regenda vniuersali ecclesia, sicut monachus de obseruanda regula, tunc sic, nullus potest dispensari à voto nisi à superiore, sed Papa nullum habet superiorem à quo possit dispensari super tali voto emisso de regenda Ecclesia, nec potest in melius commutari, Ergo non potest cedere papatu: Secunda ratio, quia est verum matrimonium spirituale inter Papam & Ecclesiam, sed sicut in matrimonio carnali

carnali non fit solutio, nisi in causa fornicationis, Ergo similiter nisi Papa fuerit hæreticus, non A poterit cedere à potestate illa.

Tamen non obstantibus illis rationibus, fuit conclusum quod Papa potest cedere & renunciare, inducti exemplo illo sanctorum qui ita cesserunt. Contrà non fit renunciatio nisi in manibus superiorum: dico quod verum est si talis habeat superiorem. Ad aliud, Papa emittit votum, sed quilibet tenetur obseruare votum nisi dispensetur ab isto habente auctoritatem hoc faciendi: sed nullus est qui hoc possit facere, igitur. &c. Dicit Gerson, quod quando votum, vel B emissio & obseruatio voti vergit in detrimentum salutis, vel in peiorem exitum, puta in periculum mortis corporalis, non est obseruandum, vt si vouerem toto isto anno manere in hoc loco, & vigeret pestis, non tenerer illud obseruare, vide in capit. de Iureiurando: Sed quando potest haberi superior, recurrendum est ad illum, vt declaret illud votum non obligare: Ideo quando tale votum Papæ vergit in peiorem exitum salutis, non amplius obligatur per illud, sed C vbi est sufficiens, non debet cedere, nisi sit alius qui valde notabiliter sit sufficientior. Quantum ad tertium, dicit quod aliud est matrimonium corporale & spirituale: nam matrimonium corporale denotat matrimonium inter Christum & Ecclesiam præsentialiter, sed non significat ita præsentialiter matrimonium inter Papam & Ecclesiam, quod non est ita indissolubile sicut corporale.

Resolutio ergo est, quod Papa potest alteri cedere talem potestatem supremam. D

Secunda propositio, non potest duobus ex æquo ista potestas spiritualis, stante lege Euãgelica, conferri, ita quod quilibet habeat plenam, hoc est quod potestate remanente in ipso, alicui etiam alteri conferatur: ista propositio ponitur in glossa 9. q. 1. can. non autem, nam ista duo non stant, quod in isto remaneat plenitudo huius potestatis & alteri conferatur, & ponatur quod sint duo, scilicet A. & B. habentes talem plenitudinem potestatis spiritualis ex æquo, tunc E vel A. potest ligare B. vel non: si non potest, & prius potuit, ergo diminuitur eius potestas; Si primum, sequitur videlicet, quod possit ipsum ligare, ergo B. non habet istam supremam potestatem; glossa allegat multas rationes, prima est, quod Ecclesia Catholica est vna; patet, habetur in vno articulo *Credo in vnam sanctam Ecclesiam &c.* & non est vna nisi vnitate capitis, & contra illum articulum non potest fieri dispensatio, Ergo non potest talis potestas simul duobus conferri. Secunda ratio, Christus instituit vnicum caput Ecclesiæ, & non potest Ecclesia contra institutionem Christi, igitur, &c. Igitur tertia ratio apparentior, Ecclesia est vnum corpus mysticum cuius Papa est caput, Ergo si essent duo ex æquo, tunc illud corpus haberet duo capita non subordinata, Ergo esset corpus monstruosum (quamuis habeat duo capita vnum alteri subordinatum, scilicet Papam, qui Christo vero & principali capiti Ecclesiæ subordinatur) consequens est falsum, Ergo, secunda Propositio vera.

Et ad rationes in oppositum de Petro & Clemente, secundum historias, cum dicitur quod Petrus instituit Clementem Papam, dico quantum ad hoc, quod non est euidens ex sacris literis quod Petrus semper fuerit Papa vsque ad mortem, fortasse videns Petrus quod erat propinquus morti, & quod non posset Ecclesia neque fideles, ipso mortuo facile congregari pro eligendo successore, voluit vtilitati Ecclesiæ consulere & cessit. Vnde dicit Occam, quod non regulariter Papa potest instituere successorem, sed solum in casu, puta quando sequitur magna vtilitas Ecclesiæ, & periculum est in mora, tunc potest cedere & alterum constituere. Secundò dicit quod in illo can. præallegato, non habetur quod Petrus instituerit Clementem Papam, sed solùm quod dederit illi potestatem ligandi & soluendi sicut suo vicario, sed tamen dependenter, sicut Episcopus potest instituere vicarium, & tantum operabitur ad hoc quod est ligare & soluere, quãtum proprius Episcopus, sicut Episcopi suffraganei, sed tamen dependenter, quia poterit retrahere quando voluerit. Dico etiam quod Petrus instituit Clementem vicarium: sed tunc est difficile saluare quomodo Clemens successerit Papatui, nisi fuerit electus post mortem Petri. Quantum ad secundum argumentum, stat in eodem Episcopatu esse ex æquo duos Episcopos, vt de Augustino & Valerio in can. non autem: glossa dicit quod Augustinus nõ erat adeò principalis Episcopus vt Valerius, sed Valerius retento titulo administrationem dedit Augustino tanquam idoneo ac suffraganeo, retenta tamen dignitate Episcopali. Verumtamen dato quod possint esse duo Episcopi ex æquo, tamen non sequitur quod duo summi Pontifices simul esse possint, & ratio est, nam quod in Episcopatu Hipponensi vel alio sint duo Episcopi, hoc non est ex institutione diuina & Christi, sed ex humana: Sed quod sit aliquis qui habeat regere totã Christianitatem, est ex institutione Christi, & quod aliquis regat hunc Episcopatum, est ex institutione humana, ideò potest committi duobus ex æquo, alia vero quæ est ex institutione Christi non potest; neque aliquis potest contra talem constitutionem quod ex æquo duobus conferatur; Ideò consequentia non valet, videlicet possunt esse duo Episcopi in vno Episcopatu, ergo & duo summi Pontifices. Ad secundum cum dicitur possunt esse duo Imperatores ex æquo, trãseat; nam imperium non est dominium à iure diuino introductum, sed solùm à iure positiuo, & ideò dominium regale potest mutari in Aristocraticum vel timocraticum: sed ipsa potestas papalis suprema in spiritualibus, est potes- F stas ex iure diuino introducta, & à Christo immediatè instituta, ideò non potest mutari in aliud genus dominij, aliud ab illo quod Christus instituit.

Habetur ergo resolutoriè, quod plenitudo illius potestatis in aliquo existente, non potest ex æquo alteri conferri, ita quod quilibet eorum seorsum habeat illam: Similiter, non potest aliquibus conferri, ita quod nullus eorũ illam seorsum habeat, sed quod illi copulatim habeant, secluso Concilio generali, nam Concilium, id est illi de Concilio simul iuncti, possunt facere ea

quæ sunt iurisdictionis, & nullus eorum seorsum, nisi ex commissione plurium, sicut in Aristocratico dominio vel timocratico: Similiter dico, quod ista plenitudo potestatis, non potest esse in pluribus, ita quod nullus eorum illam seorsum habeat: quod si hoc posset fieri, ponatur in esse videlicet quod duo habeant illam, & nullus seorsum sine alio, quantum ad exercitium, & sit Linus & Cletus: iã quæritur, vel Linus est verus Papa, vel non, si non, ergo Linus potest excommunicari: quæritur ergo à quo feretur sententia excommunicationis super Linum, non à solo Cleto, quia non solus habet illam potestatem, quia Linus habet etiam illam, & non consentiet, quia nõ potest Linus nec participaliter nec totaliter ferre sententiam super seipsum: similiter dicendum est è diuerso quod Linus non posset excommunicare Cletum, ergò videtur mihi quod hoc repugnet, videlicet quod aliquibus duobus copulatim conferatur, ita quod nullus eorum seorsum habeat illam, sed illi simul iuncti; igitur soli vni potest conferri, & talis potest pro rationabili causa cedere, sed ipso cedente, necesse est quod vnico supposito conferatur.

Capvt VI.

An suprema duæ potestates, scilicet Ecclesiastica & laica, in eadem persona concurrant, & de dominio iurisdictionis & proprietatis.

Visum est in præcedentibus quid potestas suprema Ecclesiastica, & quomodo illa non potest duobus ex æquo conferri, sed de necessitate ex institutione diuina, residet in vnico supposito, non tamen quin aliquando possit stare in nullo supposito, vt quando Papa est mortuus: sed si ipsa sit, oportet quod de necessitate sit in aliquo determinato, & non in duobus.

Quæritur nunc, vtrum ista suprema potestas spiritualis, & suprema potestas laicalis in eadem persona concurrant. Circa hanc quæstionem, ponuntur tres opiniones, sed antequam accedamus ad illas, primò notandum est ex Ioanne de Parisijs 7. cap. sui tractatus, quod ista duo differunt scilicet habere dominium seu, proprietatem in rebus temporalibus, & habere iurisdictionem in ipsis: nam habere dominium proprietatis in aliquibus rebus temporalibus, nihil aliud est quã habere facultatem propinquam vtendi, disponendi, alienandi, & retinendi illas res pro libito, sicut habet vnusquisque laicus in rebus quas labore proprio, aut successione acquisiuit sibi, & hoc regulariter. Sed habere potestatem iurisdictionis, est habere facultatem propinquam dicẽdi ius & sententiandi, quid iustum aut quid iniustum, & auctoritatiuè sententiandi, quæ res ad vnum, & quæ ad alium spectet: vnde in rebus meis habeo potestatem dominij, & non potestatem iurisdictionis, sed ipse princeps vel substitutus à principe: nam certum est quod potest perturbari pax & respublica, per hoc quod alius vsurpat alienum, vel per hoc quod aliquis nimis amat quæ sua sunt, & non vult pro vtilitate reipublicæ communicare: hinc est quod à populo A constitutus est princeps, qui habeat auctoritatiuè sententiare quid huius vel illius, & quid faciendum pro reipublicæ vtilitate, & pro tuitione ipsius aliquid exigere.

Ex istis infero aliquot corollaria, primum quod tria sunt de integritate potestatis iurisdictionis in rebus temporalibus: primum est potestas seu facultas propinqua (quod idem est) auctoritatiuè sententiandi quid ad vnum spectet, vel quid ad alterum: & hinc orta disputatione inter duos dicentes hoc est meum, hoc est tuum, recurri- B tur ad principem vt rectè sententiet: secundum est potestas iniuriantem alterum afficiendi pœnis condignis ad eius peccatum: tertium est potestas ab vnoquoque, secundum debitam proportionem, tributa & vectigalia exigendi: hinc est quod in principibus, est potestas imponendi pedagia & tributa. Secundum corollarium est, quod ista duo simul stant, iste habet potestatem supremam iurisdictionis, & est pauperrimus quãtum ad potestatem dominij aut proprietatis in C rebus temporalibus: patet, si esset aliqua communitas, in qua esset vnus pauper abundans sapientia, illa communitas posset illum constituere principem suum: tunc arguitur sic, ex ista electione, iste habet potestatem iurisdictionis, hoc est sententiandi quid vnius & quid alterius, & exigendi aliquid ab eis, & eos pœnis condignis afficiendi, & talis est pauperrimus, ergò corollarium secundum verum.

Tertium corollarium est, quod talis ex iure D naturali, habet ius exigendi necessaria ab vnoquoque secundum debitam proportionem ad condecentiam sui status: patet, si seminet inter eos ius, debet eorum temporalia secundum decentiam sui status metere, ergò iure naturali tales illi obligantur.

Quartum corollarium, quamuis habent potestatem etiam in homines, illi tamen non sunt eius serui sed manent liberi: Aristoteles dicit quod rex est qui dominatur aliquibus tanquam liberis, & despotes, qui dominatur aliquibus E tanquam seruis, & talem ponit differentiam inter despotem & regem: vnde de ratione regalis dominij est, quod rex dominetur aliquibus tanquam liberis, & de ratione despotis, quod dominetur aliquibus tanquam seruis.

Quantum ad primum corollarium multùm refert de Christo quærere, an habuerit potestatem dominij in singulis rebus temporalibus, vel an habuerit potestatem iurisdictionis in singulis rebus tempotalibus: patet, quia multùm differunt habere potestatem dominij aut iurisdictionis.

F Vltimum corollarium probabile, non repugnat fratri minori habere supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus, quamuis ei repugnet habere supremam potestatem dominij aut proprietatis in ipsis: prima pars probatur & apparenter, nam si aliquis frater minor eligatur in Papam, habet potestatem dicendi ius in illis rebus temporalibus, aut terris quæ immediatè, quo ad temporalia, subduntur iurisdictioni Papæ; hoc est habet potestatem & auctoritatem duobus altercantibus de re aliqua, sententiandi hoc tuum & non illius; & hoc est habere potestatem

statem iurisdictionis in temporalibus. Ergò non repugnat professis habere potestatem iurisdictionis in temporalibus: quod autem repugnet ipsis habere dominium proprietatis patet ex voto.

A

Ex institutione Christi, Papa non habet dominium aut iurisdictionem temporalem in homines.

ISTis suppositis sit prima propositio, summus pontifex, vel ille qui habet supremam potestatem in spiritualibus, non habet in singulis hominibus & singulis rebus temporalibus supremam potestatem dominij seu proprietatis (quod idem est) ex institutione diuina, patet sic, *lex Christiana ex institutione diuina, est lex maxima libertatis* in ordine ad legem Mosaicam, quæ dicebatur lex seruitutis in ordine ad nouam: sed si summus pontifex haberet supremam potestatem dominij in singulis rebus, esset lex intolerabilis & nullomodo libertatis, patet, quia quilibet esset seruus pontificis, & posset Papa de rebus cuiuscumque disponere ad libitum, & ipsis inuitis eorum res, in dominium alterius transferre: sed hoc esset intollerabilis seruitutis, Ergò ex institutione diuina Papa non habet supremam potestatem dominij in singulis hominibus & rebus ipsorum: imò dicere oppositum, vt dicit Occam, est multum hæreticale & perniciosum, quia aliqui voluerunt dicere quod erat dominus quantum ad proprietatem rerum, & poterat disponere de ipsis, dummodo non esset contra legem diuinam, vel naturalem, sed hoc sapit hæresim.

B

C

Quantum ad id quod tactum est in probatione huius propositionis, notandum quod *lex Christiana, est lex suprema libertatis*, præcipuè in ordine ad veterem legem, patet Iacobi 1. cap. *Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis: &* ad Galat. 4. *Sumus filij liberæ & non ancillæ*, vbi comparat legem nouam ad veterem, &c.

D

Secunda propositio in qua iacet difficultas totius materiæ, quæ est de intentione ipsius Occam, est, quod summus pontifex ex institutione Christi, non habet supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus, patet, ille qui possidet res temporales iure alterius puri etiam hominis, non habet in illis supremam potestatem iurisdictionis, imò alter, cuius iure possidet, habet maiorem potestatem in illis: sed summus pontifex est huiusmodi, ergò, patet minor ex Augustino, & ponitur in can. quo iure, 8. dist. dicitur quo iure defendis villas Ecclesiæ (loquitur de temporalitate) & vocat ius humanum ciuile: Ideo quærit quo iure, an diuino vel humano: statim probat quod non iure diuino quia *Domini est terra, &c.* Ergo iure Imperatoris dicitur hæc villa est mea, hæc est tua; ergo sequitur manifestè quod iure Imperatoris, hæc villa, vel hic seruus dicitur esse Ecclesiæ, ergo iure alterius Papa possidet terras Ecclesiæ. Item, ille non habet supremam potestatem iurisdictionis in rebus temporalibus, qui per cursum rerum temporalium habet alterius legibus vti, sed Papa est huiusmodi, igitur: Maior est nota, quia iste cuius legibus vtitur, habet maiorem potestatem & proprietatem: Minor patet in can. cum ad verum, dist. 96. vbi ponuntur duæ dignitates distinctæ, & vnaquæque indiget altera. Item tertio, ille non habet supremam potestatem (loquor ex iure diuino) cótra quem in temporalibus potest fieri præscriptio (quia in his quæ debentur iure diuino non potest fieri præscriptio.) sed contra Papam in temporalibus potest fieri præscriptio, igitur: Nota quod nunquam potest fieri præscriptio contra ius diuinum, hinc est quod nunquam potest fieri præscriptio de obedientia quæ debetur Papæ, &c. sed contra res temporales Papæ, saltem centum annorum potest fieri præscriptio: & istæ sunt rationes satis apparentes, quod summus Pótifex non habet supremam iurisdictionem in rebus temporalibus, & hoc potest probari per auctoritates scripturæ. Nam habetur Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic,* dicebat Christus Apostolis: Similiter videtur quod Christus non habuerit hanc potestatem, quia duobus litigantibus respondit, *quis me constituit diuisorem inter vos.*

E

F

Vtrum potestas laica & Ecclesiastica in eodem subiecto esse possint.

TErtia propositio quæ magis est de mente doctoris quam opposita, & ponitur contra opinionem prius tactam, quod istæ duæ potestates ex natura rei non ita repugnát quin in eodem supposito possint inueniri: Patet multipliciter, nam ad habendam iurisdictionem supremam in temporalibus, satis est habere prudentiam de rebus temporalibus, per quam iudicádum est quid agendum vel non agendum in illis, & iusticiam per quam possit aliquis sententiare quid vnius & quid alterius: sed ista duo non repugnát illis quæ requiruntur ad potestatem in spiritualibus, igitur: Item probatur secundo, vt dicit Durandus de origine iurisdictionis, nam in Moyse erat suprema potestas iurisdictionis in temporalibus, quia ad ipsum erat recursus pro iusticia habenda: sed in ipso eodem fuit suprema potestas in spiritualibus: maior est ex Pentatheuco Mosis: sed minor probatur, nam Moyses consecrauit Aaron in presbyterum, ergo erat superior: similiter ipse Moyses obtulit sacrificium domino, ergo in ipso erat suprema potestas tam spiritualis quam laicalis: Similiter Maccabei habuerút supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus & erát sacerdotes, igitur suprema potestas, & vtraque tam in spiritualibus quam in temporalibus non repugnat eidem supposito. Similiter matrimonium ex natura rei non repugnat in spiritualibus: item habens ducatum qui efficitur episcopus, nó perdit iurisdictionem quam prius habuit: Ergo si aliqua potestas particularis in spiritualibus & téporalibus non repugnat, nec eidem suprema repugnabit potestas.

Resolutio huius quæstionis est, Papa non habet supremam potestatem dominij aut proprietatis in hominibus aut rebus earum: item non habet supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus, & tertio habetur quod istæ duæ supremæ potestates ex natura rei non repugnant, ita quod non implicat contradictionem eas eidem supposito conuenire.

A

CAPUT VII.

De suprema potestate laica, an iure diuino sit annexa spirituali.



QVæritur consequenter circa secundum capitulum quod ponit Occam in 1. quæstione, vtrum suprema potestas laicalis ex iure diuino & ex institutione Christi, sit annexa supremæ potestati spirituali: in isto secundò capitulo allegatur opinio contraria secundæ propositioni prius positæ, vnde opinio prima fuit, quod ex natura rei istæ duæ potestates sunt ita distinctæ quod eidem supposito competere non possunt. Secunda opinio quod de facto cadunt in eundem hominem, scilicet in summum pontificem, non ad istũ sensum quod summus põtifex sit laicus, sed ad istum sensum quod super res tẽporales & homines, tanta vti potest potestate, quanta quicumque alius, etiam imperator vel rex: & vltra addunt aliqui de ista opinione, quod Papa habet tantam potestatem in rebus temporalibus & spiritualibus, quod quicquid attẽtet facere circa illa dũmodo non repugnet iuri naturali vel diuino (quamuis repugnet iuri ciuili vel canonico) ipsum factum tenere, quamuis ipse peccet faciendo, vt puta si tentet transferre rem meam in dominium alterius, quamuis peccet hoc faciendo, tamen ipsum factum tenet. Similiter si tentet me obligare ad aliquid faciendum, quod non repugnet directè iuri naturali vel diuino, quod sum obligatus, quamuis peccet me obligando, & vt dicit Gerson ista fuit opinio adulatorum Papæ: & fundamẽtum huius opinionis, videlicet quod suprema potestas laicalis residet in summo pontifice, habetur, vt dicunt, ex multis auctoritatibus scripturæ, etiam ex institutione Christi.

Primò probatur, ille qui habet potestatem ligãdi quemcumque si tentet aliquem ligare, de facto est ligatus: sed summus pontifex habet potestatem vnumquemque ligandi & soluendi, Ergò: Patet minor, dictum est Petro pro se & successoribus suis *quæcumque ligaueris &c.* similiter *tibi dabo claues regni cælorum.* In istis verbis, fuit facta promissio summo pontifici, Ergò aliquando Christus illam promissionem impleuit, & nihil excepit dicens *quodcumque ligaueris, &c.* hoc argumento vtitur Innocentius in ca. solitæ de maioritate & obediẽ. volens ostendere potestatem Ecclesiasticam maiorem esse laicali. Item arguitur, ille qui à Christo constitutus est *super reges & super regna*, habet supremam potestatem in temporalibus, sed Papa ex ordinatione diuina sic constitutus est, Ergò habet supremam potestatem in temporalibus: consequentia certa est, sed minor patet, nam dictum est Hieremiæ, qui non erat supremus sacerdos, *& misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas & plantes &c.* Hierem. 1. cap. Ergò à fortiori illi qui erat supremus sacerdos conueniet: Item tertiò, ille qui habet in temporalibus & secularibus iudicare, & nullus alius super ipsum, habet supremam potestatem in secularibus & temporalibus: sed summus pontifex est huiusmodi, patet ad Corinth. 6. dicit. Paulus *quod Angelos iudicabimus, quantò magis secularia*, Ergò summus pontifex ex institutione Christi habet secularia iudicare. Quartò arguitur, Christus habuit supremam potestatem in temporalibus, sed sic est quod omnis potestas quam habuit Christus, collata fuit Petro suo vicario & successoribus, aliàs non fuisset plenè vicarius Christi: patet maior, dicit enim ipse Christus, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, Ergò habuit supremam potestatem in quibuscumque temporalibus, vnde *misit dæmones in porcos, & submersi sunt.* Marci. 5. Et *maledixit ficulnea & arida facta est*: Ergo si non habuisset potestatem in illis, damnificasset proximum, Ergò habuit supremam potestatem in temporalibus, & per consequens successores eius, sed de hoc postea videbitur.

B

C

Consequenter Occam allegat tertiam opinionem in 3. cap. cuius principium est tale. *Alia est opinio quodammodo media, &c.* Et in illo 3. cap. allegat primum dictum huius secundæ opinionis, quod istæ duæ potestates non ita repugnant ex natura rei, quod eidem non possint conuenire de facto: Secundum dictum est, quod non cadunt de lege in eundem ex institutione diuina. Primum dictum probat cum tertia propositione supra posita in 6. cap. aliquibus rationibus ipse Occam: prima ratio, suprema potestas laicalis non repugnat ordini, Ergò neque supremæ potestati in spiritualibus: patet antecedens, aliqua potestas in temporalibus, quamuis non sit suprema, non repugnat ordini, Ergò nec suprema, quia non videtur maior ratio de vno quam de alio: assumptum patet, si vnus comes vel dux efficiatur episcopus vel sacerdos, remanet dux, Ergò habet potestatẽ iurisdictionis, quia de ratione comitis vel regiæ potestatis hoc habet: Similiter, sunt multi episcopi duces, vt sunt illi qui dicuntur *Pares* in Francia, Ergò habent potestatem iurisdictionis, imò non repugnat fratri minori, Ergò nullomodo repugnat supremæ potestati in spiritualibus.

D

E

Sed quantum ad secundam partem, puta quod de lege non cadant in eundem hominem, imò ex ordinatione diuina non debent cadere, quamuis eis non repugnet, ex natura sua; patet, ille qui habet supremam potestatem in temporalibus, debet se temporalibus implicare, qui verò habet supremam in spiritualibus, minimè debet se implicare negotijs secularibus, Ergò illæ duæ potestates non debẽt cadere in eundem hominem: maior pro prima parte patet, quia ille est finis suæ potestatis, scilicet mutuam pacem conseruare, ergò debet illis se implicare: Alia pars patet, *nemo militans Deo, debet se negotijs secularibus implicare*, 2. ad Timoth. 2. capit. Similiter, Petrus in canonica ait, *non sis fideiussor &c.* vide alias auctoritates ad hoc propositum, quas citat ipse Occam cap. 4.

F

Secundo

4. Secundo ad idem arguitur, illæ duæ potestates quæ diuersis actibus & dignitatibus sunt à Christo institutæ, non debent eidem personæ competere, sed illæ duæ supremæ potestates sunt huiusmodi; patet 96. distinc. can. cum ad verum, dicitur quod sicut imperator non debet assumere summum pontificis honorem, ita nec summus pontifex imperatoris honorem: ratio, quia Christus illa distinxit distinctis actibus, & distinctis personis competere voluit. Item qui habet supremam potestatem in temporalibus, debet vel potest sanguinem fundere, vel iubere quod sanguis humanus fundatur à ministris suis pro iusticia seruanda, vnumquemque plectendo pro peccatis, sed hoc non licet illi qui habet supremam potestatem in spiritualibus, licet in vniuersali possit innuere maleficos esse puniendos, sed non in particulari, scilicet accusando, vel condemnando: Ergò illa suprema potestas in temporalibus non debet conuenire illi qui habet supremam potestatem in spiritualibus: & istæ sunt ratones apparentiores, quas latius videbis in cap. 4. ipsius Occam si vis.

Capvt VIII.

An Christus habuerit supremam potestatem in temporalibus.

Visis tribus opinionibus, quarum prima fuit quod suprema potestas spiritualis, & suprema laicalis ex natura rei ita distinguntur, quod in eãdem cadere non possunt personam: secunda quod concurrunt in eandem personam: & tertia, quod non distinguntur ita ex natura rei, quin possint in eandem concurrere personam, verumtamen non concurrunt nec debent.

His positis, doctor præcipuè nititur impugnare secundam opinionem, in qua iacet tota difficultas: vnum motiuum secundæ opinionis fuit, quod qui habet supremam in spiritualibus est vicarius Christi, sed Christus habuit supremam in temporalibus, quemadmodum & in spiritualibus, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c.* Ergò qui habet supremam potestatem in spiritualibus, habet etiam in temporalibus: Sed Papa habet supremam potestatem in spiritualibus, cum sit verus vicarius Christi, ergò habet etiam supremam in vtraque, & sic habet supremam potestatem in temporalibus.

Occasione huius rationis, talis mouetur difficultas. Vtrum Christus habuerit supremum dominium in quibuscumque rebus temporalibus: supponitur primò ex præhabitis, quod aliud est quærere an Christus habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem, vel an habuerit potestatem iurisdictionis. Secundò supponitur quod quando quæritur, an Christus habuerit supremam iurisdictionem, quod dupliciter hoc intelligi potest, vel secundum diuinitatem, vel secundum humanitatem, & quæritur de vtroque: secundum diuinitatem, non est difficultas, quia *domini est terra & plenitudo eius*, Psal. 23. Ideò secundum diuinitatem habet

A potestatem vnamquamque rem in dominium alterius transferre ad libitum suum, sicut patet de vasis argenteis Ægyptiorum, & de terra promissionis, quæ transtulit in filios Israël: ideò secundum diuinitatem habet proprietatem rei, & potestatem iurisdictionis. Solùm ergò restat difficultas, an secundum humanitatem; & supponitur tertiò, quod aliud est quærere de Christo secundum humanitatem, vtrum habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem & potestatem iurisdictionis, iure

B hæreditario matris vel patris putatiui: vel, vtrum habuerit ab aliquo priuilegio sibi à Deo collato, puta quod Deus transtulerit ei quo ad humanitatem verum dominium cunctarum rerum & potestatem iurisdictionis: quartò supponitur, quod aliud est quærere de Christo existente in mortali vita, vel post resurrectionem. Istis suppositis, non quæritur vtrum Christus habuerit in temporalibus proprietatem aut potestatem iurisdictionis secundum diuinitatem,

C sed secundum humanitatem: & in isto sensu dupliciter intelligitur, vel vtrum iure hæreditario tanquam verus hæres Mariæ; vel vtrum habuerit, quia diuinitas in eum transtulit.

Pro solutione huius quæstionis, sit prima propositio, Christus secundum humanitatem habuit proprietatem in aliquibus rebus temporalibus iure hæreditario. Patet, sic notissimum est quod Ioseph pater Christi putatiuus, cuius Christus erat verus hæres legalis & successor, habuit

D dominium in aliqua re, & verisimile est, imò tenetur communiter quod Ioseph mortuus est antequam Christus pateretur. Similiter virgo Maria, cuius secundum humanitatem fuit verus hæres, habuit proprietatem in aliquibus rebus, ergò cum Christus fuerit verus hæres ipsorum, verisimile est quod habuit dominium proprietatis in aliqua re cuius erant proprietarij, Ergò Christus iure hæreditario, non solùm potestatem iurisdictionis, sed etiam habuit

E proprietatem in aliquibus rebus, imò male sonare videtur, quod Christus fuerit mendicus: quandoquidem dicitur verè mendicus qui solo titulo *indigentiæ* petit aliquid, & verè & realiter talis dicitur medicus, & notum est quamuis Christus non habuisset proprietatem in aliquibus rebus, habuisse tamen ius petendi, quia seminabat & docebat, Ergò non solùm titulo indigentiæ petebat, Ergò non fuit verè mendicus, sicut rex administrans iustitiam subdiditis & communitati, petens & exigens ab il-

F lis pro manutenentia sui status, non est mendicus, quia non titulo indigentiæ petit sed administrationis, & sic de beneficiatis potest dici: Patet igitur, quod Christus non fuit mendicus, sed habuit non solùm aliquarum rerum vsum, verumetiam proprietatem in illis rebus.

Sed difficultas est, an habuerit in regno Israël veram proprietatẽ, hoc est an habuerit potestatẽ iurisdictionis iure hęreditario in regno Israël, pręcipuè in regno Iudę. Primò non est difficultas de toto vniuerso, quod nõ habuit suprẽmã potestatẽ

iurisdictionis in toto vniuerso iure hæreditario; patet, nullus parentum eius fuit verus monarcha totius mundi, nec Dauid nec Salomon, igitur: sed difficultas est vtrum habuerit in regno Iuda veram potestatem iurisdictionis iure hæreditario, ita quod fuerit verus rex Iuda, non solo priuilegio concesso à Deo: respondet Armachanus in 4. cap. 16. quod Christus fuit verus rex Iuda secundum humanitatem iure hæreditario, & quamuis hoc non possit euidenter probari, tamen assumit id quod habetur in Numeris cap. 27. quia in antiqua lege, *si in domo aliqua non est masculus, filia est hæres bonorum paternorum & maternorum*: & pro inde non erat in regno Iudæ sicut in regno Franciæ. Vltra supponit, vnum quod verum est, scilicet quod ipsa Virgo Maria realiter descendit ex Dauid, & non solùm ex Ioseph: patet, si non descendisset virgo ex Dauid, Christus non deberet vocari in scripturis *semen & filius Dauid*, quia non est realiter filius Ioseph, sed filius virginis, Ergò si virgo non realiter descendisset ex Dauid, non fuisset filius Dauid, neque semen eius. Sed quandocumque in lege antiqua non erat masculus, filia succedebat, Ergo viro cessante in domo Dauid, ad virginem deuoluebatur successio, & sic Virgo Maria habuit verum ius hæreditarium in regno Iuda, & ex consequenti Christus filius eius.

Quantum ad hoc, vtrum iure hæreditario spectaret verum regnum Iudæ ad Christum, apparet mihi quod non pertinet ad eum secundum humanitatem, & ratio quæ me mouet contra Armachanum est, quia vt notum est, Machabei verè & realiter dominati sunt in regno Iuda, & non erant tyranni, ergò realiter habebant potestatem iurisdictionis in regno Iudæ, & tamen ipsi Machabei erant de genere Leui, & si descendebant ex domo Dauid, hoc erat per matres & fœminas, quia erant sacerdotes, Ergò de domo Leui, & sic longo tempore antequam virgo Maria nasceretur, erat ablata potestas à domo Dauid, Ergò ipsa virgo Maria non habuit potestatem iurisdictionis in regno Iudæ, ergò credendum est quod Christus non habuit potestatem in illo secundum humanitatem.

Resolutio ergò quantum ad tria puncta est, primum certissimum est quod Christus iure hæreditario habuit proprietatem in aliquibus rebus: secundum punctum quod est ambiguum, Christus iure hæreditario non habuit potestatem in regno Iudæ: tertium quod est certissimum, Christus iure hæreditario secundum humanitatem non habuit potestatem iurisdictionis in vniuerso orbe, siuè in singulis rebus, cum nec Dauid, nec aliquis eorum à quibus descendit illam habuerit, Ergò non ipse Christus.

Restat modò difficultas inter doctores, cum Christus non fuerit verus monarcha iure hæreditario, an fuerit per priuilegium sibi collatum à Deo verus monarcha: aliqui dixerunt quod Christus non habuit illam potestatem iurisdictionis eo tempore quo viuebat in carne secundum humanitatem; rationes habent multum apparentes: primò habetur Lucæ 12. Venit aliquis ad Christum dicens ei, *magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* A *At ille dixit ei, homo quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* quasi diceret nullus: Tunc ex illo arguitur sic, Christus non habuit potestatem diuidendi hæreditatem inter istos duos fratres, ergò non habuit supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus, & hoc argumentum est multum apparens: nam quicumque habuit supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus, habuit potestatem diuidendi & dicendi ius, puta quid iustum, & quid iniustum in quacumque re temporali quo ad omnia, B Ergò videtur ex dicta auctoritate, quod Christus non habuit ex priuilegio à diuinitate concesso secundum humanitatem talem potestatem iurisdictionis in omnibus rebus temporalibus. Item Christus dixit, *regnum meum non est de hoc mundo*, Ergò non habuit potestatem regiam in hoc mundo, & per consequens non habuit supremam iurisdictionis potestatem in temporalibus.

C Vnde quatuor dicit hęc opinio; primũ, Christus secundum humanitatem non habuit proprietatem & potestatem in singulis rebus: patet, *volucres cæli nidos habent, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*: Secundum iure hęreditario non habuit potestatem iurisdictionis in singulis rebus temporalibus: tertium iure hæreditario non habuit potestatem iurisdictionis in regno Iudæ: quartò, non habuit iurisdictionem in rebus temporalibus ex priuilegio sibi à diuinitate concesso.

D Sed contra hanc sunt multi textus, primum quod Deus *fecit illum hæredem vniuersorum*, Ergò ex priuilegio habuit potestatem in omnibus: vnde dicit Sãctus Thomas de regimine principum, quod Christus ex concessione à Deo secundum humanitatem habuit supremã iurisdictionis potestatem in singulis rebus temporalibus, ideò elicitur ex dictis sancti Thomæ, quod secundum humanitatem non iure hæreditario, sed concessione à diuinitate sibi facta, habuit supremam E potestatem iurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Similiter habetur in Apocalip. *In cuius semine, id est humanitate, rex regum, &c.* Tunc bene sequitur, Christus secundum humanitatem habet potestatem super reges, ergò habet potestatem super singula quæ habent reges: Sed ipsi reges habent potestatem in temporalibus ad minus iurisdictionis, nam quamuis non habeant in singulis proprietatem dominij, tamen habent iurisdictionem, id est potestatem dicendi ius, & F definiendi de vnaquaque re temporali, & dicto iuri tenentur subditi obedire, quod si non fecerint, habent potestatem rebellantes & contumaces iustis afficiendi pœnis, Ergò Christus secundum humanitatem ex concessione, habet potestatem iurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Similiter habentur multæ auctoritates in Esaia & in Euangelio facientes ad hoc; Propterea dicit Thomas, quod monarchia Christi incœpit à conceptione, & quod habuit supremã potestatẽ in tẽporalibus, & iurisdictionẽ in singulis rebus: & probatur à signo, reges adorauerunt eum tanquã subiecti tẽporaliter, ergò signũ erat quod erat verus

verus dominus & monarcha in singulis rebus temporalibus: Et pro ista opinione facio talé rationem, Christus habuit potestatem secundum humanitaté ex concessione à diuinitate sibi facta, obligandi homines etiam ad mortale; & Christus secundum humanitatem non potuit errare; & quilibet alius ei secundum humanitatem tenebatur credere, & exequi quod Christus secundum humanitatem ei asseruisset & præcepisset: Sed si Christus asseruisset sentétialiter de aliqua re temporali, hæc res est istius & non alterius, tunc alter fuisset obligatus reddere illam rem illi cui Christus adiudicasset, & illam reddere secundum Christi sententiam, Ergò erat in illo superioritas & auctoritas iurisdictionis, etiam erga quoscumque homines, imò habuit potestatem vnumquémque regem priuare, & oppositam legem instituere, damnatis gratiam facere, & eos liberare: habuit igitur iurisdictionis potestatem secundum humanitatem, & omnes illi parere tenebantur, & ratione subiectionis ad illius sententiam adimplendam obligabantur, & hæc opinio est probabilior. Potest etiam suaderi hoc modo, nam Paulus habuit potestatem petendi temporalia pro seminatione spiritualium, quamuis non vsus fuerit illa: similiter Christus habuit potestatem in singulis rebus, quamuis non sit vsus illa potestate.

Iam quæritur, cum sit probabile quod habuerit istá potestatem in singulis rebus temporalibus, & fecerit Papam vicarium suum, an concesserit successoribus suis istam supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus. Respondent communiter Doctores, vt dicit Ioannes de Parisijs, quod nó oportet Christum omnem potestatem, quam habuit in temporalibus, contulisse Petro: nam potestas Christi secundum humanitatem, non fuit alligata sacramentis: nam secundum humanitatem habuit potestatem remittendi peccata, etiam absque sacramentis, sed Papa non habet potestatem illam remittendi peccata sine sacramentis, Ergò Christus non contulit Petro & eius successoribus omnem potestatem quam habuit: Ergò hoc dato, quod Christus habuerit supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus secundum humanitatem, non potuit inferri quod illam totam contulerit Petro: similiter habuit potestatem faciendi miracula, & quamuis illam cótulerit Petro, nó tamen omnibus successoribus eius: Similiter nó contulit Petro potestatem instituendi sacramenta, Ergo quantum ad ista tria, non contulit omnem potestatem iurisdictionis, quam habuit in rebus temporalibus, Petro & successoribus.

An Ecclesiastici sint subditi legibus directiuis & coactiuis Principum.

Alia difficultas est, cùm ergo summus pontifex non habeat supremam potestatem laicam iurisdictionis, nec in corpora nec in res hominum, quæritur an ipse & Ecclesiastici sint supremæ potestati laicali subiecti, vel an sint ex institutione diuina exempti, & hoc quantum ad iudicium coercitiuum, quo ad bona & sua corpora: Pro cuius declaratione, supponitur quod qui habet iurisdictionem temporalem, non solum habet illam super res, sed etiam super corpora. Secundo supponitur, quod habens illam, non solùm homines pro demeritis iustis potest afficere pœnis, sed etiam ab eis exigere aliquod tributum personale, sicut Ecclesiastici habent ius decimas petendi, non solum prædiales, sed etiam personales: ita ad istam potestatem supremam laicam iurisdictionis, non solum spectat eos punire, sed etiam tributum personale exigere. Nam licite potest princeps pro republica & sustentatione sui status rationabilis, tributum petere: hoc fecit Cæsar, quod approbauit Christus cum dixit *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: Similiter, dictum fuit discipulis, *magister vester non soluit didrachma*, & verisimile est, quod didrachma erat tributum personale, istis suppositis quæritur an Prælati Ecclesiastici sint iure diuino ab ipsá potestate laica coercitiua exempti, ita quod ille qui illam exercet, non possit Ecclesiasticorum peccata punire, nec ab illis tributa exigere.

Quantum ad hoc, sit prima propositio, Ecclesiastici quantum ad prædia sua & res immobiles, non sunt iure diuino à iurisdictione laica coercitiua exempti, & loquor de omnibus Ecclesiasticis vniuersaliter: Patet, Ecclesiastici iure diuino nullam habent talem potestatem, sed ex iure diuino habent ius petendi decimas, & quamuis ius sit immobile, tamen ipsæ res, puta decimæ sunt res mobiles. Præterea, notum est quod aliquod prædium aliquando donatur Ecclesiastico, & stat quod sit obnoxium alicui principi quantum ad redditus annuos, quo facto si transferatur in dominium Ecclesiastici, transit cum onere suo, id est cum obligatione ad soluendum tributum, vel censum annuum illi domino laico, Ergò non sunt iure diuino exempti à tributo, quo ad res immobiles: Item possident illis res solum iure principum, quia tenent illas in feudum à regibus & principibus.

Secunda propositio, Ecclesiastici non sunt subiecti potestati laicæ coercitiuæ, quantum ad res quæ eis competunt iure diuino, puta quantum ad decimas, ita quod nihil ab eis exigi potest: Patet duplici ratione, nam laici exercentes potestatem laicam, tenentur ipsis Ecclesiasticis soluere decimas, Ergò Ecclesiastici ad nihil tenentur eis. Item quandocumque quis possidet aliquid lege vel auctoritate superioris, in illo quod possidet, lege superioris non obligatur inferiori, sed Ecclesiastici habent decimas & ius in illis immediatè, auctoritate Dei, qui est supremus super omnes reges exercentes iurisdictionem laicam & coercitiuam; Ergo quantum ad hoc, nullomodo obligatur illis exercentibus iurisdictionem coercitiuam.

Tertia propositio in qua iacet difficultas inter doctores est, an Ecclesiastici quantum ad personas suas, sint exempti iure diuino à potestate coercitiua laica, ita quod laici iudices non possint pro demeritis Ecclesiasticos punire, nec ab eis tributum personale exigere. Dicit Marsilius de Padua, in 2. cap. 4. quod non sunt exempti iure diuino: oppositum tenet Carlerius, in quibusdam tractatibus quos edidit post Concilium Ba-

sileensé de gestis in illo: dicit Marsilius, qui multùm exaltauit potestatem laicam, quod Ecclesiasticæ personæ, sunt à Deo iudicio laicali coercitiuo subiectæ, & ad probandum, adducit tres rationes præcipuas ex sacris literis, dicit quidem notum esse ex priuilegio ipsos Ecclesiasticos esse exemptos, sed quantum ex institutione diuina, iudicio coercitiuo laicali subiectos, ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, dicit glossa, quod in verbo *Omnis*, nullus excipitur & excluditur. *Omnis anima*, secundum glossam, id est omnis homo. Item, *quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit*: & subdit, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem*: tamen non inde expressè videtur sequi, quod personæ Ecclesiasticæ sint subiectæ ad tributa, quantum ad corpora sua. Secunda auctoritas habetur 1. Petri 2. *subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei*: Ergo, videtur quod personæ Ecclesiasticæ sint subiectæ quantum ad corpora sua, ad tributum. Tertia ratio est magis apparens, nam habetur actuum 25. quod Paulus declinauit iurisdictionem sacerdotum legis, & appellauit ad tribunal Cęsaris, *a quo inquit oportet me iudicari*: sed certum est, quod Paulus erat Ecclesiasticus, imò Episcopus, & non est mentitus, nec timore pœnæ hoc dicebat, imò pro veritate mori decreuerat, & iudicari volebat à Cæsare: ergo persona Ecclesiastica non est ex iure diuino à laicali iurisdictione exempta, nec quantum ad corpus, nec quantum ad tributum, & hæc est opinio Marsilij.

Sed oppositum tenet Carlerius, quondam regalis Collegij Nauarræ socius meritissimus, in quodam tractatu quem edidit contra Bohemos, quod Ecclesiasticæ personæ ex iure diuino sunt exemptæ quo ad corpus, à iurisdictione coërcitiua laicali, & fundat se in cap. 17. Matthæi. Venerunt exactores qui didrachma accipiebant, & dixerunt Petro, *magister vester non soluit didrachma, ait etiam*, & cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens, *quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis: dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me &c.* Ex isto textu, videtur quod non soluerit ex debito: dicit Carlerius, quod per liberos intellexit Ecclesiasticos, ergo exemit Ecclesiasticos à tributo personali soluendo laicis: & hoc est probabile, quod eo ipso quod aliquis est effectus Ecclesiasticus, potestas laica nullam habet in illum potestatem, quia est effectus filius & liber: & ista opinio videtur probabilior.

Caput IX.

In quo soluuntur rationes primæ opinionis, recitatæ à Doctore Occam, in 1. cap. suæ primæ quæstionis.

Visæ sunt tres opiniones, & doctor ad tertiam se resoluit, probatque duo: primum, quod ex natura rei non habent repugnantiam illæ duæ supremæ potestates: secundum est, quod non debent de facto in eandem personam concurrere, restat modo soluere rationes primæ opinionis, quas adducit in 1. cap. suæ 1. quæstionis, quas iam soluit in 5. cap. eiusdem quæstionis. Prima ratio erat, illa quæ ex opposito diuiduntur, habent repugnantiam, quia non possunt omnimodè conuenire, sed potestas laica & Ecclesiastica, ex opposito diuiduntur, ergo, &c. Dicit doctor ad maiorem, quod quamuis ea quę ex opposito distiguntur, tanquam contraria ex natura rei, non possint idem subiectum primum habere (licet possint cadere in diuersas personas eiusdem subiecti) tamen sæpe illa quæ distiguntur ex opposito, tanquam diuersæ species, aut aliquo modo ex opposito inter se distincta sunt (quamquam non secundum idem) etiam posse cadere in eandem personam, imò verò nonnunquam in idem subiectum: duo dat exempla, primum ordo sacer, & ordo non sacer, quodam modo ex opposito diuiduntur, & tamen in eundem hominem cadunt: secundum exemplum, bonum honestum & bonum delectabile ex opposito diuiduntur, & tamen in eundem cadunt. Secundò arguitur, illę potestates quæ duo capita constituũt, simul in eodem esse non possunt, quia tunc vnum corpus haberet duo capita, vel duo corpora vnum & idem caput: sed illæ duæ potestates sunt huiusmodi, vt patet, igitur. Dico quod laici & Ecclesiastici sunt vnum corpus mysticum, quia omnes insigniti charactere baptismali & qui habẽt charitatem, sunt membra illius corporis sana: & qui habent fidem & non charitatem, sunt membra illius corporis, sed non sana: & qui carent vtroque, sunt membra arida, & sic dico quod est vnum corpus: vnde dicit Gerson quod non est possibile de lege posita, quod in solis laicis remaneat fides, vel quod in corpore mystico Ecclesiæ sint soli laici, quia tunc esset possibile de lege posita, quod ab Ecclesia cessarent sacramenta omnia præter baptismum, sed hoc est falsum. Tertiò & apparentius arguitur, potestas suprema laica includit dominationem, nam principes gentium dominantur terræ: sed spiritualis excludit illam dominationem coërcitiuam auctoritate Petri, *Pascite qui est in vobis gregem, non dominantes in cleris*: Ergo Ecclesiastica potestas excludit illam dominationem, & sic videtur quod ita ex natura rei distinguantur, vt in eodem conuenire non possint. Dico quod dupliciter intelligitur quod potestas Ecclesiastica excludat dominationem: vno modo, quod de ratione potestatis Ecclesiasticæ, & integritate eius sit, quod habens eam dominetur dominio coercitiuo, quo dominatur princeps laicus, & sic dico, quod excludit illam dominationem: Alio modo quod, de ratione

ratione ipsius nullam habeat potestatem dominandi, & sic falsum est, neque excludit omnimodam dominationem. Dat doctor exemplum, lex Euangelica dicitur *lex perfectæ libertatis*, id est non est de ratione legis Euangelicæ, quod aliquis sit seruus: quia nullum facit seruum: Similiter potestas Ecclesiastica de ratione sua, nullum facit dominantem, & est egregium verbum Occam, & bona similitudo de seruo.

Patet ex dictis, quomodo suprema hierarchia spiritualis, non habet plenam potestatem in tẽporalibus, & quomodo ex opinione Carlerij personę Ecclesiasticæ, quantum ad personas suas, sunt exemptæ à potestate laica coercitiua: possunt adduci aliæ rationes ad hoc probandum de Constãtino, cui episcopi, alius alium accusantes, libellos obtulerant: dixit autem Constantinus, qui erat supremus hierarcha in temporalibus, vos ab homine iudicari non potestis: ergo ipse qui erat verus imperator, asseruit se nullam habere potestatem super ipsos episcopos, ex quo verisimile est, quod Ecclesiastici, quantum ad personas suas, sunt à laicali iurisdictione exempti. Item quando Ioseph reddidit terram subiectam Pharaoni, terra sacerdotum mansit libera, & sic valde apparenter probat Carlerius suam opinionem.

Solutio obiectionum Marsilij de Padua.

Modo autem veniunt soluendæ rationes Marsilij, prima erat auctoritas Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus*, &c. vbi per sublimes potestates intelligit imperatores & reges, quia subdit, non sine causa gladium portat. Quantum ad hoc, de Lyra soluit sic, *Omnis anima*, id est hominis cuiuslibet, puta laici laicis, & Ecclesiastici Ecclesiasticis: nihilominus, quia per sublimes potestates videntur intelligi principes seculares, Carlerius alias dat expositiones, prima *Omnis anima*, id est omnis homo animalem, id est ciuilem vitam ducentem: nam hominum, quidam animalem, id est ciuilem; alij spiritualem ducunt vitam, & vocantur illi animales, isti verò spirituales, & hanc ponit Paulus *spiritualis homo omnia diiudicat, & à nemine iudicatur*: & sic, nulli est subiectus, quo ad istam potestatem laicam coercitiuam. Secunda expositio ex intentione textus & glossæ, dicitur quod est ibi distributio accõmodata, *Omnis anima*, hoc est, omnis homo, id est de aliquo statu hominũ aliquis homo est subiectus potestatibus sublimioribus. Ad secundũ argumentũ Marsilij, & auctoritatem 1. Petri 2. dupliciter exponit Carlerius, nam dicebant Bohemi, quod si princeps negligeret punire clericos, quod populus poterat sine peccato eos interimere: prima expositio Carlerij est, quod D. Petrus loquitur laicis, cum dicit *subditi estote omni creaturæ*, & primò loquitur seruis vt sint subditi dominis, & filij parentibus, quia statim subiunxit de filijs, seruis, & vxoribus. Secundò dicit glossa communis, subditi estote per humilitatem, propter Deum (& est consilium) non subiectione iuridica, sed humili subiectione, Ad tertiam auctoritatem fortissimam de Paulo, qui declinauit iudicium sacerdotum, videtur quod erat subiectus Cæsari iuridica subiectione: primò istud verbum Pauli, *à quo me oportet iudicari*, sic primò exponitur, hoc est à quo iudicabor, quia fuit condemnatus à Cæsare, non quod habuisset potestatem iudicandi, sed quod eum iudicabit: secundò appellauit Paulus Cæsarem, non quod esset superior eius, sed quia erat superior iudicibus volentibus condamnare Paulum, quia habebat potestatem decernendi quod malè iudicabant Paulum, & vt declararet eorum iudicium nullum, & sic soluuntur auctoritates quas adducit Marsilius. Aliæ autem sunt auctoritates, scilicet, *non haberes potestatem aduersum me vllam nisi tibi datum esset desuper*, quod intelligitur de potestate permissiua, nam Pilatus iudicauit Christum de facto, nõ de iure, sicque relinquitur opinio Carlerij probabilior quam altera; imò altera videtur condemnata in Concilio Basileensi, cap. 10. in quo ostenditur quænam potestas data sit Petro per ista verba, *quodcumque ligaueris super terram &c.*

An vi excommunicationis Papa possit destituere reges.

Doctor in 2. cap. suæ 1. quæstionis, adducit rationes aliquorum, quibus nititur probare Papam habere potestatem plenariam, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ad quas respondetur in 7. capite eiusdem quæstionis: Prima ratio ex ca. 16. Matthęi, vbi Christus illam plenitudinem potestatis promisit Petro per illa verba, *quodcumque ligaueris &c.* Ergo promisit potestatem vnumquemque ligandi, nullum excipiendo, & circa hoc argumentum, mouebuntur quatuor bonæ quæstiones.

Et pro intellectu notandũ primò, quod cõtingit hominẽ dupliciter solui, vno modo ab aliquo pręcepto quo prius obligabatur, & illud vocatur dispensatio. Iam difficultas est an per ista verba *quodcumque ligaueris, &c.* promiserit Petro potestatem vnumquemque à quocumque præcepto soluendi: similiter contigit hominem ligari multipliciter: ligari autem, est ad nouum quid obligari, vt si voueam paupertatem, ligor de nouo, idest ad nouum quid obligor: Secundò contingit hominem ligari, id est ad certam pœnam obligari in foro interiori, & ista verba *quodcũque solueritis & ligaueritis*, non intelliguntur de ligamine peccati, quia Papa non posset vnũm facere peccatorẽ, sed de ligamine ad pœnam soluẽdam ratione peccatorum: alio modo contingit aliquẽ ligari ligatione excommunicationis: vtrum autem Christus promisserit Petro hanc potestatem ligandi pro quacumque re, dicit Doctor, hanc auctoritatem recipere duas solutiones: Prima, quod per talia verba *quodcumque ligaueris*, &c. solùm promisit & dedit Petro duas potestates, Prima est potestas absoluendi hominem peccatorem à peccato, nõ quod ipse remittat peccatum, vel det gratiam & gloriam æternam [quia hoc solus Deus operatur] Secunda est, datam Petro auctoritatẽ pœnã in tali foro secreto taxãdi, non quod habeat potestatem coërcendi ad pœnam sustinendam: & est opinio Marsilij de Padua, quod nec Papæ nec clericis dedit potestatem coërcitiuam: Sed dicit Doctor, quod præter illas duas potestates, adhuc dedit potestatem coërcitiuã, qua, vnumquemque fidelem ea quæ sunt necessaria pro consequutione felicitatis æternæ, cogeret obseruare, vel si omitteret punire posset.

ideoque data est potestas *coercitiua* Petro vnumquemque fidelem coercendi ad diuina præcepta seruanda, & non obseruantes excommunicandi: vnde nunquam Papa habuit potestatem coercitiuam ad consilia, sed bene ad præcepta. Dicit Doctor (*saluis iuribus & libertatibus eorum qui non meruerunt*) quia Christus numquam dedit auctoritatem Petro aliquem regem temporalem à iurisdictione sua deponendi: Ergò in ista auctoritate *quodcumque ligaueris*, promisit potestatem absoluendi sacramentaliter, & taxandi pœnam, & potestatem coercitiuam ad obseruationem mandatorum Dei, & non ad consilia, & non dedit potestatem laicos suis proprietatibus & dominijs priuandi, nisi in casu, si contingeret principem secularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei, ita quòd ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ, non negat quin in tali casu Papa possit eum deponere, & si alij doctores hoc negent, quamuis doceant Papam habere solùm potestatem declarandi ipsum principem esse deponendum. Patet, quia esset occasio quod ratione talis potestatis Papa efferretur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multũ damnosa subiectis, ideò illa etiam esset nociua Papæ & subiectis, & sic non est verisimile quod Christus ei talem contulerit potestatem: Dices, si neminem excepit, quo modò audes aliquem excipere? Respondetur, quod Christus verbo & exemplo & Apostoli docuerunt aliqua excipienda, *Reges dominãtur vos autem non sic &c.* similiter exemplo quando voluerunt eum facere regem effugit.

Et sic patet quomodo contingit multipliciter hominem ligari, primò ligamine peccati; idest esse in mortali: secũdò ligari, idest ad poenã obligari: tertiò ligari ligamine excommunicationis, quæ est obligatio ad non participandum in sacramentis Ecclesiæ, & cum fidelibus: quartò ligari, idest obligari ad aliquam operationem faciendam vel omittendam. Similiter, quadrupliciter intelligi potest quomodo Petro data fuerit potestas soluendi: primò soluendi idest absoluendi à peccato per sacramentum pœnitentiæ: secundò soluendi, id est à pœna debita peccatis per indulgentiarum largitionem: tertiò soluendi ab excommunicatione: quartò soluendi, id est dispensandi in præceptis.

Circa prædicta mouetur difficultas, vtrum Petro fuerit collata potestas vnumquemque fidelẽ, pro quocumque peccato mortali, ligandi ligamine excommunicationis: apparet quod sic, quia dictum est indifferenter *si peccauerit in te frater tuus &c.* non distinguendo de quocumque peccato, *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, id est excommunicatus: ibi autem est collata potestas excommunicandi, ergò videtur quod pro quocumque peccato possit excommunicare: Secũdò, eidem data est potestas pro regimine fidelium ad consequutionem felicitatis æternæ: sed à quocumque mortali exire necessarium est vnicuique fideli, pro consequutione vitæ æternæ, Ergò potestatem habet summus pontifex, vnumquemque peccatorem pro quocũque mortali excommunicandi, cum excõmunicatio sit medicinalis.

In oppositum arguitur, quia tunc vnus malefactor posset à duobus ex æquo puniri pro eodẽ peccato, quod est inconueniens, igitur &c. Pro solutione, primò supponitur, quod non loquimur de veniali, quia nullus potest excommunicari pro veniali, imò nec corrigi fraternaliter, nisi sit de proximis mortali, non enim perditur anima pro veniali: ideò veniale nõ est materia coercitionis. Secundò supponitur quod mortalium quædam consistunt in actu interiori, qui ex natura rei est incognoscibilis hominibus, sicut est volitio occidendi, vel odium quod nondum progressum est in opus: & illud peccatum, est incognoscibile hominibus, quia solus Deus est qui intuetur cor: aliud est peccatum, quod est progressiuum ad opus, vt furtum, percussio clerici, &c. & est multiplex primum, quod quamuis sit cognoscibile, non potest tamen propter defectum testium cognosci iuridicè, vt cum Sortes occidit Platonem, & ipsi soli erant. Aliud est peccatum exterius, quod potest iuridicè probari & constare hominibus iuridicè: peccatum verò quod consistit in opere exteriori primo modo, est multiplex: nam est aliquod sic se habens, quod nec potest probari peccatum nec peccans, hoc est nec factum, nec factor, vt cum aliquis dat alapam alteri, & nullum ex illa restat vestigium: ergò, nec factum nec reus facti probari potest: contra, aliquando & factum & actor facti probari possunt. Supponitur tertiò, quod peccatorum, quoddam est spirituale, quoddam verò temporale: spirituale, quod de directo est contra legem Euangelicam & contra sacramenta, ita quod seclusa lege Euangelica non foret peccatum: Aliud est temporale seu seculare, quod seclusa quacumque reuelatione diuina & Euangelica, stando in lege naturæ, adhuc esset peccatum. Exemplum primi, vt sunt peccata commissa contra sacramenta: exemplum secundi, vt peccata contra præcepta decalogi. Quartò supponitur, quod in temporalibus contingit dupliciter peccare: vno modo peccato erroris siue oppositionis, hoc est iudicando de peccato quod committitur circa temporalia non esse peccatum, vt iudicando furtum non esse peccatum, similiter & homicidium &c. Alio modo contingit peccare peccato vendicationis, idest sibi vendicando vel retinendo quod est alterius.

Ecclesia potestatem tantùm habet super actus exteriores.

Istis suppositis, respondetur ad quæstionem quâ quæritur vtrum Petro fuerit collata potestas vnumquemque fidelem pro quocũque peccato excommunicandi: & sit prima propositio, nec Petro nec successoribus eius, nec iudicibus Ecclesiasticis, est collata potestas excommunicandi pro peccato interiori, & hanc tenent omnes theologi: patet ex Euangelio, & ex parabola zizaniorum Matth. 13. vbi prohibuit zizania eradicari ex frumento, per zizania intelligit malum hominem eradicari, id est excommunicari propter duas causas, prima propter defectum cognitionis: secunda, propter periculum inquietatis, seu perturbationis reipublicæ: nam propter hoc, prohibuit Saluator zizania, id est malum hominem ab agro, id est ab Ecclesia eradicari, id est

id est excommunicari: Ergò ex tali parabola apparet, quod non est collata potestas excommunicádi iudici Ecclesiastico pro tali peccato, quod nullomodo cognosci potest. Item probatur de pœnitent. dist. 1. cogitationis pœnam nullus patiatur, supple ab homine, sed ab illo qui cognouit corda: breuiter dicunt communiter doctores, quod summus pontifex, non habet potestatem super actus interiores, sed solùm exteriores.

Sed tenentes oppositum adducunt aliquas rationes, prima, argumentum glossæ in Clementina de hæreticis, quia secundum illam glossam, excommunicantur inquisitores fidei, quando omittunt inquirere, ergò: Item præcepto Papæ & Ecclesiæ, homo tenetur semel in anno confiteri (sed præcepto diuino, semel in vita) ergò habet iurisdictionem supra peccata secreta. Similiter in Clementina multorum, excommunicantur pro negligentia. Dico quod illa negligentia est aliquid exterius, & sicut opus exterius probari potest, ita & ipsa omissio exterior potest probari. Quantum ad secundum, dicit Durandus in 4. quod verum est quod tenemur confiteri semel in anno præcepto humano, & non diuino, ergò habet iurisdictionem supra secreta cordium: distinguo, per se negatur, per accidens conceditur. Nam sumere sacramentum Eucharistiæ, est opus exterius; & super tale opus exterius, habet Ecclesia iurisdictionem per se, & quia non potest aliquis digne illud sacramentum suscipere nisi prius contritus & confessus fuerit secreta cordis, sic per accidens Ecclesia præcepit peccata cõfiteri, in quantum confiteri est vnum necessarium ad opus exterius, quod per se præcipit Ecclesia, aliàs nullomodo posset præcipere illam confessionem interiorem.

Secunda propositio, iudex Ecclesiasticus, vt supremus pontifex, habet potestatem infligendi pœnam pro exteriori peccato manifesto, quamuis peccator sit secretus: aliqui tamen dicunt oppositum, vt Gotofredus in quodlibetis: probatur ista secunda propositio, & habetur 1. qu. 1. de quodam qui edidit libellum diffamatorium, qui erat ignotus: dicit Greg. nisi talis confessus fuerit, ipsum priuamus perceptione corporis & sanguinis, & si sumat, à corpore Ecclesiæ sit diuisus: ergò quamuis peccator sit occultus, & peccatum publicum, potest feriri sententia excommunicationis, si peccatum sit publicum, & iuridicè probatum, in can. quidam maligni spiritus, 5. q. 1. & illud est vnum argumentum, quod si secularis iudex non potest exercere suam iurisdictionem coercitiuam in aliquem peccatorem, quia secretus est, Ecclesiasticus debet suam exercere in illum.

Tertia propositio difficilis & problematica est inter doctores, nempe si vtrumque sit ignotum (*id est peccator & peccatum*) an talis possit feriri sententia excõmunicationis: dicunt multi quod non, primò habetur ex iure diuino parabola zizaniorum: secundò de processu Euãgelico [Matt. 18. vbi docetur monendum prius esse fratrem] Tertiò, quia excommunicare est actus iurisdictionis, & tria requiruntur antequam aliquis possit excommunicari: primò iurisdictio ex parte ferentis, secundò conuictio, tertio pax salua: ergò sententia lata nulla esset in illo casu. Primum

A habetur expressè in cap. ex tuæ fraternitatis literis, de Simonia, vbi constat secretos simoniacos in tantum culpabiles, quod si eorum excessus esset Ecclesiæ manifestus, venirent sententia excommunicationis feriendi: ergo per oppositum, quod est fortissimum argumentum in iure, si excessus non sit manifestus, non sunt feriendi censura Ecclesiastica: ergò vbi nec peccatum est publicum, nec peccator cognitus, non potest aliquis excommunicari. 32. dist. can. tua nos.

B Alij dicũt oppositum, ex can. si sacerdos, 1. q. 1. quod si sacerdos aliquem cognouerit reum, etiã ex confessione solùm, quamuis non possit iuridicè probari, tenetur illum excommunicare, ipso qui passus est damnum petente, quamuis tenetur non nominare, nam neque peccatum, neque reus est notus iuridicè, quia talis sacerdos cognoscens in confessione, scit vt Deus, Ergò potest aliquis feriri sententia excommunicationis, quãuis actor & peccatum sint secreta. Pro ista difficultate supponitur, quod cõtingit aliquem mul-

C multipliciter feriri ista poena spirituali, scilicet excommunicatione: vno modo, quod excommunicetur sententia lata à iure, quando scilicet facit contra præceptum iuris, quod datum est cũ additione poenæ, & isti canones sententiæ latæ, non dantur nisi pro peccatis futuris, & nunquam pro præteritis, ita quod ante canonem latum, si quis suadente, &c. qui percussisset clericum non fuisset excommunicatus. Aliquando contingit aliquem excommunicari ab homine, &

D hoc fit è contrario, puta pro peccatis præteritis, & adhuc ab homine dupliciter, vno modo nominatim, hoc est quod nominetur in prolatione sententiæ, alio modo non nominatim, sed excommunicatione generali.

Quantum ad ista, cum quæritur quando peccatum est ignotum & actor etiam, an possit excommunicari, supposito quod peccatum sit exterius: dico primò quod potest ferri sententia lata à iure, vt percutiens clericum (quamuis hoc probari non possit) non est dubium quin sit excom-

E municatus: sed vtrum possit excommunicari ab homine nominatim, dico quod non, per can. si sacerdos: nam si sit secretum, certum est quod non debet nec potest nominari: sed si feratur sententia isto modo, *quicumque fecit hoc, sit excommunicatus:* dicunt plerique quod talis non est excommunicatus, nisi factũ fuerit iuridicè probatum, est opinio multorum doctorum in theologia, & vtrumque est probabile, vel quod potest, vel quod non potest excommunicari.

F Ad auctoritates, prohibuit Christus zizania eradicari antequam cognoscerentur: dicunt qui tenent oppositum, quod prohibuit solùm excommunicari nominatim: similiter ad processum quẽ Christus seruandum dixit Matthæi. 18. Eodem modo dicunt esse intelligendum caput ex tuæ fraternitatis literis, de simonia, quod si excessus esset manifestus Ecclesiæ essent excommunicandi, verum est nominatim: & ideò quamuis excessus non sit manifestus, veniunt excommunicandi sententia generali.

Sed tenendo oppositum, difficultas est, quo modo debent absolui: dicunt quod in foro con-

scientiæ absoluuntur ab illa excommunicatione, imò si non possint se separare à fidelibus, nisi prodendo suum crimen, tenentur non se separare, quia non tenentur se diffamare & scandalizare: sed si possint se separare sinè scandalo, tenentur se separare.

A

Capvt X.

An ex ordinatione diuina spectet ad Papam de quolibet peccato ordinariè cognoscere.

B



Onsequenter quæritur, vtrum ex institutione Christi, Petro regulariter sit concessa potestas excommunicandi pro omni mortali, etiam supposito quod actor & peccatum nota sint: Supponuntur quæ iam dicta sunt, quod duplex est peccatum, scilicet seculare & spirituale: similiter peccatum seculare est duplex, scilicet erroris & vendicationis: istis suppositis, sit prima propositio.

C

Ad iudicem Ecclesiasticum, vt est Papa, Episcopus, Officialis, &c. spectat ordinariè cognoscere de quocumque mortali, etiam oppositionis & erroris in rebus secularibus, ex ordinatione diuina, & in ista propositione coincidunt omnes doctores, & loquor de mortalibus semper: patet, nullum est mortale nisi quia contra legem Dei, vt patet ex difinitione peccati data ab Augustino *peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*, sed sic est, quod ad iudicem Ecclesiasticum, quia Ecclesiasticus est, secundum hanc considerationem, de omni quod est contra legem Dei, spectat ordinariè iudicare an sit contra legem Dei vel non: *Ex ore enim eius legem requiram*, Ergò ad iudicem Ecclesiasticum ordinariè & iudiciriæ spectat cognoscere de omni peccato erroris, vel oppositionis in rebus secularibus, vt si quis diceret furtum non esse peccatum, imò si cum pertinacia diceret, talis esset hæreticus: sed notum est quod spectat ad iudicem Ecclesiasticum de talibus cognoscere.

D

Secunda propositio, regulariter ad iudicem Ecclesiasticum non spectat ordinariè cognoscere de vendicatione rerum secularium, puta cuius sint, aut cuius non sint: patet, nam quod ista res sit istius, & illa illius, hoc est ex iure ciuili ex can. quo iure, suprà allegato. Ergò hoc debet iudicari secundum leges ciuiles: sed ad Ecclesiasticum, vt Ecclesiasticus est, non spectat cognitio iuris ciuilis, in can. quo iure, & cap. nouit de iudicijs: non intendimus iudicare de feudo cuius ad ipsum spectat iudicium, id est ad regem vel imperatorem: in criminibus non in possessionibus vestra potestas est: & istud apparenter deducitur ex sacris literis, Nam summus pontifex non habet maiorem auctoritatem quam habuit Christus secundum humanitatē, sed Christus secundum humanitatem non habuit hanc auctoritatem discernendi de feudis, & de rebus secularibus, & de venditione rerum secularium: nam ipse quidem negans à se auctoritatem illam, respondit iuueni interroganti eum, vt iuberet fratrem suum diuidere hęreditatem, *quis me constituit diuisorem inter vos?*

Contra hanc auctoritatem sunt duæ auctoritates quæ videtur expressè sonare oppositum. Prima habetur 11. q. can. quæcunque dissentiones oriuntur inter Christianos, ad Ecclesiasticos sunt deferendæ, & ab eis terminandæ: Ergò etiam dissentiones quæ oriuntur de venditionibus: dico istum canonem expressè ponitur à palea, & ideò nec approbatur nec reprobatur, imò nullius est approbationis. Alia auctoritas habetur 1. ad Corinth. 6. *Angelos iudicabimus, quantò magis secularia*? Ergò magis, quia clerici sunt, ex officio spectat de secularibus iudicare. Quantum ad hoc, Occam optimè soluit, reprehendebat enim Paulus fideles qui conueniebant se se mutuo coram iudicibus infidelibus, admonebat enim eos vt componerent inter se antequam adirent iudicium, & si non possent, quod ex consensu partium aliquos deligerent arbitros: si autem non, tandem recurrerent ad ordinarium iudicem, & ita debet facere quilibet bonus vir. Vnde *nos angelos iudicabimus*, supple iudicio approbationis, approbando beatitudinem bonorum, & damnationem malorum, *quantò magis secularia iudicabimus*, iudicio supple approbationis? approbando illud esse [iustum aut iniustum], vnde in istis duabus propositionibus concordat maior pars doctorum.

Iam difficultas est, nam notum est hoc esse meum & illud esse Sortis, & nihilominus Sortes detinet meum, & notum est ipsum peccare detinendo me inuito: & illud peccatum Sortis est seculare & non spirituale, quia non est de directo contra sacramenta, vnde quæritur modo, vtrum ad summum pontificem vel iudicem Ecclesiasticum spectet ordinariè tale peccatum punire, vel solùm ad iudicem laicum. Quantum ad hoc sunt tria dicta, primum non spectat ad summum pontificem quemlibet, de quolibet tali peccato, etiam quod noscitur esse peccatum, ordinariè iudicare seu punire, & hoc conceditur fermè ab omnibus doctoribus: patet, non spectat ad summum pontificem de tali peccato punire infidelem purum ordinariè: patet 1. ad Corinth. 5.

E

Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? id est de infidelibus, hoc est nullam habeo potestatem coercitiuam super eos: hoc dato de peccato puri infidelis, quod sit notum & quod ipse concedat se realiter alienum detinere, adhuc tamē ad pontificem, vt pontifex est, non spectat istum de tali peccato ordinariè punire, quod maior pars doctorum concedit, & hoc satis Paulus innuit, qui postquam idolatras, ebrios, maledicos, rapaces præmisit, statim subiunxit *quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare*? Panormit. in cap. Nouit de

F

Iudicijs, tenet oppositum, videlicet quod summus pontifex in peccatis quæ sunt contra legem naturæ, potest infideles excommunicare, & coercere censura Ecclesiastica: sed communis sententia doctorum tenet oppositum.

Ex isto dicto, sequuntur aliqua corollaria, primum infidelis non tenetur vitare excommunicatum fidelem: ratio est quia summus pontifex non potest obligare illum ad vitandum, quia nullam habet iurisdictionem in ipsum. Secundò, sequitur quod fidelis excommunicatus non tenetur vitare infidelem: nam in excommunicatione

tione sunt duo, excommunicatus enim tenetur vitare fratres suos Christianos, & illi ipsum: & vltrà tenetur à sacramentis abstinere. Tertium quod sequitur, est quod vitare excōmunicatum, quantum ad collocutionem, & quantum ad illa quæ sunt merè ciuilia, non videtur esse de iure diuino, vt dicit Occam in dialog. sed solùm de iure positiuo, tamen videntur aliquæ auctoritates oppositum sonare.

Vtrum vitare excommunicatum, quo ad ciuilia, sit praeceptum diuinum.

Difficultas est vtrum vitare excommunicatum sit præceptum diuinum vel humanum: dicit Occam quod est solùm humanum, ratio est quia si esset diuinum, nulla indigentia etiam extrema posset aliquem excusare de participando cum excommunicato: quia propter nullam indigentiam etiam extremam, sunt præcepta diuina frangenda: sed indigentia extrema excusat de participando cum excommunicato, Ergò illud est solùm iure humano prohibitum. Et hoc argumentum est multum apparens, ideò vitare illum, quantum ad ciuilia ista, & non sacramenta, est solùm de iure humano, & non diuino.

Secundum dictum in quo non est difficultas, quod ad pontificem spectat ordinariè iudicare vnumquemque, pro crimine quod est purè spirituale, puta pro peccatis contra sacramenta vel articulos fidei commissis, patet, ad ipsum spectat noscere ius diuinum & alijs manifestare, & inobedientes aliqua pœna punire igitur &c.

Sed sola est difficultas in hoc, puta sit Sortes fidelis qui peccat mortali peccato quod solùm est seculare peccatum, vtrum ad summum pontificem ordinariè spectet iudicare de tali crimine, vel ad laicum. Apparentia est, quod solùm ad laicum, quia pro eodem peccato nullus debet puniri diuersis pœnis, sed talis punietur à Iudice laico, igitur non ab Ecclesiastico. Quantū ad hoc est difficultas in qua sibi aduersantur doctores, Durandus, 3. quęst. de iurisdictione Ecclesiastica, tenet quod ad iudicem Ecclesiasticum spectat, ordinariè de omni actione humana cognoscere, præsertim si consideretur per modum iniuriæ aut peccati: & sic vnumquemque pro omni peccato mortali poena Ecclesiastica punire, & loquitur semper de fidelibus, patet multis argumentis, & faciam duo apparentiora; primum est, cuius est considerare finem eius est semper considerare media ordinata ad illum finem, quia semper media sumunt rationem à fine, & illa propositio videtur satis nota: sicut enim medicus, cuius est considerare sanitatem, considerat ea quæ inducunt sanitatem, & quæ impediunt ipsam, sed sic est quod corpus est propter animam, & temporalia propter spiritualia, & quælibet actio humana debet ordinari in vltimum finem id est beatitudinem; Ergò, cuius est ordinariè cognoscere de spiritualibus & fine vltimo, & de spiritu, eiusdem est cognoscere de omnibus ordinatis ad illa, & præsertim de actionibus humanis, quando ponuntur sub ratione conuenientis vel impedimēti ad illum finē. Et ipse Durandus vocat hanc rationem irrefragabilem. Secunda ratio, quæ est apparentior, sumpta est ex auctoritate Christi Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus &c.* nam si detineat mea, vel percutiat me, peccat in me, tandem ex processu dicitur *dic Ecclesiæ*, id est pręlato Ecclesiæ potestatem habenti illum excommunicandi pro quocumque peccato, quod est in fratrem commissum: & hoc est multùm apparens & probabile, quod ad summum pontificem & Ecclesiasticos iudices, spectat ordinariè iudicare de omni actione humana, proposita vel considerata sub ratione iniuriæ vel peccati, & vnum quēque pro tali peccato pœna afficere, præcipuè pro peccato contumaciæ.

Ecclesia, suasiuè tantùm & directiuè, non autem coactiuè, iudicat de medijs ad beatitudinem.

Aliter dicit Ioannes de Parisijs & Occam, quod summus pontifex regulariter non debet iudicare, seu aliquem punirè pro peccato quod est purè seculare (quod dico propter adulterium, quod non est purè seculare, imò contra matrimonij sacramentum: similiter, vsura non est peccatum purè seculare) sed solùm in tribus casibus: exemplum, iudex Ecclesiasticus non debet punire furantem pro furto, nec homicidam pro homicidio, supposito quod sit laicus: vnde dicit Augustinus super Amos propheta, quædam sunt peccata enormia, quæ non veniunt à Iudice Ecclesiastico punienda, sed à seculari. Vltra dicit Occam in fine dialogi, quod Papa in tribus casibus potest, cui concordat Gerson; primus, quando peccans est iuridicialiter subiectus iurisdictione laica summo pontifici, tunc potest ipsum punire: secundus est, quando in terra in qua talis peccat non est aliquis dominus temporalis, vel si sit, perniciosè negligit peccatorem punire: patet per cap. licet, de foro competenti, vbi expressè ponitur talis casus: Tertius, quando iudex secularis nullam pœnam potest infligere, vt in casu cum peccator est occultus. Nam pœna temporalis non infligitur nisi personæ cognitæ: ideò in istis tribus casibus ad summum pontificem & iudices Ecclesiasticos spectat punire de tali crimine purè seculari: sed illis exceptis dicit Occā, quod non spectat ad summum pontificem ipsum laicum de crimine purè laico regulariter punire: Quid ergò respondebit Occam ad argumentum Durandi: dicit Ioannes de Parisijs ad maiorem, cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare de medijs, supple innuitiuè, id est innuere quæ sunt media necessaria ad illum finem consequendum, & quæ impedimenta, & hoc verum est, quod spectat ad Ecclesiasticum, quia ad eum spectat ostendere quod est necessarium ad felicitatem consequendam. Sed si intelligas, cuius est iudicare de fine eiusdem esse iudicare iudicio coercitiuò & correctiuo de quolibet necessario ad illū finem, negatur: imò illa est falsa vniuersaliter, cuius est iudicare de fine, illius est iudicare de medijs iudicio coercitiuo: & hoc ordinariè de quolibet necessario vel impediente, respectu talis finis. Etiam dico, quod summus pontifex non iudicat de beatitudine ęterna isto iudicio de quo loquimur, sed per modum doctrinæ & incitamenti, ostendendo de medijs necessarijs ad salutem: regulariter ergò ciuilia ad laicos pertinent. Ad secundum *si peccauerit in te frater tuus, &c.* non excludit aliquod peccatum, neque spirituale neque temporale, Ergò Ecclesiasticus super quodlibet pecca-

tum habet auctoritatem: dicit Occam primo, *si peccauerit dic Ecclesiæ*, quod per Ecclesiam non ibi intelligitur ecclesiasticus solùm, sed quæcumque communitas fidelium, siue sint soli ecclesiastici, siue soli laici, siue vtrique simul iuncti, & hoc modo exponit *dic Ecclesiæ*, id est tali communitati, puta tali parochiæ: Dicit secundo, quod per illam auctoritatem, non datur potestas coërcitiua iudici ecclesiastico, sed solùm datur eadem potestas quæ datur ipsis testibus, nam dicitur adhibe duos testes, & non datur testibus auctoritas excommunicandi, sed increpandi & admonendi: ideo dicit quod similiter non datur iudici ecclesiastico potestas excommunicandi, sed declarandi ipsum esse excommunicatum. Verùm videtur Durandi opinio probabilior & conformior processui Euangelico, quod quicumque de aliquo certum est quod peccauit mortaliter (saluo ordine iuris, puta saluo processu de correctione fraterna) tandem ille pro contumacia venit excommunicandus, quia non vult desistere ab illo peccato. Hanc defensat & ad longum nititur probare Carlerius, ponens vltimum suum corollarium tale; nempe quod asserere iudicem ecclesiasticum non posse cogere laicum ad soluẽdum debitum, quando certum est quod debet illud, vel ad cedendum bonis, est errare in materia clauium.

Habetur ergo resolutoriè, quando de aliquo exteriori facto certũ est, quod est peccatũ, potest iudex ecclesiasticus, seruato ordine iuris, de quocumque tali ordinariè cognoscere, & in foro exteriori publico peccãtem, censura, id est excommunicatione ecclesiastica, punire, & præcipuè si fuerit contumax, & hæc opinio est sacris literis conformior.

Caput XI.

An Papa possit aliquid præcipere, cuius transgressio inducat mortale peccatum.

Consequenter videndum est de secundo ligamine, vtrum Papa vnumquemque ligare possit ligamine præcepti obligãtis ad peccatum, hoc est, vtrum Petro & successoribus eius fuerit illo verbo *quodcumque ligaueris, &c.* à Christo collata vel promissa potestas vnicuique præcipiendi aliquid sub pœna peccati. Arguitur primò quod non, nam non est peccatum nisi contra legem Dei, patet per definitionem peccati ab Augustino datam superius, ergo nullus legislator humanus habet potestatem præcipiendi sub pœna peccati. In oppositum arguitur quod habetur in sacris literis vt 1. Petri cap. 2. *Obedite præpositis vestris etiam dyscolis*: similiter habetur, *qui vos audit me audit*.

Communiter habetur circa hoc controuersia inter doctores, de Gersonio in 4. parte de vita spirituali animæ dicit, quod nulla transgressio legis naturalis aut humanæ, eà ratione qua est naturalis aut humana, est peccatum mortale, & hæc propositio est conformis ad dicta Durandi: dicit notanter ea ratione qua naturalis vel humana, quia eadem lex potest esse naturalis & diuina: vnde voco legem, naturalem illam quæ omnibus ratione vtentibus ex iudicio rationis communis

A inest, secluso quocũque signo sensibili exteriori: vnde dicit Gerson, quod mortale est quod operatur reatum ad pœnam æternam, id est obligationem ad pœnam æternã sine Dei acceptatione. His suppositis sic arguitur, legislator non potest condere legem cum adiectione pœnæ quam nõ potest infligere: nam legislator ciuilis frustra conderet legem de aliquid faciendo sub pœna excommunicationis, quia illam nõ potest infligere nec exercere: similiter legislator ecclesiasticus ciuilis, frustra conderet legem sub pœna suspen-

B dij, quia illam nõ posset exercere: sed sic est, quod nullus legislator humanus potest infligere pœnã æternam quæ debetur mortali, nec de ea cognoscere in suo foro, ergo nullus legislator humanus potest condere legem, quo ad adiectionem pœnæ æternæ, ergo non potest obligare sub pœna peccati mortalis, capiendo mortale pro illo quod operatur reatum ad pœnam æternam, alias legislator posset condere legem cum adiectione pœnæ impossibilis: vnde dicit Durandus, quod le-

C gislator non potest condere legem de actibus interioribus, quia de illis non potest aliquid cognoscere in suo foro nec eos punire. Sed solius Dei est pœnam æternam cognoscere & eam infligere, ergo non spectat ad legislatorem humanum, &c. hoc est nullus prælatus, ecclesiasticus, aut ciuilis magistratus, potest subditis aliquid præcipere sub pœna peccati mortalis.

Ex ista prima propositione sequitur secunda corollaria, quod aliquis potest satisfacere

D & adimplere præceptum humanum per mortale peccatum, sicut & aliquis potest mereri transgrediendo præceptum humanum: Patet primùm de illo qui ieiunat propter appetitum vanæ gloriæ: nam actus interior non subiacet imperio hominis, & per illum interiorem, dummodo impleatur exterior, non transgreditur præceptum humanum. Exemplum secundi, patet de illo qui aliquam mulierem desponsauit clandestinè per verba de præsenti, & postmodum cum alia contrahit in facie ecclesiæ, & sub pœna excommuni-

E cationis cogitur habitare cum secunda, quæ non est sua vxor, talis nolendo habitare cum secunda, propter Deum, meretur, & transgreditur præceptum humanum; & ista est summa opinionis de Gersonio.

Sed pro opinione opposita, quæ videtur rationabilior, sit prima propositio, non solùm Papa, sed quilibet sacerdos virtute clauium, in foro pœnitentiali & secreto, potest sibi subiecto in tali foro, ex vi præcepti aliquam pœnam impone-

F re, quam ipse subiectus tenetur acceptare & facere sub pœna peccati, quia secluso suo præcepto, nullomodo peccaret transgrediendo, & hæc est etiam opinio sancti Thomæ, quamuis Scotus oppositum dicat: Ratio est, vnusquisque iudex ordinarius, suum subditum conuictum & accusatum de peccãto, cuius cognitio ad suum forum spectat, potest punire, & certam pœnam imponere quam tenetur sufferre: hinc dicit sanctus Thomas, quod iustè condemnatus ad mortem, etiam si pateat ei locus fugæ, tenetur obedire illi sententiæ, & si auffugiat, peccabit: sed sic est quod iste sacerdos est ordinarius, quantum ad forum pœni-

pœnitentiale & secretum, & alter subditus quantum ad illud forum, & sufficienter conuictus & accusatus, quia sua confessio est sufficiens conuictio, cum in tali foro, idem sit reus, testis, & accusator, ergo potest illi indicere & imponere pœnam quam tenetur sufferre, & secluso tali præcepto de illa pœna sufferenda, quamuis fuisset confessus, non fuisset obligatus sub pœna peccati. Verumtamẽ apud Thomam, (& apparentia est) superueniẽte tali præcepto sacerdotis, cui se subiecit, tenetur illam ferre, & non potest renuere, dummodo ipsa pœna sit rationalis. Imò tenetur sub pœna peccati adimplere illam pœnam. Vnde auctoritas illa, *quodcumque solueris*, intelligitur à peccato, *& ligaueris*, supple ad pœnam, *erit ligatum, &c.* videtur hoc sonare: Ergo ex vi præcepti sacerdotis ordinarij, pœnitens sub pœna peccati tenetur illam implere, & hæc opinio videtur probabilior quam opposita: Scotus dicit, quod si subijciat se, ad vtrumque tenetur.

Vtrum Concilium posit aliquid præcipere sub pœna peccati.

Secunda propositio, Conciliũ generale quantum ad forum exterius (quia per se non habet potestatem super actus interiores; nam non potest audire confessiones) potest aliquid præcipere sub pœna peccati mortalis, quod secluso præcepto non foret peccatum; stando præcise in lege diuina, & communiter doctores satis concordant in hoc: Patet, concilium generale est tantæ potestatis sicut erat in primitiua Ecclesia, sed in primitiua Ecclesia poterat condere legem & statutum, cuius transgressio erat mortale peccatum, ergo & nunc: Patet maior, tempore Apostolorum Actuum 15. *Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vobis imponere præter quam hæc necessaria, vt abstineatis ab immolato & suffocato sanguine, & fornicatione*, nam licitum erat gentibus ante & post conuersionem, suffocatum in sanguine, id est occisum sine emissione sanguinis comedere, & hæc prohibebantur in lege Moysi, quæ non obligabat gentiles, & abrogata fuit per Euangelium quantum ad cæremonialia: nihilominus in Concilio Apostolorum, prohibitum fuit sub pœna peccati, vt gentiles abstinerẽt ab immolato & suffocato, & erat eis necessarium pro mutua conuersatione: Similiter fornicatio erat simpliciter prohibita, & sic transgressio erat peccatum: Ergo, potest concilium aliquid prohibere sub pœna peccati. Præterea, est præceptum sub pœna excommunicationis (quæ non potest ferri nisi pro peccato) sumere semel in anno Eucharistiam: Similiter potest Concilium generale ipsam Ecclesiam obligare ad aliquid, ad quod prius non erat obligata, quia Concilium gerit vices Ecclesiæ, & repræsentat totam Ecclesiam, ideo potest ipsam Ecclesiam obligare.

Tertia propositio quam pono secundum hanc opinionem, summus pontifex in foro exteriori, potest aliquid præcipere ratione cuius transgressio erit mortalis, quæ non esset tali præcepto secluso: pro cuius suasione dicit Gerson, quod si medicus expertus & scientificus diceret mihi iste cibus est pestifer, si ex illo comedas morieris, teneor non comedere, non vi præcepti medici, sed vi huius præcepti *non occides*, quia teneor non me occidere: similiter, quando prælatus dat mihi aliquod præceptum, teneor illud adimplere, non vi præcepti prælati, sed vi præcepti diuini & superioris. Dico vltrà, quod potest pontifex, virtute potestatis sibi datæ condere præceptum, cuius transgressio erit peccatum, & adæquatè contra tale præceptum summi pontificis, non autem contra præceptum diuinum directè, neque contra aliquam alteram legem, præterquam contra legem summi pontificis: Patet sic, summus pontifex obligat ex vi præcepti sui, cõsanguineos in quarto gradu non contrahere, ita quod illegitimi reputantur in quarto gradu, vel statu prohibito geniti, vt habetur extrauaga. de clandestina desponsatione, cap. cum inhibitio: Sint ergo Sortes & Berta consanguinei in quarto, tunc obligantur non contrahere ad inuicem, ita quod si contrahant peccabunt mortaliter, & non erit matrimonium, & ad hoc non obligantur virtute præcepti diuini, sed quod notificetur nobis per præceptum summi pontificis. Ergo ex præcepto summi Pontificis obligatur, & nihil vltra. Igitur talis transgressio ex hoc solùm est peccatum, quia est contra præceptum summi pontificis, & non quia est contra præceptum diuinum. Quare si post istam obligationem factam à summo pontifice in quarto & tertio gradibus, Sortes cognosceret Bertam carnaliter, grauius peccaret quam faceret seclusa tali illegitimatione, quia committeret incæstum, ergo illud peccatum efficitur notabiliter grauius in esse peccati mortalis, quam foret sine tali constitutione summi Pontificis: igitur talis constitutio ligat ad mortale. Item possunt adduci ad hoc suadendum multæ rationes & auctoritates variorum auctorum, nam ponit Occam in fine primæ partis dialogorum, & circa tertiam, quod summus Pontifex ratione delicti prius commissi in foro exteriori, potest aliquem detrudere in monasterium, & ligare eum vt seruet perpetuam castitatem, ita quod si attentet contrahere peccabit, & secluso præcepto pontificis posset contrahere: Ergo potest aliquem ligare ad aliquid cuius transgressio inducit peccatum mortale. Præterea ante præceptum de non participando cum excommunicato, nullus peccabat communicando cum illo, ergo potest pontifex in foro publico & exteriori ratione clauis sibi datæ à Christo, aliquem ligare ad mortale: similiter ratione delicti, potest præcipere pœnam in foro exteriori, & ille cui præcipit illam tenetur adimplere: ideo quantum ad pœnam soluendam, potest ligare sub pœna peccati. Item in sacramentis vt in matrimonio, potest aliquem ligare sub pœna peccati mortalis, vt visum est de non contrahendo in tertio & quarto gradibus. Similiter quantum ad specificationem præceptorum Dei, potest ad aliquid ligare sub pœna peccati mortalis: nam ex iure diuino teneor cõfiteri & suscipere Eucharistiam: sed non est ex iure diuino specificatum tempus quando teneor, nisi ex vehementi probabilitate, quod numquam postea daretur oportunitas: Et summo Pontifici data est auctoritas à Christo certum tempus determinare, in quo quilibet fidelis Christianus

rationis compos sub pœna peccati mortalis teneretur, vt dictum est in lectione quarti sententiarum, in allegatione & declaratione illius capitis, omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs & remissionib. & sic, in istis tribus casibus, se extendit potestas summi pontificis, ad arctandum fideles ad aliquid sub pœna peccati mortalis, primus ratione culpæ, quia habet potestatem punitiuam: secundus in sacramentis præcipuè matrimonij, quia potest materiam illegitimare: tertius præcepta diuina ad certum tempus limitando.

Solutio obiectionum Gersonij.

AD rationes Domini de Gersonio, ad primam præcipua est inter alias, nullus legislator potest condere legem cum adiectione & appositione alicuius pœnæ, quam non potest in suo foro infligere, vt argutum est de laico, qui nō potest statuere aliquod statutum obseruandum sub pœna excommunicationis. Distinguo, nam si talis legislator non habeat auctoritatem ab aliquo qui possit eam infligere in suo foro, verum est; sed vbi habet auctoritatem ab illo qui potest cognoscere de crimine, & pœnam condignam illi infligere, negatur. Vnde dico quod summus pontifex, quia est vicarius Christi, habet auctoritatem ab illo cognoscendi in suo foro de crimine, & aliquid etiam præcipiendi sub obligatione ad pœnam æternam. Et non est simile de prælato ciuili, puta rege, vel alio temporali iurisdictionem habente in temporalibus, cum talis non habeat potestatem aliquem obligare ad aliquid, cuius transgressio inducat pœnam æternam, quia non est immediatè vicarius Christi, sicut summus pontifex cui potestas immediatè ab ipso Christo commissa & collata est: Igitur, &c.

Caput XII.

An Papa possit dispensare in praeceptis.



VIsum est de prima parte auctoritatis, quo modo Papa potest vnumquemque ligare, puta ligamine excommunicationis pro peccato: secundò ligare potest, id est ad pœnam obligare pro culpa præcedente: Item ligare potest ligamine præcepti ad aliquid faciendum vel omittendum: iam videndum est de secundo membro auctoritatis: Vtrum summus pontifex auctoritate à Christo sibi collata, immediatè possit vnumquemque fidelem soluere, & non loquor an pontifex possit vnumquemque soluere fidelem à ligamine excommunicationis, quia satis notum est quod sic: Similiter non quærimus an Papa possit soluere à ligamine peccati, quia certum est quod sic, si sit presbyter (at non presbyter in Papam electus, habet auctoritatem in foro exteriori) nec est difficultas, an Papa possit soluere à pœna post remissionem culpæ, puta per indulgentiarum largitionem. Difficultas ergo præcipua est, vtrum Papa possit vnumquemque Christianum ligatum ligamine præcepti, idest obligatum, soluere, id est deobligare; & hoc est quærere, an possit dispensare à præcepto. Secundo supponitur quod inter præcepta aliqua sunt purè naturalia, iuris purè naturalis, & illa sunt quæ vnicuique vtenti ratione nota sunt, vel saltem ex eis deducibilia immediatè: prima, vocantur principia; & secunda, conclusiones ex illis deductæ. Alia sunt præcepta positiua, quæ vnicuique vtenti ratione non sunt nota, neque deducibilia ex eis in consequentia euidenti, sed fortè multùm eis conformia, & propter illam conformitatem ab ipso superiore præcepta, & ista sunt duplicia: nam quædam sunt diuina, altera vero humana: Exemplum primi, vt præcepta à Christo data pro lege Euangelica, puta quod vnusquisque baptizetur, confiteatur, &c. & quamuis sint diuina, sunt tamen positiua, quia non sunt de lege naturali, sed ex tempore posita, & non sunt necessariò vnumquemque obligantia: Exemplum secundi, vt sunt multa præcepta humana. Tertio supponitur quod dupliciter homo obligari potest: nam est quædam obligatio, qua obligatur homo absque suo consensu, etiam ipso inuito, & ista obligatione obligatur homo ad omnia præcepta quæ à Deo sunt data. Ex quo sequitur, quod quilibet homo obligatur ad susceptionem baptismi, & talis obligatio non dependet à consensu libero hominis. Alia est obligatio, quæ ortum habet à consensu obligati, & secluso tali consensu, nunquam orietur talis obligatio, vt obligatio qua obligatur religiosus seruare obedientiam & castitatem. Nam per liberum consensum suum, ad hoc se obligauit, & per promissionem liberam: Similiter, sit Sortes Maritus Berthæ, obligatur illi quantum ad actus matrimoniales ex libero consensu & promissione illius.

Quomodo differunt reuocatio, abrogatio, dispensatio, derogatio, epykeia, & interpretatio legis.

ISstis suppositis, quæritur an Papa possit aliquem soluere à prima obligatione vel secunda. Tertiò supponitur, quod isti sex termini differunt, scilicet reuocatio legis, & abrogatio eiusdem: dispensatio in lege, & derogatio illius: interpretatio legis, & epieikizatio. Nam reuocatio & abrogatio in hoc conueniunt, quod lex totaliter aufertur quantum ad omnes actus, & quantum ad conditionem legis etiam in ordine ad quodlibet tempus, vt lex Mosis est reuocata & abrogata, quantum ad cæremonialia & iudicialia, quia nullus mansit obligatus ad illa; sed differunt, quia reuocatio fit à legislatore vel superiori, & abrogatio à consuetudine, & in hoc solùm differunt: Reuocatur lex quando cassatur obligatio illius ab ipso qui illam condidit vel à superiore: sed abrogatur; quando cassatur eius obligatio omnimode per consuetudinem oppositam. Ex quo sequitur, quod lex diuina, nullomodo potest abrogari, quāuis possit reuocari: sed lex humana, potest & abrogari & reuocari. Itē dispensatio & derogatio in hoc conueniunt, quia dispensatio & derogatio non auferunt totaliter legē, sed solùm in ordine ad quandam certam personam, vel in ordine ad certum tempus, vt data est Sorti potestas contrahendi in tertio gradu cum Bertha, & cum tali est facta dispensatio in lege, quia non nisi ad certam vel certas personas hoc extenditur: Sed differunt, quia dispen-

dispensatio fit à legislatore, & derogatio à consuetudine. Item interpretatio & epieikeia differunt, quia interpretatio fit à legislatore, & præcipuè vbi lex habet duos sensus: sed epieikeia est quando occurrit casus particularis, in quo seruare legem esset contra rationem legis, & iudicare in tali casu legem non esse obseruandam, est vti epieikeia.

Istis suppositis, est nunc quæstio terminanda, qua quæritur vtrum summus pontifex auctoritate à Christo sibi collata, habeat potestatem vnumquemque obligatum, tam præter consensum quam ex consensu suo, ab illa obligatione soluendi. Quãtum ad illud, sit prima propositio, Papa non potest in lege purè naturali aut diuina dispensare aut eam reuocare, & sic neminem nec totam communitatem à debito illius legis potest soluere: Patet sic, quandocumque sunt duo superiores, & inter illos est ordo, quia vnus est superior, si talis superior præcipiat aliquid vni tertio, & inferior oppositum, vel prohibeat, obediendum est superiori, neglecto præcepto vel prohibitione inferioris: Ergo, cum Deus sit superior in ordine ad omnes, præcipiens aliquid vel prohibens contra illud, non potest Papa nec dispensare nec reuocare, nec oppositum præcipere vel prohibere. Nam ita est ordinatum inter homines, puta si Imperator aliquid præcipiat, & dux oppositum, obediendum est Imperatori: & à fortiori inter Deum & homines: Ista propositio patet manifestè ex cap. 22. Apocalips. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto dicit qui testimonium perhibet istorum.* Ergo summus pontifex nullomodo potest dispensare in his quæ sunt de lege Euangelica, & ista propositio ponitur in multis canonibus 25. quæst. 1. Omne quod actum est contra legem naturæ aut Euangelicam, irritum habetur. Ideo ferme conceditur ab omnibus, quod non potest Papa obligationem ortam à iure diuino vel naturali, etiam in inuitum aliquo modo reuocare, nec in ea dispensare.

Aliqui tamen iuristæ tenent oppositum istius propositionis, vt Panormitanus in cap. licet, de Ferijs, quod Papa potest dispensare in lege diuina, in præceptis affirmatiuis saltem: patet de sanctificatione sabbathi: & hoc est contra præceptum diuinum. Similiter hoc tenet Angelus in summa: nam Martinus V. consilio maturo habito, dispensauit inter aliquos in secundò gradu consanguinitatis, qui est lege diuina prohibitus: similiter temporibus nostris, Papa dispensauit cum aliquo quod haberet duas sorores, vnam post alteram contra legem Dei, quia habetur Leuitici 18. *Non reuelabis turpitudinem vxoris fratris tui*, vt patet in Rege Portugalliæ, qui successiuè duas habuit sorores, imò nunc tenet secundam, & Rege Angliæ, qui cœpit vxorem fratris defuncti. Ergo potest Papa dispensare in illis quæ sunt lege diuina prohibita. Item est contra legem naturæ, non maleficos punire. Exodi 22. *maleficos non patieris viuere*: Sed princeps laicus sæpe condonat vitam male- A factoribus, ergo dispensat contra legem non solùm diuinam sed naturæ.

Quantum ad primum, nego quod Papa dispenset in præceptis diuinis, & cum arguitur de dispensatione Sabathi, dico quod non dispensat sed declarat. Aliquando capitur dispensatio pro iuris declaratione, & sic potest, sed non potest dispensare, idest ius diuinum relaxare: & cum dicitur, de iure diuino est nullum opus seruile exercere, dico quod in antiquo testamento erat, B vt nullum opus seruile in Sabbato exerceretur, & istud erat cæremoniale, & proinde non est de iure diuino Euangelico, etsi multum tamen conforme sit iuri diuino Euangelico, sed non est simpliciter de iure diuino, sed præcisè de humano. Item in antiquo testamento, quamuis esset prohibitum nullum opus seruile exercere, tamen si fuisset necessarium, erat eis licitum, puta extrahere bouem de puteo, & hoc ostẽdit Christus Iudæis reprehendentibus discipulos euellẽtes spicas die Sabbathi, & non loquitur hic de C seruitute peccati, quia talis, omni tempore iure diuino est prohibita, &c. Item fuit licitum Machabæis pugnare, ideo dispensare in illo est solùm ius declarare, & non reuocare siue relaxare: vnde Papa permittit piscari & capere haleces die festo, & in hoc ius declarat, & non relaxat. Ad aliud de affinitate in secundo gradu, dico quod non habetur quod sit prohibitum iure diuino, & si de facto ita esset, dico quod non erat dispensatio sed dissipatio: & ad auctoritatem non *reue-* D *labis turpitudinem vxoris fratris tui*, dico quod illud in veteri testamento erat cæremoniale, ideo non manet in lege Euangelica: Sed instatur, quia Ecclesia tenet esse de iure diuino non contrahere in illis gradibus affinitatis, & licet hoc non reperiatur in sacra scriptura, tamen dicit hoc tenere verbo tenus ab Apostolis, sicut tenet formam sacramentorum, quæ tamen non reperitur in sacra scriptura, & est de iure diuino: solutionem quærat Rex Portugalliæ qui successiuè duxit duas sorores. Ad aliud de laico, præcipuè qui multis E malefactoribus dat gratias & condonat: dico primo, quod de lege naturæ est maleficium punire: secundo dico, quod nulla determinata pœna de lege naturæ determinatur isti maleficio: Tertio dico, quando non punire non cedit in detrimentum reipublicæ, non esse contra ius naturale non punire: sed vbi punire est necessarium ad tranquillam conuersationem reipublicæ, & non punire cedit in detrimentum reipublicæ & in perditionem, tunc est de iure naturali punire, & F tunc neque rex, neque princeps potest legitimè malefactori dare veniam: Ex dictis relinquitur prima propositio manifesta.

Secunda propositio, Papa auctoritate a Christo sibi immediatè collata, potest obligatum obligatione purè humana soluere, etiã quamuis non habeat ortũ à suo cõsensu: Patet per illud cõmune, cuius est legẽ cõdere, illius est reuocare, sed summi pontificis est condere legem obligantẽ Christianos (habet enim à Christo auctoritatẽ constituendi canones & præcepta, ergo ipse habet auctoritatẽ soluendi ab illo ligamine obligationes: vnde Papa nõ est sub iure, sed supra ius, supple ca-

nonicū. Nam *illud quod est institutū pro charitate & communi vtilitate non debet contra charitatem militare*: sed leges humanæ sunt tales, ergo si in aliquo casu obseruatio illarum esset in detrimentum charitatis, aut communis vtilitatis, in tali casu apud legislatorem est auctoritas remouendi talem legem.

Difficultas prima, vtrum sine causa quacumque, sed ex sola voluntate sua, Papa possit legem canonicam reuocare vel dispensare, exempli gratia, nulla est causa neque vtilitas magna quod Sortes capiat consanguineam in tertio gradu, an Papa pro suo beneplacito possit dispensare quod illam ducat, & quod vterque, tam Papa quam cæteri cum quibus dispensauit, sint securi in sua cōscientia: Occam in dialogis ponit decem & nouem casus in quibus Papa non potest, & eiusdem est sententiæ Durandus de origine iuris, & Bonauentura affert rationem, quia non potest licitè & sine causa rationabili lex obseruata reuocari vel cassari à quocumque legislatore, vel successore eius, & præcipuè quando adfert detrimentum reipublicæ eius reuocatio vel cassatio. Ergo non potest reuocari vel cassari, nisi tantum vtilitatis, vel plus afferatur reipublicæ, quantum ex reuocatione vel cassatione eius auferatur: Patet antecedens, consuetudo multùm valet ad obseruationem legis humanæ, & quæ contra consuetudinem fiunt, quamuis minus mala sint, grauiora tamen æstimantur. *Nam consuetudo mala peruertit intellectum, & facit iudicare illud quod est peccatum non esse peccatum*, ideo lex quæ diu obseruata fuit & consueta obseruari in aliquo populo, si reuocetur vel auferatur, aliquid detrimenti reipublicæ illius reuocatio afferet, consuetudo enim multùm confert ad obseruationem legis.

Vtrum Papa possit dispensare de canonibus Conciliorum.

Alia difficultas est, an Papa possit soluere ab obligatione ortum habente à statuto Concilij generalis: nam communiter dicitur quod Concilium generale est supra Papam: Gerson 10. consider. de potestate ecclesiastica dicit resolutoriè, quod si occurrat casus in quo seruando fiat aliquid contra intentionem Concilij, ita quod si concilium esset congregatum (nam rarissimè congregatur) dispensaret in tali statuto, Concilium in tali casu reliquisse auctoritatem Papæ dispensandi, ideo potest dispensare, non tamen regulariter, quoniam Concilium est supra ipsum.

Caput XIII.

An contra Apostolorum statuta possit Papa dispensare.

Consequenter quæritur, vtrum Papa dispensare possit contra statuta alicuius Apostoli, & quæritur hoc 27. quæst. 4. an possit dispensare de bigamia, nam statuit Paulus, quod nullus bigamus esset presbyter & Episcopus: & apparet quod Papa non potest in tali casu, quia postquam illud est

A in sacro Canone, est de iure diuino, & quicquid in illo continetur; Ergo Papa non potest super illo dispensare. Sed in oppositum arguitur, nam quantum ad ea quæ sunt iurisdictionis, Paulus erat inferior Petro, ergo Papa in illis statutis Pauli & constitutionibus apostolicis potest dispensare, imò etiam in constitutionibus Petri.

Iuristæ dicunt quod potest dispensare, in can. auctoritatem 5. q. 6. in glossa habetur quod potest dispensare contra Apostolum: similiter & plerique theologi, in 4. dist. 27. Durandus, sanctus Thomas, de Palude, qui multas rationes adducunt: ratio Durandi, in omnibus pœnis quæ
B non sunt de iure diuino vel naturali potest dispensare; quia est supra omne ius positiuum non diuinum: sed irregularitas, quæ sequitur ad bigamiam, est vna pœna quæ non est de iure diuino nec naturali; Patet, nihil est de iure diuino positiuo, nisi quod est de veritate fidei vel necessitate sacramentorum: sed quod sacerdos non sit bigamus, non est de veritate articulorum fidei, nec de necessitate sacramentorum, ergo non est
C de iure diuino. Quātum ad hoc dicit quod Apostoli fuerunt reuelatores multarum constitutionum quæ fuerunt statutæ à Christo, quamuis non sint scriptæ in Euangelio, sed in Apostolo, & verisimile est quod nunquam retulit Paulus aliquid sub præcepto, quin illud habuerit à Christo: De bigamia apparet mihi, quod Papa non potest consequenter dispensare, quia Paulus posuit per modum præcepti, & habuit auctoritatem præcipiendi toti ecclesiæ, ideo referebat præceptum illud tanquam acceptum à Christo: con-
D trà, Lucius Papa dispensauit cum Panormitano qui erat bigamus: dico quod si dispensauerit cum vero bigamo qui de facto habuerit duas vxores, non fuit vera dispensatio sed dissipatio, quia eadem auctoritate qua Paulus dicit *Episcopos oportere esse pudicos, non vinolentos, &c.* eadem auctoritate dicit *& vnius vxoris virum*: Sed illa concedunt omnes dixisse tanquam tradita à Christo, igitur illud est de iure diuino.

E Habetur igitur ex resolutione, quod Papa potest in statutis à puro homine dispensare, sed non sine causa rationabili. Item non potest soluere aliquem obligatum obligatione ortum habente à iure diuino vel naturali. De obligatione autem quæ oritur ex iure positiuo, etiam sine consensu obligati, potest dispensare, & soluere ab illa obligatione.

An Papa possit dispensare in voto.

Restat difficultas de illa obligatione quæ oritur ex consensu obligati, qua scilicet non potest obligari inuitus, vt obligatione quæ ori-
F tur ex iuramento, voto, promissione, matrimonio, &c. Nam nullus obligatur ad castitatem antequam consenserit, neque ad aliquid quod iurauit se facturū, priusquā liberè cōsentiat & iurauerit, & ista est duplex difficultas: Prima, vtrū Papa possit dispensare in obligatione quæ oritur ex voto simplici: Secunda, an in obligatione quæ oritur ex voto solemni: Quantùm ad primum conueniunt doctores omnes in hoc, quod Papa potest dispensare seu soluere hominem ab obligatione quæ oritur ex consensu proprio per votū simplex. Sanctus Tho. 2. 2. q. 78. articul. 10.

dicit

dicit quod dispensatio voti, intelligenda est ad modum dispensationis quæ fit in obseruantia alicuius legis. Nam lex fertur vel ponitur à legislatoribus, respiciendo ad id quod est, vt in pluribus, bonum: sed cum contingit in aliquo casu nō esse bonum, oportuit per aliquem determinari, in illo particulari casu legem non esse seruādam, & hoc propriè est dispensare in lege. Similiter, qui vouet quodammodo statuit sibi legem, obligans se ad aliquid quod secundum se est bonum saltē vt in pluribus, potest tamen contingere quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum vel inutile, vel maioris boni impedimentum, quod est contra rationē eius quod cadit sub voto: & ideo necesse est quod determinetur in tali casu votū non esse seruandum, & siquidem absolutè determinetur votum aliquod non esse seruādum, dicitur esse dispensatio voti, si autem pro hoc quod seruandū, erat aliquid aliud imponatur, tunc dicitur commutatio voti: Vnde minus est votum commutare quam in voto dispensare, vtrūque tamen in potestate Ecclesiæ consistit, hæc Thomas.

Contra hoc, est difficultas totius materiæ, nam ex deductione sancti Thomæ, sequitur quod Papa non potest dispensare in voto, capiendo dispensare pro relaxare ius, id est soluere ab obligatione, sed solùm videtur quod potest dispensare, id est ius declarare: Patet consequentia ex illo discursu, Papa non dispensat nisi pro casu in quo illud de quo votum est malum, vel maioris boni impedimentum, sed in tali casu votum prius emissum non obligat amplius, ergo in tali casu non dispensat, id est non relaxat, sed ius declarat tantum: Patet minor, nullum votum periculosum, est obligatorium (& hoc conceditur ab omnibus) sed in casu, illud est perniciosum, quia vouere aliquid malum, est perniciosum: similiter vouere aliquid non malum, sed maioris boni impedimentum, est etiam perniciosum: Tunc bene sequitur, istud est nunc malum, vel saltem maioris boni impedimentum, ergo votum de illo est incautum, vel perniciosum, & per consequens non obligatorium. Dices si nunc emitteretur votum de illo, verum est quod esset malum & incautum, sed pro tempore quo fuit emissum, non erat malum nec maioris boni impedimentum, ergo. Contra est maxima doctoris, & hanc ponit Bonauentura in 3. circa finem. *Quandocumque est votum de aliquo, & in casu illud obseruare, vergit in peiorem exitum, vel impedit profectum maioris boni, & in casu non vergit, superueniente casu in quo vergit, non obligat pro tunc.* Propterea dicit sanctus Thomas in 4. illud quod si præsens esset impediret votum ne fieret, si post votum superueniat aufert obligationem: Ergo quamuis in casu in quo emittebatur votum, tale non fuisset incautum, si tamen superueniat casus in quo de nouo emittere esset incautum, & incautè vouere; votum prius emissum non obligat, & sic videtur quod Papa non dispensat id est relaxat, sed tantum declarat. Dicit Bonauentura quod in nullo voto potest Papa dispensare, id est ius relaxare sed tantummodo declarare: Ratio eius est, postquam votum est emissum, non à iure positiuo oritur obligatio, sed est à iure naturali vel diuino quod remanet talis obligatio: sed Papa

A nihil potest super dispositione iuris naturalis aut diuini, quia inferior nihil potest super dispositione iuris superioris: Ergo, quamuis emittere votum sit quid liberum, & supererogationis, postquam tamen emissum est, oritur obligatio à iure diuino & naturali de obseruatione illius qui vouit. Nam obligatio voti, ex duobus quæ sunt de iure naturali consurgit: Primum quod homo sit verax in promissis: secundum quod non possit impediri per suam obligationem liberam à profectu maioris boni, vel

B ab aliquo quod cedit in diuinæ majestatis honorem, ideo postquam emissum est, & non accidit casus in quo votum est perniciosum, nec maioris boni impeditiuum, à iure naturali oritur & continuatur obligatio, & sic nullomodo potest Papa pro tunc dispensare: sed si accidat casus in quo obseruare sit malum, vel maioris boni impedimentum, ad Pontificem, spectat declarare talem non esse obligatum in tali casu.

Aliter dicunt sanctus Thom. in 4. & Richardus, quod Papa potest ipsam obligationem soluere, & non solùm declarare, sed etiam ius relaxare:

C Ratio sancti Thomæ quæ apparens est, sic ponitur, Votum non potest esse de illicito, ergo per votum non potest auferri ab aliquo illud quod suum est, quia illud esset illicitum, incautum & perniciosum, & cum quilibet Christianus tenetur ad obedientiam respectu summi Pontificis, sequitur quod per votum non potest fieri quin superueniente causa rationabili, teneatur vouens obedire summo Pontifici

D præcipienti oppositum illius de quo emissum est votum. Obedientia enim pertinet ad summum Pontificem, & in casu potest aliquid mihi præcipere & teneor illud adimplere: Ergo, quamuis prius emisissem votum de tali re; tamen ipsi Pontifici teneor obedire præcipienti oppositum. Alias auferrem Pontifici quod suum est, nam in tali casu si alteri præcepisset, fuisset alter obligatus parere, Ergo & ego, qui votum emisi, ergo summus Pontifex non tantum ius declarat, sed etiam relaxat, id est per suam operatio-

E nem facit quod non sum amplius obligatus, & seclusa sua operatione manerem obligatus. Ratio autem Richardi est talis, Papa habet potestatem tantam vel maiorem super fideles, sicut prælatus religiosus super religiosos sibi subiectos: sed prælatus religiosus dispensat in votis extrinsecis, hoc est quæ non sunt de essentia religionis, ergo Papa in voto extrinseco potest dispensare (dicuntur enim vota extrinseca respectu votorum quæ emittuntur in baptismate) & ista

F opinio videtur securior, quod Papa non solùm potest ius declarare, sed etiam relaxare: nam postquam votum emissum est, quamuis illud obseruare esset vouenti bonum, & non impedimentū maioris boni (& sic nondum cassata esset obligatio voti) si tamen sit vehemens probabilitas & suspicio, quod talis infringet votum propter causam apparentem, & quod est valde difficile eum obseruare, & quod franget illud, nisi Papa dispenset: certè cum tali, & in tali casu Papa non solùm potest ius declarare, sed etiam relaxare. *Illud enim quod est institutum pro charitate, non debet militare contra charitatem,*

vnde recta ratio naturalis dictat vnicuique, quod in Ecclesia debet esse aliquis loco Dei, qui inspectis periculis, & personis, & commoditatibus earum, possit prouidere vtilitatibus, infirmitatibus, & dãnis, & sic adueniente casu, quo obseruatio voti vergeret in malum & detrimentum vouentis, potest Papa cum tali dispensare, vt euitetur malum, quod aliàs magnum accideret communitati, sine tali dispensatione. Vnde differentia est inter opinionem sancti Thomæ & Bonauenturæ, quia Bonauentura diceret, quod Papa nõ potest dispensare de voto simplici, nisi in casu in quo de facto votum efficitur perniciosum, & nõ amplius obligans, & hoc est tantummodo declarare ius, hoc est declarare quod tunc votum non obligat. Sanctus Thomas vltra hoc diceret, quod non solùm in illo casu, sed aduenięte causa rationabili cum qua tamen de facto adhuc votum tenet & obligat, Papa potest dispensare pro illa causa rationabili, & hoc est ius relaxare, quia ibi non declarat, sed cassat obligationem.

Solutio obiectionum.

AD rationes alterius opinionis, quod postquam votum emissum est, oritur obligatio nõ iure positiuo sed diuino & naturali, quia de iure naturali est, quod homo sit verax in promissis, & super ius diuinum aut naturale nihil potest Papa: dicunt aliqui quod in omni voto, intelligitur conditio explicitè vel implicitè, puta si superiori placeat: sed vt dicit sanctus Tho. talis solutio nihil valet, quia si postea Papæ non placeret quod obseruarem, non essem amplius obligatus, quod est falsum. Et ratio sancti Thomæ est, sunt aliqua in quibus sumus liberi, & dato quod Papa illa prohibeat, possumus tamẽ licitè illa facere, vt seruare castitatem, si Papa mihi prohiberet illam seruare, possum oppositum facere, & ipso prohibente possum vouere, & illam seruare. Et ad argumentum, ex iure naturali oritur obligatio voti, ergo de iure naturali est quod obseruetur, verum est quousque obligatio à superiore gerente vices Dei, pro causa rationabili sit ablata, & non alias. Ad aliud, si Sortes promittat aliquid quod potest facere & non facit, mendax est: similiter, si iurat periurus est: sed Papa non potest dispensare, nec in periurio nec in mendacio, verum est remanente obligatione: sed quando est ablata vel soluta obligatio, nec est mendax, nec periurus.

Resolutio ergo est, quod Papa potest soluere aliquem ab obligatione voti simplicis, & sic ius relaxare, & non tantum declarare.

CAPVT. XIIII.

An Papa possit dispensare in voto solemni.

QVantum ad secundam partem de qua est maior difficultas, an videlicet Papa possit soluere ab obligatione voti solemnis, hoc est dispensare in voto solemni, dicit sanctus Thomas quod non, & hoc non ratione obiecti seu materiæ de qua est votũ, quod non possit recompensari in melius, sed ratione solemnitatis, quia *quod semel Deo sanctificatum est, amplius ad humanos vsus trahi nequit.*

A Alia est opinio aliorum communiter tenentiũ oppositum, videlicet Durandi, Richardi & aliorum, quod *quando emittitur votum de aliquo, & postea superuenit casus in quo esset incautum & perniciosum vouere de nouo, votum prius emissum non amplius obligat*: & hoc fatetur etiam sanctus Thomas: sed potest accidere talis casus Sorti in voto castitatis perpetuæ, ergo votum prius emissum à Sorte de castitate perpetua nõ amplius obligat, & sic in tali casu, Papa potest dispensare, ad minus ius declarare, vt patet in casu quo regnũ adueniret filio regis vniquo religioso, & est verisimile quod regnũ

B exponeretur maximis bellis & discriminibus, nisi capiat illud, & videtur quod plus tenetur ad seruandum bonum commune quàm castitatem, & hoc argumentum videtur mihi apparẽtissimum, quod non possit emitti votum solemne (de quocumque bono de consilio, vt de castitate) quantumcumque sit solemne, quin possit accidere casus in quo Papa possit dispensare, id est ius relaxare. Et arguitur contra Thomam sic, solemnitas

C voti est solùm ex institutione ecclesiæ, & non ex iure diuino aut naturali, sed in casu aliquo in omni iure positiuo humano, potest Papa dispensare, vel saltem ius declarare, ergo in voto solemni castitatis, cum votum solemne nihil importet vltra simplex votum, nisi aliquid purè positiuum, ex institutione ecclesiastica, sed in omni iure positiuo & humano, potest Papa dispensare, saltem epieikizare, ergo si potest in voto simplici castitatis, potest in solemni. Votum duplici tantum modo solemnisatur, scilicet per professionem religionis, & per sacri ordinis susceptionem.

D Sed contra hoc est argumentum fortissimum pro parte sancti Thomæ, arguitur sic, votum solemne, saltem religionis, dirimit matrimonium contractum ratum & non consummatum, & nõ dirimit iure humano, ergo diuino: & vltra, ergo à fortiori iure diuino impediet matrimonium futurum, ergo iure diuino illegitimat hanc personam ad contrahendum: sed Papa in personis illegitimis iure diuino, dispensare non potest, ergo nec etiam in voto solemni dispensare potest.

E Quod autem matrimonium ratum, non dirimatur iure humano sed diuino, patet per illud, *quos Deus coniunxit homo non separet*, ergo Papa non habet potestatem separandi matrimonialiter coniunctos: & matrimonium per ius humanum non dirimetur, si sit prius contractum: hinc dicunt communiter doctores, quod gentiles in tertio gradu contrahentes, & qui ita contraxerunt, si conuertantur ad fidem, debent manere in tali matrimonio, quia illud est verum matrimonium,

F & non potest solui iure positiuo humano; ergo minor satis probata, quod tale votum non dirimit matrimonium iure humano, sed diuino.

Quantum ad hoc argumentum, est diuersitas inter doctores, nam dicit de Palude in 4. duo, quæ non videntur cohærere & stare simul, primùm quod ista mors ciuilis, quæ fit per votum solemne religionis, dirimit iure diuino matrimonium ratum non consummatum: secundum quod ista mors impedit contrahendum, idque solùm esse iure humano, & solùm ex illegitimatione humana: sed arguitur contra hoc, ex dictis Paludani, ista simul starent, matrimonium ratum dirimitur,

dirimitur, & tamen si postea attentet contrahere sine causa legitima, contrahet de facto: patet, illa A simul stabant antequam esset talis mors, puta si esset abrogatum illud ius illegitimationis, tunc si tentet contrahere, de facto contrahet, ergo stando præcise in lege diuina, posset desponsare duas viuentes simul absque morte. Item postquam contraxit cum secunda, vtrum ad dirimendum illud matrimonium sit necessarium aliud votum solemne de nouo, non est apparentia quod sic, ergo difficile est dicere quod votum solemne diuino iure dirimat matrimonium ratum, & tamen B iure positiuo solùm impediat contrahendum.

Dicunt iuristæ aliter, quod Papa potest dispensare in matrimonio rato, item quod potest statuere quod per secundum matrimonium rumpatur primum. Vltrà & habetur in quadam glossa, quidam princeps quæsiuit dispensationem à Papa, & allegauit Papæ vnam glossam dicentem quod potest: Respondit illi Papa, maledictus qui te docuit illam glossam quæ dicit quod possum, possum quidem, sed non nisi pro magna necessitate: & illa glossa dicit, quod Papa potest relaxare C obligationem mutuam quæ oritur ex mutuo cõsensu ante consummationem matrimonij: & ad auctoritatem *quos Deus coniunxit, &c.* verum est quando est coniunctio corporum & animorum simul. Istud tamen videtur mirabile, quod Papa possit dissoluere matrimonium ex beneplacito suo, & quod possit statuere quod per secundum matrimonium rumpatur primum, *quia tunc aliquis posset omnes mulieres desponsare.* Videtur mihi dicendum quod tale votum solemne religionis, D iure diuino dirimat matrimonium ratum, & impediat eodem iure matrimonium contrahendum.

Doctor, à capite 7. ad vndecimum, quæstione 1. disputat an Papa supremam habeat potestatem in temporalibus.

SOluit doctor argumenta Innocentij, quibus nitebatur probare plenitudinem potestatis in temporalibus competere summo Pontifici ex verbis Christi, *quodcumque ligaueris, &c.* nam dicit Innocentius, quod *ly quodcumque,* nihil excipit: soluit auctoritatem Innocentij, quod non E solùm est falsa sed etiam hæreticalis, & quod multa verba Innocentij sapiunt hæresim. Postea mitius agẽdo cum Innocentio, dicit quod Christus nihil excepit, sed postea excipienda docuit, vel aliter nihil excepit quod sit necessarium ad consecutionem felicitatis æternæ. Quod ad auctoritatem Hieremiæ 1. *Ecce constitui te super gentes & super regna, &c.* Ostendit doctor, quatuor rationibus illam esse sophisticam, Primò, quia Hieremias non erat summus sacerdos, & hoc dato F quod fuisset; dictum fuit illi tantummodo sicut Prophetæ; vnde & ibidem præmisit Dominus *Prophetam in gentibus dedi te, &c.* Ergo doctor nõ multùm curans de auctoritate Innocentij, dicit illam auctoritatem, qua fundat se in Hieremia, non esse multùm curandam: Nam Innocentius in eodem capit. dicit, quod extra ecclesiam nullum est verum dominium, & quod non est concessum sed tantummodo permissum à Deo, sed dicit doctor, quod hoc est hæreticale, & circa hoc mouebuntur duæ quæstiones.

Prima pars.

An liceat fidelibus litigare coram iudice infideli.

IAm doctor in cap. 11. soluit rationem positam in 2. cap. cum arguitur probando quod Papa habeat supremam potestatem, & plenitudinem in temporalibus, ille qui habet temporalia seu secularia iudicare sine exceptione, habet plenam potestatem in illis, sed Papa est huiusmodi, ergò: consequentia est certa cum maiore: sed minor probatur 1. Corinth. 6. *Angelos iudicabimus, quanto magis secularia,* hoc dicit sine exceptione, ergo. Respondet doctor negando minorem, & ad auctoritatem Pauli dicitur, quod Paulus non dicit hoc in sua propria persona quia loquitur in plurali, neque erat Papa neque loquebatur in persona Pontificis, sed dicit hoc loquẽs de toto cœtu fidelium, volens dicere quod inter fideles esset aliquis constituendus à fidelibus siue laicus, siue clericus, & adhuc magis laicus quàm clericus, qui haberet causas temporales & seculares inter ipsos dijudicare, saluo tamen iure iudicis infidelis. Vltrà dicit doctor, quod non vult dicere Paulus, quod sit constituendus iudex in secularibus, qui in rebus temporalibus habeat omnimodam plenitudinem potestatis in ipsis, quia hoc esset perniciosum reipublicæ, posset enim me priuare bonis meis sine culpa: sed est aliquis constituendus in rebus temporalibus qui habeat dicere ius, puta hoc est iustum vel non, hoc est tuum vel alterius, non quod habeat omnimodam plenitudinem potestatis, neque omnium dominium: dicitur tamen saluo iure infidelium, nam tempore Pauli & Apostolorum, erant multi conuersi Christiani, qui nullam habebant iurisdictionem, & proinde eorum iurisdictio temporalis, erat apud infideles: neque prohibuit Paulus fidelibus quod non agerent causas coram infidelibus superioribus, sed fecit Paulus vt quilibet bonus iudex debet facere. primò incitauit partes vt concordarent inter se sine strepitu iudiciali, & si non possent, caperent arbitrum, ne eorum malitia cognosceretur ab infidelibus. Vltrà dicit doctor, quod fidelis potest in quibusdam causis litigare coram infideli, & Paulus noluit omnino præcipere quod nullomodo litigarent coram infideli, sed prius componerent si possent, quod in aliquibus casibus est licitum. Primus casus, quando infidelis conuocat fidelem ad infidelem iudicem, habentem ordinariam potestatem super eum, vt Sortes fidelis habitat in regno infidelium, conuocatur ab infideli coram iudice infideli, tenetur parere: Secundus casus, si alter fidelis quamuis malitiosè trahatur ad iudicem infidelem, habentem potestatem iurisdictionis inter reos, oportet quod se defẽdat: Tertius casus, si Sortes fidelis est actor, & tenetur rem propriam recuperare, & pro tunc non potest nisi coram iudice infideli, in hoc casu tenetur partem conuocare coram iudice infideli: Paulus ergo non vult dicere quod sit illicitum litigare coram infideli iudice, sed dicit quod in primitiua Ecclesia debebat potius contumeliam aliquam pati, quàm litigare coram illo.

An sacerdotes legis Mosayca fuerint superiores Regibus quantum ad temporalia.

VEniendum est nunc ad solutionem quartæ rationis quæ tangitur à doctore in 2. cap. & refutatur in cap. 12. Ibi, AD QVARTAM ALLEGATIONEM INDVCTAM, &c. Arguitur quod Papa habeat supremam potestatem laicam in temporalibus, nam in antiquo testamento, sacerdotes semper fuerunt superiores regibus, ergo habebant maiorem potestatem quàm ipsi reges: patet de Samuele qui vnxit Saülem in regem, & dedit ei potestatem regalem, & cum nullus det quod non habet, sequitur quod habebat potestatem regalem ad minus eminenter: Similiter, 4. Regum, cap. 18. constituit Ioas Regem: Item patet de Carolo magno, & Constantino Imperatore, qui exhibuerunt semper reuerentiam summis pontificibus, & sic patet quod tam in veteri testamento quam apud gentiles & Christianos, sacerdotes vnxerunt reges & deposuerunt eos à regno, vt dictum est de Samuele qui vnxit Saülem & eum deposuit. Quantum ad hoc, est solùm difficultas in exponendis sacris literis, nam 1. Regum 8. quæsiuerunt filij Israel à Samuele, qui erat eorum Iudex, regem, & consuluit Dominum, dicit ei Dominus *constitues super eos regem*, &c. Respondet doctor, quod Samuel non constituit super eos regem tanquam habentem auctoritatem constituendi, sed fuit promulgator constitutionis Dei, & hoc est satis conforme illis textibus, nam Samuel non habebat potestatem regiam: tenet de Alliaco, quod Deus erat immediatus rex filiorum Israel, antequam esset constitutus rex Saül, & Samuel erat sicut sunt Domini de Parlamento sub rege, ita quod Samuel erat minister regis, exercẽdo actus potentiæ regiæ tanquam minister & iudex: patet 8. cap. 1. Regum, *Ipsi non te spreuerunt sed me ne regnem super eos*, Ergo Samuel erat solus minister, & Deus verus Rex Iudeorum: Vltrà dicit doctor, quod Samuel non habebat potestatem instituendi regem, sed solum ab illo habuit ministrationem, qui habuit potestatem instituendi regem scilicet à Deo, & ratio est, non enim constituit Samuel Saülem regem auctoritate sua, sed auctoritate illius cuius mandato tenebatur parere tanquam minister: neque Samuel eum deposuit, sed Deus: nam dicitur in textu *quia abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne regnes amplius*: Ideo fuit solùm sententiæ deponentis insinuator & promulgator: Ideo quantum ad primùm argumentum, nego quod Samuel instituerit & deposuerit Saülem, sed fuit minister sicut Domini de parlamento proferunt sententiam de deponendo aliquem à ducatu, non auctoritate quam habent in se, sed regia. Non potest hoc etiam esse, dato quod Samuel fuisset Leuita, nam omnes de genere Leui non erant sacerdotes, licet bene essent Leuitæ, sed soli de domo Aaron erant sacerdotes. Quantum ad aliud cum dicitur quod Ioiada fecit Ioas Regem, hoc negatur; imò erat Ioiada filius regis, & remansit & erat tutor & custos Ioas veri regis, vnde postea mandauit Athaliam occidi, sed ex hoc nihil potest inferri. Quod autem Alexander magnus exhibuerit reuerentiam summis sacerdotibus, dico quod etiam reges debent hoc facere; nam potestas ecclesiastica est præferenda regali, non in temporalibus, ideo Alexander non exhibuit reuerentiam Ioiadæ sacerdoti, tanquam supremo in temporalibus, sed tanquam maiori se in altero genere potestatis, spiritualis scilicet: pariter dicendum est de Carolo magno.

A

Ex dictis patet, quod Samuel non contulit potestatem regiam Dauidi, eo quod potestas regia fuerit collata sacerdotibus, imò Samuel non erat sacerdos, quia nõ erat de domo Aaron. Ergo doctores attribuentes Papæ plenitudinẽ potestatis in temporalibus, in hoc malè se fundabãt quod in antiquo testamento fuit collata potestas regia regibus per ipsos sacerdotes, nam hoc solutum est.

B

Constantinus neque dedit, neque dare potuit Imperium Romano Pontifici.

DOctor iam in 12. capit ibi, QVOD VERO PRÆDICTI, &c. nititur probare quod istæ allegationes sunt contra allegantes, & quod Constantinus, Iustinianus, & Carolus magnus, non recognouerunt sacerdotes tanquam superiores in temporalibus: Primò patet de Constantino qui dedit temporalia summo Pontifici, ergo illa non erant summi pontificis, sed ipsius Constãtini ante donationem: Item non legitur quod Constantinus resignauerit potestatem imperialem, tanquam non suam, & postea habuerit eam ex dono pontificis: legitur tamen quod ipse temporalia dedit ex can. Constantinus, dist. 96. Ergo hoc erat suum, igitur non recognouit Papam suum superiorem in temporalibus. Non est difficultas apud opinionem communiorem, quæ fatetur quod ante Constantinum magnum, Papa non habebat auctoritatem imperialem, & sic eam non habuit auctoritate Dei, vel ex institutione Christi: sed difficultas est inter doctores, an post illam collationem factam Syluestro Papæ, Papa habuerit illam auctoritatem Imperialem, & videtur quod sic per illos duos can. Constantinus, vbi dicitur, quod Constantinus coronam & auctoritatem imperialem dedit Apostolis, ergo ex resignatione facta, iam summus Pontifex habet supremam potestatem in temporalibus, saltem in regionibus occidentis. Item ex 2. can. Constantinus, habetur quod consilio Satrapum omnem potestatem imperialem contulit sedi apostolicæ: Ergo, &c. Dicitur quod in capite illorum canonum, tanquam non habentium auctoritatem, ponitur *palea*. nam dicunt communiter doctores, quod nunquam legerunt in historijs authenticis, quod Constantinus resignauerit imperium: legitur bene quod Constãtinus fundauit Ecclesias Romæ, & eas dotauit, sed quod resignauerit Imperium occidentale, nunquam legitur. Vltrà dicunt plerique doctores, quod quamuis nisus fuisset resignare, hoc tamen non potuit, nam dicitur Imperator Augustus ab augendo, potest enim augere sed non diminuere Imperium, & non habet auctoritatem neque potestatem dandi, neque regiones illius alienandi, sicut Rex Franciæ non habet auctoritatem resignandi regnum, neque prouinciam datam fisco, alteri dare: regnum enim non est regis sed communitatis, & ipsa potestas regia est ipsius communitatis, ideo non potest alteri ad libitum resignare; de patrimonio potest, sed non de regno, ita dicunt de Constantino. Vnde donatio

C

D

E

F

ratio videtur quædam lex esse, sed vnus Imperator non potest condere legem quæ successorem A liget & obliget, ergo non potest quantum ad ea quæ sunt imperij, donationem facere quæ obliget sequentes.

Regnum Franciæ nunquam fuit subiectum Imperio.

DIcunt tertiò, supposito quod Constantinus habuerit potestatem dandi, adhuc propter hoc non potest argui quod Papa habeat auctoritatem super regnum Franciæ, quia illud non erat subiectum Constantino: nunquam enim rex B Franciæ habuit superiorem in temporalibus, & dato quod aliquando regnum Franciæ tyrannicè occupatum fuisset, nunquam tamen pacificè. Hoc etiam patet, capite, per venerabilem, qui filij sunt legitimi, & glossa in illo capite corrumpit textum, neque quadrat cum textu.

Iustinus & Carolus magnus non agnouerunt Papam superiorem in temporalibus.

DE Iustiniano, expresse dicit doctor, & bene ex verbis Iustiniani in legibus positis habetur, quod ipse non recognoscebat Papam suum C superiorem in temporalibus, imò inferiorem: Patet, ille non recognouit illum suum superiorem in temporalibus, qui condidit leges, quas vult ab illo obseruari, super dispositione temporalium, sed Iustinianus edidit leges super dispositione temporalium, quas volebat etiam à summo pontifice obseruari: patet, edidit legem quod cõtra Romanum Pontificem non curreret præscriptio nisi centenaria, per hoc enim fatebatur se habere supremam iurisdictionem in temporalibus super pontificem, quamuis recognoscat se D simpliciter inferiorem, quia potestas spiritualis est excellentior temporali, & potest excommunicari & absolui, ergo est simpliciter inferior, sed quantum ad res temporales Iustinianus non recognouit superiorem: Similiter dicendum est de Carolo magno, quòd non recognoscebat superiorem in temporalibus.

CAPVT XIII. DOCTORIS.

Christus non contulit Petro potestatem excellentiæ, sed ordinariam & limitatam.

AD QVINTAM ALLEGATIONEM, &c.

ARguit quintò, & circa hoc mota est quæstio, Christus habuit supremam potestatem in temporalibus, sed Papa est eius vicarius, ergo habet supremam F in temporalibus: & Innocentius iij. adducit pro se, quod Imperator accepit à Papa ensem, & eum vibrat, ad denotandum quod habet potestatem illam à Papa vti ense. Dictum est de Christo quo ad diuinitatem, quod habuit supremum dominium, & vtrum, quo ad humanitatem, dictum est amplè supra, iam difficultas est an habuerit supremam iurisdictionis potestatem in temporalibus: non habuit à patre nec à matre, an a Deo? aliqui dicunt quod non vt mendicantes, qui tenent quod Christus fuit verè mendicus: sed quidam doctor hoc reputat hæreticum: Dico quòd si illam habuit, tamen non sequitur, Christus habuit supremam iurisdictionis potestatem in singulis rebus temporalibus, ergo etiam eius vicarius, nõ valet consequentia: nam Christus secundum humanitatem, maiorem potestatem habuit quam Papa habeat, puta instituendi legem Euangelicã, neque etiam habuit potentiam alligatam sacramentis, poterat enim condonare sine applicatione sacramentorum: & vicarius eius non habet illam, sed solùm illam quæ explicatur in suo vicariatu, nam dedit ei potestatem remittendi peccata, prædicandi, instituendi ministros Ecclesiæ, excommunicandi, dandi indulgentias, &c. sed nullibi reperitur quod dederit ei potestatem instituendi & destituendi reges temporales: ideo ex collatione potestatis sibi facta à Christo, non habet potestatem supremam iurisdictionis in tẽporalibus. An Christus illam habuerit à Deo, credo quod sic, *data est enim* inquit *mihi summa potestas in cælo & in terra*: & aliquando illam exercuit, videlicet quando misit dæmones in porcos, aliàs intulisset damnum proximo: similiter, quando acceptis funiculis eiecit vendentes & ementes de templo.

CAPVT XIIII. DOCTORIS.

Aliquas esse actiones corporis, quæ non subijciuntur animæ.

AD SEXTAM ALLEGATIONEM, &c.

AD sextam, cum sic arguitur, sicut se habet anima ad corpus, ita spiritualia ad corporalia: (nam gratia est præferenda cuicumque bono temporali: Item sicut corpus regitur per animam ita corporalia regi debent per spiritualia, & per illos qui potestatem spiritualem habent, & tales debent impedire ne habentes temporalia, vtantur illis contra legem Dei, & eos coërcere:) dico quod corpus quantum ad aliquas actiones non subijcitur animæ, vt E in descensu & multis alijs operationibus: eodem modo dico, quod habentes administrationem rerum temporalium, quantum ad aliquid, non subijciuntur habentibus iurisdictionem spiritualem, vt in istis contractibus, emptione, venditione & multis alijs: ideo est aliquantulum simile, & aliquantulum dissimile, quare nihil ex hoc concludi potest.

CAPVT XV. DOCTORIS.

Papa non est omnibus legibus humanis solutus.

AD SEPTIMAM, RESPONDETVR, &c.

QVantum ad septimum arguitur sic, ille qui est omnibus legibus solutus, habet potestatem supremam & ciuilem, sed Papa est eiusmodi, &c. negatur minor, quia Papa non est lege diuina solutus, sed est bene solutus legibus humanis aliorum pontificum, nam sicut ille qui edit & constituit legem

non obligat seipsum, ita nec suos successores. An sit autem solutus legibus Conciliorum vniuersalium, dico quod est obligatus illis, imò vouet obseruare leges Conciliorum, sed hoc infrà tractabitur. Dico etiam quod aliquibus legibus ciuilibus non est solutus, vt patet in præscriptionibus: imò Papa fatetur contra se currere legem præscriptionis, imò si sint aliquæ leges de obligatione & iure alterius, tenetur eas obseruare, vt si aliquis transtulerit rem suam in Papam cum aliqua conditione, Papa tenetur ad illam conditionem (Prælati seculares sunt capaces donorum temporalium, secus de regularibus) vt si rex aliquam ciuitatem donaret Ecclesiæ Romanæ cum conditione de soluendo tributo, vel recognitione honorum, illa lege pontifex obligatur, quia res transit cum conditione apposita per dátem, ideo falsum est simpliciter, quod sit Papa omnibus legibus humanis solutus.

Caput XVI. Doctoris.

Ad octauam allegationem, &c.

Semper in dubijs obediendum est Pontifici.

Ad octauum, ille cui est obediendum in omnibus, habet supremam potestatem in omnibus; Papa est eiusmodi: nego quod vniuersaliter sit Papę obediendum in omnibus, imò si præciperet Papa quod contraherem matrimonium, non teneor obedire: sed hoc intelligitur in omnibus necessariis ad consequendum felicitatem æternam, & ad obseruationem legis Euangelicæ: sed quis iudicabit hoc esse necessarium? dico quod docti viri iudicabunt doctrinaliter, & Papa auctoritatiuè: similiter & Concilium generale potest auctoritatiuè iudicare. Sed si Papa falsè iudicaret, ad prudétes spectat iudicare illum malè iudicasse, & talis non obediendo est tutus dummodo sit apparens quod malè præcepit, sed in dubijs semper est ei obediendum.

Caput XVII. Doctoris.

Ad aliam allegationem ibidem. &c.

Tribus de causis, Papa subire debet humanum iudicium.

Ad vltimam allegationem, arguunt pro secunda opinione, ille est supremus in temporalibus à cuius iudicio in quacumque re non licet appellare, nec de eius iudicio iudicare: sed Papa est eiusmodi, igitur, &c. minor patet 9. q. 3. can. patet. Sed negatur minor, imò Papa in tribus casibus iudicari potest, primus ponitur dist. 40. can. si Papa, cæteros iudicaturus, à nemine iudicabitur nisi in crimine hæresis vel fidei: Ergo per illud capitulum, Papa tenetur subire iudicium humanum in materia hæresis. Dicit tamen doctor, quod contingere potest Papam de facto esse hæreticum siue interiori hæresi siue exteriori: contingit secundò non esse hæreticum, sed de hæresi diffamatum vel suspectum: Si autem fuerit hæreticus A qualicumque hæresi, siue mentali, siue exteriori non est amplius Papa, & est opinio doctoris quã tenet hic, & in 1. libro dialog., quod quicumque cadit in hæresim siue manifestam, siue occultam, tam iure diuino quàm humano est ecclesiastica potestate priuatus, & hoc de potestate ecclesiastica iurisdictionis, secus est de ordine. Adducit doctor vnam auctoritatem & vnam rationem, auctoritas est ad Thimo. 3. *hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita*, & ex B hoc sumitur tale argumentum, nullus obligatur suum caput supremũ deuitare, imò tenetur eum sequi, sed quilibet Christianus cognoscens summum pontificem esse hæreticum, tenetur eum deuitare post primam & secũdam monitionem, ergo de facto non est amplius summus pontifex. Vnde dicit glossa 24. q. 1. cano. Achatius, si scirem meum prælatum hæreticum, & excommunicaret me non dimitterem celebrare in secreto, C non tamen in publico. Secundò arguitur sic, ille qui non est membrum Ecclesię, non est caput ecclesiæ: sed hæreticus qualicumque hæresi, non est membrum ecclesiæ, quamuis sit membrum putridum vel aridum, non est tamen simpliciter membrum, & ablata fide nulla est conuentio ad Christum, ergo non est amplius membrum corporis mystici, scilicet ecclesiæ, ergo non est caput, quamuis ecclesia existimaret eum Papam, quia potest tota ecclesia errare in facto, non autẽ in iure: tamen non est amplius Papa neque caput D ecclesiæ si sit verè hæreticus, & est opinio doctoris. Sed posito quod non sit de facto hæreticus, sed solũ diffamatus de hæresi. dicit doctor quod tenetur subire iudicium humanum: sed quis iudicabit eum? Respondet quod Episcopus loci in quo tunc est Papa, & si non sit Episcopus, tunc Episcopi vicini debent eum iudicare, & supposito quod tales Episcopi nolint audire accusantem & denunciantem, & per consequens neque eum iudicare, tunc quilibet habens potestatem coërcitiuam, vt rex vel Imperator, vbi non potest aliter E iudicari, possunt violenter eum capere. Sed si sit aliquis eum accusans vel plures, & non sit hæreticus, verumtamen tenetur subire iudicium humanum, puta Concilij, & si non sit congregatum, debent congregari Episcopi propinquiores.

Secundus casus in quo debet subire iudicium humanum est, quando est diffamatus de peccato publico notorio, in prædicto can. si Papa, in F glossa: vt si sit notorius fornicator, & frequenter charitatiuè correptus, & nolit emendari, & præcipuè si tale crimen cedat in perniciem Ecclesiæ: dicit glossa quod *pertinatia æquiualet hæresi*, & eodem modo de eo iudicium fieri debet sicut de hæretico.

Tertius casus est, quando pontifex aliquid detinet quod est alterius, vt aliquam regionem, vel prouinciam alicuius ducis, debet subire iudiciũ humanum, sed quis eum iudicabit? dicit doctor, vel ille cuius bonum detinet habet superiorem vel non; si non habet, vt Imperator, debent ex communi consensu dare potestatem arbitro iudicandi

dicandi: sed si Papa nolit se subijcere, tunc armis ille poterit recuperare res suas, & mouere arma contra summum pontificem, quoniam est inuasor: Si autem ille cuius possessionem detinet habet superiorem, recurrere debet ad illum, & eius auctoritate potest mouere bellum & arma contra ipsum: quare mouetur quæstio sequens circa istud capitulum 14.

CAPVT XV.

An à sententia summi Pontificis possit appellari.

IAm quæritur vtrum à sententia summi Pontificis possit appellari, & an sit altera potestas super potestatem summi pontificis, quod est quærere, vtrum summus pontifex in sua potestate alteri potestati etiam ordinariè subijciatur, etiam manendo summus pontifex, Arguitur quod non, canone nemo 9. q. 3. *nemo iudicabit primam sedem*, idest apostolicam: *neque enim à Clero neque ab Augusto, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur*, Ergo non est potestas quæ sit ordinariè superior ad summum pontificem.

Quid, & quando Concilium sine Pontifice congregari possit.

OPpositum deducitur ex deductione Constantiensis & Basileensis Cóciliorum, quibus, quilibet Christianus, etiam in Papali dignitate constitutus obedire tenetur, ergo, &c. Pro cuius declaratione, videndum est quid sit Concilium generale, communiter autem definitur sic, & præcipuè à Ioanne de Gersonio, *Est congregatio auctoritate legitimè facta ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico, nulla persona fideli petente audiri exclusa, ad tractandum ea quæ concernunt publicam Ecclesiæ vtilitatem & mores ipsius.* Ex prima particula, sequitur quod omnis congregatio nó legitimè vocata & congregata, non est cócilium generale: & generaliter, auctoritas legitima, est auctoritas pontificis. Verumtamen in tribus casibus sine eius auctoritate potest Concilium congregari: primus casus si Papa sit mortuus, vel morte ciuili vel naturali: nam aliquando vacauit duobus annis sedes Apostolica, tunc sine eius auctoritate potest generale concilium conuocari: secundus casus, si Papa legitimè requisitus, renuat conuocare Concilium: tertius quando tempus & locus fuerunt assignata per Concilium præcedens, sicut in Concilio Basileensi, assignatum fuit concilium futurum Lugduni infrà septennium: & in primis duobus casibus, non refert quis conuocauerit, tamen in primis recurrendum est ad Cardinales. Secundò, dicitur Concilium debere congregari *ex omni statu hierarchico*, nam sunt duo status hierarchici in Ecclesia, scilicet status prælatorum superiorum, & inferiorum: vnde in tali concilio, debent interesse singuli episcopi: Similiter ex parte cleri & Curatorum, de singulis episcopatibus, aliquis debet interesse, & tales habent vocem, & auctoritatem deliberandi in Concilio. Deinde dicitur, *nulla persona fideli petente audiri exclusa, ad tractandum ea quæ concernunt Ecclesiam & mores ipsius*, & quia Ecclesia non potest tota congregari in vno loco, Concilium generale repræsentat illam.

Concilium generale immediatè à Christo habet potestatem coërcitiuam supra summum Pontificem.

QVæritur nunc, vtrum tale generale Concilium ritè congregatum, ordinariam habeat iurisdictionis potestatem supra Papam. Respondetur quod hoc potest dupliciter intelligi, vno modo quod Papa teneatur obtemperare statutis & decretis per Concilium sub pœna peccati, quod si non obtemperauerit, quod Concilium habeat auctoritatem & potestatem feriendi Papam, etiam ipso remanente summo Pontifice, pœna ecclesiastica, id est excommunicatione: Supponitur vlteriùs, quod sex sunt potestates Ecclesiæ, quæ tactæ sunt priùs: Prima super corpus Christi verum: secunda super corpus Christi mysticum, item potestas apostolica, coërcendi, instituendi prælatos Ecclesiæ, & sexta sumendi necessaria vitæ.

Istis suppositis sit prima propositio, Cócilium generale legitimè congregatum, immediatè à Christo habet illam potestatem coërcitiuam in foro exteriori & publico, loquor enim de potestate quæ respicit forum exterius: nam concilium generale non habet potestatem consecrandi neque absoluendi sacramentaliter, cum non sit sacerdos, est solummodo quæstio de potestate iurisdictionis in foro exteriori, quam auctoritatem habet à Christo immediatè, & non à Papa vt dicunt iuristæ. Patet propositio Matth. 18. loquebatur Dominus ad Petrum immediatè, *si peccauerit in te frater tuus, &c.* tandem dicit *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus:* postea subiunxit in plurali *quæcumque solueritis, &c.* Ergo Christus dedit auctoritatem Ecclesiæ cognoscendi, per hoc quod dicit DIC ECCLESIÆ, & sic, vt bene dicit Gerson, non dicit DIC ECCLESIÆ, id est prælatis ecclesiæ, quia *loquebatur Petro, qui non potest esse accusator, testis & Iudex:* Ideo ibidem capitur Ecclesia pro aggregatione prælatorum. Dedit ergo potestatem Ecclesiæ cognoscendi, &c. Ergo Concilium generale immediatè repræsentat Ecclesiam vniuersalem, quia constituitur ex cuiuslibet Ecclesiæ partiali membro, habet potestatem cognoscendi super quemcumque, & cognitione habita sententiandi, & contra non parentes exercendi pœnam & censuras ecclesiasticas: & in illa auctoritate fundant se doctores, quod Concilium generale habet immediatè à Christo potestatem iurisdictionis coërcitiuam. Habitum est supra, quomodo potestas ecclesiastica iurisdictionis, saltem quæ respicit forum publicum, est toti Ecclesiæ à Christo immediatè communicata, quod patet, Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus*, statim subdit DIC ECCLESIÆ, in quo verbo, est data auctoritas cognoscendi de crimine, quia frustra fuisset dicere Ecclesiæ, nisi ecclesia auctoritatem haberet, & si est data Ecclesiæ potestas cognoscendi, & per consequens puniendi, id est excommunicandi: Ergo ex prima institutione Christi, auctoritas iurisdictionis est ecclesiæ communicata, & per consequens Concilio generali ecclesiam vniuersalem repræsentanti, quia constituitur ex aliquo

membro cuiuslibet Ecclesiæ particularis.

Concilium, exercere potest omnes actus iurisdictionis, excepta sacramentorum administratione.

A

CIrca hanc propositionem, quæ est multum vniuersalis, ponuntur aliquæ particulares de actibus iurisdictionis ecclesiasticæ, vnde multi sunt actus iurisdictionis, seu effectus potestatis ecclesiasticæ, quos exercere potest Concilium generale, scilicet *edere canones, dare indulgentias, excommunicare*, & sub excommunicatione continentur siue intelliguntur aliæ pœnæ quas ecclesia exercere potest ratione criminis, vt *interdicere degradare*, &c. & vltra, potest. *dispensare*: & isti sunt quatuor effectus potestatis ecclesiasticæ quos exercere potest Concilium generale, & similiter omnes similes actus qui respiciunt iurisdictionem, excepta absolutione sacramentali, & qui sunt actus iurisdictionis exterioris potest exercere, & quantum ad istos actus, ponit aliquis doctor aliquas propositiones.

B

Prima propositio, Concilium generale potest ex hac auctoritate sibi à Christo immediatè data, edere canones punitiuos: patet sic, primo Concilium Basileense edidit canones punitiuos contra sacerdotes publicè fornicarios, quod per trimestre fructibus suorum beneficiorum priuentur, & si recidiuarent, & non corrigerentur perpetuò priuarentur beneficio, 81. distinct. cano. presbyter. Item dicit textus de presbytero qui dedit literas quibus docetur de possessionibus ecclesiæ, quod ille tenebitur secundum Concilium Gangrense restituere damnum quod incurrit Ecclesia propter reuelationem illarum literarum, vel perditionem possessionum, & quod priuaretur perceptione sacri corporis & sanguinis. Ideo Concilium generale ex illa auctoritate potest edere canones punitiuos.

C

D

Secunda propositio, Concilium generale potest dare indulgentias, & hoc fuit practicatum in Concilio Basileensi: nam Græci excusabant se quod propter paupertatem non poterant venire ad Concilium, tunc Concilium dedit indulgentias largientibus bona & pecunias pro expensis Græcorum, pro subleuatione paupertatis ipsorum. Ista secunda propositio sic suadetur, indulgentiæ procedunt à claue, ita quod datio indulgentiarum est effectus clauis Ecclesiæ, sed clauis regni cælorum est data Petro, non tanquam personæ priuatæ, sed vt repræsentanti totam Ecclesiam 24. q. 1. cano. quodcumque; *nam fuerunt claues Ecclesiæ datæ beato Petro, non vt singulari personæ*, dicit Hieronymus, sed vt representanti Ecclesiam, ergo Concilium generale repræsentans immediatè totam ecclesiam vniuersalem, & immediatiùs quàm Petrus, habet istam potestatem. Item, Concilium generale potest limitare largitionem indulgentiarum in ipsis Episcopis & prælatis, ergo potest largiri, indulgentias: nam si potest limitare, ergo eminentius habet illam potestatem. Patet antecedens in cap. Cum ex eo, de pœnitentijs & remissionibus, vbi limitat Concilium, quod in dedicatione non dentur indulgétiæ vltra annum, & in anniuersarijs, vltra quadraginta dies, ergo Concilium habet potestatem limitandi indulgentias, & per consequens conferendi.

E

F

Tertia propositio, potest Concilium excommunicare, patet in verbis Christi, Matthæi 18. *Si non audierit te, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, id est excommunicatus: similiter in cap. Omnis vtriusque sexus, quod editum est in Concilio generali, vbi excommunicantur non communicantes semel in anno, & arcentur ab ingressu Ecclesiæ. Ergo Concilium excommunicat eos, ergo Concilium potest excommunicare.

Quarta propositio Concilium generale potest dispensare can. presbyter distinct. 82. nam est editus canon quod presbyter fornicator deponatur, & ab illo canone dispensatum fuit in Cõcilio Gangrensi, quod permitteretur in ordinibus susceptis ministrare post peractam decem annorum pœnitentiam: ideo contra canones punitiuos potest Concilium dispensare.

Ergo habetur resolutoriè, quod Concilium in istis quatuor supra nominatis, potest exercere potestatem ecclesiasticam iurisdictionis, & quod habet potestatem edendi canones punitiuos, dandi indulgentias, &c. similiter talem potestatem habet qualem Papa, vt notum est, & proinde potest edere canones, conferre indulgentias, excommunicare, dispensare, &c.

Vtrum Papa iudicari possit à Concilio.

CVm ergo in Concilio & in Papa sint istæ duæ potestates, vtrum respiciát se ex æquo, hoc est an neutra habeat potestatem super aliam, ita quod vna non sit super aliam, vel an vna habeat auctoritatem super aliam, vt puta vtrum auctoritas Concilij sit super auctoritatem Papæ, de hoc est controuersia inter doctores: pro cuius declaratione notandum est, quod multa sunt annexa auctoritati alicuius superioris: Primum est, quod ab inferiori ad superiorem licet appellare, vt ab episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad primatem; & à primate ad Papam: similiter a Balliuo ad curiam parlamenti, &c. Secundum est quod ille habens auctoritatem superiorem, potest habentem auctoritatem inferiorem *iudicare, punire, deponere, eius leges infringere*: nam fungens auctoritate superiori, habet potestatem coërcitiuam super illum qui habet inferiorem. Tertium habens auctoritatem superioris, siue superior, potest edere leges & constitutiones, & tenebitur inferior secundum illas iudicare, ita quod si oppositum faciat, de facto eius iudicium nullum erit, ita quod potest potestatem inferioris certis legibus arctare ad se conformandum illis. Quartum, superior vel habens auctoritatem superioris, certis de causis aliquos potest eximere à potestate inferioris, vt Papa multos exemit à potestate inferiorum siue episcoporum.

Istis suppositis est difficultas, vtrum à Papa ad Concilium, vel è contra, possit appellari, vel neutrum ad alterum: item, vtrum Concilium possit Papam deponere & iudicare, vel è contra: vel neutrum alterum: item vtrum possit Concilium aliquos à potestate Papæ eximere, vel è contra neutrum alterum: item vtrum Concilium possit edere canones quibus teneatur Papa parere, vel è diuerso, vel neutro modo.

Est apparentia in multis textibus, quod Papa non possit iudicari à Concilio, vt allegatum est supra, canone nemo iudicabit primam sedem,

neque

neque à Cæsare, neque à Clero, neque à regibus, &c. Ergo Concilium non potest iudicare Papã, ideo non est supra ipsum, & per consequens Papa non est inferior Concilio: similiter in capite significasti, de electione & electi potestate. Omnia Concilia sunt auctoritate summi pontificis celebrata, ergo auctoritas Concilij dependet ab auctoritate Papæ, Igitur, &c. Item statuta Concilij generalis non possunt ligare Papam, quia de ratione superioris est, quod possit inferiorem suis legibus arctare, ergo istis testibus videtur quod nullomodo dici possit quod Concilium sit supra Papam, & quod auctoritas Papæ sit sub Concilio vel infra Concilium collocata.

Resolutio schola Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ est, in omnibus actibus iurisdictionis, Papam subesse Concilio.

QVantum ad ista est conclusio quam tenent omnes doctores Parisienses & Galli, quod potestas Papæ est subiecta potestati Concilij: & dico primò, quod quantum ad originem seu institutionem, potestas Papæ non est supra Concilium, neque è diuerso, quia vtraque immediatè est à Christo instituta, ergo quantùm ad hoc, vna non est super aliam, neque vna dependet ab altera. Sed dicunt communiter omnes doctores Parisienses, quod potestas Papæ est sub potestate Concilij quantum ad hoc quod Concilium potest certis legibus Papam arctare, ita quod teneatur Papa iudicare secundum leges & constitutiones à Concilio latas, & quantum ad hoc est expressa determinatio Concilij Constantiensis & Basileensis, quod *Concilium in spiritu sancto congregatum, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, immediatè habeat à Christo potestatem, cui omnis Christianus, etiam in Papali dignitate constitutus, obedire tenetur.* Ergo Concilium potest Papam certis legibus arctare, &c. Et isto modo quantum ad collationes beneficiorum, est arctata potestas Papæ in regno Franciæ, neque potest sibi ea reseruare amplius, Ergo quantum ad ista, est ei data certa lex, & si faciat contrà, eius sententia erit nulla: & apparentia est in ista opinione. Nam quandocumque sunt duæ potestates eiusdem generis, *& vna est deuiabilis & altera non, potestas quæ est in supposito deuiabili, debet dirigi secundum potestatem indeuiabilem. Sed quilibet Papa est deuiabilis, & Concilium generale rite congregatum est indeuiabile.* Ergo potestas Papæ debet dirigi secundum dispositionem Concilij generalis. Apparentia est maxima in maiore: sed minor est vera, nam Papa potest deuiare, imò potest hæreticari, est enim homo non confirmatus in gratia, & remanet æqualiter peccator sicut prius. Quod autem Concilium rite congregatum non possit errare, patet, semper enim dirigitur specialiter à Spiritu sancto, quantũ ad exercitiũ suæ potestatis, & ideo non potest errare, secundum id, secundum quod dirigitur, igitur, &c. Patet, maior Actuum 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*, præponitur Spiritus sanctus quasi regens Concilium, & gubernans, ergo signum est quod Spiritus sanctus semper regit, & gubernat Conciliũ; ergo ratione indeuiabilitatis nituntur ostẽdere quod Concilium sit supra Papam, quantum ad istud, quod est de ratione superioris potestatis, certis legibus posse arctare inferiorem.

Quantum ad aliud, quod est de ratione superioris potestatis, quod licet ab inferiori ad eum appellare qui superiorem habet auctoritatem, videtur satis manifestũ, quod licet à Papa ad Concilium appellare quoniam Papa est deuiabilis, & Concilium non potest errare, ergo quantum ad hoc, apparet Papam esse inferiorem.

Quantum verò ad aliud, videlicet quod potestas superior potest inferiorem iudicare, vtrum scilicet ipsum Concilium possit Papam iudicare aut deponere à Papali dignitate, & aliũ instituere: dico quãtùm ad hoc, quod Concilium est supra Papam, & ipsum iudicare potest & habet auctoritatem immediatè à Christo, & est maxima apparentia, cum Papa sit defectibilis, quòd possit ab ipso Concilio pro erratis puniri. Dicit dominus de Gersonio, quod quemadmodum Papa potest dare libellum repudij sponsæ suæ, id est Ecclesiæ, hoc est cedere papatu, eodem modo si Papa sit inutilis sponsæ, id est Ecclesiæ, poterit sponsa eum repudiare, & ipsum à papatu auferre: Ergo, quantum ad istum effectum iurisdictionis, quod superior potestas potest inferiorem iudicare, videtur apparenter, quod Concilium sit supra Papam. Difficultas autem, quantum ad istum modum dicendi, an Concilium possit excõmunicare Papam, manẽte in papatu, idest, adhud ipso existẽte Papa, postea tractabitur.

Quantum ad alium effectum superioris potestatis, an Concilium possit aliquos eximere à potestate Papæ, sicut Papa aliquos eximit à potestate episcoporum, dico quod Concilium, quantum ad aliquos effectus, potest aliquos eximere à potestate Papæ, nam potest facere Concilium quod Papa non possit aliquos actus iurisdictionis exercere in aliquam personam, sicut prius potuisset ante illam prohibitionem, verumtamen non potest quantum ad omnes, ita vt non possit postea aliquos exercere, imò non potest prohiberi vniuersaliter ab omnibus actibus circa aliquam personam. Dat Gerson exemplum de quodam Cardinali respectu cuius inhibitũ est Papæ, ne posset pro peccatis præteritis illum punire, & quod remaneret perpetuus legatus, videlicet quod Papa non posset illum priuare perpetua legatione: sed sic est quod Papa illos actus iurisdictionis nõ potuit exercere in illum post tale priuilegium, ergo Concilium potest aliquas personas eximere à potestate Papæ, quantũ ad certos actus iurisdictionis, sed de peccatis futuris non potest Cõcilium hoc facere, neque aliquos eximere à potestate coërcitiua Papæ; nisi Concilium esset tunc concongregatum, & hoc sibi reseruaret.

Adhuc restat difficultas de illo, an Concilium posset aliquẽ omnino eximere à potestate Papæ, ita quod Papa non posset eũ excõmunicare, nec pro peccatis præteritis, nec pro futuris, vt dicunt aliqui de Rege Franciæ, quod Papa non potest eum excõmunicare. Sed credo quod Cõciliũ nõ potest illum omnino eximere quin possit ab ipso Papa verè excommunicari pro causa iusta, & pro vera cõtumacia, nisi Concilium tunc esset cõgregatum, & reseruaret sibi talem punitionem.

Potestas Concilij intensiuè, extensiuè, & indeuiabiliter, maior est potestate Papæ.

REsolutio ergo est, quod potestas Papæ, potest à Concilio certis arctari legibus, & ab

ipso ad Cōcilium potest appellari, & potest iudicari à Concilio, puta & maximè si esset hæreticus & obstinatus, & in perniciem Ecclesiæ gubernaret, tum potest deponi à Concilio: Potest etiam Concilium certas personas eximere à potestate Papæ, quantum ad aliquos casus, ideo quantum ad ista, potestas Papæ est sub Concilio, & Concilium super ipsum Papam propter multa: Primò ratione indeuiabilitatis: secundò quia potestas Concilij ad plura se extendit quàm potestas Papæ, nam ad quemcumque effectum se extendit potestas Papæ, similiter & Concilij, & cum Concilio ad ipsum Papam; ideo ratione extensionis potestas Concilij est supra Papam, quamuis potestas Papæ non sit à Concilio, sed immediatè à Deo; sicut & potestas Concilij non est à Papa, sed etiam immediatè à Deo, nihilominus potestas Papæ est subdita potestati Concilij, sicut potestates Bailliui & præpositi sunt immediatè à rege, & tamen potestas Bailliui est sub potestate præpositi.

Conclusio Synodi, debet fieri non Papa, sed nomine Concilij.

PRopter difficultatē supra tactā, orta est quæstio sub qua forma deberet poni cōclusio in Cōcilijs generalibus: nā reperitur in statutis Cōciliorum hoc modo, *nos sacro approbāte Concilio statuimus, &c.* aliquando reperitur *sancta synodus statuit, &c.* aliquando reperitur *sacri Concilij auctoritas*, in ca. de iureiurando, vbi est conclusio sub ista forma *sacri auctoritate Concilij inhibemus, &c.* fuit ergo controuersia, sub qua forma deberet poni Concilij conclusio, an nomine Concilij, an nomine Papæ: dicit de Alliaco, quod melior modus est dicere sic, *sancta synodus statuit, &c.* vel sic *auctoritate sacri Concilij statuimus, &c.* Isti duo sunt meliores modi ponendi conclusiones in Concilijs, & non nomine Papæ.

CAPVT XVI.

An Concilium possit errare.



COntra hunc modum dicendi, sunt aliqui in oppositum & pro ampliori declaratione, resumēda sunt aliqua prius dicta: nam dictum est primò, quod Concilium est supra Papam ratione indeuiabilitatis: secundò quia potest ipsum Papam iudicare, & non è contra, & eum deponere pro rationabili causa: tertiò quia Concilium potest potestatem Papæ certis arctare legibus.

Circa primùm, Panormitanus in cap. significasti, de electione & electi potestate, ponit oppositum, & dicit, & plerique Iuristæ cum eo, quod falsum est quod Conciliū non possit errare, bene verum est quod Ecclesia vniuersalis non potest errare, & quod extra Ecclesiam non est salus, sed Concilium non est Ecclesia. nam quilibet Christianus est de Ecclesia & non de Concilio, deinde semper manet Ecclesia & non Concilium. Quamuis ergo Ecclesia vniuersalis errare non possit, nihilominus Concilium errare potest in moribus & fide, vt dicit Panormitanus. Huius ratio est, Concilium Meldense errauit, ergo Concilium potest errare: Patet antecedens, nam 36. q. 2. duo proponuntur canones, vnus Concilij Meldensis, alter Hieronymi: Canon Concilij est talis, Placuit, vt hi qui rapiunt fœminas, vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis postmodum conueniat, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Sed Hieronymus can. Tria, Tria legitima coniugia in scripturis leguntur, Primùm legitimum coniugium est, virgo casta in virginitate viro data legitimè, &c. Secundum, virgo in ciuitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit pater eius dotabit eam iste vir, quantùm iudicauerit pater, & dabit pretium pudicitiæ eius. Tertium est filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris, trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alij, &c. Vnde arguitur sic, illud matrimonium secundum, est legitimum teste Hieronymo, imò videtur dicere Gratianus quod auctoritas Hieronymi fulcita auctoritate sacræ scripturæ, est præferenda auctoritati Concilij, hoc est præcipuum argumentum Panormitani, ad probandum quod Concilium potest errare.

Sed respondetur ad hoc, negando quod Concilium Meldense errauerit, & ad probationem, dico quod Concilium decernit quod raptor non potest raptam virginem habere, nisi prius subiaceat publicæ pœnitentiæ, & ita soluit Martinus in de temperantia, in materia de raptu. Bene verum est, quod si sit solus consensus cum dote, raptor non potest raptam habere, sed si cum hoc subiaceat publicæ pœnitentiæ, consentientibus parentibus, potest illam habere, & illud est secundum legitimum matrimonium, quod dicit Hieronymus in can. Tria, & sic non probat Panormitanus intentum. Item Hieronymus fuit ante Concilium, & certum est quod *Concilium potest illegitimare personas quæ prius erant legitimæ*, & potest esse quod tempore Hieronymi illæ personæ erant legitimæ ad contrahēdum, sed postea sunt illegitimatæ à Concilio Meldensi, & sic resolutoriè tenendum est, & est probabilius quod Concilium rite congregatum non potest errare in fide, & in bonis moribus.

Concilium errare non potest in quæstione Iuris, de Sanctorum Canonizatione, dubium est, quia factum est.

VTrum Concilium in aliquibus alijs possit errare, communiter dicunt doctores quod sic, in ijs quæ sunt facti & non iuris: exemplum, si Sortes verè contrahat cum Bertha, non in facie Ecclesiæ, & postea attentet contrahere cum Thiberga in facie Ecclesiæ, si materia deferatur ad Concilium, iudicabit Sortem debere manere cum secunda, & de facto errabit in illo facto, iudicando Sortem esse virum Thibergæ: sed istud est vnum factum & non vnum ius: Ergo in ijs quæ consistunt in facto & non in iure, errare potest Concilium. Vtrum possit errare in canonizando Sanctos est difficultas, quia quod iste sit sanctus vel non, est vnum factum. Vtrum possit errare in quolibet facto, dicit Occam quod multiplicia sunt facta, quædā ex sacris literis elici possunt, exemplum quod Christus circuierit per totam Iudæam, est vnum factum, quod

quod trahitur ex sacris literis: similiter quod Moyses deduxerit filios Israel per desertũ, aliud est factum quod ex sacris literis non trahitur, vt quod Sortes sit vir Berthæ, istis suppositis sit ista propositio.

Non potest Concilium errare in facto quod potest trahi ex sacris literis, quia consequenter erraret in ijs quæ sunt fidei: sed in facto quod non potest trahi ex sacris literis, Concilium errare potest: sed in fide & bonis moribus non potest errare, quia in his specialiter dirigitur à Spiritu sãcto, Actuum 15. dicitur, *Visum est spiritui sancto & nobis*, vbi ponitur primò Spiritus sanctus, tanquam director Concilij generalis, sed Spiritus sanctus non potest errare, vel aliquem facere errare, neque decipere, ergo Spiritus sanctus non potest etiam dirigere, vel aliquem facere errare, errore facti, plusquam errore iuris; & ideo Spiritus sanctus non potest esse director erroris facti, nec iuris. Dico quod *Concilium generale dirigitur specialiter à spiritu sancto in omnibus necessarijs*, dico etiam quod in sententiando quod Sortes est vir Berthæ in casu prædicto, Concilium dirigitur à Spiritu sancto, imò quod bene sentẽtiat, quia secundum allegata & probata, & tenetur sic sententiare: sed non oportet quod Spiritus sanctus sit specialiter director omnium aliorum quæ sunt in Concilio, puta iudiciorum intellectus *speculatiuorum: nã hoc est vnum iudicium *speculatiuum. hic est vir huius mulieris, sed semper Spiritus sanctus est specialis director quarumcumque sententiarum & iudiciorum latorum per Concilium.

* practicorum. practicum.

Concilium repræsentat Ecclesiam propinque, Petrus verò remotè.

QVantum ad primum argumentum Panormitani, dicentis quod falsum est quod Concilium non potest errare: dico quod ista propositio quæ assumit est falsa, scilicet sola ecclesia vniuersalis errare nõ potest; & cum arguit sic Panormitanus, sola vniuersalis ecclesia est pro qua Christus orauit ne deficeret fides sua, dixit enim Petro repræsentanti totã Ecclesiam [*ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua*] ergo non potest trahi ex sacris literis quod Conciliũ errare non potest, sed solùm vniuersalis Ecclesia: nego, imò dico etiam quod rogauit pro Concilio. Vnde dicit quidam doctor, quod sicut Petrus representat vniuersalẽ Ecclesiã (per can. quodcũque 24. q. 1. *data sunt claues Petro, vt repræsentanti Ecclesiam vniuersalem*) similiter Conciliũ generale repræsentat vniuersalẽ ecclesiã immediatè, quia constituitur ex cuiuslibet ecclesiæ particularis aliquo membro, & datæ sunt claues Petro repræsentanti vniuersalem ecclesiam de remotè: Ergo dicit doctor, quod quamuis Petrus sit deuiabilis, nihilominus Concilium generale immediatè vniuersalem Ecclesiam repræsentans errare non potest, & ecce quãtum ad primum argumentum.

Secundũ erat, quod Conciliũ generale est supra Papã, quia ipsum iudicare potest ratione indeuiabilitatis, & ab ipso ad Conciliũ potest appellari. Contra autẽ arguitur 9. q. 3. can. nemo iudicabit primã sedem. Item 40. dist. can. Si Papa, vbi dicitur quod Papa nisi in materia hæresis non potest iudicari, &c. Quantũ ad can. nemo, Occã optimè soluit, nemo iudicabit primã sedẽ iustitiã tempe-

ratè desiderantẽ, hoc est quandiu iustè agit, non
A debet iudicari. Alij textus sunt constitutiones Papæ, & constitutiones pontificũ, qui pro se loquebantur, & nemini credendum est in sua causa.

Aliæ sunt meliores apparentiæ, Christus erat super totũ Conciliũ & non subiectus Concilio, sed constituit Petrũ & eius successores suos vicarios; ergo Petrus & eius successores sunt super Conciliũ. Secundò non est difficultas quin Christus instituerit politiã Christianã in optimo genere politiæ, aliàs non fuisset bonus instituens: sed optimũ genus politiæ est politia regalis, puta quando
B vnus solus principatur: si ergo Cõciliũ principatur super Papã, politia christiana esset aristocratica & nõ regalis, ergo oportet de necessitate fateri quod Concilium sit Papæ subiectum, & non è diuerso.

Quantum ad primum, non est difficultas quin Christus fuerit super Conciliũ, cõcedo etiã quod secundũ humanitatem, fecit Papã suum vicariũ, tamen consequentia non valet, ergo Papa est super Concilium: nam nõ est difficultas quin Chri-
C stus fuerit super infideles, & tamen Papa non habet potestatem super illos, ergo consequentia nõ valet, Christus fuit super Concilium generale, & fecit Papam vicarium suum, ergo Papa est super Concilium generale: sicut non valet, Christus fuit super infideles & fecit Papam suum vicariũ, ergo Papa est super infideles.

Ad secundum optimum genus politiæ est regale, ergo politia christiana est regalis: concedo, quia dicit Petrus *vos estis genus electum, sacerdotium*
D *regale*: sed illa dicitur regalis, quando vnus solus dominatur & non plures: verum est regulariter, nam in ciuilibus non dicitur politia regalis ex eo quod nulla congregatio sit super regem, nam cõgregatio nobilium politiæ ciuilis, immediatè est supra regem, & pro inidoneitate possunt deponi reges, vt patet de Childerico & Zacharia. Non vocatur ergo regalis, eo quod nulla congregatio sit super illum qui gubernat, sed in communitatibus, est congregatio semper regens, & semper manet in esse congregationis: sed in politia regali
E non sic est, quia non est semper congregatio nobilium congregata, quæ sit semper super regem: sic est de Ecclesia vniuersali, semper est vnus Papa regulariter, sed tale Concilium generale quod est congregatum ex omnibus alijs prælatis, vel eorum vicarijs, non semper est congregatum vt semper gubernet totam christianitatem: hinc est quod politia Christiana est regalis, & non aristocratica vel timocratica. Concilium politicum est supra regẽ & ipsum iudicare & deponere po-
F test pro inidoneitate & certa culpa: Similiter, nõ est aliqua congregatio, quæ regulariter maneat, quæ sit supra Papam, sed nihilominus tota cõgregatio prælatorum esset supra Papam, & nihilominus politia christiana est regalis, & est argumentum præcipuum de Turre cremata, quod politia Christiana est regalis, & per consequens, Papa est super Concilium, & quod Eugenius Papa, poterat dissipare Concilium Basileense, sed satis visum est quomodo soluitur argumentum.

Ad alias apparentias, potestas Papæ est immediatè à Christo instituta & non à Concilio, neque potest institui à Concilio, sed à solo Deo e

instituibilis, tunc arguitur sic, quandocumque est aliquis institutus in aliqua potestate super aliquam communitatem (quæ potestas non est ab ipsâ communitate, super quam constituitur, instituta, sed solùm ab aliquo qui est superior ad illam totam communitatem) ille non potest auferri nec deponi ab illa tota communitate (nam secus est de potestate regali & ciuili quæ est instituta ab ipso populo, & per populum alicui communicata) sed potestas papalis non est communicabilis nec instituibilis ab aliquo de communitate humana, nec dissolubilis; nam illam Papalem auctoritatem concilium non potest instituere nec dissoluere, imò à solo Deo Papalis illa dignitas institui potest.

Dico primò, quod Ecclesia non potest auferre potestatem Papalem, quia non potest illam instituere, & *vnumquodque dissoluitur per easdem causas ex quibus componitur*, vt habet regula iuris. Sed difficultas est, an possit illa dignitas auferri ab isto, quia antequam habeat illam potestatem Papalē, aliquid communitatis requiritur, puta quod ab ipsis cardinalibus eligatur, & quo facto est electus, consequitur illam dignitatem Papalem, non ab illa communitate eligētium, sed ab ipso Deo: Nam datur analogia, baptismus est vnum requisitum ad gratiam, & gratia solùm à Deo est, & nō à baptismo: ergo videtur quod communitas non potest auferre potestatem Papalem ab isto. Quātum ad hoc argumentum, haberet magnam apparentiam, nisi esset ab illo, qui instituit, potestas auferendi: Sed Ecclesiæ est collata à Deo potestas auferendi Papam si peccauerit, & super quemcūque, & illa potestas est collata in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem: imò, à superiore communitatis collata est in ædificationem: hinc est, quod apud communitatem relicta est potestas, si in detrimentum Ecclesiæ agat, ipsum auferendi, & per consequens Cōciliū immediatè à Christo habet auctoritatem iurisdictionis exterioris super quemlibet Christianum. Et argumentum de facto, haberet bonam apparentiā, nisi Deus illam potestatem deponendi, Cōcilio reliquisset. Et hæc de prima quæstione sufficiant.



SECVNDA QVAESTIO, DE SVPREMA POTESTATE LAICA.

Capvt I.

De proprietate essentiali potestatis laicæ, & in quo præcipuè fundetur.



N prima quæstione, visum est an suprema potestas laicalis, & suprema spiritualis in eandem personam cadere possint, & quid sit potestas spiritualis, & in quo est subiectiuè, & qui sunt actus illius potestatis, & quia omnis potestas dicitur potestas in ordine ad actum, propterea visum est qui sunt actus illius potestatis supremæ in spiritualibus, & tandem visum est an Papa sit subiectus Concilio generali.

Iam quæritur in hac secunda quæstione, vtrum potestas suprema laica seu temporalis, proprietatem sibi propriè propriam habeat immediatè à Deo. Vnde videndum est, quid sit potestas in temporalibus: & potestas in proposito capitur pro potestate iurisdictionis, quod nihil aliud est, quàm facultas propinqua dicendi ius, idest sententiandi quid iustum, & quid iniustum, ideo potestas in temporalibus, est potestas dicendi ius in temporalibus, & suprema potestas in temporalibus, est suprema potestas dicendi ius in temporalibus, & ab illa ad alteram non est appellatio, neque ab altera iudicari potest.

In primo capitulo circa quæstionem motam, sunt duæ opiniones, vna dicentium supremam potestatem in temporalibus, proprietatem propriè propriam habere, non immediatè à Deo sed à Papa, & fuit recitata in 2. cap. primæ quæstionis, quod Papa habet supremam potestatem iurisdictionis in temporalibus, sed hoc repudiatum fuit multis argumentis. Alia opinio ponit aliquas distinctiones, Prima, proprietas alicuius dicitur alicui propriè propria dupliciter, & quælibet potestas, tam laica quàm spiritualis, habet suas proprietates propriè proprias. Nam proprietas spiritualis propriè propria, est posse *excommunicare, absoluere, indulgentias conferre*, & alias potestates de quibus actū est priùs exercere, sunt enim proprietates propriæ illi potestati spirituali. Sed potestas propriè propria potestati laicali, est *discernere de possessionibus cuius sint, iudicare, condēnare hominem ad mortem ciuilem, soluere à morte ciuili, posse à populis subditis tributa exigere pro necessitate reipublicæ, &c.* Vnde tripliciter intelligi potest, quod aliqua proprietas dicatur alicui propriè propria, vno modo, quod sit illi proprijssimè propria, ita quod illi soli conueniat, & sic quod nulli alteri; Alio modo, dicitur alicui propriè propria sic, quod licet non sit ei proprijssima, nihilominus inter omnes proprietates magis illi conuenit, & sic respectu istius, dicitur propriè propria, quod quamuis alicui conueniat, tamen isti magis propriè quàm cuicumque alteri. Secunda distinctio, aliquid esse immediatè à Deo dupliciter intelligitur, Primo modo, quod illud sit à Deo sine quocūque signo creato, & sine quacūque dispositione creata præuia, ita quod nullū signū creatum præcedit, vt hoc fiat à Deo, & isto modo, Moyses habuit ducatū populi Israel immediatè à Deo, quia sine quacumque dispositione præuia, Deus per semetipsum contulit ducatum Moysi: Secundo modo, quod ad illum solum Deus cōcurrit, tamen aliqua dispositione præuia, vt cum

Sortes

Sortes baptizatur, gratia quæ infunditur Sorti, est immediatè à Deo, sed non est à Deo nisi præsupposito signo & dispositione præuia: similiter cum aliquis eligitur in Papam, illa potestas pontificalis, est immediatè à Deo, quia non est instituibilis à creatura, verumtamen, Deus isti non illã cõfert, nisi aliqua electione præuia: similiter, anima rationalis est immediatè à deo, sed nõ creatur nisi aliquo disposito ad illam suscipiendam.

De fundamento ciuilis dominij.

Istis distinctionibus positis, est quæstio, vtrum talis potestas sit à Deo, videlicet quod non sit à Deo nisi præsupposito ministerio alicuius creaturæ præuio: vel quæstio potest intelligi, vtrum à solo Deo, videlicet quod concursus creaturæ nihil faciat, verumtamen instituit ministerium creatum antequam illam conferat: Pro cuius declaratione, primò est inquirendum, in quo fundatur illa potestas laica, vtrum in gratia gratum faciente, vel in altero dono supernaturali gratuito, vel in fide, vel charactere, & de ista quæstione fuerunt controuersiæ inter doctores.

Vtrum ciuile dominium fundetur in charitate.

Armachanus in tractatu de Paupertate Christi, tenet quod omne dominium seu originale seu ciuile seu principatiuum, quod dicitur iurisdictionis, fundantur in gratia gratum faciente, ita quod quamcito peccator perdit gratiã, tamcito perdat dominium. Hanc propositionem nititur aliquibus rationibus probare, prima Genes. 1. vbi dicitur *faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram, vt dominetur omnibus bestijs terræ*: Ergo dominium ipsius Adæ, fundabatur in charitate, ergo & quodlibet aliud dominium: quod autem fundetur dominium Adæ in charitate, patet per hoc quod dictũ est *faciamus ad imaginem*, supple, per collationem gratuitorum antequam dominetur: ergo signum est quod illa dispositio requiritur ad dominium: Item, Abel habebat dominium in aliquibus rebus Genes. 4. *obtulit Domino de gregibus suis, sed Cain de fructibus terræ*; ergo per hoc quod dicit *de suis gregibus*, signum est quod Abel habebat dominium & ipse Cain non, quia erat peccator. Tertium argumentum, vsus rerum necessarius ad vitam conseruandam fundatur in charitate; ergo à fortiori dominium fundatur in charitate: Patet antecedens 1. Regum, cap. 21. cum Dauid pateretur famem, petijt panes propositionis, cui respondit Abimelech, *mundi sunt pueri*? signũ erat quod nisi essent mundi, non potuissent vesci illis panibus; ergo cum minus sit vti, quàm habere dominium, si talis vsus fundetur in charitate, ergo & dominium. Quartò, iustè viuere est homagiũ Deo debitum, propter dominium nobis impensum, ergo si non iustè viuit homo, perdit dominium rerum, quẽadmodum vassalus propter ingratitudinẽ, & scelus contra dominum perdit feudum. Quintò & vltimò, peccator non est dignus pane quo vescitur, ergo quilibet peccator est dignus morte, ergo est indignus vitæ. Imò à fortiori est indignus ijs quæ necessariò requiruntur ad sustentationem vitæ, scilicet comestibilibus & potu: Propter has rationes, tenet Armachanus, quod omne dominium tam ciuile quàm originale, fundatur in gratia gratum faciente.

Dominium Ciuile non fundatur in dono supernaturali.

A Quantùm ad hoc de Alliaco ponit multas propositiones. Primò consequẽter ad Occam dicit tria, dominium ciuile vel temporale, siue potestas laica, non fundatur in gratia prædestinationis: secundò non fundatur in gratia gratum faciente: Tertiò nec in dono supernaturali creaturæ infuso: Patet primum euidenter, quia tunc non posset esse certitudo in mundo de dominio alicuius: Patet sequela, non potest esse certitudo quod iste sit prædestinatus, *Nemo enim scit an odio vel amore dignus sit*, igitur: Si dicas hoc aufert certitudinem dominiorum purè ciuilium, & ponit quemlibet possessorem alicuius rei in statu peccati mortalis: Patet, quia quilibet habet dubitare de qualibet re an sit sua. Vltrà dicit, & bene, quod tale dominium non fundatur in gratia gratum faciente, hoc est nõ requiritur gratia gratum faciens ad hoc quod aliquis sit dominus alicuius rei, præcipua ratio habetur. 1. Exodi, Dominus fecit domos obstetricibus Ægyptiacis quia ad mãdatum Pharaonis non interficiebant pueros Iudæorum, ergo ille domus erãt earum, sed illæ obstetrices non erant in charitate, imò erant idolatræ, ideo dicit Gregorius, quod illud obsequiũ remunerauit dominus bono tẽporali; quod aliàs remunerasset bono æterno: ideo non solùm falsum est, imò hæresim sapit, dicere quod dominiũ ciuile fundetur in gratia gratum faciente. Infert de Alliaco contra Armachanum, quod si rex peccarèt mortaliter, deuolueretur regnum ad filium, similiter si rex habeat duos filios, & iunior priùs baptizetur, quod regnum deuolueretur ei: Patet, merebatur illũ habere, & non perdit propter peccatũ vt suppono; igitur, & multa alia infert absurda. Dico vltrà quod non fundatur in fide, nec in charactere, nec in aliquo dono supernaturali, nã apud gentiles fuit verum dominium ciuile antequã Christus veniret, sed in ipsis non fuit character, nec gratia gratũ faciens, quãuis haberẽt gratias gratis datas, igitur: vnde suprà cum assignabãtur differentiæ inter dominiũ spirituale & ciuile, dictum est in vna illarum differentiarũ, quod spirituale fundabatur in dono supernaturali, & non ciuile dominiũ: quæritur ergo in quo fundatur. Dicit de Alliaco quod in duobus cõmuniter, scilicet *in aliquo titulo creato*: secundo, *in approbatione diuina*: nam antequam aliquis sit alicuius rei verus dominus, oportet de necessitate Deum approbare, id est Deũ velle quod illo dominio siue illa potestate potiatur: ratio est, quia Deus supremus est dominus omniũ, *quia Domini est terra*: cæteri verò domini sunt solùm sub ipso, ergo antequã aliquis sit dominus, oportet de necessitate approbatio domini superioris, nã sicut est impossibile causã secũdã agere sine prima, ita est impossibile dominũ inferiorẽ, habere iustũ dominiũ, vel potestatẽ nisi ex approbatione diuina: hoc dicit Apostolus, *non est potestas nisi à Deo*, ergo nullus habet potestatẽ iurisdictionis nisi ex approbatione diuina: sed Deus cõmuniter approbãdo, habet vel vtitur aliquibus titulis creatis, quibus mediantibus approbat, scilicet, vel *titulo successionis, hæreditatus, vẽditionis, donationis, vel aliqua permutatione*, &c. Tota ergo resolutio de Alliaco est, quod dominiũ ciuile

non fundatur in gratia prædestinationis, nec in gratia gratum faciente, nec in fide, aut charactere, siue aliquo dono supernaturali, sed in sola approbatione diuina, fundatur quæcumque potestas iurisdictionis ciuilis & laicæ, ita quod causa efficiens, quare iste est Dominus huius vel illius rei, vel habet iurisdictionem, est quia Deus vult & approbat illum esse dominus illius.

Solutio argumentorum Armachani.

RÉstat modò soluere argumenta Armachani, quantum ad primum argumentum de Adam, quod præpositus est Dominus cæteris, per dona spiritualia: dico quod non est inconueniens, quod aliquando Deus sumpserit pro titulo, dona gratuita, forsitan sicut fecit in Adam & Abel, sed hoc non requiritur vltrà, imò esset erroneum hoc dicere. Quantum ad aliud de Dauid, quod non poterat iustè vti panibus propositionis sine charitate, ergo nec habere iustum dominium sine charitate: negatur consequentia, nam quod non potuisset illis panibus iustè vti sine charitate, hoc non est quod ad dominium requiratur charitas, sed hoc erat quia panes sancti erant, sicut ad hoc quod aliquis vtatur Eucharistia, hoc non est quod ad dominium illius requiratur charitas, sed hoc est ratione dispositionis illius requisitæ ad tali cibo vescendum. Quantum ad aliud, peccator quilibet est dignus morte & indignus vita, vtrumque concedo, nam Deus posset iustè abstrahere ea quæ requiruntur ad vitæ peccatoris sustentationem, & eum iustè dare morti ratione peccati, & auferre quæcumque necessaria vitæ, & tamen non aufert, sicut vassallus rebellans, est indignus feudo quem habet, ergo Dominus aufert, non valet consequentia, imò potest ei relinquere tale feudum: Similiter consequentia non valet, offendens Deum est indignus pane quo vescitur, ergo Deus aufert & priuat talem offendentem tali pane: sed bene sequitur, ergo iustè posset priuare si vollet, & sic patet quomodo ista argumenta Armachani nihil concludunt contra conclusionem principalem, videlicet, quod dominium ciuile non fundatur in charitate sed in approbatione diuina, &c.

Caput II.

An habens supremam potestatem in temporalibus, habeat proprietatem in aliquibus rebus particularibus.

COnsequenter doctor in 2. capit. ponit duos modos dicendi circa quæstionem, videlicet, vtrum habens supremam potestatem laicam, ex ratione illius potestatis supremæ, habeat aliquam proprietatem sibi propriè propriam, supponitur quod dictum est prius in præcedenti capitulo, quid est habere potestatem propriè propriam, & quid est habere immediatè à Deo: Item dictum est prius, quod quamuis rex, vel aliquis Dominus temporalis habeat iurisdictionem super bona mea; & corpus meum, nihilominus bona mea & corpus meum non sunt eius: nam non sum seruus eius, ideo non habet dominium proprietatis in illis.

Istis suppositis, difficultas est, vtrum ipsi supremæ potestati laicæ (quia talis) sint aliqua bona, A quorum proprietas ad eum spectet qui fungitur tali potestate, dicit doctor in principio quod habens supremam potestatem laicam, habet proprietatem in aliquibus rebus, puta quas habebat antequam fungeretur tali dignitate & potestate suprema, & quas obtinet nomine priuato & non nomine regio vel imperatorio, in talibus habet proprietatem propriè propriam: sed difficultas est vtrum sint aliqua bona ita connexa illi supremæ potestati laicæ seu temporali, quod quantū B ad proprietatē propriè propriam, semper sint illius qui fungitur tali potestate, & quod habeat proprietatem in illis rebus, & talis est difficultas de Curatis & Prælatis Ecclesiæ, nam curæ pastorali & episcopatui, aliquando sunt annexa aliqua bona. Quæritur inter doctores, vtrum talia bona, quo ad proprietatem, sint illius qui habet talem curam pastoralem, ita quod realiter sint eius: Similiter, quia imperiali dignitati annexa sunt aliqua, vtrum talia, quo ad proprietatem propriè propriam, sint illius qui de facto fungitur digni- C tate imperiali.

Prima opinio dicit quod non sunt eius, & argumentum huius opinionis est, quandocumque aliqua, quo ad proprietatem, sunt alicuius, potest qualitercumque vult, & pro libito de illis disponere, & si donat de facto tenet talis donatio, si prodigè exponat, licet peccet, non tenetur ad restitutionem illorum: sed si Imperator disponat prodigè de rebus annexis Imperio, non solùm peccat, sed tenetur etiam de bonis proprijs restituere Imperio: Ergo talia non sunt eius quātum D ad dominium & proprietatem propriè propriā, talia inquam annexa dignitati imperiali: Similiter dicunt hoc argumento, quod Episcopus prodige exponens bona episcopatus, tenetur ad restitutionem, quia non sunt eius, sed totius cleri, & est vt dicunt solùm administrator: Item qui habet supremam potestatem laicam regalem, regit ad vtilitatem publicam & communem, & ille non regit, qui regit pro suo priuato bono: Ergo annexa tali regimini, sunt communitatis & non E dominantis, ideo rex non est nisi administrator, & est apparentia pro ista opinione.

Alia est opinio, quod Imperator habet proprietatem, & quod illa sunt eius propriè, ita quod habens imperium habet proprietatem propriè propriam in aliquibus rebus, & motiuum illius est, ille qui habet dignitatem imperialem, debet maximè pollere virtutibus politicis, inter quas magnificentia & liberalitas sunt maximæ, sed nō potest illis virtutibus pollere, nisi habeat abundantiam rerum, & nisi sit proprietarius, non po- F test donare, ergo in talibus habet proprietatem: & quando est in tali dignitate constitutus, aliqui efficiuntur inimici eius, quibus non potest facilè resistere, sine acquisitione amicorum & manutenentia & largitione bonorum: sed sic est quod non potest illa largiri, nisi habeat proprietatem in illis, igitur. Vtrum ergo rex vel Imperator habeat proprietatem in illis bonis, quæ sunt à communitate deputata dignitati regiæ, vel imperiali, vel vtrum sit administrator, nam leuantur tributa, & pedagia, salagia, &c. similiter, sunt aliquæ possessiones, & vrbes, & castra data Regi, non pro

pro persona sua; sed pro vtilitate regni. Quod non sint eius, est apparentia, quia rex non potest alienare regnum, neque præcipuas vrbes regni in alterum transferre. A

Capvt III.

An Imperator habeat suam potestatem immediatè à Deo, vel à Papa.



Vantum ad tertium caput supposito quod Rex vel Imperator habeat proprietatem propriè propriam, est difficultas à quo habet immediatè, vel à Deo, vel à Papa: Prima opinio quod immediatè habet à Deo, quemadmodum quando eligitur Sortes in Papam, eo facto quo est electus, & electioni præbet consensum, Deus ei confert immediatè auctoritatem Papalem, siue spiritualem, & illam non habet ab electoribus, quia illam non habent: ita eo facto quo aliquis est electus Imperator & præbuit consensum, habet potestatem temporalem supremam à Deo immediatè: Istius opinionis est glossa, 96. distin. can. si Imperator. Ratio istorum est, quandocumque aliquis eligitur ad potestatem aliquam, & non habet illam ab electoribus, nec à coronante, nec à confirmante, illam habet immediatè à Deo: sed Imperator, nõ habet potestatẽ imperialem ab electoribus, quãuis requiratur electio, nec à confirmante, ergo habet immediatè à Deo: Præterea, dicunt doctores, quod Papa habet immediatè à Deo potestatem, non à confirmante, quia non indiget confirmatione, & si sit aliquis confirmans, est solùm propter pompam, & non propter necessitatem (sed episcopus requirit de necessitate confirmationem, ideo non habet Episcopus immediatè potestatem nisi à confirmante; & non habet antequam confirmetur & consecretur) eodem modo dicunt de Imperatore, quàm cito est electus, antequam confirmetur, habet potestatem supremam laicam iurisdictionis, & de facto potest vti illa, & exercere; & exercitium tenet, & propterea dicunt, quod nec habet à confirmatore, nec ab electore, sed immediatè ab ipso Deo. B C D E

Secunda opinio, quod Imperator non habet immediatè illam à Deo sed immediatè à Papa, & mediante Papa ab ipso Deo: Ista opinio, adducit multas rationes, Prima est apparentior, quando est aliquis in aliqua potestate constitutus, & alteri, ratione talis potestatis, præstat iuramentum fidelitatis, videtur habere illam ab illo cui præstat iuramentum fidelitatis, sed sic est quod Imperator præstat iuramentum fidelitatis Papæ, ergo habet illam à Papa (in Gallia Episcopi præstant iuramentum Regi, quantum ad temporalia, & Papæ quantum ad spiritualia) sed Imperator in coronatione vltima, præstat iuramentum fidelitatis Papæ, ergo habet illam potestatem laicam à Papa, & non immediatè à Deo, videantur aliæ rationes in doctore. F

Visum est vtrum Imperator habeat proprietatem propriè propriam in rebus appropriatis dignitati imperiali, quia non est difficultas quin habeat in aliquibus rebus quas habebat antequã esset Imperator, & in rebus postea acquisitis propria industria: sed difficultas erat de rebus dignitati imperiali annexis, & sicut dictum est, est eadem difficultas sicut de Clericis, an habeant proprietatem rerum annexarum beneficio, & hanc difficultatem quærit doctor in 2. tractatu 2. partis dialog. lib. 2.

Vtrum autem Imperator sit dominus omniũ rerum, apparet quod sic, nam Imperator est dominus totius mũdi, ergo & omnium rerum temporalium: Item, Imperator est dominus aliorum hominum à se, ergo à fortiori est dominus omnium rerum quæ possidentur ab illis hominibus. Alia est apparẽtia, rex quilibet est dominus omnium quæ sunt in regno suo, ergo Imperator mũdi omnium quæ sunt in mundo: Patet antecedẽs, 1. Regum 8. dicit Samuel, ad populum petẽtem regem, *hoc erit ius regis, filios vestros tollet in curribus, & faciet sibi Centuriones, &c.* si hoc erit ius regis, ergo poterat hoc iustè facere: *Præterea, filias vestras tollet & faciet vnguentarias, vineas & agros tollet, & dabit seruis suis*: Ex illis verbis, patet quod rex habet proprietatem & dominium & personarum & bonorum, quia potest & filios tollere, & filias ad seruitium suum & ad vtilitatem propriam: similiter tollet vineas & agros, ergo vnusquisque rex, iure & iustè habet dominium singularum rerum quæ sunt in regno suo. Pro ista quæstione supponendum est quæ dicta sunt suprà, quod Dominus potest importare dominium proprietatis, vel dominiũ iurisdictionis, ita quod sit sensus, vtrum Imperator habeat dominium iuris, hoc est potestatem dicendi ius super singula quæ sunt in regno, vel vtrum habeat proprietatem illarum rerum, ita quod sit verum dicere, quælibet res regni est imperatoris vel regis. Secundò, supponendum, quamuis ille qui non habet dominium proprietatis, habeat tamen dominium iurisdictionis in aliquo casu, ideo habere potestatem transferendi, inuito domino particulari, rem eius in proprietatem alterius, vt Sortes qui de facto est verus rex, nihilominus non habet potestatem proprietatis, id est proprietatem in rebus Platonis, sed solùm potestatem iurisdictionis: Dico quod Sortes rex, habet aliquando in casu potestatem transferendi res Platonis in Ciceronem, & hoc spectat ad dominium iurisdictionis: nam Plato potest peccare, ratione cuius peccati, res suæ erunt fisco applicandæ, quo facto ad Sortem regem spectabit, non ratione dominij proprietatis, sed ratione dominij iurisdictionis, res Platonis in dominium alterius trãsferre. Isto modo imperatores & Reges, quamuis in illis rebus non habuissent proprietatem, nihilominus per leges vsucapionis & præscriptionis, transtulerunt illas auctoritate iurisdictionis in præscribentes & vsucapientes. Notandum vltrà, quod dominium iurisdictionis, non solùm se extendit ad res possessas, sed etiam, ad personas ad Roman. 13. *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* Item, notandum, quod rerum existentium in regno, quædam sunt immobiles, aliæ verò mobiles, immobiles, quæ non possunt transferri, vt ager domus, &c. mobiles, quæ transferri possunt, vt aurum, argentum, lectus, vasa, &c. & istarum vtræque, quædam appropriãtur imperatori, sic quod

nulli alteri: aliàs verò appropriantur quibusdam alteris: exemplum primi, vt fructus pedagiorum, A taliarum, salinarum, &c. similiter, castra & quædam vrbes sunt appropriatæ imperatori vel regi, sic quod nulli alteri. Istis suppositis, vtrum Imperator sit dominus omnium rerum, sit prima propositio.

Imperator non est dominus, quantum ad proprietatem, omnium rerum quæ sunt in mundo, imò non est dominus omnium rerum quæ sunt in imperio suo, & capio imperatorem, ac si esset dominus totius mundi, patet, quilibet qui est dominus alicuius rei, potest illam vendere, sed non B potest Imperator omnem rem vendere, ergo nō est dominus quantum ad proprietatem cuiuslibet rei: ista propositio ponitur in can. eos, 1. q. 1. habetur ibidem quod omnis dominus rem suam vendere potest si vult, siue seruum siue aliquid eorum quæ possidet: sed sic est quod Imperator non potest singulas res imperij vendere si vult: Patet, non potest res meas ad libitum suum vendere sine peccato, ergo ipse non habet proprietatem in illis rebus. Vnde expressè habetur 23. q. 8. C can. quæ omnia sunt imperatorum: dicit expressè glossa, nō quo ad proprietatem, sed quantum ad iurisdictionem: Relinquitur ergo prima propositio vera, quod quamuis esset aliquis Imperator totius mundi, tamen non esset dominus omnium rerum, vt *ly* dominus importat dominium proprietatis: Secundò, patet ista propositio, quicumque dat rem, cedit proprietati illius, & transfert illam in alium, & non remanet amplius illius rei proprietarius, imò hoc est donare, sed Imperator multa dat & dedit, ergo non remanet am- D plius illarum rerum proprietarius: & ista propositio est manifesta, videlicet quod Imperator non est dominus singularū rerum: Pariformiter Rex Franciæ non est dominus omnium quæ sunt in regno suo, imò nihil proprietatis habet in agris meis, licet habeat proprietatem iurisdictionis in illis.

Regnum Franciæ non dependet ab Imperio.

SEcunda propositio, Imperator non est dominus omnium rerum, vt *ly* dominus importat E dominium iurisdictionis, & non proprietatem: Patet primo, non est dominus Regni Franciæ, neque illorum qui sunt in illo regno, capite per venerabilem, qui filij sunt legitimi, Rex Franciæ in temporalibus nullum recognoscit superiorē. Hanc propositionem ponit de Mironis in tractatu quem edidit de re Ecclesiastica, & deducitur in proemio Pragmaticæ sanctionis, apparentia est, multi reges qui nullum recognouerunt superiorem in temporalibus, fuerunt optimi viri F canonizati, vt sanctus Ludouicus, & non est verisimile quod si habuissent superiores in temporalibus, quod non recognouissent illos, igitur. Et ista est propositio doctoris, quam credo veram, videlicet quod Imperator, quantum ad ea quæ sunt in Regno Franciæ, nullam habet potestatem iurisdictionis.

Vtrum Ecclesiastici iure diuino sint exempti à iurisdictione ciuili.

SEcundò, Imperator non habet potestatem in viros ecclesiasticos, præcipuè in sacerdotes imò sunt exempti iure diuino vt dictum est priùs à iurisdictione laica, & hoc expressè habet Innocentius, in cap. solitæ, de maioritate & obedien. & cum dicitur *non sine causa gladium portat*, hoc est intelligendum, quod solùm in eos gladio vtitur, idest iurisdictione temporali, qui sunt illi subiecti, puta in laicos: huius opinionis est Innocentius iij. quod sacerdotes & ecclesiastici nullomodo potestati, idest iurisdictioni imperali sunt subiecti, & hoc dicit Panormitan. in cap. solitæ. Ergo secunda propositio vera, quod Imperator nō habet dominium iurisdictionis in singulis hominibus, & rebus mundi. Consequenter apud doctorem dicitur, quod in rebus mobilibus appropriatis imperio, habet dominium proprietatis: patet sic, ille habet dominium proprietatis in aliqua re, qui potest illam qualitercumque & ad libitum exponere, quamuis aliquando peccet exponendo, qui tamen non tenetur ad restitutionem, sed Imperator qualitercumque exponat prouentus imperij & fructus, id est res mobiles, vt fructus vrbium, &c. nullomodo tenetur ad restitutionem quocumque modo exponat, hoc est certissimum, ergo quantum ad istas res mobiles Imperator habet dominium proprietatis. Eodem modo dicitur de ecclesiasticis, quod in rebus mobilibus, idest in fructibus beneficiorum qui proueniunt ex rebus, hoc est ex agris & possessionibus annexis beneficio, habent proprietatem, & qualitercumque exponant illos fructus, non tenentur ad restitutionem, vt dicit dominus de Gersonio: Similiter Imperator, quantum ad res mobiles sibi prouenientes ratione dignitatis imperialis, habet in illas proprietatem propriè propriam: sed quantum ad res immobiles, dicit Occam in loco prææallegato, si alienatio illarum rerum immobilium non sit in detrimentum imperij, tunc imperator potest donare & alienare, vt quædam castra, quosdam agros non notabiles, sed si alienatio illarum rerum sit in maximum detrimentum imperij, nullomodo potest alienare pro libito, imò si tentet alienare, alienatio est nulla, & tenetur restituere.

Resolutio, Imperator siue Rex, non habet dominium proprietatis in singulis rebus regni vel imperij: secundò, non habet dominium iurisdictionis in singulis rebus, nec in singulis personis, sed quantum ad res mobiles annexas Imperio, habet proprietatem & dominium proprietatis ad libitum suum disponendo: quantum verò ad immobiles, vt est imperium ipsum, vrbes, castra, iura imperialia, ducatus, quorum alienatio esset in detrimentum imperij, non habet dominium proprietatis, quia vt dictum est, non potest pro libito alienare, vel donando, vel vendendo, vel commutando, eodem modo dicendum de quolibet rege, & suo regno. Vnde filia in regno Franciæ succedit in rebus mobilibus, sed quantum ad immobilia ad regnum spectantia, vt regnum ipsum, & cæteras vrbes quæ sunt regno annexas, nunquam succedit: ratio est, quia nunquam fuerunt pátri regi appropriata, quia nunquam potuisset pro libito disponere, neque vti, imò quantum ad res mobiles, habet proprietatem propriè propriam: similiter quantum ad res immobiles quæ non sunt de annexis, vel proprijs regni.

His

His dictis restat soluere auctoritatem, 1. Regum 8. *Hoc erit ius regis, &c. filios & vineas tollet,* &c. Quantũ ad hoc, dicit Occam quod ibi ius nõ notat dominium proprietatis, sed iurisdictionis: nam istud ius, scilicet sumere filios & agros, erit solùm ius illa assumendi in vtilitatem publicam: nam rex pro vtilitate & conseruatione reipublicæ, occurrente necessitate, potest accipere homines ad hoc, & cuiuscumque hominis bona, licitè sumere ad tuitionem reipublicæ & regni, & ideo hoc erit ius regis, hoc est hác habebit potestatem, vt pro vtilitate, cum fuerit oportunum, sumat & filios & vineas & agros; sed ex illo textu, non intelligitur quod rex illis vtatur pro vtilitate priuata & propria, sed publica.

A

B

Capvt IIII.

In quo recitantur tres opiniones variæ, quomodo imperium sit à Papa.

Habitum est de duabus opinionibus, Prima erat, Imperator habet proprietatem à Deo immediatè, præsupposito aliquo humano, id est electione: Secunda, quod habet à Papa, & ista diuiditur in tres opiniones, vt patet in 4. capit. doctoris: Prima, quod Papa habet plenitudinem potestatis omnimodam in rebus temporalibus, ita quod potest absque peccato vnumquemque dominum temporalem remouere, sed hoc fuit impugnatum.

C

Secunda, dicit quod Imperator habet illam potestatem à Papa, quia Petro commissæ sunt claues & terreni, & spiritualis regni, nam *dati sunt Petro duo gladij, scilicet temporalis & spiritualis*, sed cum aliquis est institutus in illa potestate, non potest summus pontifex eum remouere, ideo ista secunda opinio dicit, quod potestas imperialis est à Papa, & ipse Imperator electus nihil habet potestatis, quousque confirmetur à Papa, & Papa dat ei summam potestatem in temporalibus, sed ipso confirmato, non potest Papa ipsum destituere, nisi propter duas causas, prima pro delicto; sicut priuantur vassali feudo pro delicto admisso in dominos suos: secunda propter necessitatem & vtilitatem reipublicæ, puta si talis efficeretur omnino inidoneus ad imperandum, in illis casibus potest Imperator destitui à Papa: habet ergo secundum hanc opinionem potestatem Imperator à Papa, sicut curatus ab episcopo, & quemadmodum Episcopus postquam instituit aliquẽ curatum in beneficio, non potest illum priuare beneficio, nisi pro certa causa, ita etiam, Papa non potest imperatorem, postquam est institutus deponere.

D

E

Tertia opinio est, quod Imperator sumit potestatẽ à Papa, nõ iure diuino, sed iure humano, ita quod tẽpore Constãtini magni, ex consensu Romanorum, conuocauit ipse Constantinus suos satrapas & nobiles, & inito consensu communi, trãslatum est ius imperij occidentalis ad Papam. Dicit ergo tertia opinio, quod Imperator habet potestatem iurisdictionis à Papa, sed non est iure diuino, puta quod Christus contulerit Papæ potestatem constituendi imperatorem, sed iure humano, inquantum ipse Imperator ex consensu Romanorum transtulit ius imperij in summum pontificem.

F

Et sic resolutio est ista, prima opinio dicit, quod imperialis potestas, est immediatè à Christo: Secunda, quod est immediatè à Papa, & ista secunda diuiditur in tres modos dicẽdi: primus, quod Papa potest pro libito disponere & deponere: secundus quod Papa iure diuino potest disponere & instituere Imperatorem, sed ipso instituto non potest deponere sine causa: tertius, quod talis potestas est immediatè à Papa, sed solùm iure positiuo, puta post collationem factam à Constantino, & isti tres modi dicendi, ponuntur in 4. capit. doctoris.

Capvt V.

An Imperator habeat sibi appropriata immediatè à Papa vel à Deo.

Visum est in præcedentibus de duabus opinionibus, & de subdiuisione secundæ in tres modos dicendi, visum est etiam quomodo Imperator est dominus, aut quantum ad proprietatem aut quantum ad iurisdictionem de rebus datis Imperio, puta de immobilibus, non habet dominium pinguissimum, quia illas non potest alienare, quod est proprietas dominij pinguissimi, in can. eos 1. quæst. 1. qui potest alienare cum vult habet dominium pinguissimum, sed quantum ad fructus perceptos, & res mobiles, habet dominium pinguissimum, eodem modo dicendum est de ecclesiasticis, nam Episcopus non habet dominium pinguissimum in rebus immobilibus concessis episcopatui, scilicet in vilis, agris, castellis, illa enim alienare non potest, sed in fructibus perceptis de illis rebus immobilibus. Opinio communior est, quod habet dominium pinguissimum, & quamuis peccet malè vtendo illis fructibus, non tenetur tamen restituere, & potest illos donare cuicumque voluerit, & donatio tenet, licet aliquando peccet donando. Alij dicunt quod est solùm dispensator.

Consequenter in isto capite ponitur tertia opinio, quam credo solam veram inter cæteras, quæ dicit quod Imperator non habet proprietatem sibi, vel non habet ea dona quæ sunt appropriata sibi immediatè à Deo, nec à Papa, primo vel secundo modo habendi, sed habet immediatè à Deo tertio modo habendi: nam vt visum est, habere immediatè à Deo primo modo, est sic habere à Deo, quod à nullo alio habeatur, nec etiam aliquid aliud præuium præsupponitur, vt illud habeatur à Deo, sicut habuit Moyses ducatum filiorum Israel immediatè à Deo: sed habere immediatè à Deo secundo modo, est habere à solo Deo, aliquo tamen præsupposito: verùm habere tertio modo immediatè à Deo, est illud in principio habere ex donatione hominis, sed postquam donatum est, non tenet quod est donatum nisi à Deo, ita quod in possidendo illo, possessor nullum recognoscat superiorem præter Deum: tunc dico quod Imperator non habet illa quæ habet, immediatè à Deo, primo vel secundo

modis, sed tertio modo: Patet, quantum ad primum, nam illa quæ habet ratione imperij, nō est dicendum quod illa habeat immediatè à Deo nisi constet vel per reuelationem, vel per scripturam: sed non constat neque reuelatione, neque scriptura sacra, Imperatorem illa quæ habet, habere immediatè à Deo: ergo non habet immediatè à Deo primo vel secundo modis habendi. Vnde quando aliquid potest haberi ab hominibus, non est dicendum quod immediatè habeatur à Deo, nisi per reuelationem, vel per scripturam sacram habeatur notum & constet: sed bona Imperatoris possunt haberi ab hominibus: patet, Deus fecit humanum genus dominum cunctarum rerum, Genes. 1. Ergo humanum genus potest in alterum transferre aliquarum rerum dominium: ergo illa quæ habet Imperator possunt humanitus vel ab hominibus acquiri, & non cōstat quod habeantur immediatè à Deo, neque per reuelationem [neque per scripturam sacram] nam Deus nunquam reuelauit alicui vel aliquibus, quod in aliquem transtulerit imperium, saltem in istum qui nunc est, nec habetur per scripturam, ergo non est dicendum quod immediatè sit à Deo. Dices per illud habetur, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: dico quod per illa verba, non habetur quod Deus dederit aliqua Cæsari, quia Imperator, sed habetur solùm quod quæ dedistis prius, & ad quæ reddenda, estis prius obligati ex vestro consensu, reddite, & sic ex illa auctoritate, non potest haberi quod imperium sit immediatè à Deo. Secundum dictum, illud est immediatè à Deo tertio modo (nam postquam Sortes factus est Imperator, quæ sunt data imperio non sunt data intuitu suæ personæ) in quo non recognoscit superiorem præter Deum, ergo post illā donationem, habet illa immediatè à Deo tertio modo habendi, scilicet à Deo, & non est vassalus alicuius: ideo quantum ad ea quæ habet ratione imperij, tenet illa immediatè à solo Deo, ideo benedicit doctor, factum est quod Imperator habeat potestatem in illis, & ad regendum communitatem indiget bonis. Ideo sunt assignata quædam, quæ sunt adiuncta dignitati imperiali, & hoc ab hominibus, licet post adiunctionem non recognoscat Imperator illos homines superiores qui talia dederunt, sed solùm in istis habet Deum pro superiore, quia amplius nullum recognoscit superiorem, sed quantum ad donationem, tenet immediatè à congregatione populi, vel generis humani, & ista opinio est facillima & verior, videlicet, quod Imperator non tenet immediatè imperium, nec à Papa, nec à Deo primo vel secūdo modo tenendi, seu habendi, sed tenet immediatè à Deo tertio modo habendi.

Imperator non habet Imperium à Papa.

NItitur iam soluere argumenta in oppositum pro secunda opinione, quæ dicit, quod immediatè Imperator habet imperium à Papa, nam dicit Nicolaus Papa, quod *Deus Petro terreni & cælestis Imperij claues contulit* siue commisit: ergo, sicut Petro est commissa spiritualis potestas, ita & terrena, ergo Imperator tenet illam à Papa: vnde Nicolaus, & Innocentius, maximè loquuti sunt pro potestate Papæ: vnde committere claues cælestis regni, est dare potestatem spiritualē, & terreni, est dare potestatem laicam. Quantum A ad hoc sanè exponenda sunt verba Nicolai Papę, ne videantur sapere hæresim, vnde dicit Nicolaus in eodem can. quod Christus immediatè fundauit Ecclesiam Romanam, & supra petram fidei nascentis erexit, hoc nisi sanè intelligatur, est contra decursum sacræ scripturæ, nam Christus non erexit immediatè super fidem nascentem Ecclesiam Romanam: patet, quia Ecclesia Hierosolymitana & Antiochena erāt priùs erectæ quā Romana: Ergo illa verba secundum rigorem verborum, sapiūt hæresim manifestam: eodem mo- B do ista duo verba, quod beato Petro claues regni cælestis & terreni commisit, &c. nisi exponantur sanè, sapiunt hæresim, & maxima inconuenientia sequerētur: primùm, quod Reges Francorum qui nunquam recognouerunt superiorem, extrauag. qui filij sunt legitimi, cap. per venerabilem, fuissent manifestè hæretici: patet, quia habuissēt assensum firmissimum contra articulum fidei, quia si Christus commisit Petro potestatem laicam, hoc est articulus fidei, quod omnis illā ha- C bens, immediatè habet ab illo. Sed dico quod illa verba, Christus commisit Petro curam cælestis & terreni regni, dupliciter exponuntur, vno modo quod cælestis regni habeat potestatem, hoc est ecclesiæ triumphantis; & hoc est falsum, quia nō habet Papa potestatem super illos qui sunt de ecclesia triumphante, sed solùm in eos qui sunt in carne mortali: sed per cæleste regnum intelligit bonos, & per terrenum malos, & in vtrosque habet potestatem, scilicet spiritualem, quæ vocatur potestas clauis: secunda expositio est, quod D per cæleste regnum, intelligit eos quorum conuersatio est in cælo, hoc est qui totaliter sunt dati vitæ spirituali, vt sunt contemplatiui, & qui non curant temporalia, & per regnum terrenum intelligit eos qui se dant vitæ actiuæ, & terrenis negotijs, ideo Papa intelligit per regnum cæleste, congregationem ecclesiasticorum, & per terrenum congregationem laicorum, & data est Petro à Christo super vtrosque potestas spiritualis. Tertiò, illa verba possunt sic exponi, commisit E Petro claues terreni & cælestis regni, hoc est dedit ei potestatem super Imperatorem qui habet regnum terrenum, non quod dederit potestatem temporalem, sed spiritualem, quæ potestas vocatur clauis spiritualis, & quælibet istarum expositionum sufficit: Ideo per regnum cæleste, non debemus intelligere paradisum, nec per terrenum, Imperium; sed per cæleste, bonorum; & per terrenum, malorum congregatio intelligitur: & tunc fateor quod Petro data est vtraque po- F testas, vt visum est, nam habet potestatem iurisdictionis spiritualem coërcitiuam super bonos & malos.

CAPVT VII. DOCTORIS.

AD SECVNDAM ALLEGATIONEM, &c.

Iure diuino Ecclesiastici non sunt exempti à iurisdictione ciuili.

SEcundo arguit, ab illo est imperium qui est supremus iudex inter mortales & cunctorum mortaliū, sed Papa est eiusmodi

modi, ergo: dico quod minor est falsa, primò Papa non est iudex infidelium, in cap. gaudemus de diuort. statuta Apostolica non ligant infideles, & 1. Corinth. 5. *quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* Secundò, si intelligas quod sit iudex cunctorum fidelium, ex hoc non infertur quod Imperium sit à Papa: nam Imperator, quia Imperator, habet potestatem super infideles qui sunt in terra Imperij, & Papa nihil potestatis habet super illos, ergo Imperator non habet suam potestatem laicam à Papa: sed dico quod Papa est supremus iudex cunctorum fidelium in spiritualibus, sed non in temporalibus, imò Imperator est Iudex Papæ in temporalibus: Vnde doctor ponit talem propositionem, Imperator est iudex Papæ in temporalibus: patet, antequam aliquis efficitur Papa, Imperator est iudex eius, ergo postquam est effectus Papa: patet consequentia ex illo verbo Apostoli. *Vnusquisque maneat in eadem vocatione in qua vocatus est, si sit seruus, non sit ei curæ*: Tunc arguitur sic, Ius diuinum nullum liberat à seruitute, ergo si Sortes sit seruus Imperatoris, antequam electus in Papam, post electionem non liberabitur à seruitute iure diuino, & loquor semper de iure diuino, sed si liberatur, hoc est solùm iure positiuo: patet ex Apostolo *Vnusquisque maneat, &c.* Ergo cum Papa subdatur Imperatori, quantum ad temporalia antequam eligatur, ipso electo, saltem ex iure diuino, non liberabitur ab illa seruitute & subiectione, ideo Imperator, quantum ad temporalia est Iudex supremus summi pontificis, & ista est sententia doctoris, quod ecclesiastici non sunt exempti iure diuino, sed solùm iure humano, si sint.

Caput VIII. Doctoris.

An Papa possit deponere Imperatorem.

Ad Tertiam allegationem, &c.

Tertiò arguitur ad idem, ab illo est Imperium qui potest Imperatorem deponere, sed Papa hoc potest, igitur: maior est certa, quia cuius est constituere eiusdem est destituere & è diuerso, sed Papa potest constituere Imperatorem, ergo & deponere, patet in can. alius 15. q. 6. Zacharias Papa, deposuit Regem Francorum, & instituit Pipinum patrem Caroli: Similiter Innocentius deposuit Federicum Imperatorem, ergo Papa potest deponere ipsum Imperatorem.

Ad primum, respondet doctor, transeat maior, & ad minorem notat quod Imperator potest esse dignus depositione dupliciter, vno modo propter crimen spirituale, vt propter hæresim, quia hæreticus & schismaticus, & vtitur potestate sua in detrimentum christianitatis: Alio modo propter crimen ciuile, vt puta, quando negligit administrare iusticiam quam tenetur administrare ex officio, vel quando vtitur sua potestate in vtilitatem propriam, subtrahendo bona à subditis pro suo commodo particulari, & non communi: Tunc si Imperator sit dignus depositione propter crimen primi generis, puta propter crimen spirituale, potest deponi à Papa, cum habeat plenam potestatem in puniendis peccatis spiritualibus. Sed si fuerit dignus depositione propter crimen ciuile & politicum, non spectat tunc ad Papam Imperatorem deponere, sed ad eos ad quos spectat eum ordinare. hoc est ad communitatem ciuilem, vel ad eos qui gerunt vices cõmunitatis ciuilis, in quos scilicet communitas transtulit suam potestatem: ideo, propter crimen spirituale potest à Papa deponi Imperator, propter vero crimẽ ciuile ab ipsa communitate, &c. Aliter dicit Ioannes de Parisijs breuiter, quod propter nullum crimen siue spirituale siue ciuile, spectat ad Papam Imperatorem deponere, nisi per accidens: Vnde notandum, quod ad illum spectat iuridicè aliquem deponere ab aliqua potestate, qui sententia lata de depositione est depositus, hoc est, qua sententia lata, nihil habet amplius potestatis: hoc supposito, dicit qualicumque crimine irretiatur Imperator, non potest Papa ferre sententiam, qua lata ipse Imperator sit à potestate pristina depositus, sed per accidens potest, quia potest excommunicare ipsum pro crimine, & singulos cum eo participantes, & sic inhibere subditis ne participent cum illo, & per illam excommunicationem illos cogere ad depositionem ipsius Imperatoris, ideo non spectat ad Papam (dicit) sententialiter deponere ipsum, licet spectet sententialiter excommunicare, & finaliter per censuram excommunicationis, eos qui habent auctoritatem deponendi, cogere vt illum deponant, & sic per accidens deponit solummodo, & non directè. Eodem modo dicit Ioannes de Parisijs, quod Imperator potest Papam deponere, puta si Papa vtatur sua potestate in detrimentum reipublicæ, potest Imperator sub pœna cõfiscationis bonorum purè ciuilium, quæ tenet ab imperatore, vel à rege, tanquam vassalus, propter huiusmodi sententiam latam ab Imperatore, illi ad quos spectat, cogentur tãdem ipsum auferre à sua potestate summi pontificatus, sed non potest per se, qualicumque crimine sit irretitus deponere. Veruntamen, dicit doctor, quod Papa potest Imperatorem deponere in duobus casibus: primus pro crimine purè spirituali, vt est hæresis: secundus quando illi ad quos spectat iure ordinario sunt negligentes ipsum deponere, vnde dicit doctor. 3. parte dialogo 2. lib. quod vniuersaliter si negligat iudex secularis exercere iurisdictionem laicam pro loco & tempore, deuoluitur potestas exercendi ad iudicem spiritualem: ergo vbi ad quos spectat Imperatoris depositio, non possunt auferre, vel negligunt, deuoluitur potestas auferendi ad summum pontificem. Iam respondendum ad can. alius, & dico, quod sic intelligitur, *Zacharias deposuit regem, id est deponentibus consensit.* Vnde tunc temporis non erat adhuc vniuersitas Parisiensis, quia tempore Caroli Magni fundata fuit, & sic pauci erãt docti in Francia, & habuerunt recursum ad Papam, & sic deposuit id est cõsensit vt possent deponere, & sic non deposuit auctoritatiuè. Quantum ad aliud de Innocentio qui deposuit Federicum Imperatorem, dicit doctor quod Innocentius deposuit in Concilio, non quod habuerit auctoritatem deponendi, sed concilium quod

habuerit auctoritatem deponendi, sed Concilium deposuit, & Innocentius tulit sententiam, vel loco Concilij, à quo acceperat auctoritatem deponendi, deposuit.

Resolutio doctoris in hoc argumento, est cum apparentia, quod nunquam potest Papa principem secularem (seclusis suis vassalis) deponere nisi in duobus casibus prætactis.

CAPVT IX. X. XI. DOCTORIS.

AD QVARTAM ALLEGATIONEM, &c.

PApa potest supremum Imperiũ transferre de gente in gentem, ergo ab ipso dependet potestas imperialis: patet, Papa transtulit Imperium à Græcis in Germanos, dicit doctor quod Papa potest transferre Imperium, sed hoc est solùm casualiter: Vnde Papa potest exercere iurisdictionem in purè temporalibus casualiter, hoc est quando non est iudex secularis, ita si desit congregatio populi, potest Papa transferre, & hoc casualiter. Secundò, potest pro crimine purè spirituali, vt si gens illius Imperij efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectã, dimittẽdo religionẽ Christianã, posset propter hoc Papa illã gentẽ priuare dignitate imperiali, & sic trãsferre in aliam gentẽ, sed hoc non est regulariter, sed solùm casualiter: Regulariter potest pro crimine hæresis, sed non pro crimine ciuili, nisi casualiter, puta in defectu alterius, quia potest pro negligentia vt dictum est.

Coronatio nihil iuris tribuit Imperatori, aut Regi Francorum.

COntrà, ab illo est Imperium, à quo Imperator examinatur, inungitur, & coronatur, sed post electionem Imperator futurus electus examinatur, inũgitur, & coronatur à Papa, ergo, &c. nego antecedens, & ratio est, quia per talem examinationem, Imperator nihil iuris & potestatis accipit à coronante vel examinante, sed eo facto quo electus est, habet summam potestatem Imperialẽ, sicut Papa electus ante cõfirmationem, quamuis etiam non sit sacerdos, habet omnimodam potestatem iurisdictionis in Ecclesia: similiter, dicendum de Imperatore isto modo, idem argumentum curreret de Rege Francorum, qui inungitur ab Archiepiscopo Rhemensi, & tamen nihil potestatis ab illo accipit, nam illud est solùm solemnitatis, & non potestatis: Similiter multi fuerunt Imperatores qui non coronabantur à Papa, & erãt veri Imperatores, nam talis coronatio saltem iure diuino, nihil dat potestatis, sed est tantummodo solemnitas.

Quærit consequenter doctor, quare Imperator præsentetur examinandus Papæ, postquam est electus: dicit, vt corrigatur de magnis criminibus à Papa, si commiserit: secundò, & apparentius, vt Papa cognoscat & declaret electionem esse validam: vnde quando papa mittit legatum ad Regem, literæ præsentantur parlamento, non quod parlamentum aliquid potestatis exhibeat legato, sed vt parlamentum declaret potestatem esse in tali legato: similiter, postquam Imperator est electus, præsentatur Papæ vt declaret talem electionem fuisse legitimam, & auctoritatem Imperialem esse in electo, & est resolutio doctoris, A quamuis multi textus decretalium videantur sonare oppositum: in cap. per venerabilem, dicit Papa, quod ad ipsum spectat Imperatorem confirmare, ita quod ante confirmationem nihil habet potestatis, hanc tribuit sibi Papa potestatem, sed oppositũ est probabilius, & primò dico, quod vt repræsentetur electus Papæ, est de iure positiuo: Secundò, præsentatur Imperator non vt habeat auctoritatem à Papa: Tertiò præsentatur vt declaretur quod talis electio est legitima. Dico B ergo quod nihil habet potestatis à Papa sed ab electione, & non habet à Deo apud doctorem, & est opinio probabilior, sed habet à populo, & populus potest dare Papæ auctoritatem instituẽdi Imperatorem, quia populus illam habet, & potest in alterum transferre, & si sic, hoc est solùm iure positiuo, sed non legitur passus, in quo trahi possit quod populus talem potestatem instituendi Imperatorem contulerit Papæ, Ergo, &c. Ad argumentum, Imperator tenetur præstare iuramentum fidelitatis Papæ, sed illud iuramẽ- C tum fidelitatis est signum vassalatus, ergo Imperator est vassalus Papæ, ergo habet potestatem à Papa, &c. Quantum ad hoc, nego quod teneatur præstare iuramentum Papæ, imò potius è diuerso, Papa habens prædia, tenetur potius præstare iuramentum fidelitatis Imperatori ratione prædiorum, & ad tributum soluendum: Paulus enim ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*: & Christus, Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Secundò fateor quod Imperator præstat iuramen- D tum Papæ, non ratione Imperij, sed quod tuebitur & defensabit Ecclesiam sicut rex iurat in curia parlamenti se defensurum regnum, &c. & tamen non accipit potestatem regiam ab illa curia: vnde iure naturali, inter dominum & subditum, est mutua obligatio, quia dominus siue princeps, tenetur subditos defendere & tueri, & ipsi tenentur ad tributum soluendum principi. Dico ergo, quod non iurat, neque præstat iuramentum Papæ, tanquam recognoscens illum superiorem E in temporalibus, sed vt dictum est.

CAPVT XII. DOCTORIS.

AD SEPTIMAM RATIONEM ADDVctam, &c.

An Papa habeat ius vtriusque gladij, & potestatem absoluendi vassalos à iuramento fidelitatis.

F VIsum est de quibusdã rationibus quibus nitebãtur aduersæ opiniones probare imperium esse immediatè à Papa, & allegatus est canon Alius 15.q.6. Sed difficultas est ex ca. sequentibus, quia dictum est quod Papa non potest deponere regem nisi in duobus casibus, scilicet pro crimine ecclesiastico, id est hæresi, quia Papa habet plenam potestatem in illis criminibus: secundus, quando non sunt alij ad quos spectat ordinariè & iuridicè depositio, quia sicut tenet doctor, & habetur de Foro competen. quod vacante sede Imperiali quia non est tunc iudex ordinarius, ius cognoscendi

scendi de causis imperialibus deuoluitur ad Papam: sunt apparentiæ pro opposito: Vnde aliquem esse regem, nihil aliud est quàm habere superioritaté erga subditos, & in subditis est obligatio parendi regi, & sententiæ definitiuæ ipsius, quantum ad res quæ sunt iurisdictionis.

A

Tunc arguitur sic, Papa potest vnumquemque absoluere à iuramento fidelitatis quod præstitit regi, ergo Papa potest vnumquemque regem deponere; quantum ad illam potestatem regalem & iurisdictionem quam habet erga subditos. Tunc bene sequetur, isti absoluuntur à iuramento fidelitatis præstito regi, ergo rex non est amplius superior eorum: Sed Papa potest facere antecedens, id est ipsos absoluere ab obligatione iuramenti fidelitatis: ergo potest facere etiam consequens, puta quod rex non habeat amplius superioritatem super ipsos, & quod non sint amplius vassalli & subditi eius: ergo, Papa potest facere quod non sit amplius rex, non solùm causaliter, sed etiam ordinariè & vlterà; ergo potest istum ab illa potestate destituere. Patet antecedens, ad Papam ordinariè spectat dispensatio in votis & iuramentis, ergo Papa potestate ordinaria & regulari, potest illos absoluere ab obligatione iuramenti & fidelitatis quod præstiterunt principi: & ecce ratio præcipua iuristarum, probantium ex illa, quod potest dominium temporale auferre ab ipso principe.

B

C

Secundò arguitur sic, Papa potest excommunicare dominum temporalem in cap. nouit de iudicijs, vbi se ostendit habere potestatem excommunicandi Regem Francorum: sed in casu quo rex esset excommunicatus, vassalli eius pro tunc non tenerentur ei præbere obedientiam, & pro tunc sententia lata à rege nulla esset, quia sententia ab excommunicato lata, nullius est efficaciæ, ergo pro tunc deponit Papam dominum temporalem à iurisdictione quam habet, & ista sunt duo apparentiora argumenta pro parte aduersa.

D

Quantùm ad primum, concesso quod Papa potest absoluere subditum à iuramento fidelitatis, negatur antecedens, saltem capiendo soluere, vt tantum valet sicut relaxare, & non ius declarare: & ad probationem cum dicitur Papa potest vnumquemque dispensare à iuramento sicut à voto, cum sit eadem obligatio vtriusque, imò secundum Holcot, iuramentum magis obligat quàm votum, ergo potest omnes vassalos à iuramento fidelitatis absoluere: Dico quod duplex est iuramentum, quoddam, quod fit solùm in reuerentiam Dei: aliud est quod fit in fauorem certæ personæ, altera à iurante: vt Sortes iurans perpetuo seruare castitatem hoc iuramentum non fit in vtilitatem alterius personæ à iurante, sed solùm in vtilitatem propriam ipsius iurantis, & reuerentiam Dei: exemplum secundi, Sortes iurat se soluturum Platoni decem aureos, istud iuramentum fit in vtilitatem alterius personæ à iurante, scilicet in vtilitatem Platonis: similiter iuramentũ fidelitatis præstitum principi à subditis, fit in vtilitatem domini & non solùm propter reuerentiam Dei, his suppositis.

E

F

Quantum ad iuramenta primi generis, Papa potest dispensare, cum sit vicarius Dei, quantum verò ad iuramenta secundi generis, non potest dispensare, hoc est ius relaxare, quia Papa non habet potestatem aliquam faciendi cõtra ea quæ sunt in perniciem, & damnum alterius. Nam non potest soluere Sorté ab obligatione qua Platoni obligatur, vt in casu prædicto: Similiter si Papa solueret vassalos à iuramento fidelitatis principis, hoc esset in perniciẽ & detrimentum principis, & libertatis regiæ, ideo à quocumque iuramento vel obligatione, quæ obligatio est in vtilitatem alterius personæ à persona obligante, nõ potest Papa talem ab alterius obligatione soluere: nam faciendo de obligato non obligatum, hoc esset in iniuriam alterius personæ, & si hoc faceret, teneretur ad restitutionem, & sic resolutio est, quod à iuramento præstito in fauorem & vtilitatem alterius personæ à persona quæ iurauit, Papa non potest dispensare, neque alterum ab obligatione ex iuramento proueniente soluere: Quare non potest Papa regulariter soluere vassalum ab obligatione, qua obligatur suo superiori.

Ad aliud, cum dicitur Papa ordinaria potestate & regulari, potest regem & principem excõmunicare; concedo, nec potest aliquis eximi à tali iuridica potestate nisi per concilium, vt dictum est suprà, sed in casu quo temporalis dominus erit excommunicatus, vassali tunc non tenentur ei obedire, ergo tunc non habet potestatem iurisdictionis in subditos quã prius habebat.

Hoc argumentum tangit multa satis difficilia, nam habetur ex multis testibus, & ex practica, quod familiares excommunicati possunt participare cum eo, ad minus in rebus ciuilibus, ergo cum rege excommunicato vassali & subiecti possunt participare, cum sint quodammodo serui eius, nam obedientiam tenentur illis dare & exhibere. Quantum ad hoc, dicitur in ca. nemo, & in glossa quod illa obligatio vassalli & subditi qui non est seruus domesticus, pro tempore quo dominus est excommunicatus, *est sopita sed non ablata*, imò pro tempore excommunicationis principis, serui locaticij non tenentur communicare cũ illo in rebus ciuilibus: Sed alij subditi, dicit glossa, *absoluuntur ab actu obligationis, sed non ab obligatione*, & tenentur pro tali tempore cum eo non participare & non ei obedire: sed ipso absoluto ab excommunicatione tenentur vt priùs.

Circa hoc est alia difficultas, si Sortes sit excõmunicatus, & Plato habeat aliquid à Sorte quod accepit furto vel mutuo, vtrum Plato teneatur illi pro tunc restituere, si sic, ergo tenetur cum eo participare: Resolutio glossæ est, quod pro tali tempore est sopita obligatio, ita quod in tali tempore si non possit restituere aliter nisi participando cum eo, non tenetur, neque potest licitè tunc restituere, & sic restitutio aliquando ratione excommunicationis sopitur eodem modo, dicendum est in vassalis, quod ratione excõmunicationis principis sopitur eorum obligatio sed non soluitur simpliciter.

Opinio doctoris simpliciter probabilior est, quod nec per excommunicationem, nec alio modo potest Papa principem deponere à sua dignitate imperiali & regali.

Sed arguit doctor contra hoc in septima ratione, ab illo est imperium, qui habet vtrumque gladium scilicet tam spiritualem quam temporalem, sed Papa est eiusmodi, ergo: patet antecedens supponendo quod per gladium materialem intelligatur potestas regia, ad quam spectat vti gladio in malos, ad Rom. 13. *non sine causa gladium portat*: sed Petro & successoribus commissus est vterque gladius Lucæ 22. quæsiuit Christus an essent gladij, respondit Petrus *ecce duo gladij sunt*, & cum eruisset Petrus vnum illorum, dixit Christus, *mitte gladium tuum in vaginam*, & non dixit aufer gladium, & per hoc ostenditur quod *prohibuit vsum illius, & non potestatem*, & ex illo passu arguunt, quod vtraque potestas est commissa Petro, & ista sententia videtur esse Innocentij iij. quod in gremio Ecclesiæ ambo gladij sunt, & qui extra Ecclesiam sunt, nullius habent gladij potestatem. Respondet doctor negando quod vterque gladius sit commissus Petro, & ad probationem Lucæ 22. dicit, quod duo sunt in sensu literali, & hoc intelligitur de gladijs materialibus, & tempore quo Christus hoc quæsiuit, nondum Petrus erat Papa, sed post resurrectionem factus est, ideo tunc non quærebat an haberet gladium spiritualem: Bene verum est quod in sensu mystico potest intelligi per istos duos gladios ista duplex potestas, sed ex sensu mystico non potest efficax argumentũ ad aliquid probandum sumi, nisi fuerit per alium passum scripturæ habitum. Ideo per illos duos gladios, non potest inferri quod fuerit Petro & successoribus commissa vtraque potestas. Secundò, ego dicerem, quod quamuis intelligatur in sensu literali, non tamen sequitur quod fuerit commissa Petro, nam licet in Ecclesia sit vtraque potestas, non tamen in eadem persona, nam illa potestas quæ significatur per gladium materialem, est Petro prohibita: dicit enim Christus Petro, *mitte gladium in vaginem. Reges gentium dominantur eorum &c.* si verò in sensu literali per vtrumque gladium, vtraque potestas acciperetur, solùm *potest inferri quod vtraque potestas est in Ecclesia, sed non potest, inferri quod vtraque potestas sit in Ecclesia in eadem persona.* Et ad verba Innocentij, si intelligantur quod extra Ecclesiam nullus habebat legitimam potestatem qua vtatur gladio materiali, illa sapiunt hæresim; nam & apud fideles, & apud infideles, est vera potestas laica, ideo parum curandum est de auctoritate Innocentij in proposito.

CAPVT XIII. DOCTORIS.

AD OCTAVAM RATIONEM eiusdem, &c.

ARguitur sic, ab illo est imperium in ordine ad quem se habet Imperator vt discipulus ad magistrum, sed imperator in ordine ad Papam, est eiusmodi, in cap. solitæ, de maiorit. & obedient. ergo Imperium est à summo Pontifice. Item dicitur, quod quicquid lucis habet luna hoc à sole; ergo à simili, quicquid potestatis habet Imperator, hoc est à

A Papa: dico quod tales comparationes Imperatoris ad Papam non fuerunt propter temporalia, sed solùm propter spiritualia, quæ suscipit ab ipso Papa: Imperator enim est filius Papæ, non propter temporalia, sed propter spiritualia, & sic ex his non potest inferri quod imperium sit à Papa.

CAPVT XIIII. DOCTORIS.

AD DECIMAM RATIONEM respondetur, &c.

B ARguitur sic, ab illo est imperium, qui vacante Imperatore, habet imperium regere: sed mortuo Imperatore imperium habet regi à Papa, ergo: Dico quod cum deest Imperator ex institutione Christi imperium non debet regi à Papa, imò ab electoribus Imperatoris, & de facto ita est

C quod regitur ab eis, & tamen si Papa ex institutione Christi haberet regere imperium, mortuo Imperatore malefacerent electores si non permitterent eum regere, & *in potestatibus malefactum est cedere iure suo*: sed si Papa habeat regere, illud est solùm ex institutione humana, ideo vacante Imperatore, qui habent illum instituere, debent illud imperium regere: similiter, vacante Papatu, qui habent Papam eligere & instituere, vt sunt Cardinales, debent papatum

D regere: similiter vacante Episcopo, canonici qui habent alium præficere & eligere, debent episcopatum regere. Et hæc pauca circa secundam quæstionem dicta sufficiant, iam iam ad tertiam sequentem quæstionem.



E QVÆSTIO TERTIA.

CAPVT I.

An iurisdictionis temporalis auctoritas, dependeat à Papa & Romana Ecclesia.



F IN præcedenti quæstione quærebatur, an Imperator habeat possessiones quas possidet ratione Imperij à Papa vel à Deo, & tandem resolutio doctoris fuit, quod non habet immediatè, nec à Deo, nec à Papa, ad istum sensum, quod nec Deus nec Papa immediatè ei contulerit tales possessiones, sed immediatè à populo sic, quod sunt collatæ ipsi ab ipso populo, & post collationem, nullum recognoscit superiorem in illis præter Deum, & sic in isto sensu, habet immediatè à Deo illas possessiones. Visum est etiam principaliter de duobus punctis, Primùm, vtrum bona annexa dignitati imperiali sint Imperatoris, quantum ad proprietatem, & de hoc

de hoc fuerunt duæ opiniones. Secundò visum est an Imperator sit proprietarius omnium A rerum Imperij, puta an sit proprietarius in bonis Sortis, Gulielmi, Ioannis, &c. & satis ad hoc responsum est secundum mentem doctoris.

Iam in ista tertia quæstione quæritur, vtrum Papa & Romana Ecclesia habeat committere iurisdictionem Imperatori & cæteris principibus, nõ recognoscentibus superiorem in temporalibus, ita quod potestas iudicandi, quam habent temporales domini cuiuscũque conditionis fuerint, non recognoscentes superiorem in tẽporalibus, B sit à Papa, ex ordinaria sua potestate, hoc est, an Papa ex ordinaria potestate, habeat cõmittere iurisdictionẽ dominis tẽporalibus, ita quod sine tali cõmissione, inordinatè illam iurisdictionẽ exerceant. Et antequam aggrediamur quæstionẽ, primò supponenda sunt aliqua pro intellectu illius. primò, quod Imperator vel rex habet multas potestates iudiciarias; primò habet potestatem punitiuam in corpus hominum subditorum, & in bonis, ita quod potest illos ad mortem condemnare, ad mutilationem membri, ad carceres per- C petuos, & ad bonorum perditionem, & ista vocatur potestas punitiua in corpus subditorum, & auferendi eorum bona & libertates: Præter hanc punitiuam, habet aliam potestatem iurisdictionis, secundum quam potest & tenetur adiudicare vnicuique quod suum est: Nam quando est quæstio de possessione, potest rex auctoritatiuè definire cuius sit, & sic iudicando, non punit aliquem, nam per hoc quod iudicat hanc rem esse Platonis, quam Sortes nitebatur vsur- D pare, non punit ipsum Sortem, ideo illa potestas non est punitiua, aut correctiua, est tamen iurisdictionis: habet etiam potestatem diuidendi dominia in can. quo iure 8. distinct. habet etiam potestatem præceptiuam ad quam spectat leges condere: & potestatem imponendi talias, & tributa pro exigentia boni communis, reipublicæ & Regni: Vtrum autem illas potestates habeat à Papa vel à Romana Ecclesia.

Quantum ad primam potestatem, scilicet punitiuam, & super corpus & mẽbra & bona sub- E ditorum, sunt difficultates: prima an liceat Imperatori & regi siue domino temporali occidere maleficos. Secunda an liceat principi occidere innocentem. Tertia, supposito quod aliquem iustè condemnare potest ad mortem, an liceat condemnato fugere si possit, similiter se defendere à morte, & istæ sunt tres difficultates præcipuæ circa potestatem punitiuam, quantum ad punitionem mortis.

An liceat principi punire maleficos.

QVantum ad primam difficultatem arguitur quod non, Deus enim vult eos viuere Ezechielis 1. *nolo mortem peccatoris, &c.* Ergo cum Imperator debeat se conformare voluntati diuinæ, non debet aliquem morte punire. Oppositum arguitur, Exod. 22. *maleficos non patieris viuere, &c.* Pro solutione huius difficultatis aduertẽdum est, duplices esse homines malos in politia, quidam sunt mali solùm sibi, vt mali malitia cordis, & cogitationis, & non operis exterioris, qui non progrediuntur ad opus exterius, tamen illud opus, & malitia eorum, non est nota: similiter quamuis aliquando progrediuntur ad opus exterius, tamẽ A illud opus non est perturbatiuum reipublicæ; neque damnum proximo inferens; vt prodigè exponens sua bona. Alij verò sunt mali, & sibi & alijs, vt fures & homicidæ qui damnum proximo inferunt: Supponendum vlterius, quod quælibet persona se habet in ordine ad communitatem, sicut membrum in ordine ad corpus: Nam sicut corpus hominis constituitur ex pluribus membris, sic corpus humanum politicum constituitur ex pluribus personis, & quælibet particularis persona, in ordine ad totam politiam, se habet sicut mẽbrum vnum in ordine ad suum corpus. Tertiò supponitur, quod principes imperantes debẽt intendere bonum commune & non propriũ, & hoc habetur ex Aristotele, ponente differentiam inter despotem & Regem siue principem, quia despotes intendit bonum proprium, & princeps bonum commune: Nam despotes principatur aliquibus tanquã seruis, intendendo solum bonũ particulare: his suppositis, sit prima propositio.

Homini priuato non licet maleficum occidere.

NOn licet alicui priuatæ personæ maleficum occidere, quãtumcumque nociuum cõmunitati, & hoc capiendo priuatam personam quæ non habet potestatem neque commissariam neque ordinariam in republica. Ista propositio est Augustini 1. de ciuitate Dei, dicentis qui sine auctoritate publica maleficum occidit, ab homicidio immunis esse non potest, & ista propositio deducitur etiam ad longum 23. q. 5. per totum videlicet quod non licet cuique priuatæ personæ quemcumque maleficum occidere. Vnde rationem assignat sanctus Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 3. non est licitum quemquam interficere, nisi eius vita fuerit communitati nociua, sicut non est licitum mẽbrum abscindere, nisi propter vtilitatẽ totius corporis, ita nec est licitum membrũ communitatis remouere, nisi propter vtilitatem totius cõmunitatis. Ergo, solùm ad illum spectat interimere maleficum, qui habet curam totius cõmunitatis, nec amore vindictæ, nec odio personæ, sed solùm propter bonum publicũ, & amorẽ iustitiæ & æquitatis: ideo solùm qui habet intendere bonum communitatis, habet hoc facere sed huiusmodi non est persona priuata, aliàs non esset priuata sed publica. Igitur, &c.

Secunda propositio responsiua ad quæstionẽ, licet personæ publicæ maleficum occidere cõmunitati nociuum, hæc patet manifestè, & sunt multæ auctoritates Augustini in libr. de ciuitate ad hoc facientes, & Exodi 24. *non patieris maleficos viuere*, imò est præceptũ: verumtamẽ ratio potest F haberi ex supradictis, quilibet homo particularis in ordine ad totã cõmunitatem est mẽbrum, ergo sicut licet gerenti curam totius corporis, abscindere membrum pro sanitate totius corporis, similiter licebit gerenti curam cõmunitatis, pro vtilitate ipsius reipublicæ, aliquam personam interimere, ideo licet principi, regi, & habentibus curã cõmunitatis, maleficos interficere: & ad præceptũ diuinũ *non occides*, dicitur quod prohibetur occidere auctoritate priuata, sed non publica.

Circa primam propositionem, est difficultas, & ponitur talis casus, Sortes cognoscit quod Plato vult & potest totam rempublicam destruere &

incendio dare, nihilominus antequam hoc faciat Plato, non potest ipse Sortes aliter prouidere reipublicæ, quia est priuata persona nisi Platonem interficiat, an in tali casu teneatur Sortes, qui est priuata persona, Platonem occidere, & videtur quod sic, quia magis tenetur tueri totam communitatem quàm vitam propriam siue personam propriam, sed in casu quo Plato inuaderet Sorté, volédo eũ interficere, nisi aliter posset euadere quã occidédo Platoné, non malefaceret illũ occidendo, quia vim vi repellere licet vt clamãt iura; ergo vbi non potest aliter subuenire reipublicæ nisi interficiendo Platonem, videtur quod teneatur illum occidere, quia tenetur se morti exponere pro salute communitatis, ergo licet in casu personæ priuatæ maleficum occidere.

Circa secundam propositionem potest esse difficultas, & arguitur sic, persona publica nõ habet auctoritatem nisi à personis priuatis & præcipuè quando fit per electionem, ergo personæ priuatæ habent auctoritatem quam dant isti; ergo licet priuatis personis maleficum interficere. Vnde certum est quod vbi rex fit per electionem, non habet potestatem nisi à subditis eligentibus, ergo illi habent talé potestaté & per consequens licet eis exequi actum illius potestatis, ergo licet personæ priuatæ sicut publicæ maleficos occidere.

Quantum ad primum dicunt aliqui præcipuè Buridanus, quod in tali casu potest occidere Platonem, & hoc non facit vt persona priuata, sed publica gerente vices cõmunitatis. Verumtamen dominus de Gersonio in tractatu qué fecit super isto præcepto *non occides*, dicit quod quãuis Plato sit tyrannus, volens totam rempublicã destruere, & sit Sortes persona priuata nullã habés auctoritatem super Platonem, neque cõmissionem ordinariam, non licet illi occidere Platonem, & ratio sua est, quia *non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona*, licet ergo teneatur Sortes destructioné reipublicæ impedire pro posse suo, hoc tamen est per media licita. Sed argumentum est fortè in oppositum, & multũ apparens, si Sortes cognoscat Platonem velle ipsum interficere nisi possit aliter euadere quàm eum occidendo, non peccat illum occidendo: Ergo à fortiori, cum plus teneatur reipublicæ quàm propriæ saluti, simpliciter videtur posse, &c. Quantum ad hoc argumentum, licet Sorti occidere Platonem ipsum impetentem, vbi non potest aliter euadere, sed est diuersitas inter doctores nam tenet de Anchona, quod non licet occidere inuasorem, etiam quamuis nõ pateat euasio nisi per occisionem, imò dicit quod occidendo peccat, vnde dicit quod tripliciter potest homo occidi, vno modo odio personæ vel amore vindictæ, & prohibetur per illud *non occides*: alio modo occiditur amore iusticiæ, & hoc per illud præcipitur *maleficos ne patiare viuere*: Tertiò modo, *occiditur necessitate ineuitabili*, & hoc permittitur, Exodi 22. vbi permittitur quod fur nocturnus occidatur: vnde dicit, quod permissio est de minori malo, & ideo dicit quod non debemus vim vi repellendo occidere, quãuis non possimus aliter euadere, & ratio eius est, plus teneor diligere animã proximi quã corpus meum, sed occidendo istum qui me iniustè & malo animo aggreditur, perdo animã eius, quia ipse peccat mortaliter, cum sit in actu peccati me nitendo occidere: sed si permittam me occidere, solùm perdo corpus meum, & non animã, ergo lege charitatis plus obligor permittere quod interficiat me, quàm illum occidere in tali actu peccati, cum lege charitatis plus teneãr diligere animam proximi quàm corpus meum: nam corpus meum est vltimum in ordine charitatis quod teneor diligere. Adducit ipse de Anchona auctoritates Augustini, quæ videntur hoc expressè sonare: nam dicit lib. 1. de libero arbit. homo qui inculpata lege alium aggreditur & occidit, qualiter immunis sit à peccato videre nequeo, ergo ex auctoritate Augustini, talis realiter occidens aggressorem peccat.

Tamen ista opinio videtur multum dura & difficilis, cum cõmunis omnium doctorum opinio sit in oppositum, nam secundũ illam opinionem sequitur quod nullus posset licitè in bello iusto alterũ occidere, nã si est iustũ ex parte mea, tunc ex parte partis aduersæ est iniustum, & ideo scio aduersarium esse in peccato, cum iniustè pugnat contra me: & propter hoc argumentum, dicit de Anchona, quod non licet vnquã gerenti bellũ ex parte sui iustũ, aduersarios occidere, quod tamen videtur absurdũ. Propterea ab alijs aliter dicitur, vnde sanctus Thomas 2. 2. q. 64. dicit *quod inuasus, si intẽdat inuasorem occidere, ita quod ex intensione occidat, de facto peccat: sed si intendat se solùm defendere, & vitam conseruare, & se defendendo occidat, nullomodo peccat*. Ita quod nullomodo intendit occisioné, sed ei displicet talis occisio, imò alius seipsum occidit in quantũ non resistit ei qui impetit, & dicere oppositum, esset multùm durum, & videtur contra æquitatem naturalem, permittere se interficere vbi potest euitare.

Ad argumentum quod est fortissimum, licet Sorti occidere Platonem pro defensione suæ vitæ propriæ, dico quod verum est, sed non licet intendere voluntariè. Vnde dico duo, primùm sum certus quod Plato aggreditur me, & nõ adhuc aggreditur, quare non licet mihi illum tunc occidere, sed quando est in actu aggrediendi, licet occidere si non possim aliter euadere: Similiter, dico si Plato esset in actu oppugnandi ciuitatem, licet cuilibet de ciuitate illum occidere, quia sunt defensores, sed quando solùm constat de proposito, dico quod non licet mihi priuatæ personæ illum occidere nunc, quamuis constet mihi certitudinaliter quod cras euertet ciuitatem.

Resolutio est, licet priuatæ personæ inuasorem occidere, modo non habeat intentionem occidendi: Secundò, licet ciuiliter cuilibet de ciuitate occidere oppugnantem ciuitatem, quando est in actu destruendi, sed non licet quando est solùm in proposito destruendi.

Quantum ad argumentum contra secundam propositionem, rex nullam habet potestatem nisi à populo, ergo tota cõmunitas habet auctoritaté occidédi. Dico quod si nullus esset rex, sicut quilibet potest abscindere membrum putridũ à corpore suo, quando non est alius qui abscindat, ita similiter tota communitas potest, &c. sed ista persona singularis, vel illa, non potest: vnde sicut rex potest, ita communitas à qua rex habet auctoritatem, sed particularis persona non potest:

Ideo

Ideo quantum ad primam potestatem correctionis, quilibet Imperator & dominus temporalis habet auctoritatem auferendi vitam.

An aliquando liceat principi vel iudici occidere Innocentes.

QVantum ad secundam quæstioné, qua quærebatur an liceat principi occidere innocétes, nam visum est quomodo licet principi occidere, non tamé omnes maleficos, puta maleficos malitia interiore & exteriore, quando talis malitia non perturbat rempublicam, &c. quæritur an liceat principi occidere innocentem, & apparet quod sic, nam licet principi exponere vrbem igni & gladio pro rebellione, sed in illa sunt aliqui innocentes vt paruuli, ergo licet principi occidere innocenté: consequentia est certa, & antecedens quo ad primá parté videtur practicari sæpe. Oppositum tamen arguitur Exodi 23. *Insontem & iustum non occides.* Pro solutione dupliciter potest intelligi quæstio, vno modo sic, an liceat principi occidere illum qui realiter est innocés, est tamen probatus nocens & malefactor, & princeps vel iudex non habet certitudinem de opposito, puta de eius innocentia. Quantum ad hoc nulli doctori est dubium, quin possit princeps vel iudex talem damnare ad mortem.

Sed tota difficultas est inter doctores, vtrum liceat principi vel iudici (qui vt persona priuata habet certitudinem de innocentia istius, sed non potest illam probare, quia conuincitur nocens per testes omni exceptione maiores) an liceat illum innocentem damnare ad mortem. Circa hoc est multiplex modus dicendi: de Lyra dicit duo super illud, Exodi 23. *Insontem & iustum non occides*: primum est si iudex vel princeps est certus de maleficio Platonis, puta quod est homicida, nihilominus Plato probatur innocens coram iudice ab illo facto cuius Sortes iudex habet certitudinem de opposito, non licet Sorti occidere Platonem: hoc probatur, nam si liceat tunc Sorti occidere Platonem, vel licitum est ei vt priuatæ, vel vt publicæ personæ: non primùm, quia nulli vt priuatæ personæ licet quemquam interficere: nec potest dici secundum, quia non habet viam conuenienté vt occidat vt publica persona, quia non est ei ordine iuris probatus nocens, vt publicæ personæ: ergo in tali casu non licet Sorti occidere Platonem, & hoc de necessitate est fatendú, habetur de consecrat. distinct. 2. quod non licet sacerdoti Curato expellere à mensa Christi, illum quem scit peccatorem vt priuata persona, ergo eodem modo hic dicendum est. Secundú dictú ipsi⁹ de Lyra est, si Sortes princeps vel iudex sciat Platonem innocentem, nihilominus per testes omni exceptione maiores est probatus nocens, vt puta homicida, non licet etiam, dicit de Lyra, ipsi Sorti damnare Platonem ad mortem vel occidere, & huius sententiæ est Gulielmus Odonis super libros Ethicorum, & ratio præcipua est ex textu iam allegato Exodi 23. Nam si est innocens, ergo est indignus morte, ergo occidens & sciens, peccat contra iusticiam: & sic resolutio de Lyra est, quod iudex non tenetur iudicare secundum allegata & probata, quando habet scientiam particularem de opposito, quáuis nó possit repellere testes, neq; probare innocentiam accusati, imò tenetur non iudicare secúdum allegata & probata: & ista duo dicta differunt, quia in primo casu *non habet viam occidendi*, & in secundò *habet viam non occidendi*, sed cedédi officio: Primum patet, quia quamuis sciat illum dignum morte: non habet viam occidendi, nam non habet viá occidendi tunc nisi vt priuata persona, sed non licet ei vt priuata persona, igitur: Secundum patet, puta quod habeat viam non occidendi, quia potest cedere officio, &c.

Licet iudici, Innocentem probatum nocentem damnare.

B OPpositæ sententiæ est sanctus Thom. 2. 2. q. 67. artic. 2. & idem dicit Altisiodorensis, & Richardus, & glossa, de consecr. dist. 2. & idem habetur 3. q. 7. can. iudicet, in glossa: tenent omnes cum sancto Thoma, qui in tali casu dicit, aut Sortes est supremus iudex, puta Imperator, vel rex non recognoscens superiorem in tali potestate iuridica, aut non est supremus iudex: Si non sit iudex supremus, vel potest remittere ad superiorem, vel non, si non, puta quia vel superior C præcepit ei vt cognoscat de causá, dicit quod propter hoc tenetur renunciare. Si non potest tunc, vel potest sine scandalo ab iniusticia ipsum liberare vel non. Nam aliqui sunt casus ita enormes, in quibus etiam supremus iudex non potest dare vitam sine scandalo iusticiæ, in tali casu non potest non occidere, imò tenetur condemnare.

Resolutio Thomæ est, quæstione allegata, articulo 2. quod *Iudex potest cognoscere aliqua dupliciter, vno modo vt priuata persona, alio modo vt publica: si vt priuata, nec licet condemnare nec absoluere, quia* D *secúdum talem cognitionem nullam habet potestatem*: Sed vt persona publica, aliquid potest cognoscere dupliciter, vno modo in communi, alio modo in particulari, in communi per legem naturalem, diuinam, aut humanam, hoc est per leges publicas, diuinas, aut humanas, contra quas nullas probationes admittere debet, vnde in communi cognoscit quod omnis malefactor est occidendus, quando malefactor est perturbatiuus reipublicæ. Alio modo potest cognoscere in facto particulari E vt persona publica, puta per instrumenta, & testes, & alia eiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in iudicando, magis quàm id quod ipse nouit tanquam priuata persona: Dicit ergo quod in casu, in quo Sortes iudex scit Platonem innocentem, nihilominus probatur nocens, & fecit omnem indaginem ad refellendum testes, & non potest illum liberare sine scandalo iusticiæ, in tali casu, licet Sorti iudici Platonem innocentem damnare ad mortem, & istam opinionem dicit Præpositiuus probabiliorem, & F hoc intellige sané, puta supponendo quod non tenetur cedere officio, contra id quod dicit de Lyra, & non potest remittere ad alterum, & si non cedat officio, tenetur condemnare. Ratio mea fortissima pro ista opinione est ista, capio Sortem Episcopum coram quo agitatur materia de matrimonio inter Sortem & Bertham, nam Sortem probat Bertham esse suam vxorem, nihilominus Episcopus scit oppositum, sed non potest probare, & Plato probat per testes omni exceptione maiores, quod Bertha sit vxor eius, quia eam desponsauit

in facie Ecclesiæ; tunc Episcopus tenetur adiudicare illam adhærere Sorti, & ei reddere debitum, A & potest casus poni districtius, puta quod causa agitetur coram Papa, qui non potest cedere papatu nisi ex consensu Cardinalium & Ecclesiæ, & ratione insufficientiæ, & supposito quod non potest cedere, ergo oportet de necessitate quod iudicet, & non potest iudicare quod non sit vxor illius, patet per opinantem oppositum nō potest iudicare de aliquo nisi sciat vt persona publica, quia scientia vt persona particularis, non sufficit ad ferendum iudicium, ergo saltem in casu iudex tenetur iudicare contra scientiam quam habet vt B persona priuata siue particularis. Eodem modo iudex laicus debet facere, nam si probauerit hanc rem esse meam, quæ de facto non est mea, & iudex certò scit quod non est mea, tenetur tamen adiudicare illam rem mihi, similiter tenetur condemnare Innocentem probatum nocentem, quamuis vt persona priuata sciat oppositum, & hoc seruato ordine iuris, quem tenetur obseruare. Quid ergo ad argumentum, Exodi 23.? exponunt insontem, id est quem cognoscis insontem C & iustum; vt persona talis, id est vt persona publica, non debes condemnare, sed in casu iudex non cognoscit istum insontem vt iudex, imò habet ea quæ sufficiunt ad oppositū, vt persona publica, ideo in tali casu potest illum adiudicare morti. Dices, nunquam licet alicui facere contra conscientiam, sed iste occidendo facit contra conscientiam, ergo, non licet istum occidere: verum est quod nunquam licet alicui facere contra conscientiam, sed nego quod iste faciat contra conscientiam. Contrà, iudicat istum esse inno- D centem neque dignum pœna & morte, & iudicat eum non esse occidendum: dico, quod iudicat eum esse occidendum si recte iudicat, vnde ista consequentia nihil valet, iste est Innocens, ergo non est dignus morte: Vnde dico quod ex parte iudicis iustè occiditur, & istud iudicium esset erroneum in iudice, istud nō est iudicandus à me, imò istud iudicium est verum, iste est iudicandus à me, & non tenetur illud deponere. Contrà, ergo faciet contra conscientiam, nego, E & dico quod *facere contra conscientiam est facere contra dictamen practicum de aliquo faciendo vel non faciendo:* quamuis ergo iudex iudicet quod est innocens, & verè tamen iudicat rectè quod est occidendus, eodem modo dicendum est de lictore qui cognoscit certitudinaliter condemnatum ad mortem per iudicem, esse innocētem, debet eum suspendere, quamuis sciat illum esse indignum morte, postquam habet mandatum à iudice iustè præcipiente, & iustè condemnante, & ista F opinio videtur probabilior, quod postquam non potest ad alterum remittere, neque absoluere sine scandalo, & concesso quod non tenetur cedere officio (nam esset valde difficile quod rex teneretur cedere regno propter istum casum particularem) quod ipse iudex debet talem innocentem condemnare.

An potestas coërcitiua laica sit à Papa vel Ecclesia.

HIs prælibatis, circa materiam tertiæ quæstionis, accedendum est ad illam tertiā quæstionem, qua quærebatur vtrum talem potestatem coërcitiuam Imperator vel dominus temporalis habeat à Papa & Romana Ecclesia. Prima opinio est, quod ex institutione Christi, habuit talem à Papa, cuius opinionis sunt qui dicebant in præcedentibus quæstionibus, quod Papa habet plenitudinem potestatis tam in temporalibus quam in spiritualibus, & quod in vtrisque, potest facere sine peccato omne illud quod non est contra legem naturæ aut diuinam: sed Papam committere talem iurisdictionem nō est contra legem naturæ aut diuinam siue Euangelicam: Item, qui exercet illā sine cōmissione sūmi Pontificis, iniustè exercet: patet, nisi Papa cōmitteret negligenter faceret opus sibi commissum, & non potest Papa per se exercere: nam data est ei potestas, & prohibitum est ei ne illam exerceat: ergo oportet quod alteri committat, & nisi alteri committeret negligeret opus sibi commissum: Quod autem exercens sine commissione Papæ iniustè exerceat, patet, *quicumque assumit honorem nisi ad illum sit vocatus tanquam Aaron*, etiam loquendo de honore tam in spiritualibus quam in temporalibus, præsumptuosè assumit, & talis est notandus de ambitione, & non intrat per ostium, vnde ad prælatum spectat iuridicè & ordinariè prouidere de beneficijs particularibus. Ergo eodem modo, cum ad Papam ordinariè spectet istam iurisdictionem cōmittere, etiam ex institutione Christi, si aliquis eam assumat libero suo arbitrio, ambitiosè assumit, & iste est primus modus dicendi, quod omnes exercentes iurisdictionem temporalem, habent illam potestatem exercendi à Papa. Vltrà dicit doctor, quod eiusdem sententiæ debent esse qui tenent, quod licet Papa non habeat illam plenitudinem potestatis, de qua dictum est quæst. 1. capite 1. tamen, habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia quæ necessaria sunt pro communitate fidelium gubernanda, sed ad debitum regimen fidelium necesse est quod sint aliqui exercentes vsum gladij; ergo, si Papa habet plenitudinem potestatis, ita quod potest quicquid non est contra legem naturæ aut Euangelicam, siue dicatur quod habet plenitudinē potestatis, & quod teneatur prouidere de regimine fidelium, tenetur committere istas iurisdictiones temporales.

An liceat condemnato capitis fugere.

TErtia quæstio proposita in principio huius tertiæ quæstionis erat, an condemnato à principe ad mortem, liceat fugere, si pateat ei locus fugæ; & apparet quod non, per illud quod scribitur ad Rom. 13. *qui potestati resistit ordinationi Dei resistit*, & loquor de potestate principum: sed non licet resistere ordinationi Dei, ergo non licet resistere principi seculari. si igitur damnatus ad mortem aufugeret, resisteret huiusmodi potestati, ergo non licitè faceret, & per consequens peccaret & iniustè ageret. Oppositum tamen arguitur, quilibet naturaliter inclinatur ad seruandum vitam suam, ergo licet seruare quando hoc fieri potest, sine iactura alterius, puta sine percussione vel læsione alterius vel damno, vt puta, si aliquis haberet damnatum custodire sub aliqua pœna, non licet ei aufugere. Pro ista quæstione aduertendum est, quod aliud est loqui de iniustè damnato, & de iustè damnato: & iterum de iustè damnato potest intelligi dupliciter, vel de illo qui

qui est iustè damnatus ex parte iudicis, & non ex parte sui: *ex parte iudicis, puta quia iudex seruauit ordinem iuris* iudicando illum secundum allegata & probata, & tamen ipse de facto est innocens: aut de iustè damnato, & ex parte iudicis, & ex parte sui; quia videlicet seruatus est ordo iuris in damnando ipsum, & realiter merebatur damnari, quia nocens erat, & malefactor.

His suppositis, sit prima propositio, iniustè damnatus ad mortem ex parte iudicis, puta quia non seruauit ordinem iuris, vel non habuit probationes sufficientes ad damnandum ipsum, potest, imò tenetur fugere si ei pateat locus fugæ: Patet sic, quod teneatur fugere, nam iure naturali, quilibet tenetur seruare vitam propriam quantum potest medio licito, Ergo Sortes qui est iniustè damnatus ex parte iudicis, si pateat ei locus fugæ & non fugiat, peccat contra legem naturalem, qua tenetur seruare vitam suam quantum potest: Ergo, cum istud medium, puta fugere, sit Sorti licitum ad seruandum vitam, imò est ei licitum quemadmodum esset ei licitum fugere contra hostes eum iniustè aggredientes, nam persequentes se, tenetur iure naturali fugere. Alia ratio adducitur ab aliquo doctore quæ talis est, ille iudex adiudicando illum morti peccauit, Ergo dando sententiam executioni peccabit, & Sortes qua lege scilicet diuina tenetur diligere proximum, etiam vitare peccatum in proximum, Ergo cum teneatur vitare peccatū in proximum, etiam tenetur fugere, si ei patet locus fugæ. Dices, ergo martyres obligabātur fugere cum multis pateret locus fugæ; & essent iniustè damnati ad mortem. Dico quod quando ex fuga imminebat scandalum fidei, non tenebantur fugere; imò oportet quod iniustè damnatus maneat, præcipuè si ex fuga illius immineret periculum in fide.

Secunda propositio, licet damnato iniustè isto modo, impetere iudicem & rebellare si possit, ita quod posset vincere vi sua, patet vnicuique vim vi repellere licet, & hoc quando infertur vis iniustè, sed in illo casu infertur vis iniustè, Ergo in illo casu licet vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutellæ, & hoc expressè habetur Ecclesiastici 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & ad interitum liberare non cesses;* & loquitur de illis qui ducuntur iniustè ad interitum, & arguitur sic, Quilibet tenetur se magis diligere & liberare quàm quemcumque proximum, sed sic est quod quando proximus iniustè ducitur ad mortem, quilibet tenetur eum liberare si possit, etiam per violentiam, ergo à fortiori si possit, ipse illam vi repellere debet, imò ad hoc tenetur.

Tertia propositio, iustè damnatus ex parte iudicis, tamen iniustè ex parte sui, licitè potest aufugere si pateat ei locus fugæ, quia est realiter innocēs, patet apud omnes doctores si. A possessio sit mea, nihilominus Plato probat eam suam, & per iudicem adiudicatur Platoni, si possum *sine periculo corporis & famæ* eam occupare & rapere, benefacio, dicitur notanter, *sine periculo famæ,* quia si eam capiendo reputarer fur & latro non debeo eam capere, nam bona fama præstantior est bonis fortunæ; dicitur notanter etiam *sine periculo corporis* quia corpus magis est diligendum quam fama, & fama quam bona externa;
A & super omnia ista vita est magis diligenda: Ergo à simili; si Sortes sit iustè dānatus ex parte iudicis, & iustè ex parte sui, adhuc corpus suum remanet eius, Ergo potest fugere etiā cum periculo famæ, quia corpus magis est diligendum quàm fama.

Quarta propositio, in qua est difficultas inter doctores, si Sortes sit iustè damnatus ad mortem ex parte iudicis & sui, & pateat ei locus fugæ, an teneatur auffugere, dico quod potest licitè auffugere & sine peccato, & in hoc maior pars doctorū conuenit, hoc tenet de Gandauo, quodlib.
B 9. quamuis oppositū imputetur Sancto Thomæ; tamen non legi in ipso, sed dicit, quod licitè potest auffugere, vt patet 2. 2. q. 69. vltimo art. in solutione 2. argumēti vbi dicit quod nullus condemnatur ad manendum in loco vnde ducatur ad mortem: tenetur tamen non resistere agenti quin patiatur quod iustum est eum pati, sicut etiam si aliquis sit condemnatus vt fame moriatur, non peccat si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere:
C Patet sic, *vnusquisque tenetur seruare vitam suam iure naturali indispensabili, dummodo possit hoc medio licito, & sine iactura alterius,* sed ita in tali casu, Sortes potest conseruare vitam suam: Primò iudex non patitur iacturam ex eius fuga, neque custos, supposito quod nō seruet eum sub pœna, ergo, &c. Holcot in 3. sententiarum, adducit multas rationes ad istam propositionem, nam Sortes potest postea maius bonum communitati facere, quam mors eius fuisset cōmunitati bona,
D quia non licet interficere nisi propter bonum commune: similiter potest pœnitere & multa alia bona facere, ergo in tali casu Sorti proponenti illa bona facere, licet aufugere, & hoc satis suadet sanctus Thomas in loco præallegato, de condemnato vt fame pereat, qui potest comedere si ministretur ei cibus, quia nullus potest condemnari vt seipsum interficiat: imò dicit de Gandauo, si posset violenter à custode carceris vel quouis alio panem subtrahere, licitè potest, quia in tali casu, cum sit in extrema necessitate,
E omnia sunt ei communia. Diceret aliquis, & est apparentia maior quæ possit haberi pro parte opposita, si Sortes esset condemnatus ad perditionem bonorum, post illam condēnationem non potest illis bonis vti, neque retinere, imò committeret furtum quia non sunt amplius eius: similiter, si Sortes iusto iudicio condemnetur in seruitutem alicuius, non potest post sententiam latam aufugere ab eo, imò tenetur parere ei cuius est seruus, imò si fugiat tenetur de damno do-
F mino suo, & eum recompensare de iniuria facta: Ergo à simili, si Sortes sit iustè damnatus ad mortem, corpus eius & vita non videtur amplius esse ipsius sed reipublicæ, ergo si fugiat, iniuriam facit communitati cui vita eius adiudicata est, & per consequens ipse peccat, & ista est & maior apparentia quæ haberi potest pro opposito, & hoc assumunt alij doctores tenentes oppositam partem.

Quantum ad hoc, optimè respondet de Gandauo, dicens quod dupliciter contingit habere dominium in aliqua re, *vno modo, quantum ad substantiam rei, alio modo, quantum ad exercitium opera-*

tionum aliquarum circa illam rem, primo modo ille habet dominium qui substantiam rei alienare potest: secundo modo, qui locauit equum, vel domum, habet dominium isto secundo modo: hoc supposito, dicit vlteriùs, quod *nullus potest habere dominium in corpore alterius quantum ad substantiam, præter animam informantem tale corpus*, vt sit Sortes quamtumcumque seruus damnatus ad mortem, nullus habet dominium quantùm ad substãtiam corporis eius & vitam, præter animã ipsius quę id habet à Deo, quia quantũ ad substantiam, semper remanet corp᷒ animę, Ergo anima tenetur regere ipsum, nutrire, & cõseruare in esse quãtùm potest, sed quantũ ad aliquas operationes exercẽdas circa corpus, iudex habet dominium, vt puta citare eum, prouocare, incarcerare, mortẽ inferre, &c. & sic malefactoris corpus, quantum ad substantiam, semper remanet animæ eius, sed quantum ad aliquas operationes exercendas, dominium est apud iudicem: propterea dicit idem de Gandauo, & consequenter sanctus Thomas, quod si Sortes sit vinculatus, non licet ei frangere vincula & carcerem, quia non habet dominium sui corporis quantum ad hoc, neque rebellare: nam si rebellaret; liceret principi illum inuadere, bellum enim est iniustum ex parte Sortis, ergo illicitè rebellat: & est argumentum efficax quia si rebellat & princeps aggrediatur, bellum est iustum ex parte principis, ergo iniustum ex parte alterius, ergo propositum verum.

Resolutio igitur istius materiæ est, quod quamuis sit Sortes iustè condemnatus & non vinculatus, neque clausus in carcere, neque datus alteri in custodiam sub pœna, ita quod non immineat alicui personæ detrimentum ex eius fuga, licet ipsi fugere.

Sed est difficultas, vtrum teneatur fugere in tali casu, vel solum sit consilium: dicit de Gandauo quod satis elici potest, quod tenetur fugere, imò si non fugiat est homicida sui: nihilominus dicit Ioannes de Gersonio in tractatu quem fecit de esu carnium, quod potest licitè expectare mortem pro suis demeritis, & satisfacere pro peccatis: videtur tamen mihi, quod si sit ei licitum fugere, quod pro tunc etiam tenetur fugere, quia iure naturali tenetur seruare vitam corporis, & quia patet ei medium licitum ad illam seruãdam, ergo tenetur, & hoc dicit de Gandauo, & Thomas, de illo qui est damnatus vt pereat fame, quod tenetur comedere si habeat panem, quia illud est medium licitum ad seruandam vitam suam: vnde de Gandauo ponit differentiam inter istos quatuor terminos, *necessitas, fas, ius, & licitum*, vnde non solùm in tali casu est ius, fas, aut licitum, sed necessitatis est fugere; & ista opinio videtur probabilior.

Argumenta quibus probatur iurisdictionem principum laicorum dependere à summo Pontifice.

PRo ista opinione, potest sic argui, habita sunt tria dicta, primum, quod Papa habet potestatem committendi iurisdictionem laicam & temporalem: secundum, quod tenetur illam committere, quia aliàs negligeret onus sibi commissum: tertium, quod quilibet qui assumit iurisdictionem illam sine commissione Papæ, est arguendus de ambitione, quia assumit honorem non vocatus, & intrat non per ostium. Prima ratio huius opinionis est, necessarium est in omni communitate habere supremum à quo cunctorum iurisdictiones dependeant, sed tota communitas Christianorum, est communitas volentium ad inuicem communicare, ergo oportet esse supremum in illa communitate, &c. Sed nullus alius potest assignari præter Papam, ergo ab ipso dependet iurisdictio omnium aliorum: populus enim si est bene ordinatus, vni gubernatori, & non pluribus debet esse subiectus, Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator populus corruet*, loquitur enim in singulari, & non in plurali, cum inquit gubernator, & nõ gubernatores, ergo videtur innuere, quod vni populo, vnus supremus debet esse gubernator & non plures, & cum totum genus humanum vnus populus sit, qui optima constitutione & institutione (volentium ad inuicem viuere & communicare) regi debeat, necesse est esse principem supremum, à quo cæteri dependeant, & illi supremo in omnibus pareant. Præcipua ratio inter cæteras est ista, si non sit supremus aliquis à quo cæterorum iurisdictio dependeat, poterunt esse aliquæ in aliqua communitate non subordinatæ iurisdictiones, quarum quilibet illas exercens erit supremus & nulli alteri subiectus: Ergo poterunt esse plures superiores non habentes superiorem, sed hoc optimo modo regendi, obuiare videtur, quia si sint plures, superiorem non habentes, quorum neuter sit alteri subiectus, vel præerunt eidem populo, vel diuersis. Si eidem populo, ergo non poterit populus exhibere quod est exhibendum superiori, quia si ambo simul contraria præcipiant, non poterunt subditi suis superioribus parere: Ergo necesse erit vt sint alteri inobedientes, & ad impossibile obligati, quod est impossibile: Ergo in communitate bene ordinata, non possunt esse duo principes non subordinati: Si autem illi duo superiorem non habentes præsint diuersis populis, ergo illæ communitates non erunt bene ordinatæ: patet, inter illos populos possunt esse dissentiones, cum natura humana sit prona ad dissentiendum, & inter diuersos superiorem non habentes leuiter poterit oriri discordia, quæ per superiorem sedari non poterit: discordia autem inter maiores superiorem non habentes periculosa est, secundum Aristotelem 6. politic. cap. 9. Ergo si non sit aliquis superior ad vtrumque illorum populorum, & ad vtrumque istorum qui præsunt istis duobus populis, tales communitates non sunt bene ordinatæ. Ergo dicit doctor, oportet confiteri quod sit vnus alijs omnibus superior, à quo cunctorum potestates & iurisdictiones dependeant, & non videtur alius à summo Pontifice, ergo si iurisdictio omnium aliorum dependeat à summo Pontifice, tunc nec imperator, nec alius princeps debet iurisdictionem temporalem exercere, nisi sibi à summo Pontifice committatur, & hæc est summa huius opinionis, scilicet quod omnis iurisdictionis auctoritas dependeat à summo Pontifice.

CAP. 2.

Caput II.

Alia est opinio, quod nec Papa, nec Romana Ecclesia &c.

Iurisdictio ciuilis, nec actu, nec regulariter, potest competere Pontifici, aut Ecclesiæ Romanæ.

Visum est de Iurisdictione principum secularium, ad quos spectat maleficos, & in corpore & in bonis punire, & illa prima est iurisdictio quæ vocatur coercitiua & auctoritas publica maleficos damnandi, contrahitur à populo: & in primo capit. fuerunt allegatæ opiniones, vna quod nullus princeps temporalis potest iustè actum iurisdictionis exercere, nisi ex commissione Papæ & Romanæ Ecclesiæ: Nunc in isto secundo cap. ponitur secunda opinio, quæ diuiditur in tres modos dicendi partiales, & vniuersaliter ista opinio dicit, quod principes seculares absque commissione Papæ & Romanæ Ecclesiæ, possunt iurisdictiones seculares licitè exercere, ita quod nec Papa, nec Ecclesia habent ex institutione Christi, quod debeant illas iurisdictiones illis principibus secularibus committere.

Marsilius de Padua, circa hanc materiam ponit tria dicta, primum, quod Papa nullam habet potestatem coercitiuam siue coactiuam ex institutione Christi, & quod nullus habet potestatem excommunicandi, nisi ex beneplacito populi aut principis, & nititur hoc deducere ex auctoritate Pauli, qui excommunicauit fornicatorem conuocato populo: Secundò dicit, quod Papa non est exemptus ab habente potestatem coactiuam, imò ipse subiectus est principi seculari habenti potestatem coactiuam: Tertium dictum, quod si delinquat vel in spiritualibus, vel in temporalibus, à principe venit coercendus: Sed ista opinio quantum ad multa, est damnata & scandalosa, quod patet per vsum contrarium. nam excommunicare potest Papa, & quotidie facit sine consensu populi, ergo, &c.

Secundus modus dicendi est, quod Papa quantum ad spiritualia, habet potestatem coactiuam per censuras spirituales, puta per excommunicationem, vt in peccatis contra sacramenta, & contra euangelium, sed in temporalibus, nec habet regulariter nec casualiter potestatem coactiuam ex institutione Christi, sed si habeat, hoc est à principe vel populo.

Tertius modus dicendi est, Papa habet potestatem coactiuam per censuras spirituales in spiritualibus, sed in temporalibus non habet illam *regulariter, sed solùm casualiter:* Et videtur difficultas ex varietate textuum, an videlicet Papa ex institutione Christi, in causis purè laicis, habeat potestatem discernendi, iudicandi, & cogendi.

Opinio iuristarum quantum ad hoc, est, quod summus Pontifex non habet regulariter, sed casualiter: regulariter, hoc est non debet exercere illa quæ sunt potestatis puræ laicæ, ideo dicunt illum, illam *habere in habitu, sed non in actu*, quia casualiter potest & debet, puta in duobus casibus: primus, quando deest princeps secularis: secundus, si princeps secularis non possit vel negligat illam exercere: In talibus casibus potest, imò tenetur Papa administrare iustitiam in rebus temporalibus: Ideo casualiter orta quæstione de possessione aliqua, Ecclesiastici possunt se intromittere, non tamen regulariter, sed in duobus tantum casibus prius tactis: quantum ad primum extrauag. In cap. licet de foro competen. quod vacante Imperio, potest Papa se intromittere de negotijs temporalibus: quantum ad secundum in cap. ex tenore, eodem titulo: nam si Imperator non vult causam terminare, Papa debet ex institutione Christi illam terminare, propterea ex institutione Christi, habet iurisdictionem laicam in habitu sed non in actu, datur simile, si duces subiecti regi, nolent iurisdictionem administrare, tunc debet rex illam administrare, & illam habet in habitu: similiter dicendum est de summo Pontifice.

Doctor arguit pro ista opinione, & non arguit particulariter pro aliquo istorum trium modorum, sed vniuersaliter pro tota opinione, ille non habet suam iurisdictionem ab illo, cuius est dominus, quia nunquam dominus habet iurisdictionē à seruo; sed Imperator est dominus Papæ in temporalibus, nam habetur textus. 11. q. can. sacerdotibus, vbi Papa vocat imperatorem dominum suum: ergo est dominus eius. Secundò ad rem, arguitur ratione, quod Papa sit subiectus Imperatori, in qua fundant se doctores quæ videtur eis peremptoria: quælibet res quæ transit cum onere suo, nisi super hoc habeatur speciale priuilegium, sed prædia quæ transierunt de nouo in dominium Papę, puta per collationem principum vt Constantini, & regis Franciæ; puta in Auinione, illa erant Imperatori & principibus subiecta; ergo transierunt cum tali onere, nisi super hoc habeatur speciale priuilegium: Ergo Papa quantum ad illa est Imperatori & regibus subditus: vnde dictum est, quod principes non solùm habent potestatem in res, sed etiam in personas, quia possunt incarcerare & occidere. Dico tamen quod quantum ad istam potestatem quæ respicit personas, est apparentia quod Papa sit exemptus, ita quod Imperator non potest incarcerare, nec occidere eum, quamuis commiserit crimen tali pœna dignum, sed quantum ad ipsas res, quod iure diuino sit exemptus, nulla est apparentia. Ergo dicit doctor, ad minùs habetur quod ratione prædiorum quæ transierunt cum onere suo in dominium Papæ (& quæ antequam transirent erant subiecta principi, quantum ad iurisdictionem, ratione illorum habens dominium) efficitur subiectus alteri habenti iurisdictionem super illa. de foro competen. cap. vltim. patet hoc, persona dupliciter efficitur subiecta, vno modo ratione criminis, alio modo ratione possessionis.

Resolutio est quantum ad primum modum dicendi Marsilij de Padua, erroneum est quod Papa non habeat potestatem coactiuam in nullis rebus: Item vterque duorum secundorum modorum est probabilis, videlicet quod Papa in rebus purè ciuilibus nullam iurisdictionem nec regulariter nec casualiter habeat iure diuino, & ex institutione diuina; vel quod habeat non regulariter, sed casualiter, puta in duobus casibus

tantum suprà numeratis, scilicet si nullus sit iudex temporalis, & si non potest exercere vel negligat, probabile est quod casualiter in illis duobus casibus habeat iurisdictionem administrandi in temporalibus.

Capvt III.

His opinionibvs breuiter, & cæt.

Papa in spiritualibus, non in temporalibus, est superior Principum Laicorum.

Iam nititur soluere vnam rationem opinionis præcedentis, & resolutio doctoris est, quod Papa non habet committere principibus secularibus iurisdictionem ciuilem, sed illam habent à populo: Sed arguitur pro parte opposita sic, Communitas volentium ad inuicem viuere, & in actibus ciuilibus conuersari, inter quos potest oriri discordia, non est bene ordinata, nisi sit aliquis superior qui possit illorum causas & discordias terminare, aliàs sequerentur bella & multa alia inconuenientia, sed tota communitas omnium Christianorum est communitas volentium ad inuicem viuere, &c. Ergo non est bene ordinata nisi sit vnus superior, sed non potest dari talis superior nisi Papa, ergo est omnium Christianorum superior: sed inferiores non habent iurisdictionem nisi à superiore, ergo omnes habent suas iurisdictiones ex commissione Papæ.

Quantum ad hoc argumentum, concessa maiore negatur minor, puta quod talis supremus non potest esse alius præter Papam; imò secundum vnum modum dicendi, est aliquis alter à summo pontifice ex electione populi, & consensu maioris partis aut sanioris, cui etiam Papa est subiectus, saltem in temporalibus, scilicet Imperator: & ista est prima solutio, hoc etiam Marsilius dicit de Padua. Secunda solutio tangitur à doctore vbi aliter respõdetur, & ista secunda solutio est melior, & dico quod omnium Christianorum est vnus superior, qui potest causas terminare spirituales, vt Papa, & alter qui potest causas ciuiles vt Imperator. Sed quid dicendum, si reges non sunt subditi Imperatori: dico, quod sufficit quod sint duo vel plures superiores, vnus vni parti præsidens, & alter alteri, vt Sortes Gallus, & Plato Hispanus, nullus est amborum superior: sed quilibet habet suum superiorem, & orta discordia inter illos, *actor sequatur forum rei*, vt Gallus conueniat Hispanum coram suo iudice, & principe Hispano, & Hispanus Gallum etiam coram suo, ideo non requiritur quod vtriusque sit vnus superior, sed quod quilibet habeat suum superiorem, & dummodo isti superiores sint prudentes poterunt suas communitates optimè regere.

Capvt IIII.

Porro qvia ista videntvr, non, & cæt.

A *Principatus omnis, tum Ecclesiasticus cum laicus, non est institutus propter principem, sed propter populum.*



Idenda sunt pertinentia ad bonum principatum, primum quod sit ordinatus in bonum commune, & non in vtilitatem alicuius personæ priuatæ, vnde Aristoteles; non solùm ponit differentiam boni principatus à tyranno, sed etiam à despotico licito, quia principatus est ordinatus ad communem vtilitatem:
B isto modo, Christus instituit principatum sacerdotalem propter vtilitatem communem, & non propter bonum priuatum Petri & successorum, talis autem principatus Papalis & Episcopalis, est ex ordinatione Christi, quod insinuatum est à Christo, cum Petrum fecit Papam, dicendo *pasce oues meas*, quasi dicat super oues meas te principem constituo, vt non tollas ab eis lac & lanam nisi pro necessitatibus tuis, iuxta illud ad Corinthios 9. *quis pascitur gregem, & de lacte eius non*
C *manducat?* Ecclesiastici enim habent titulum petendi & exigendi temporalia pro spiritualibus, vt patet ex illa auctoritate Pauli: Principatus ergo Apostolicus est ordinatus, non propter bonum principantis, sed propter bonum commune subiectorum, ad obtinendum regnum cælorum: & ideo Petrus dicit alijs pastoribus, *pascite qui est in vobis gregem Dei:* Ex istis auctoritatibus habetur manifestè, quod principatus Apostolicus est institutus propter bonum commune: *propterea, si*
D *Petrus aliquid instituisset contra libertatem alicuius particularis personæ, vbi non fuisset necessitas aut magna vtilitas, illa institutio siue præceptio, non obligasset:* nam quæ fiunt à iudice, & non in illa materia in qua non habet potestatem iudicandi, nullius sunt efficaciæ: vnde non fuit data Petro potestas, nisi in vtilitatem subditorum: quare si Papa ferat sententiam excommunicationis, & non pro causa vera vel apparente, non est timenda.

E
Capvt V.

Secvndo ad optimvm principatum, & cæt.

Monarchiam præferendam esse omnibus alijs formis principatuum aut politiarum, & de fine eorumdem principatuum.



Isvm est an principes seculares habeant suas iurisdictiones à Papa, & *est*
F *opinio communis inter doctores Parisienses quod non*, Imò antequam esset aliquis summus pontifex, erant principes seculares habentes suas iurisdictiones, & ille modus est tripartitus vt visum est: nam dicebat Marsilius, quod Papa nullam habet potestatem coactiuam: Alij quod habet in spiritualibus coactiuam, sed non in temporalibus, nec regulariter nec casualiter: Alij, quod in temporalibus non regulariter, sed casualiter; & est opinio Iuristarum cap. licet, & cap. ex tenore, de foro competenti. Item dictum est, quod ad optimum principatum requiritur quod vnus principetur propter vtilitatem

tem communem & hoc fuit deductum in 4. cap. in isto 5. cap. doctor assumit secundum, quod conuenit optimo principatui, quod principans sit vnus, sicut principatus est vnus, ita quod ad optimum principatum, de necessitate requiritur quod vnus principetur, qui sit superior cæteris omnibus.

Pro isto potest multipliciter argui ex mente Aristotelis in 3. politic. nihilominus doctor adducit præcipuam rationem Aristotelis, quam facit loco præallegato, volens probare quod principatus regalis, in quo principans est vnus, sit melior principatu Aristocratico, in quo pauci principantur; & timocratico, in quo multi principantur: & sub regali principatu, comprehenditur omnis principatus in quo vnus solus dominatur, siue sit dux, siue comes, vel balliuus: Et arguitur sic, ille principatus est melior, qui conseruat subiectos in amicitia, pace, charitate, & concordia, prohibēdo & impediendo discordias, rixas, & tumultus inter subditos: Sed principatu regali ista maximè vitantur, ergo est principalis inter cæteros, & omniū optimus: & ista propositio est manifesta, quia *omnis principatus est ordinatus ad conseruandam charitatem & pacem inter subditos, & ad vitādum dissentiones & rixas inter illos:* Ergo ille est optimus, quo maximè seruantur illa, & maximè vitantur ista, cuiusmodi est regalis: igitur quod talis sit optimus qui talia facit, patet per multas auctoritates scripturæ. Vnde & princeps pacis Christus, super cuius humerum factus est optimus principatus, corporaliter ab Apostolis & cæteris fidelibus recessurus, ipsis dilectionem & amicitiam singulariter imponebat, dicens: *hoc est præceptum meum vt inuicem diligatis*, & Ioannis 14. *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, & 16. ait, *in me pacem habeatis*, & Matth. 10. dicit Apostolus: *intrantes domum salutate eam dicentes Pax huic domui.* Finis ergo principatus cuiuslibet, est conseruatio pacis subditorum, & vitatio discordiarum: sed hoc maximè fit per principatum regalem: pro cuius declaratione, notandum est, quod dissentio prouenient in regno non potest nisi tripliciter prouenire, vel prouenit inter subditos, puta cum subditi dissentiunt inter se, Secundò, vel cum est dissentio subditorum ad principem, vel principis ad subditos, & isti duo vltimi modi coincidunt. Sed in principatu Aristocratio vel timocratio, potest prouenire dissentio & subditorum ad subditos, & subditorum ad principantes, & vnius partis principātium ad alteram partem principantium: sed per principatum regalem, faciliùs conseruatur pax subditorum, & vitatur discordia inter ipsos, Ergo. Insuper dicit doctor, quando dissentiunt subditi inter se, illa dissentio facile sedari potest per principantem: sed si oriretur dissentio principantium ad principantes etiam ad omnes alios, faciliter se diffundet vt testatur Aristoteles politic. 5. cap. 9. Ideo difficile esset illam sedare, propterea quod subditorum pars adhæret vni parti, & altera alteri, & sequitur dissentio in populo: ergo dissentio prouenient in principatu Aristocratico vel timocratico, est multo grauior & perniciosior, quam illa quæ prouenire potest in principatu regali.

Resolutio doctoris post Aristotelem, & communiter omnium doctorum est, quod ad optimum principatum requiritur, quod sit vnus principans, ratio præcipua Aristotelis est, quia quando est vnus principans in dissentionibus, facilior est recursus ad principantem, quàm quando sunt plures principantes, ergo regalis est melior.

Dices, dicit Sapiens, Prouerb. 11. *Salus vbi concilia multa*, sed in principatu Aristocratico & timocratico sunt multa concilia & plura quàm in regali, ergo est præstantior regali, nam princeps ad hoc est ordinatus vt præuideat pericula imminentia & illis obsistat: sed hoc melius præuident plures sapiētes quam vnus solus, *plura enim vident oculi quam oculus*, quod vnus nō videt alter videt, & hoc de necessitate requiritur, puta præuisio periculorum imminentium, & eorum quæ possunt ducere rempublicā ad interitum & ruinam. Ergo melior est principatus Aristocraticus vel timocraticus, quam regalis, & hoc est præcipuum argumentum partis aduersæ tenentis oppositum. Ad hoc respondet sanctus Thomas in lib. de regimine principum, & post eum Ægidius de Roma, supposito quod omnes homines essent boni, non quærentes nisi quod iustum est, & homini & reipublicæ melior esset principatus Aristocraticus vel timocraticus quam regalis: nam duo aut tres quærentes bonum commune, meliùs prouident quam vnus: sed supposita conditione & peruersitate, quæ iam reperitur inter homines, quia vnusquisque saltem pro maiori parte quærit quod suum est, & non bonum commune: supposita ergo tali peruersitate hominum pro maiori parte, & etiam quia stultorum infinitus est numerus, & ex multis principantibus, quilibet niteretur acquirere sibi maiores diuitias & honores, & ex hoc facilè oriretur dissensio inter principantes in perniciem boni communis, ideo supposita conditione hominum nunc viuentium, præstantior est principatus regalis.

Caput VI.

Conseqventer restat inquirere, & cæt.

De plenitudine potestatis, & alijs quæ repugnant aut conueniunt optimo principatui.

Visum est quo modo duo requiruntur ad optimū principatum, primum quod instituitur propter bonū commune: secundum quod sit vnus principans. Nunc videndum est quæ sunt incompossibilia illi principatui optimo, & quæ sunt impertinentia. Primò est incompossibile illi principatui, inquantum huiusmodi, habere seruos propriè dictos, non dico locaticios, imò necesse est illos locaticios habere; Ratio est, nullus est in seruitutem redigendus nisi propter eius culpam, ergo de ratione optimi principatus, repugnat illi habere seruos propriè dictos, puta quod necessario sint serui tali principanti, & est præcipua ratio quæ maiorem habet apparentiam. Nam secundum Aristotelem 1. polit. melior est principatus liberorum quàm seruorum, quia melior est prin-

cipatus qui est meliorum subditorum, sicut melior est principatus hominum quàm bestiarum: liberi autem sunt meliores quàm serui, quare principatus seruorum non est optimus iudicandus: melius est enim principari bonis quàm malis, ergo iste principatus qui est super omnimodo liberos, hoc est qui non sunt serui emptitij, est est melior, & hunc vocat Aristoteles regalem: Vnde in plerisque locis habentur tales serui emptitij & abiecti, sed hoc repugnat optimo principatui, puta quod de ratione illius sint tales serui abiecti & addicti principanti, siue sint boni siue sint mali.

Vltrà, repugnat optimo principatui plenitudo potestatis in temporalibus: patet, illud repugnat quod est in damnũ & perniciem subditorum, sed illa plenitudo potestatis in temporalibus est eiusmodi. Nã est in perniciem reipublicæ quod princeps possit res cuiuscumque priuatæ personæ in dominium alterius transferre pro libito suo, & hoc posset si haberet illam plenitudinem potestatis, de qua dictum est prima quæstione in cap. 2.

Consequenter restat inquirere quæ possunt adesse & abesse optimo principatui, & breuiter dicitur quod ad optimum principatum spectat vnicuique quod suum est reddere hoc est iustitiam administrare, leges condere, iudices inferiores & alios officiales deligere & constituere, operationes quarumcumq; virtutum præcipere, & quilibet princeps ex officio ad ista tenetur: sed tamen ad hoc videtur esse principalissimè constitutus vt corrigat & puniat delinquentes. Patet 1. ad Corinth. 1. *lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis:* Præcipuum igitur quod pertinet ad principem est peccatorum correctio: Patet, principes ad hoc maximè sũt creati, propter mutuam & pacificam tranquillamque conuersationem subditorum fouendam, & discordias dissidiaque sedanda, & nihil aliud vult dicere in isto 6. cap. quàm quod princeps inter cætera, magis debet intendere punitioni malorum, ita quod actus principalis, propter quem princeps est institutus, est delinquentium punitio & correctio.

Ex his patet quæ sunt optimo principatui necessariò annexa, & quæ incompossibilia & quæ impertinentia, & dictum est quod ad optimum principatum, necesse est quod sit propter bonum commune, & quod principans principetur liberis, & non seruis, & quod sit vnus principans & non plures: Item repugnat optimo principatui habere plenitudinem potestatis, puta quod possit ad placitum suum transferre rem meam in alterum, sine quocumque meo peccato vel causa, & facere quicquid non repugnat iuri naturæ & diuino: & visum est etiam quo modo præcipuus actus principantis, est malorum punitioni intendere.

HIS VISIS DICITVR QVOD optimo, & cæt.

De ijs quæ non repugnant optimo principatui.

IAM doctor infert aliqua corollaria, Primùm non repugnat optimo principatui supremo optimè ordinato, aliquam esse potestatem iuridicam alicuius vel aliquorum de communitate illa, quæ nullomodo ab ipso supremo principante dependeat, & quæ non sit ab ipso instituta, hoc est quæ non dependeat ab ipso, nec quo ad institutionem nec quo ad destitutionem, saltem regulariter. Patet, dictum est quod optimus principatus est institutus propter bonum commune & malorum correctionem, ergo si non impediat malorum coercitionem, ita quod nullus delinquens in illa communitate iustam & debitam effugiat vltionem, non repugnat supremo principatui esse aliquam talem iurisdictionem, quæ nullomodo dependeat ab ipso supremo, nec quo ad institutionem, nec quo ad destitutionem; nec etiam talis iurisdictio bono communi repugnat. Patet sic, vndecumque coerceantur malefactores, dummodo coerceantur per potestatem aliquam, vndecumque sit talis potestas, vel à supremo, vel ab altero; non est impertinens bono communi, si puniantur per potestatem publicam & coercitiuam, ergo corollariũ verum. Hinc est quod in aliquibus regnis, vt fertur in regno Arragoniæ, rex non habet instituere iurisdictiones, imò est aliqua potestas iuridica quæ habetur ex successione parentum. Ita quod post patres, filij sunt iudices, & filij filiorum erunt iudices, nec illos rex potest destituere, imò sunt suprà regem, quantum ad illam iurisdictionem.

Secundum corollarium, non repugnat optimo principatui, aliquam personam politię, esse regulariter exẽptam ab eius iurisdictione, dummodo sit casualiter subiecta, puta ratione criminis ab ea commissi, dicitur regulariter, quia vt patet in 1. corollario, non repugnat optimo principatui aliquam personam habere iurisdictionem, quæ nullomodo dependeat à supremo principante, ergo illa non regulariter est subiecta, sed bene casualiter, puta si peccat talis persona in rempublicam, tunc ad supremum principantem spectat illam punire.

Tertium corollarium, non repugnat optimo principatui & supremo, correctionem illius personæ sic regulariter exemptę ad aliquem alterum, vel ad aliquos spectare, quam ad supremum principantem: Patet sic, quicquid non repugnat bono communi est compossibile optimo principatui & supremo, sed quod ista persona sic exempta puniatur ab alijs quàm à supremo principante, non est repugnans bono communi, & punitioni malorum, ergo, &c. Vnde ponit ista doctor volens dicere quod Papa non est supremus principans in politia, sed Imperator, si foret aliquis ex vniuersali consensu totius populi. Vltrà dicit, quod non obstante quod ipse Imperator sit supremus principans, non tamen repugnat quin Papa habeat potestatem coercitiuam, puta excommunicandi illum. Similiter Papa est regulariter exemptus à principe, quia non potest eum Imperator pro qualicumque crimine punire, dato quod Papa committeret crimen quod scandalizaret totam Ecclesiam, adhuc regulariter non spectat ad supremum principantem eum punire, sed ad Concilium generale.

Resolutio ergo talis est, non repugnat optimo principatui & supremo, esse potestatem aliquam in politia quæ non dependeat ab eo, neque quo ad institutionem, neque quo ad destitutionem: præterea

præterea non repugnat esse personam exemptam à tali principante, quantùm ad correctionem, quin possit per alios fieri, quàm per supremum principantem.

CAPVT VII.

SANE LICET PRÆSCRIPTA opinio, & cæt.

Quo in casu monarchia mutari debeat in Aristocratiam, aut Democratiam.

IN hoc septimo capit. vult dicere doctor quod quamuis supradicta de optimo principatu sint vera, tam de principatu vniuersali quàm particulari regulariter, nihilominus, ille principatus regalis in casu, non est optimus, imò mutandus in Aristocraticum, vel Timocraticum: Patet, in casu quo principans esset tyrannus, vel quando plures aspirarent ad principandum, & melius seruaretur bonum commune per plures principantes, ideo casualiter alius principatus potest esse melior quàm regius, dummodo semper seruetur prima conditio necessariò requisita ad bonum principatum, puta quod sit propter bonum commune: Et secunda conditio, puta quod vnus principetur, casualiter potest esse falsa, puta si ille vnicus ad tyránizandum aspiraret, & declinaret, tunc optimus principatus non esset simpliciter omnium optimus, imò multis esset nociuus, quemadmodum declarat doctor in præsenti capite. Reliqua autem quæ dicit, clara sunt, quare transeo ad aliud, in quo soluuntur rationes probantes, quod debet esse vnus supremus principans.

CAPVT VIII.

PER SCRIPTA PVTA, &c.

Solutio argumentorum capitis primi, vnicam Monarchiam confirmantium.

IN hoc cap. soluuntur rationes probantes quod debet esse vnus supremus principans. Arguitur sic, in omni communitate aliquorum volentium communionem habere adinuicem, & habere contractus, ratione quorum possent oriri dissentiones & discordiæ, necesse est habere supremum in illa communitate, à quo cæteræ potestates & iurisdictiones dependeant: sed tota communitas mortalium est congregatio, &c. Ergo, oportet quod sit vnus supremus à quo cæteræ potestates & iurisdictiones dependeant: Sed nullus potest esse nisi Papa, quia potestas eius non dependet nisi à Deo, & non à principe, vel regibus. Ad hoc argumentum, negatur maior, quia non repugnat optimo principatui esse aliquam iurisdictionem quæ non dependeat ab illo, vt dictum est in primo corollario, & sufficit, quod casualiter dependeat & non regulariter.

Alia ratio præcipua, si sint duo præcipientes

A non subordinari, & ambo vocent eandem personam iuridicè, talis persona erit perplexa, exemplum vt si Imperator vocet Sortem pro re ciuili, & Papa eodem tempore vocet eundem pro re Ecclesiastica, si istæ potestates sic se haberét quod nulla ab altera dependeret, iam Sortes esset perplexus, nam si vadat ad Papam, contemnit Imperatorem & peccat, quando res est licita, & è contrà, si vadat ad Imperatorem, contemnit Papam: Ergo politia non erit optimè ordinata si sint duæ potestates coercitiuæ in communitate, & nulla

B dependeat ab altera. Doctor respondet, negando quod sequatur personam in aliquo casu esse perplexam, quia vel in vocatione ambo explicant causam quare vocant: si explicant causam, vadat ad eum qui vrgentiorem explicat causam, vt rex vocat Sortem, vt defendat ciuitatem, quia imminet periculum, similiter Papa vocat illum pro causa non tam vrgenti, debet tunc obedire regi, ideò debet ire ad illum qui causam vrgentiorem explicat, secundum quod vir prudens iudicabit in illis exercitatus: Si verò nullus explicat causam,

C dico quod necessarium est ire ad supremum principantem, vt si Papa & Rex vocant me, apparentia est quod debeo ire ad regem: *nam rex habet maius dominium in corpora nostra quàm Papa, quia non dominatur corporibus.*

Contrà, potestas Papæ à nullo dependet nisi à Deo, sed potestas regalis ab alio dependet, puta à populo, ergo Papa habet potestatem immediatè à Deo, & per consequens maiorem. Respondent, quod dupliciter intelligitur potestatem ali-

D quam dependere à Deo, vno modo quod nullus præter Deum illam instituit, & sic potestas Papalis dependet à Deo: Alio modò, quod Deus illam conferat, nullo requisito creato, & sic potestas Papalis nunc non sic dependet à Deo, quia prærequiritur electio, sed illa quæ fuit in Petro à solo Deo dependebat: tertio modo, quod à solo Deo depédeat quantum ad destitutionem, & sic potestas Papalis non à solo Deo dependet, quia Concilium generale potest destituere ipsum Papam. Dico ergo tria, Primum potestas Papalis

E dependet à solo Deo quantùm ad institutionem: Secundum, non dependet à solo Deo quantùm ad nouam collationem, quia requiritur electio: Tertium, neque dependet à solo Deo quantùm ad destitutionem. Dico vltrà quod potestas regalis non dependet à solo Deo, quantùm ad illa tria supradicta: vnde argumentum bene probat, quod potestas Papalis est dignior quàm regalis, sed non probat quod ipsa sit supra potestatem regiam, quantùm ad institutionem & destitutio-

F nem.

Resolutio ergo huius quæstionis tertiæ est, potestas iurisdictionis principum seculariũ non depédet nec à Papa nec à Romana Ecclesia, imò Papa illam iurisdictionem laicam non habet, nisi ex collatione Imperatorum & principum, aut ex præscriptione. Opinio verò iuristarum est communis, quod summus Pontifex *habet eam, saltem in habitu*, hoc est si talis princeps qui habet eam regulariter negligat illam exercere, vel non possit, tunc ad Papam spectat illam exercere, & hoc *est habere in habitu*. in capit. nouit de iudicijs.



QVÆSTIO QVARTA.

CAPVT VNICVM.

IN præcedenti quæstione, visum est vtrum principes seculares habeant suas iurisdictiones à summo Pōtifice, vel ab Ecclesia Romana: Resolutio fuit quod non, & doctor in 3. quæstione nihil aliud requisiuit nisi quæ requiruntur ad optimum principatum, & quæ sunt illi repugnantia & quæ compossibilia, & quæ impertinentia, & præsupponebat summum principatum non esse in summo Pontifice, sed supremum principantem, si aliquis esset in toto orbe, esse laicum, &c. Consequenter in ista quarta quæstione quærit, *Vtrum electio alicuius in regem Romanorum, eo ipso quod est electus, habeat in terris Imperialibus iurisdictionem & plenitudinem administrationis, vel eo ipso quo est vnctus & coronatus per summum Pontificem*, & hæc materia amplius tractabitur in octaua quęstione. Huius duo sunt modi dicendi, & primo supponendum est, quod postquam Constantinus cessit Imperio Occidentali, & transtulit Imperium in potestatem Papæ, primus qui imperauit ab illo tempore in partibus Occidentalibus fuit Carolus Magnus filius Pipini, qui substitutus fuit loco Childerici ab ipso Zacharia Papa depositi, in can. alius, 15. qu. 6. Secundò supponendum est, quod antequam Carolus Magnus imperaret, erat rex Francorum iure hæreditario, proueniente à patre suo Pipino: Item, supponitur quod antequam ipse Carolus Magnus esset Imperator, vi belli iusti, multas terras & regiones acquisiuerat, scilicet maiorem partem Italiæ, & Alemaniæ, & Vasconiam: nam qui ibidem regnabant, vel erant infideles, vel inimici Ecclesiæ, & sic iusto bello acquisiuerat, ideo antequam esset Imperator, in multis regnis erat princeps.

Istis suppositis, dicit prima opinio, quod rex Romanorum antequam sit coronatus habet iurisdictionem in rebus & prouincijs in quibus Carolus Magnus iustè dominabatur antequam esset Imperator, & ista prima opinio dicit duo: primum, quod rex Romanorum, eo ipso quod est rex Romanorum, antequam confirmetur & coronetur, in rebus in quibus, Carolus Magnus habebat potestatem principatiuam, antequam esset Imperator, habet etiam antequam sit Imperator: Secundum dictum, quod in rebus Occidentalibus, in quibus nihil administrationis habebat Carolus Magnus antequam esset rex Romanorum, nihil habet iuris.

Secunda opinio quam tenet communitas principum Germaniæ, quod eadem est iurisdictio penitus & administratio regis Romanorum & Imperatorum, ita quod solùm est acquisitio noui nominis in consecratione & coronatione, & non alicuius noui iuris, ita quod quamcumque administrationem habet Imperator, eandem habet rex Romanorum, & in quibuscumque terris & regnis: ita quod confirmatio, vel coronatio quæ fit per summum Pontificem, vel legatum eius, non dat electo nouam administrationem; sed solùm nouum nomen, quia vocatur Imperator tunc, & non prius vocabatur. Vnde ista opinio, opinatur & supponit, quod antequam esset aliquis Papa, institutus erat Imperator, & vocabatur rex Romanorum. Tunc arguitur sic, rex Romanorum qui nondum est coronatus, est successor & hæres illorum Imperatorum qui erant ante Papam, sed quilibet successor in re, succedit in tanta potestate quantam habebat ille cui succedit per regulam iuris, Si quis lib. 6. Ergo iste qui nunc est rex Romanorum, quamuis non sit coronatus, succedit in tanta potestate quantam habebant prædecessores eius qui fuerunt antequam vnquam esset Papa: Ergo eo ipso quod rex est Romanorum, habet tantam administrationem & potestatem, quantam habuerunt illi qui præcesserunt Papam.

Doctor in tertio capit. nititur ponere differentiam inter has duas opiniones: Prima dicit quod nullus est legitimus rex Romanorum & Imperator inter illos qui fuerunt post Carolum Magnum, & quod nihil iuris habent in regno & Imperio, nisi in quantum sunt eiusdem Caroli Magni successores, non solùm in quantum fuit Imperator, sed etiam in quantum fuit Francorum rex, hæreditate succedens Pipino patri suo, qui deposito Childerico, rex Francorum subrogatus fuit, vt ad longum patet in historijs, & inquātum idem Carolus Magnus per bella iusta & licita sibi multas terras acquisiuit, & regno Francorum adiunxit.

Secunda opinio, vt aliquis sit rex Romanorum & Imperator, non oportet quod succedat Carolo vt regi Gallorum, sed sufficit quod succedat Carolo Imperatori, imò succedunt & sunt successores principaliter primorum Imperatorum & regum Romanorum, quorum nonnulli fuerunt temporibus Christi & Apostolorū, ideo non sunt successores Caroli, nisi inquantum ipse fuit successor primorum Imperatorum: Patet, nam est magis apparens quod Cæsar Augustus fuit Imperator quàm Carolus Magnus, est enim approbatum ex sacris literis, & ex verbo Christi, quod fuit verus Imperator ipse Cæsar Augustus: dicit enim Christus, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, & non dicit reddite quæ Cæsar dicit esse sua, sed quæ de facto sunt Cæsaris: Ex illo passu habetur certitudo, quod Cæsar erat verus Imperator. Similiter Actuum 20. Paulus appellauit ad Cæsarem, ergo testatur Paulus quod habebat potestatem iudicandi ipsum, Ergo in Iudæa habebat Cæsar verum dominium iurisdictionis, ergo ex sacris literis satis habetur quod fuit verus principans, Ergo si aliquis sit verus rex Romanorum & princeps, est magis illorum successione qui erant tempore Christi, quàm Caroli Magni. Ergo Imperator qui nunc est magis successor illorum qui fuerunt tempore illo. Vnde non est nobis certum de Carolo Magno, nisi per quasdam historias & decreta Pontificum: sed est articulus fidei, quod alij fuerunt tempore Christi veri Imperatores. Prima opinio dicit, quod

quod nullus est verus rex Romanorum nisi vt succedit Carolo filio Pipini & regi Gallorum. A Secunda opinio dicit, quod sufficit quod succedat Carolo Magno vt Imperatori, sed verius succedit vt Augusto, & vocantur Imperatores Augusti.

Vltrà dicit secunda opinio, in quo iacet difficultas, quod nunquam fuit aliquis legitimus rex Francorum ante Carolum Magnum, ita quod Pipinus & Childericus non fuerunt veri reges Francorum, ergo Carolus Magnus non fuit verus rex Francorum, nisi postquam Imperator factus est. B Patet sic, nam si aliquis fuerit legitimus rex Francorum, antequam Carolus Magnus esset Imperator, vel fuit eo ipso quod pater eius erat verus rex Francorum, vel fuit cum consensu populi, vel ex eo quod Papa illam potestatem ei contulit: sed nullum istorum est dicendum, & supponitur quod Romani aliquando verum principatum habuerunt in regno Francorum: hoc supposito Galli post illud ius, rebellauerunt Imperatori, & sibi regem constituerunt, hoc supposito vult probare doctor C quod antequam Carolus Magnus esset verus Imperator non fuit aliquis verus rex Francorum: Patet, si ante, vel fuit per hæreditariam successionem, vel per consensum populi, id est per electionem veram, vel interpretatiuam, vel alio modo: sed nullum istorum est dicendum, igitur. Vnde primus rex Francorum tyrannicè regnum occupauit: si erat verus principatus regni Francorum apud Romanos, sicut nullus potest modo intrare in regnum Francorum, & illud occupare, nisi ex D consensu regis, vel Gallorum, nisi intret tyrãnicè: Ergo principium huius principatus nullius fuit ficaciæ: ergo nec successio. Fortè diceret aliquis quod successu temporis præscripserunt. Contrà, *ad præscriptionem requiritur bona fides*, ergo si fuit mala fides non potuerunt præscribere. Item contra supremum principantem, non currit præscriptio, quia non subijcitur legi, ergo si regnum Francorum primo spectabat ad Imperatorem, non potuit currere præscriptio: Ergo cum prima introductio in regnum Francorum fuerit post E principatum Romanorum legitimè acquisitum, non potuit aliquis, contradicente Romano Imperatore, intrare, nisi tyrannicè.

Dico quod incœpit esse legitimus rex in Gallia ex consensu populi, quia consensit populus in aliquem vt regeret: Contrà, quamuis populus qui non habet regem per consensum suum posset liberè aliquem regem facere: populus tamen qui habet regem, rege non peccante, non potest alterum facere regem, ergo si contradixerit Imperator, F qui habebat legitimum principatum in Gallos, nullus consensus illorum potuit facere quod ille qui intrauit tyrannicè esset verus rex Galliæ: vnde nõ potest populus Galliæ facere regem nouum, absq; demerito illius qui nũc est, & non cedente eo, sed si non haberet regem posset aliquẽ instituere. Dicit Chrysostomus super hoc, *Soluite & adducite mihi*, quod populus qui elegit regẽ, nõ potest amplius illum destituere, nisi propter peccatum. Si ergo populus consenserit in nouum regem, altero contradicente, nihil iuris habuit, ergo non potuit esse rex per talem consensum. nec potuit fieri per donum Papæ, quia non potest alterum in damnum alterius cõstituere, Ergo si principatus fuit apud regem Romanorum, Papa non potuit transferre sine peccato, aut consensu: Et ista opinio dicit, quod antequã Carolus Magnus esset Imperator, nullus fuit verus rex Gallorum.

Sed non est apparentia, quia Clodoueus fuit sanctus, & allata sunt illi insignia Gallorum: Ad rationes, dico quod Imperator intrauit tyrannicè in Gallias, & contradicebat populus, & quamuis fuerit victor, nihilominus tyrannicè occupauit Galliam, & non regulariter. Contrà, postea populus cõsensit, dico quod non constat de consensu populi: secundò dico quod licet consenserit populus, *ille consensus fuit exactus per metum cadẽtem in constantẽ virum*, Ergo non dabat potestatẽ &c. Nam si aliquis populus esset absq; rege, & consentiat per metum cadentem in constantem virum, talis in quem consentit non est verus rex, cum talis cõsensus non det potestatem plenariam: Et dato quod postea consensissent Galli, non sequitur quod Imperator habuerit super Gallos potestatem, quia talis consensus fuit per metum, qui non dat potestatem: Dico ergo, quod credo ita esse, quia Galli non fuerunt longo tempore sine rebellione, ergo signum est, quod non consenserunt, & sic argumentum non habet magnam apparentiam.

Resolutio secundæ opinionis, quæ est conformior practicæ modernæ est, quod rex Romanorum non succedit Carolo Magno, in quantum erat rex Francorum, quia aliquando fuit Carolus Magnus rex Francorum, & nondum erat rex Romanorum, sed longo post tempore effectus est rex Romanorum & Imperator, igitur rex Romanorum non succedit Carolo vt regi Francorum, sed vt Imperatori. Vltrà dicit, quod rex Romanorum, postquam à principibus Germaniæ est electus, antequam coronetur habet omnem administrationem in temporalibus, quam habet post coronationem: & hanc opinionẽ tenent iuristæ multi, & habent tenere qui ponũt Imperatorem non esse in temporalibus Papæ subiectum, quod patet: Nam benè sequitur, iste in temporalibus nullum habet recognoscere superiorem, ergo quantum ad istã administrationem, quæ respicit temporalia à nulla singulari persona accipit auctoritatem. Nam si ab ista singulari persona acciperet auctoritatem, ergo illa singularis persona haberet vniuersaliorem potestatem quàm alius qui ab ea accipit, & eius potestas acciperetur ab illa, vnde rex Francorum, nullam administrationem sumit ab Archiepiscopo Rhemẽsi, quamuis inungat ipsum: sed illud est solemnitatis solùm. Dico similiter, quod postquam rex Romanorum est ritè electus, illa coronatio post electionem, est solùm solemnitatis, sicut concordant Iuristæ, & Theologi, quod Papa postquam est electus, habet supremam administrationem in spiritualibus, & omnimodam iurisdictionẽ, & per hoc quod coronatur ad altare S. Ioannis Lateranensis, nihil potestatis de nouo accipit, cum nulla singularis persona potestatẽ spiritualem illi conferre possit: Similiter est de rege Romanorum, cum nullum recognoscat in temporalibus superiorem, nullus potest potestatem illi conferre, sed quod confir-

metur & coronetur à Papa, hoc est solemnitatis & non necessitatis.

Dices practica videtur in oppositum, nam Imperator iste Maximilianus, fuit electus antequam moreretur vltimus, & tamen post electionem non habuit administrationem Imperialem in temporalibus: Ergo Imperator aliunde sumit istam potestatem quam ab electione, & non potest dici Imperator, nisi à confirmatione & coronatione: Ergo ab illa sumit illam potestatem Imperialem. Si dicas quod electus habeat administrationem antequam præcedens moriatur, tunc duo haberent administrationem ex æquo, & sic Imperium non esset regale, quod non est dicendum, vnde eligitur, vt eo mortuo succedat priori in tali dignitate, & potestate quam habuit præcedens. Nam qui habent prouidere Imperio, possunt pro rationabili causa eligere illum qui debet succedere, ita quod priore mortuo, electus realiter immediatè post mortem prædecessoris, consequitur actualem auctoritatem, quam priùs habebat in potentia, sicut rege mortuo, proximus masculus consequitur potestatem regiam in regno Franciæ: Similiter possunt qui habent prouidere imperio determinare certam personam, quæ habeat talem potestatem, & ex rationabili causa id faciunt ante mortem, ad euitanda iurgia & bella. Patet igitur, quod antequam moriatur imperator, ille qui iam electus est in regem Romanorum, non habet illam potestatem imperatoriam actu. Dices à quo sumit postea, dico quod ab electione præcedente, quæ priore mortuo, electum constituit in tali potestate, quemadmodum filius est hæres patre mortuo. Hæc autem est resolutio doctoris, & opinio quæ videtur probabilior inter duas opiniones, & communis practica.

Sed doctor mouet difficultatem de Carolo Magno, nam sicut dictum est, fuit verus hæres Pipini, sed mortuo Pipino, acquisiuit Carolus Magnus multas terras, in quibus ante acquisitionem nihil iuris aut potestatis regalis habebat, vt in Tholoza, Vasconia, Alemania, & Hispania, & post acquisitionem, habebat in illis potestatem non vt hæres Pipini, doctor supponit tanquam certum ex historijs, quod Carolus Magnus fuit verus Rex Gallorum ex successione Pipini: Sed quo iure possidebat illas terras in quibus nihil habuit? dicit doctor, quamuis ante acquisitionem nihil iuris in illis habuerit, fortè diceretur bene quod iure belli habuit, nam qui in bello iusto aliquid acquirit, illud efficitur suum, & æstimandum est quod Carolus Magnus iusto bello acquisiuit multa: & dicit doctor duo, primum, quod quauis ante acquisitionem nihil iuris in illis habuisset, nihilominus aliqui tyrannicè regebant illas prouincias in perniciem subditorum, & in contumeliam Dei & fidei, ideò quilibet potens, vt Carolus Magnus, potuit iustè mouere bellum contra eos, & illos, terris illis & prouincijs spoliare, in quibus terris & prouincijs Carolus habuit regiam potestatem, illo iure quo alij reges in regnis suis, qui potestate regia decorantur, in illis tamen terris, vt nonnullis apparet, Carolus, antequam esset Imperator, non habuit regiam potestatem.

A Consequenter ponit aliquos casus, in quibus quæ capiuntur in bello non efficiuntur capientis & detinentis: primus, quando bellum est de rebus repetundis in bello iusto, & tantùm est acceptum ab hostibus, quod secundum sanam conscientiam, est ei satisfactum de omni damno dato, & labore, & operibus, tam suis quàm suorum; tum si capiatur aliquid vltra, quamuis bellum sit iustum, illud non efficitur capientis: Ergo non semper in bello iusto, quod capitur ab hoste, efficitur eius qui capit. Secundus casus est, quando ille contra quem geritur bellum
B iustum, offert ius, & vult satisfacere. Alius est casus, quando ille qui gerit bellum iustum, non habet iurisdictionem super illos quibus facit bellum iustum, sed tantummodo pugnat, & alij eum inuadunt, tunc enim, nec bona nec personam aduersam capere licet, nec inuasorem detinere: sed potest ille qui iustè pugnat, & repellit iniuriam, res quibus spoliatus est vendicare & recuperare. Alius casus, quando habens iustum bellum capit rem alterius ab hoste iniustè detentam.
C Res enim vel seruus innocentis, aut etiam innocens homo, si detinetur ab hoste, & post capiatur à iustè pugnante, non transit in dominium capientis. Item, si subditi & vassali alicuius domini, auctoritate sui domini pugnant contra inuasores & detentores rerum domini, si illas capiant & recuperent, non efficiuntur detinentium & occupantium, non enim propter hoc quod bello iusto illas res capiunt, dominus illarum perdit dominium. Patent igitur casus, in
D quibus gerentes bella iusta, non efficiuntur domini rerum quas in illis bellis iustis occupant.

His suppositis, dicit doctor quod licet Carolus per bella iusta occupauerit multas prouincias, & terras, non potuit tamen per eiusmodi bella iusta, facere eas suas, quia pertinebant ad dominium & ius Imperatoris, & fortè aliquæ illarum ad ius & dominium aliorum, qui non poterant per Carolum priuari iure quod habebant in eis: veruntamen Carolus poterat illas
E terras licitè occupare, & fructus accipere, quousque sibi satisfactum esset de laboribus & expensis & operibus suis & suorum, præsertim si veri domini illarum terrarum ipsas modo debitò minimè repetebant: sicut autem per huiusmodi occupationem, non potuit illorum dominium acquirere, saltem principale, ita nec per eam in eis potuit dignitatem regiam adipisci, sed postquam fuit Imperator, nactus fuit in eis Imperialem & regiam potestatem: quamobrem quia Imperatores successores Caroli, non succedebant Carolo,
F in quantum erat rex Francorum, nec inquantum per bella iusta, terras aliquas occupauit, aliquas assignauit Imperio, vt Imperator successor suus omnes illas eodem iure possideret: Aliquas autem attulit cuidam filio suo aut nepoti: ideò Imperatores Romanorum, seu successores Caroli, eodem iure vel diuerso possident omnes terras sibi subiectas, quo possidebat Carolus, in quantum Imperator erat, & quas possidere debent, in quantum reges seu Imperatores Romanorum, vt autem sciatur, quare dicitur eodem iure vel diuerso, notat doctor quod Carolus, & quidam alius Imperator, non habent

omnino

omnino idem ius, seu potestatem in omnibus terris sibi subiectis: nam Imperator vel rex, aliquibus terris & vrbibus præest immediatè, alijs verò mediatè; dicitur præesse immediatè quando nullum alium recognoscunt dominum præter illum, dicitur præesse mediatè, quando alter dominus pręest immediatè, qui habet immediatum dominium, quamuis talis sit regi, vel Imperatori subiectus.

Concludit doctor in fine huius capituli tertij, quod Carolus antequam esset Imperator, non habuit regularem in Italia potestatem, & ideo Italia nunquam fuit à dominio regni Germaniæ; quasi regnum accessorium principali, si pręsertim Italia comprehendit etiam Romam, quæ est caput Imperij, sed aliquo tempore, tam Italia quàm Germania fuit prædictis causis imperio deputata, ad onera Imperij sufferenda.

CONCLVSIO VINCENTII DOESMIER auditoris Iacobi Almain.

ET hæc sunt amantißime Lector, quæ ego ipso legente excepi, nec alias quæstiones legit, tum quia faciles, tum legitimo impedimento irretitus cessauit: poterit studiosus lector quod residui est percurrere, & errata corrigere, & nobis veniam dare. Visum est tamen nobis bonum libellum à se compositum, de auctoritate Ecclesiæ, seu sacrorum Conciliorum, in calce huius lecturæ, propter materiarum affinitatem posuisse.

EXPLICIT.

BIBLIOPOLA LECTORI, S.



OLO te celare, Lector beneuole, nos quorumdam suasione, in fronte istorum opusculorum, edi curauisse, Iacobum Almainum fuisse Franciscanum, & dehinc, re diligentius explorata, comperisse illum Parisijs Theologiam in regali Collegio Nauarræ docuisse, vt ex fine tertij libri Sententiarum eiusdem Almaini apparet: quod argumento est certißimo, illum neque Monachum, vt putauit Gesnerus in sua Bibliotheca, nedum Franciscanum fuisse. Vale.



DISPVTATIO IOANNIS MAIORIS DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS, DE AVCTORITATE CONCILII SVPRA PONTIFICEM maximum, excerpta ex eiusdem Commentarijs in Matthæum, cap. XIIX. fol. LXIIX. colomna III. editionis Ioannis Granjon, Bibliopolæ Parisiensis, apud clausum Brunellum, anno M. D. XIIX.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, &c. Matthæi 18.



IRCA literam, dubitatur an omnis excommunicatus & moriens talis, sit damnatus. Respondetur, aliquis est excommunicatus duobus modis, vno modo iustè; & tunc requiritur contumacia: si homo non sit contumax, non est dicendum Ecclesiæ, patet per verba literæ præcedentis, si quis extra talem causam excommunicet, caueat à dicto Christi, *Omnis qui gladio percutit, gladio peribit*, & hoc quando est excommunicatio lata ab homine: in excommunicatione lata à iure, sufficeret facere factum, cuius gratiâ fertur potissimùm excõmunicatio, si homo illud sciat, tunc est interpretatiuè contumax: parum distat si sit ignorantia vincibilis: timeo ne multi prælatorum, multùm peccent in nimia facilitate excommunicandi.

Prima pars.

Ad iustam excommunicationem, requiritur primò, quòd homo sit contumax, & quod feratur sententia quatenus conuertatur ad rationem, ille debet esse finis excommunicationis à superiore; & non post appellationem legitimam. Secundò, aliquis est excommunicatus iniustè, & hoc duobus modis; vno modo iniustè, quia non seruantur omnia ad iustam excommunicationem requisita, & stat quod sit vera excommunicatio adhuc; vtpote, quod homo est contumax, & excommunicatur à superiore odio vel amore alterius: Alio modo, aliquis est excommunicatus iniustè, quia deficit aliquid de essentia excommunicationis, vtpotè si non est excommunicatus à suo superiore, vel post appellationẽ legitimam, vel nullomodo ob contumaciam, hoc est non propter contumaciam formalem, vel virtualem, vel pro opere bono, hoc est quando ex-

communicatio continet intolerabilem errorem. Secundo modo, excommunicatio iniusta, est timenda, & petenda est absolutio ab ea, quia est vera excommunicatio: excommunicatio verò secundo modo, nullomodo est timéda; quia non est excommunicatio plusquam homo mortuus est homo, cum clauis erret, & hoc pacto non est timenda excommunicatio.

His præmissis dicitur, homo excommunicatus vltimo modo, nō priuatur suffragijs Ecclesiæ, nec nocet ei excommunicatio, ferat tamen æquanimiter coram his qui non nouerunt sententiam esse nullam, ne videatur Ecclesiæ contemptor, sed coram doctis & casum intelligentibus, non oportet aliorum societatem aufugere.

Vlteriùs dicitur, si homo sit verè excommunicatus & est paratus quærere absolutionem, quantum in ipso est, non est ampliùs in peccato, ergo stat dare multos excommunicatos realiter, saluatos: siue autem sepeliantur in Ecclesia, vel in terra sancta, vel non; non refert quo ad damnationem; licet in loco sacro in quo fiunt preces, homo citius possit liberari à pœna purgatorij.

Disputatio, an Papa subditus sit fraternæ correctioni, & Concilio vniuersali.

QVÆRITVR circa hanc materiam, *si peccauerit in te frater tuus, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, &c.* An quilibet frater non sit hac correptione corripiendus: Et arguitur ad partem affirmatiuam, eadem est ratio de quolibet fratre, ergo si vnus est corripiendus, quilibet erit corripiendus. Ad partem negatiuam arguitur, per Ecclesiam intelligitur prælatus Ecclesiæ: sed aliquis est prælatus Ecclesiæ, qui non habet superiorem, vtpotè Romanus Pontifex, ergo si ipse peccet, non possumus denunciare peccatum suum Ecclesiæ. Hæc quæstio quærit, an maximus Pontifex sit super vniuersale Concilium, vel super vniuersalem Ecclesiam, quam Concilium repræsentat.

Super præfata quæstione duo sunt modi dicendi oppositi, quorum vnus, tenet Papam esse supra Concilium vniuersale: hunc modum aliqui Cardinalium tenuerunt, & tenent communiter Thomistæ, & Romæ, vt asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra vniuersitas Parisiana, à diebus Concilij Constantiensis imitata est; sic quod in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo cogitur eam reuocare: Ego autem licet possim ab hac quæstione declinare, tamen cum ita patenter incidat in caput quod tracto, vix possum dissimulare: dicam tamen aliqua, quæ iudicio eorum ad quos spectat, relinquo examinanda, & non tractabo prolixè materiam, quia hoc à via commentariorum discederet, duos articulos faciam.

In priore, ponam definitionem Concilij vniuersalis cum vnica conclusione. *Concilium*, sic definitur, *est cōgregatio ex omni statu hierarchico, quorum interest; conuocata ab ijs quibus incumbit, ad tractādum communi intentione de vtilitate publica Christiana.* Per congregationem ex omni statu, causa materialis tangitur; per hunc vel hos quibus incumbit, causa efficiens; per communem intentionem, causa formalis; per vtilitatem, causa finalis insinuatur: hoc præmisso, ponam vnam conclusionem, quàm paucis rationibus colorabo, posteà

A firmiores rationes occurrentes, quas alij ponderant, & quæ menti occurrunt, inducam in oppositum, & eas diluere curabo.

Conclusio sit hæc vnica, *Concilium ritè congregatum vniuersalem Ecclesiam repræsentans, est super maximum Pontificem:* & capio Ecclesiam, pro Ecclesia ab eo separata: parum refert apud alios, si eum etiam includerem, quia dicunt eum solùm, tantam habere potestatem, sicut totam Ecclesiam eo incluso. Probatur primò hæc Cōclusio, quando sunt duæ potestates A & B. & appellatur ab A

B ad B. & non contrà; & B. potest pro demeritis deponere & exauctorare A. & non contrà; & præscibere ei leges obligatorias; tūc B est maior A. Sed sic est de Concilio & Romano Pontifice; igitur consequentia tenet cum maiore: & minor probatur per verba capituli quod tractamus, *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Romanus enim Pontifex est frater noster, habet eundem Patrem in cœlis nobiscum, & dicit orationem dominicam nobiscum, & est homo circundatus infirmitate,

C sicut alij viatores: quilibet Christianus est frater noster 11. q. 3. can. ad mensam, Ergo possumus eum corripere, & in casu tenemur. Sed hic dicis possumus eum corripere in secretò, vel adducendo vnum testem, vel duos, si peccatum sit iteraturus, sed non possumus dicere Ecclesiæ, quia non habet superiorem. Isto modo intellexit Gregorius hanc auctoritatem in registro, reprehendendo Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, eo quod se vniuersalem Patriarcham scri-

D psit, dicens, & nos quidem, in quibus per ausum temerarium culpa committitur, seruamus quod præcepit veritas dicens, *Si peccauerit in te frater tuus, si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* Et ego per responsales meos, semel & bis verbis humilibus, hæc quæ in tota Ecclesia peccatores corrigere studui, per me scribo, quicquid humiliter facere debui non omisi, sed in ea correctione despicior, restat vt Ecclesiam de qua paulò ante præmittitur, *si Ecclesiā non audierit, &c.* adeam. Ipse Gregorius qui erat Papa, non in-

E tendebat quod ipse seipsum adiret. Simili modo Nicolaus Papa dicit Lothario regi, & habetur 11. q. 3. ca. præcipuè.

Contra hoc, arguitur sic: Ergo Papa est deterioris conditionis, quàm alij Christiani, si non potest per Ecclesiam corrigi. Insuper per illa verba, DIC ECCLESIÆ, datur potestas toti Ecclesiæ, capiendo Ecclesiam pro prælatis maioribus, & minoribus, siue pro Concilio generali totam Ecclesiam repræsentanti, quia plu-

F raliter subiungitur, *quæcumque alligaueritis super terram ligata erunt & in cœlis.* Non est illic sermo de ligatione & absolutione in foro interiore & pœnitentiali, quia nunquam aliquis defert peccatum alterius Ecclesiæ, in illo foro (etsi interdum contingat, quod homo non potest proprium peccatum confiteri, quin teneatur alterius delictum detegere illic) sed vt notum est ex serie capituli, & doctorum expositionibus, est sermo de denunciatione & correptione fratris in foro exteriore.

Secundò arguitur ad idem, semper probando illam minorem assumptam, Claues non datæ sunt

sunt Petro, nisi nomine Ecclesiæ, & nisi propter Ecclesiā: ergo citius datæ sunt Ecclesiæ: quia propter quod vnumquodque tale & illud magis 1. Posteriorum: Antecedens patet per Augustinum super Ioannem, & recitatur 24. q. 1. can. quodcumque, vbi sic dicitur *quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis &c.* si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia; si autem & in Ecclesia fit vtrumque, quæ in terra ligantur etiam in cœlo; & quæ soluuntur in terra, soluta sunt & in cœlo: quia cum excommunicat Ecclesia in terra, in cœlo ligatur excommunicatus; & cum reconciliatur aliquis in Ecclesia, & in cœlo soluitur & recōciliatur: si ergo hoc in Ecclesia fit, *Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit*: si ergo in persona Petri significati sunt in Ecclesia boni, & eadem personā significati sunt mali in Ecclesia, vide Augustinum homelia 45. super Ioannem.

Tertiò arguitur, non solùm à summo Pontifice, sed à summo Pontifice cum particulari Ecclesia, potest appellari ad Concilium siue vniuersalem Ecclesiam; & sententia summi Pontificis, & Concilij particularis, potest solui ab vniuersali Concilio: igitur vniuersale Concilium est super Romanum Pontificem. Antecedens patet ex epistola Augustinini ad Glorium, Eleusium, & Felicem grammaticum, epistola est 162. In ordine epistolarū, illic mentionem facit de depositione Cæciliani episcopi Carthaginensis, ab episcopis Africanis iniustè facta, quod videntes orbem communicare cum Cæciliano, & non cum eo quem instituerant, & cū agerent causam cū Melciade episcopo Romano, quatenus eorum sententiam confirmaret, & condemnati fuissent à Melciade, dicit Augustinus ad propositū *quasi non eis ad hoc dici posset, & iustissimè dici, ecce putemus illos episcopos qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersalis Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* Istud etiam confirmatur auctoritate Augustini Psalmo. 106. dicentis, *sunt enim quædam à Domino, quæ ad Apostolum Petrum propterea pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit; sicut illud, tibi dabo claues regni cælorum, & similia huiusmodi*: hoc ex Augustino superius allegauimus in cap. 16. dicente 1. retractationum, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra ædificata est Ecclesia, sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hanc, intelligeret quam confessus est Petrus dicens, tu es Christus filius Dei viui &c.* vt in 16. capite diximus. Idem Augustinus sermone 15. de Apostolis Petro & Paulo dicit, *Tibi dabo claues regni cælorum, per hoc vnitati & vniuersali Ecclesiæ claues dedit*: & libro 2. quæstionum veteris & noui testamenti, quęst. 78. post multa verba sic ait, *has autem claues non homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesia*: & August. in libro de agone Christiano, reprobat errorem eorum qui dicunt claues Ecclesiæ esse datas soli Petro & non Ecclesiæ. Istud expressè tenet Hieronymus, in commentario suo Matthæi 16. & Rabanus ait, *hæc autem ligandi atque soluendi potestas, quamuis soli Petro data videatur, tamen cæteris Apostolis datur.*

Quartò arguitur, Concilium definit nomine Ecclesiæ & non nomine Papæ, & non nisi propter auctoritatem superioritatis est, quod ita definiat: patet ex actibus Apostolorum, ex quibus fundamenta conciliorum capta sunt in Ecclesia: nam actuum 1. scribitur, *& statuerunt duos Joseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam*, hoc est Apostoli statuerunt, licet Petrus hoc in medium proposuit: Similiter actuum. 6. Apostoli omnes elegerunt Stephanum & socios eius: hoc amplius patet actuum 16. in quo dicitur, quomodo aliqui fratres dixerunt oportet seruare legalia & facta seditione non minima, Paulus, Barnabas, & quidā alij ex alijs, hoc est ex vtrisque dissentiētibus, ascenderūt Hierosolymam, propositurі quæstionem coram Apostolis, vbi Iacobus nomine Concilij vniuersalis, licet Petrus esset pręsens, protulit sententiam, & tota multitudo seniorum, qui erant Hierosolymis, misit epistolam his qui erant Antiochiæ: patet per stylum, quia scripserunt, *Apostoli & seniores fratres, his qui Anthiochiæ sunt, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem*; & quæ sequuntur: Postea ad propositum dixerunt *Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis &c.* Ecce ergo in hac graui quæstione, Petrus non dedit sententiam, sed Apostolorum & fratrum senatus, qui Ecclesiā vniuersalem repræsentabat. Simile habetur actuum 21. iniunctum erat Paulo à tota congregatione seniorum, quod debebat se cōformare in cæremonis legis: In omnibus istis Concilijs Apostolorum, multitudo omnia definit nomine multitudinis, & non nomine Petri. Ergo volebant innuere quod multitudo erat super Petrum, & maioris auctoritatis quàm Petrus: ergo sic est faciendum in Concilijs sequentibus. Si dicas hoc Petrus eis ex humilitate concessit, sic dicam de Iacobo & de multis ad Petrum spectantibus, quod Ecclesia ei permisit ex humilitate.

Quintò arguitur, Papa potest deponi à Concilio pro suo delicto, ergo Concilium respectu eius habet superioritatem, inferior enim non deponit superiorē: Antecedens patet, si est hæreticus 40. distinct. can. si Papa: sed dicis quando labitur in hæresim, desinit esse Papa: si hoc esset, quando laberetur in occultam hæresim, tunc incertus esset Papatus, & propterea nullus episcopus desinit habere suum officium propter hæresim: insuper, vel hæresis tollit ab isto papatum de iure naturæ & diuino, vel solùm de iure humano: duo prima non videntur plusquam aliā grauiora peccata ** non vltimū, quis potest illā legem statuere? non Papa, quia par in parem non habet imperium, si vnus Papa hoc statuit, & Titius est canonicè electus in Papam, licet labatur in hæresim, non est obligatus lege prædecessoris. Hæc superioritas patet in can. nunc autem, 21. distinct. & can. Anastasius 19. distinct: & can. Achatius 24. q. 1. & can. Si duo 79. distinct. fortè dicis more aliquorum, licet Papatus posset à persona istius tolli, tamen papatus non tollitur in se, vel sic, & redit in idem, nihil potest Concilium in

Papam, sed deponit ministerialiter coniunctionem passiuam papatus ab isto Papa. Quidam autẽ dominus Cardinalis, magnum facit factum super hoc, dicens, Papatus est à Deo, persona Papæ à patre suo, coniunctio papatus in persona istius est ab homine vel hominibus; modo Concilium potest in hanc coniunctionem passiuam, sed non in papatum: addit, nec mireris tu qui philosophiam profiteris, quod aliquis potest in coniunctionem formæ cum materia, qui non potest in formam: istud non valet, & ratio est, quia coincidit cum alijs, omnes rectè loquentes volunt, quod dignitas Papalis est à Deo, & persona Papæ est à parentibus suis & causis vniuersalibus, licet applicatio papatus sit ab hominibus; deponere papatum ab isto qui est Papa, est eum papatu exuere, & habere auctoritatem super virum qui est Papa: sicut separans formam intellictiuam à materia, hominem perimit, licet formam intellectiuam non perimat; & licet papatus sit persona Papæ, puta Leo X. potest tamen hic desinere esse Papa (Leone demonstrato) quando desinit esse Leo. Concilium ergo potest deponere Papam in casu hæresis, & in omni casu quo pertinaciter Ecclesiam scandalizat incorrigibiliter & contumaciter, vt rectè dicit glossa in can. profato si Papa, vbi quærit quare potest accusari citius in hęresi quàm in alio crimine, dicit certè credo si Papa esset incorrigibilis, & peccatum eius esset notorium, & scandalizaret Ecclesiam, posset accusari: nam contumacia est hæresis, vt patet 81. distinct. can. si qui presbyteri: & contumax dicitur infidelis, vt 38. distinct. can. nullus, quam glossam dicit Panormitan. in capit. significasti, de electionibus esse singularem, & fermè ab omnibus approbatam. Idem dicit Ludouicus in Consilio 73. quod incipit, quæstio discutienda: alij dicerent id esse verum in hæresi solùm propriè dicta, sed reuera, ista glossa apparet fundata in æquitate naturali.

Caietanum intelligit.

Arguitur sic sextò, rex vtilitatem reipublicæ dissipans & euertens incorrigibiliter, est deponendus à communitate cui præest: ergo maximus Pontifex si procedat de vitio in vitium notoriè & incorrigibiliter, est deponendus; tenet consequentia, alioquin melius esset prouisum politiæ seculari, quàm Ecclesiæ: si dicis non est idem, rex non habet robur & auctoritatem nisi à regno, cui liberè præest, pontifex habet auctoritatem à Deo, propterea non est idem: Scio non esse idem adæquatè, tamen quo ad hãc similitudinem, censeo idem esse, cum dominus dederit potestatem Ecclesiæ immediatè corrigendi fratres, Matth. 18. & nullus frater est exceptus: ergo, si Papa est incorrigibilis, est deponendus, & non nisi à superioribus eius, in hoc igitur, dicere quod oportet pro eo solùm rogare Deum, & quod non est aliud remedium, est vnum extraneum sine ratione.

Septimò arguitur, Christus legislator optimus, reliquit optimam politiam in Ecclesia, sed hic est optima politia, dando politiam regalem. hoc est vnum caput, quod si laboret ad destructionem sui & totius corporis, quod reliquum corpus potest ponere ei cauterium: primò eum humiliter monendo, procedendo secundum ordinem Euangelicum iam sæpe dictum; & si sit incorrigilis, eum à papatu exuendo, plura vident oculi quam oculus; & vnum delinquentem corrigere habent.

A

Octauò arguitur, quilibet debet sequi illũ modum qui est lumini naturali conformior, nisi de opposito doceatur per legem diuinam: sed conformius est lumini naturali, quod caput incorrigibile auctoritate sua exuatur, vt alij timorem habeant, & ad bene agendum animentur: & aduersariorũ rationes soluentur *** quacumque legem habuerunt: ergo hic modus est conformior. Et confirmatur istud exemplariter, si rex Francus iret Hierosolymam, & regnum suum alicui principi relinqueret moderandum, qui omnia peruerteret malè meritis, dando officia, & probos deprimendo, quis iudicaret, quin regina probè ageret resistendo principi illi? imò illa est intentio præsumptiua regis: sed sic est in proposito, Christus ascendit ad patrem, vicario vices suas commisit, eius sponsa est Ecclesia, si vicarius more principis &c. incorrigibiliter procederet, quis diceret quod Ecclesia malè ageret, priuando vicarium auctoritate sua?

B

C

Nonò arguitur, hac via reformabitur tam caput quàm membra, & opposito dato caput nunquam reformabitur, imò ad monstruositatem capitis, multa mala sequentur secundum antiquum diuerbiũ, *quando caput dolet cætera membra dolent:* & maliciam capitis, communiter inferiores imitantur, ad motum primi mobilis, mouentur spheræ inferiores, & talia sunt subiecta, qualia afficiuntur ab eorum prædicatis.

D

Decimò arguitur, hoc sacra & sancta synodus Constantiensis definiuit, quod Concilium habet auctoritatem immediatè à Deo, tam super Romanum Pontificem, quàm super reliqua membra: modo, Concilium legitimè congregatum non potest errare. Dicis, solùm illi de obedientia Ioannis XXIII. definiuerunt, & prælati Gregorij XIII. & Benedicti XIII. hoc non admiserunt: istud non est verò simile, Cardinalis Cameracensis, Nicolaus Cusanus, Cardinalis Petri ad vincula, Patriarcha Anthiochenus, & Ioannes Gerson viri famatissimi, in Concilio existentes, numquã illud pro medio coepissent, si Concilium non fuisset conclusum à maiore parte Concilij, & per consequens, à toto categoricè. Tum secundò non restinxissent illud schisma, quod XL. annis durauit de duobus vel tribus Põtificibus eligẽdis, sed si dissensissent patres trium vel duarum obedientiarum, iteratò nouos elegissent, quod tamen non fecerunt, sed vnanimiter Martinum V. elegerunt. Fortè dicis Concilium Constantiense loquebatur in illo facto, quo erant tres cõtendentes de papatu, & per consequens, nullus fuit Papa indubitatus, & in hoc casu ancipiti, Cõcilium est super Papam. Contrà, aliquis istorum trium vel duorum erat verus Papa, & Concilium est super talem, & eum deponit, ergo realiter, tanquam superioritatem habens, Papam deponit. Secundò famati viri qui Concilio interfuerunt, non vsi fuissent illa maxima vniuersaliter, ad probandum modum quem teneo, & de alijs Concilijs non longè absimile legimus: hac theorica vsum est Concilium Basileense: dicit quidam, vtrumque

E

F

vtrumque Concilium delirauit, concludendo hanc propositionem in decimo argumento tactam. Secundò definiuerunt quod Concilium congregaretur de decennio in decennium, & tamen ad Romanum Pontificem solùm spectat tales leges imponere. Tertiò Concilium Basileense noluit se mutare ad instantiam Eugenij IIII. quamquam spectat ad Pontificem locum mutare, vt certum esse dicit. Sed iste non rationabiliter loquitur de Concilio Constantiensi; quod cum maximis concilijs potest æliquiparari: nec egrediebatur limites suos Concilium Constantiense, quia cum definiuit quod superioritatem haberet respectu Pontificis, poterat ei imponere leges obligatorias: eodem modo dicitur, Pontifex non potest mutare Concilium congregatum, Concilio dissentiente; quia inferior non potest superiores mouere eis nolentibus. Alius dicit Concilium Basileense peperit basiliscum, sed ille est imitator beati Thomę, volens auctoritatem Concilij eneruare, quod concluserat Diuam Virginem non fuisse in originali conceptam.

Vndecimò arguitur, perpetua plenitudo potestatis residet in Ecclesia; iuxta verba Christi Matthæi vltimò, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: sed si illa plenitudo esset in Papa, esse mortalis, & corruptibilis ad mortem Papæ; non sic in Concilio & in Ecclesia, in qua aliquibus mortuis, alij succedunt, *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, ergo vniuersalis Ecclesia est perpetua, vel perpetua est Ecclesia, nec refert iste modus loquendi in proposito, quia Ecclesia vniuersalis nunquam moritur, can. turbatur 2. q. 4. sicut in temporalibus loquitur Aristoteles 3. Politicorum 8. dicens quod regimen ciuitatis debet manere & consistere secundum ordinationem politicam, apud valentiorem partem ipsius ciuitatis. Dicis, dignitas Papalis est perpetua in sua causa, quia homines possunt statim Pontificem eligere. Contra hoc, arguitur, possunt homines diu stare ab electione, & varios eligere, vt fuit ante Concilium Constantiense ad XL. annos: Ergo si Concilium esset congregatum, posset omnem potestatem exercere, quàm potest Romanus Pontifex, alioquin Deus politiam Ecclesiasticam non bene instituisset, sicut mortuo rege, sine hærede adulto, cōmunitas potest exercere omnia quæ rex potest in vita: nec valet dicere, rex habet auctoritatem ab hominibus quibus præest, qui sunt susceptiui omnis potestatis cuius rex est capax: non autem sic hîc, quia summus Pontifex est à Deo: hoc nihil est dictum, licet enim Romanus Pontifex sit à Deo, tamē non est verò simile, quod Deus non reliquirit illam potestatem in Ecclesia, sicut illa potestas politica residet inter homines vnius regni.

Possent præterea multæ aliæ auctoritates Pontificum ad hanc conclusionem positam adduci, quod scilicet multò maioris auctoritatis sunt, quā Concilium, & possent etiam multæ aliæ rationes in medium adferri ad id propositum, sed istis contentus supersedebo.

Solutio argumentorum Caietani.

NVnc aduersoriun rationes in medium afferam, & videamus præ oculis si solui possunt in radice sine scrupulo veracis replicæ. Contra hunc modum, siue contra hanc nostram conclusionem, arguitur per caput *significasti*, de electione, vbi sic dicitur, in Concilijs statutum non inueniri, quod Romanæ Ecclesiæ legem vlla Concilia præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint; & in eorum statutis, Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas, vt patet 17. distinct. per totum. & 3. q. 7. can. dudum.

Respondet Ioannes Gerson, Doctor vocatus Christianissimus, loquendo contra errores Petri de Luna, *quod iura Romanorū Pontificum, sunt reuerenter glossanda, & interpretanda conformiter ad legem diuinam, aliàs non merentur dici iura*: quod si quis *contendere voluerit illa esse vera vt iacent*, ait, *cum libertate Euangelica, hæc iura negabimus*: hoc autem preposui omnibus solutionibus argumentorum, vt videas, quod Doctor & apparenter dixisset, *adducantur iura diuina vel sanctorum auctoritates*, quibus fides adhibenda est in hac parte: propterea non mirabere, si dem in hac parte aliquas expositiones quæ Pontificum textibus prima fronte videbuntur alienæ: sic enim in multis materijs problematicis, cum sint rationes vel auctoritates hinc inde apparentes, quid mirum si non semper eamus ad corticem verborum: & ad hoc quod verba prima fronte prætendunt, multi passus Pontificum dari possunt, qui omnino oppositum insinuent, ita quod commentatores dicere solēt, ecce argumentum quod Concilium est supra Papam, sicut & conuerso: hoc non obstante ad singula quæ ponderanda iudico, respondere curabo.

Dico quod caput *significasti* allatum, duas habet partes: prior est Concilia congregantur auctoritate Romani Pontificis: secunda pars est, robur Concilia accipiunt à summo Pontifice, & eius auctoritas est patenter excepta, &c. Dico quod ad eum spectat cōuocare Concilium, & ita facit communiter, & sic aliquo modo dat robur Concilijs, quia est causa congregandi Concilij: sicut ad aliquem sensum concedi potest, quod sacerdos dat characterem baptismalem, quia ponit requisita ad hoc, vt characterem Deum infundat: etiam Pontificis auctoritas, communiter est excepta in Concilijs, quia multæ Conciliorum definitiones sunt humanæ, & interdum patiuntur exceptionem & epijkeiam, & Concilium non potest semper congregari: ergo rationi consentaneum est habere aliquem, qui in illa materia dispenset, ille erit Romanus Pontifex: & hoc sufficit capiti *significasti* in medium allato: Secundò dico, vbi Pontifex non esset, vel esset captiuus, vel demens, vel nolet Concilium congregare, quando ratio iubet ipsum esse congregandum, Concilium potest & debet congregari, Papa contradicente, & talem auctoritatem habet à Deo, sicut communitates aliæ humanæ, in suis politijs: & vbi Concilium esset congregatum, siue à Cardinalibus, siue à maximo Pontifice, siue à semetipso, æqualem auctoritatem habet & robur æquale, & hoc robur immediatè habet à Deo, per illa verba Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ, qui Ecclesiam non audierit &c. Amen dico vo-*

bis vbicumque fuerint duo vel tres congregati, &c. & ca. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationē seculi.* Tertiò, vbi Concilium contradiceret Pontifici in statutis suis, Pontifex nec potest dispensare, positiua humana sunt ei relicta ad dispensandum, si Concilium maioris auctoritatis, ei non prohibeat. Sed contra illud arguitur, quando Romanus Pontifex est in Concilio, ipse leges statuit est imponit, & non Concilium, quod solùm consulit, & Papa definit, sicut viri regem consulunt, & ipse definit, & leges imponit: patet illud de consanguin. & affini cap. non debet, in §. cū ergo, vbi dicit Innocentius III. cum iam vsque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ sit restricta, ita eam volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis vel ab alijs, vel à nobis.

Respondetur, communes definitiones Conciliorum emanare à nomine, & sub nomine Cōcilij; & ille modus est melior, tum quia, summa auctoritas in Concilio residet, quod in fide & moribus errare nequit. Tū secundò, modus ille est conformior deliberationibus Concilij vniuersalis Apostolorum, vt patet ex superius allegatis, ex lectione actuum quæ est emanatio sub nomine Papæ existentis in Concilio, est à precone legis, ipse est nobilius membrum in Ecclesia: propterea Concilium permittit quod sub eius nomine fiat emanatio legis, licet ponatur vtrobique aliquid sapiens de auctoritate Concilij, vt patet in decretali allegata, approbante Concilium & postea vtitur plurali numero ad se & Concilium designandum, de summa Trinit. & fide Catholica cap. damnamus, dicitur *nos autem sacro approbante Concilio credimus & confitemur &c.* Idem patet de iureiurando, cap. nimis & in plerisque alijs locis. Et ad formam argumenti, nego quod Concilium solùm consulit, imò consulendo definit, & definiendo consulit, sicut in deliberationibus capitulorum, quilibet suam assertionem & opinionem in medium affert, & causam dicti sui reddit, & à pluralitate concludit, sicut Rector Parisiensis Academiæ facit, ex quo fit, vt tot sint partialiter definientes in Concilio, quot deliberationes in eodem habent: partialiter autem definire, est absolutè definire.

Secundò arguitur ex can, nemo 9. q. 3. scribitur, nemo iudicabit primam sedem, neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur: non valet dicere, nullus homo potest ipsum iudicare, quia illic in litera sequitur, *neque à toto clero*, ibi clerus est nomen collectiuum, ergo canon ille vult dicere quod tota Ecclesia non potest Papam iudicare: ergo ille modus dicendi est nullus, qui dicit quod Papa est super vnamquamque Ecclesiam, non tamen super totam (excludendo Pontificem) & confirmatur hoc, Papa dicitur rector vniuersalis Ecclesiæ, & gregis Domini rector, vt patet de electiõ. in 6. capit. vbi periculum est, vnde in oratione dicitur *Deus omnium fidelium Pastor & rector, famulum tuum Papam nostrum, quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, &c.* Et ita de multis auctoritatibus, quæ videntur sonare quod Romanus Pontifex pastor est totius Ecclesiæ: pari forma quomodo est corpus sine capite? & non est assignandum vnum corpus nisi totalis

A Ecclesia.

Respondetur, canon ille suam expositionem secum adducit, quia dicitur *nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperatè desiderantem: dūmodo igitur exerceat iusticiam, non est iudicandus, quia iusto nō est lex posita,* secundum Apostolum, secus est autem in multis casibus.

Ad alias auctoritates, dicitur communiter quod exponuntur de particularibus Ecclesijs, & quia Papa nullum superiorē habet in terris, ideo

B dicitur pastor vniuersalis Ecclesiæ, & illud potest exponi ad bonum sensum, ego autem pro omnibus auctoritatibus, *eas concedo regulariter, & communiter*, quod est rector vniuersalis Ecclesiæ, & caput Ecclesiæ, & curam eius habet secundum verbū Christi 10. Ioannis *Alias oues habeo &c. fiet vnus pastor & vnum ouile &c.* & secundum auctoritates adductas, & plures quæ adduci possunt, hoc tamen stat in casu particulari, quod tota Ecclesia & Concilium ipsam repræsentans, Papa secluso, est super ipsum, vt quando est colle-

C ctum. Exemplum in simili, Franciscus dicitur cōmuniter rex totius regni Franciæ, & non modo est super vnam prouinciam Galliæ, sed super totam categorematicè, non obstante quod præcipua pars est super ipsum, à qua auctoritatem habet, quæ non potest tollere ab eo regnum suum, sine rationabili & arduissima causa: sic Romanus Pontifex est regulariter super totam Ecclesiam, capiendo Ecclesiam pro aliqua parte, vel est super totum corpus cui præest tanquam caput re-

D gulariter: *sed habitualiter & virtualiter, Ecclesia est super ipsum*, & si Concilium esset collectum vniuersalem Ecclesiam repræsentans actualiter, habet superioritatem, & eam exercere potest in Papam. Si contrà dicat, in hoc solùm est discrimen, Pontificatus est de iure diuino & ex institutione Christi, & rex habet regnum à toto populo (nunc de Saüle, Dauide regibus Iudæ & Israëlis non loquor) respondeo, sed auctoritas cōmunicata est Ecclesiæ à Christo, sicut summus Pontificatus, & auctoritas illa non dependet ab

E auctoritate summi Pontificatus, sed immediatè à Deo, & sic aliquo modo conuenit potestas Ecclesiæ, cum potestate populi vnius regni, & aliquo modo differt; nam quo ad superioritatem conuenit, ita quod sicut populus virtualiter est super regem, & in casu, vt in rebus arduis in quibus conuocantur tres status regni, qui regem in casibus ancipitibus habent dirigere: sic in casibus arduis, Concilium vniuersale rite congregatum, *habet leges obligatorias Pontifici im-*

F *ponere, quo ad eius personam, & non quo ad dignitatem ipsam*: hoc pro tanto dico, quod corpus Ecclesiæ non potest mutare politiam regalem Ecclesiæ in Aristocratiam, vel Timocratiam, quia tunc contraueniret institutioni Christi: populus autem liber, pro rationabili causa potest politiam mutare.

Sed contra illud arguitur, caput verum, est super totum corpus, & semper; ergo Romanus Pontifex, est super corpus mysticum, in omnem euentum; & per consequens, corpus collectum, nullam superioritatem habet casualiter super Papam, qui est caput suum. Respondetur, caput verum

verum non est suprà totum corpus, quia corpus, etiam caput, & reliquas partes includit: quemadmodum caput animalis veri, non suprà totum animal est, sic Papa non est supra totam Ecclesiã, quia Papa est pars Ecclesię. quo modo Papa non est supra se, si loquaris de alijs partibus; sicut in distributione accõmoda dicere solemus: tunc dico, quod non est omnimoda similitudo, caput verum, est supra totum corpus semper capiendo corpus pro reliqua parte: non autem Papa super corpus mysticum, nec quo ad hoc est simile, Ad similitudinem non requiritur omnino similis similitudo: nam Christus qui est caput essentialis Ecclesiæ ad Ephesios 1. hoc modo est super totum corpus, includendo Pontificem, & reliquum corpus Ecclesiæ, & Christus regulariter & in omnem euentum, est super totum corpus & totam Ecclesiam, quæ etiam vocatur corpus Christi mysticum, cuius caput est Christus, hoc est caput essentiale, siue Papa sit, siue non sit, vt cum est mortuus. Potest aliquis dicere ad exemplum hominis viui, caput nonnumquam est propinquius centro quàm corpus, quando indispositè & contortè stat super caput: sic quando Papę demerita requirunt superioritatem corporis, tunc corpus actualiter est super eũ. fortè dicis Papa est caput Ecclesiæ; ergo habet aliquod corpus, capiendo corpus pro illo quod est ei subiectum, & regulariter in omnem euentum, inconueniens est quod sit aliquod caput, cui non detur aliquod corpus.

Præterea obijcitur, Papa est super hanc particularem Ecclesiam regulariter & casualiter, & super illam regulariter & casualiter, & sic de qualibet alia: ergo super omnes Ecclesias particulares regulariter & casualiter, ergo super totam.

Præterea Episcopus Parisinus est super totam suam diœcesim, regulariter & casualiter: ergo & Romanus Pontifex super totam Ecclesiam: tenet consequentia, totam Christianitatem habet Papa pro parochia, sicut Parisinus Episcopus Pontificatum Parisiensem.

Ad has rationes respondetur, negando quod Papa sit caput totius Ecclesiæ illo modo, & sicut non habet reliquam partem corpus hoc modo sumptum, sic non est caput hoc modo; concedo quod est caput regulariter, sed non propterea sequitur quod habeat corpus adæquatum totam Ecclesiam, in omnem euentum; vt patet de rege & suo regno.

Ad secundum argumentum, concedo antecedens in sensu copulatiuo seu diuiso: sed nego cõsequentiam, siue *ly omnes* capiatur collectiuè, siue distributiuè: si secundo modo capiatur, habet vnam singularem falsam, scilicet in singulari numero; sequitur bene in sensu diuiso, quod Papa est super omnẽ Ecclesiam particularẽ: at si capiatur, *ly omnes* collectiuè, manifestũ est quod nõ est in sensu diuiso, sed in sensu copulato: hæc enim est distinguenda, Papa est suprà hanc Ecclesiam particularem, regulariter & casualiter simul; & Papa est super hanc aliam Ecclesiam particularẽ, regulariter & casualiter simul, & sic de singulis: in sensu enim copulatiuo, ista propositio est vera; in sensu verò copulato est falsa, nec prior infert secundã; sicut non sequitur, iste sol est hac parte maior, & iste sol est illa etiam parte maior & sic de singulis: ergo in sensu composito, est vtraque parte maior: antecedens enim est verum vt liquet; & consequens falsum, cum totum est omnibus suis partibus æquale, vel realiter idem cum ipsis, vt sanior tenet positio.

Ad aliud argumentum quo dicis, Episcopus Parisiensis est supra totam suam diœcesim, &c. concedo antecedens & nego consequentiam. Nam Episcopus Parisiensis potest in aliquã operationem in qua nullus suæ diœcesis potest exire, potest confirmare, ordinesque conferre, quod nullus in sua diœcesi facere potest. non habet Episcopum in sua diœcesi ei subiectum: tota Ecclesia vel Concilium Ecclesiã repręsentãs, potest facere omnia quæ potest facere Papa, & aliquam prærogatiuam habet vltrà Papam, vt posthac amplius dicetur: aliquis est super vnumquemque suæ familiæ, & super omnes regulariter & casualiter: alter verò quamquam maior, non sic est super omnes, exemplum de patrefamilias respectu liberorum & famulorum, quos pro sua vtilitate sibi acquisiuit, & sic de vno paruo dominio: Rex tamen non est super omnes in regno regulariter & casualiter, quia vel electus est, vel eius primus prædecessor erat electus à populo, pro communi populi vtilitate, & non pro sua.

Contra dicta arguitur, ex his sequitur, quod politia Ecclesiastica non esset optima, cum non sit regalis, quam Aristoteles 8. ethic. politiarum optimam reputat: consequens est inconueniens; & quod sequatur, patet cum Concilium est supra Papam, politia potius debet dici Aristocratica, imò tota Ecclesia in orbe est super eum, & sic politia Ecclesiastica est timocratica, quæ est politiarum infima & rarissima.

Respondetur, aliqui dicunt politiam Ecclesiasticam esse mixtã, sed non sic dico: Ad argumentũ nego sequelã, & nego quod politia Ecclesiastica non sit optima; & quod non sit regalis: Ad politiam verò regalem, non requiritur quod rex sit super omnes sui regni tam regulariter quàm casualiter, vt ex dictis liquet: sed sat est, quod rex sit super vnumquemlibet, & super totum regnum regulariter: & regnum sit super eum casualiter, & in aliquo euentu: sic est etiã de politia Ecclesiastica, Papa regulariter est super vnumquemlibet, & super omnes in Christianissimo dispersos casualiter: sed quando Concilium vniuersale est cõcongregatum, est super Romanum Pontificem Exodi 18. Constituti sunt tribuni, Centuriones quinquagenarij, & decani in subleuamen Moysis, & seniores de quibus superius loquuti sumus.

Fortè dicis, Moyses erat super omnes istos, ergo & Pontifex est super Concilium vniuersale: negatur consequentia, non fuit data hæc auctoritas Ecclesiæ Mosaicæ, vel saltem illis paucis viris, quæ data est toti Ecclesiæ Christianæ.

Sed contra illud arguitur, Christus ex supradictis est supra totam Ecclesiam, siue dispersam siue collectam, siue casualiter siue regulariter: sed Papa est vicarius Christi & præsidens eius in terris, ergo est super eandem Ecclesiam, in omni illo sensu dicto.

Respondetur, concedo maiorem & mino-

rem, sed nego consequentiam cum consequēte; rarò enim vicarius habet materiam ita latam, & sic acceptam, sicut ille cuius est vicarius: Christus est super totam Ecclesiam, & super Papam, nec sic etiam est Romanus Pontifex: Secundò Christus potest mutare sacraméta, & facere quod fiat baptismus in aceto, vel vino, & non in aqua: quod corpus Christi consecretur in alia materia quàm in pane, vt in caseo vel in carne; non autem Romanus Pontifex.

A

Tertiò arguitur, in Papa est suprema potestas Ecclesiastica, & in Concilio est alia potestas suprema, & illæ potestates realiter distinguuntur, quia sunt in varijs subiectis: modo pluralitas incipiū est mala 12. metaphi. Ergo nō sunt duę potestates supremæ; & potestas Papalis est suprema in Ecclesia, vt notum est; ergo potestas Ecclesiastica non est suprema, & est potestas; ergo est potestati Papæ subiecta.

B

Respondetur, potestas Ecclesiastica in recto nihil aliud est metaphisicè loquēdo, quàm homo, vel homines potestatem habentes; aliquid tamen importat vocabulum vel connotat; vt patet per definitionem eius, & per consequens suprema potestas non est tanquam accidens in Papa inhæsiuè, vel in Concilio: non pono relationes reales, vel rationes distinctas à fundamento & termino: sed metaphisica relicta, ad rem respondendo, dico quod est eadem potestas per regulam topicam, *vbi vnum propter alterum, ibi alterum tantum*, vt patet in extrauag. Bonifacij viij. Vnam sanctam; hoc declaro exemplariter, est suprema potestas in Christo, & suprema in maximo Pontifice; illic reducam idem argumentum contra te: Similiter in regno Francorum, vel Scotorum, est suprema potestas etiam in eorum regibus, melius dicantur duæ potestates realiter, quarū vna est superior & illimitatior quàm alia, ad quam alia subordinatur, & sic est quodammodo vna: sic est in proposito, potestas Christi super Ecclesiam est illimitatior quàm potestas Papæ, quæ habet limites certos, in quos potest, non autem sic Deus: sicut equus circulariter mouens lapidem molendini, habet certos limites in quos incidere habet, non autem homo equum dirigens, sed licenter vagatur vbi vult: sic de Christo, non potēte malè agere & potente facere omne quod non implicat; non sic autem est de Romano Pōtifice: in Christo est suprema potestas regularis & casualis independens, qui potest omne quod non implicat contradictionem: in Pontifice est suprema potestas Ecclesiastica regularis, qua potest in Ecclesiæ ædificationem, à quo non licet appellare regulariter: sed cum possit errare, & malè agere, non esset rationabile quod non liceret à tali sententia appellare casualiter. Est vna alia quodammodo superior potestas & illimitatior, scilicet potestas Concilij, quod non potest errare in fide, vel esse in quolibet eius membro peccato obnoxio, à quo in terris non licet appellare; sed in sententia eius standum est vltimatè, sicut in specialissimis iubet Plato quiescere.

C

D

E

F

Concilium vniuersale repræsentat totam Ecclesiam, quæ *& sine macula & ruga, Christi sponsa*, & sicut repræsentatum nō potest errare, ita nec repræsentans, vt piè creditur, secundum promissionem Christi, *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, non loquitur de fide personali Petri, quæ defuit post illam promissionem, quod Christus innuebat dicens, *& tu conuersus aliquando confirma fratres tuos.* hoc ad personam Petri dixit: nec inconuenit in eadem auctoritate hypothetica, quod vna pars intelligatur de Ecclesia, cui Petrus præest, & alia pars de persona Petri, sicut in simili dicitur, *ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me*, similiter in regno, & in toto populo libero, est suprema & fontalis potestas inabrogabilis; in rege verò, potestas ministerialis honesto ministerio; & sic aliquo modo sunt duæ potestates, sed quia vna ordinatur propter aliam, potest vocari vna effectualis, sicut est in Ecclesia; in Pōtifice autem potestas suprema regularis ad Ecclesiam ordinata, vnde illa est illimitatior in Ecclesia: & sic cum vna ordinetur propter alteram, quodammodo potest dici vna potestas: Papa enim est immediatum caput à Christo in suo genere: & Ecclesia est immediatè à Christo in suo genere: Pontifex est vicarius Christi, & Ecclesia est eius sponsa, cuius Papa est caput ad dictum sensum, & minister secundum quod in suis literis dicitur, *seruus seruorum Dei*, modo omnes de Ecclesia sunt serui Dei.

Sed contra illud, *Concilium vel Ecclesiam esse sanctam*, non arguit Ecclesiam habere superioritatem super Pontificem, quia sic vetula sancta, esset super Pontificem maximum, idem patet de *non errare*, ergo malè ex talibus concluditur superioritas inter Pontificem & Concilium; etiam Concilia multa errarunt, ergo Concilium potest errare sicut Pontifex: & confirmatur illud, non sunt confirmati nec possunt non errare, vel mortaliter agere, plusquam Pontifex, igitur.

Respondetur (concedendo Ecclesiam esse sanctam, non arguit eam habere auctoritatem, &c.) quod multa sunt alia quæ coadiuuant, nam cum semper Ecclesia sancta sit, errare nequit, vnde ad eam spectat reformare vnumquemlibet, tam in capite quàm in membris, cum cæteris allegatis. Ergo concluditur quod in Ecclesia est suprema potestas in terris. Ad aliud nego quod Concilia rite congregata errarunt: & nego quod non sint in gratia confirmati, & patet ex superius allegatis, vbi loquuti sumus de sanctitate Ecclesiæ.

Ex omnibus patet, quod parùm refert, licet dicantur duæ, supremæ potestates, siue non, distinguendo quod sint duæ, quia vna in aliam reducitur, quod idem est: Aristoteles autem loquebatur de prima causa, inconueniens est dare duas primas causas: quæro abs te, an Aristoteles non vocasset regem supremum in suo regno, primum est caput; & certum est quod sic dicere debebat, non obstante quod populus liber, est super regem casualiter, id est in casu quo regnum rex in tyrannidem conuerteret; & etiam incorrigibilis, potest à populo deponi; tanquam à superiore potestate: ita debebat Aristoteles dicere, rex terrenus est primæ causæ seu primo motori subiectus, in causis subordinatis, quarum vna ordinatur propter aliam, non inconuenit dare duo prima.

Quartò arguitur contra primam probationem,

quæ

quæ stat in illa auctoritate Matthæi 18. per quam probatur quod claues sunt collatæ Ecclesiæ: si hoc esset verum, sequeretur quod claues priùs erant collatæ Ecclesiæ: quàm Petro, hoc est inconueniens, igitur. Quod sequatur patet, licet claues Ecclesiæ erant promissæ Petro, Matthæi 16. non tamen erant ei collatę in vita Christi, nec conueniens erat cum Christum adhuc viuebat vita mortali: Collatę ergo fuerunt Petro post resurrectionem: sed ante claues sunt collatæ Ecclesiæ, per illud Matthæi 18. *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis &c.* Quod sit inconueniens patet, quia tunc Ecclesia poterat instituere vnum summum Pontificem, qui tunc fuisset caput in Ecclesia, antequam Christus caput instituisset, vel dato quod Christus caput non instituisset: patet, sicut populus liber in magna quantitate, potest sibi constituere regem, sic totus populus habens in se claues, poterat instituere vnum caput. Fortè dicis non quia Episcopi non poterant constituere Episcopum. Contra hoc arguitur, supposito quod fuissent Episcopi, poterant caput Episcopum instituere: similiter laicus potest esse Papa in sensu composito, sicut non sacerdos est curatus, & potest habere iurisdictionem in foro exteriore. Respondetur concedendo totum illatum, sed illa institutio fuisset solùm humana, & poterat iterato deponi, ab hominibus: non est sic de Petri institutione & successoribus eius, qui primatum habent ex institutione Christi.

Quintò arguitur, & est secundum argumentum contra eandem probationem, quando dicitur *dic Ecclesiæ*, vel intelligitur prælatus Ecclesiæ, vel intelligitur tota Ecclesia, vel Concilium ipsam repræsentans: non secundum, quia tunc quilibet deberet solùm adire Ecclesiam, vel Concilium vniuersale, & si sic, rarissima esset ista correctio Euangelica: ergo primum habetur, quod per Ecclesiam intelligitur Ecclesiæ Prælatus, & confirmatur, quia glossa ita exponit Ecclesiam. Respondetur sermones sunt accipiendi secundum materiam subiectam, per Ecclesiam intelligitur ille qui habet iurisdictionem castigandi, siue sit Prior, Abbas, Decanus, Archidiaconus, Concilium prouinciale, aut vniuersale; modo Papa non habet suprà se nisi Concilium, ergo Ecclesia in eius correctione adibit vniuersale Concilium ritè congregatum.

Sextò arguitur ad idem, Concilium vniuersale non potest exercere illa omnia quæ potest Romanus Pontifex: ergo non est tantæ potestatis sicut Romanus Pontifex: antecedens patet, Concilium non potest dare indulgentias, conferre beneficia, nec dare ordines, cum non sit sacerdos.

Septimò arguitur, Ecclesia dicitur vna, & non nisi ab vnitate capitis, ergo est vnum caput.

Ad sextum respondetur negando antecedens, potest dare indulgentias; Papa dat indulgentias de thesauro Ecclesiæ, à fortiore Ecclesia de illo thesauro dare potest indulgentias; potest dare beneficia, ferre canones latæ sententiæ, restringere materiam matrimonij, dispensare in beneficijs, creare Cardinales, & omnia facere potest, quæ potest Romanus Pontifex, hoc est maximus Pontifex: quia vbi Papa ibi Roma.

Ad septimum, respondetur, quando nullus est Papa, Ecclesia non est minus vna, quàm viuente Papa, quia Ecclesia dicitur vna ab vnitate capitis essentialis, scilicet, Christi, qui non moritur, & ab vnitate fidei, & charitatis, & non ab vnitate capitis accidentalis; stat virum aliquem Papæ contradicere, & esse de vnitate Ecclesiæ, dummodo stet sub capite Christo, est de vnitate Ecclesiæ.

Octauò arguitur, sanctus Thomas & multi Theologi tenuerunt & tenent Papam esse suprà Concilium, ergo non est tutum oppositum.

Nono arguitur, magis fauet pietati & fidei, tenere Papam esse suprà Concilium, quàm è conuerso, ergo illud est tenendum citiùs quam oppositum; vel modus quem tenemus est de fide; & de necessitate credendorum vel solùm probabilis; si primum, sequitur quod alij oppositum asserentes sunt hæretici, cum pede fixo oppositum asserant; si secundum ergo licitum est tenere oppositum.

Ad octauum dicitur beatus Thomas tenuit quod diua Virgo fuit in originali peccato concœpta, quod materia non potest esse sine forma, de potentia Dei absoluta: quod Deus potest modo facere duos Angelos eiusdem speciei specialissimæ, & multa similia, quæ omnino improbabilia in schola putantur.

De Theologis, multò plures tenuerunt oppositum; superius ostensum est quod Augustinus, & alij doctores tenent partem quam insequimur, hoc tenuerunt varij Cardinales, vt Ioannes Patriarcha Antiochenus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Doctor vocatus Christianissimus, Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, profectò numquam satis laudatus, & nostra facultas à diebus Concilij Constantiensis (in qua plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus vel tribus regnis) quæ sic hanc partem fouet, quod nulli hoc licuit asserere oppositum probabile: adde etiam quod æquitas naturalis est pro hoc modo, & contra omnem rectam rationem est, dicere quod si Papa malè agat & dissipet bona Ecclesiæ, quod non potest argui: Paulus Petrum publicè arguebat post pontificatum summum, & si sit incorrigibilis est deponendus, ratione culpæ suæ, imò sine culpa sua, licet non sine causa est deponendus; vt pote si sit captiuus apud infideles, & nulla est spes liberationis eius; vel si duo contendant, & aliter pax procurari non potest; vel si sit demens, & inutilis.

Ad nonum negatur antecedens, extollere Papam cum depressione Ecclesiæ vniuersalis (quæ semper est sancta, & iudicium habet vltimatum, tam in materia fidei, quàm morum) non est benè actum: *quod verò plures Pontificem extollant quàm Concilium, non mireberis: Concilium, rarò congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas,*

Papa dat eas, hic homines ei blandiuntur, dicentes quod solus potest omnia quadrare rotunda, & rotundare quadrata tam in spiritualibus quàm in temporalibus.

Addendum est, non sequitur, hic modus est certus, ergo est de fide, nam certum est me esse, sed me esse non est de fide: homo tamen potest hîc replicare dicendo, assensus iste non est euidens. *Concilium est suprà Papam, & est certus*, non est scientia, neque sapientia, &c. ergo est fides: sed transeat.

Concludendo dico, hic modus cuilibet sapienti Pontifici debet esse gratior opposito, licet dicamus Concilium esse casualiter super Pontificem, & posse eum corrigere; cum hoc enim, dicimus Papam esse ex institutione Christi, non deponibilem sine grauissima causa, quæ vix ter contigit in mille annis, & si Papa millies iuraret tueri libertatem Pontificatus summi, debet tamen parere rationi, & velle corrigi, si incorrigibiliter delinquat: non facio plures rationes contra istum modum quem teneo *** quia videndo analogias & rationum assignatarum solutiones, facilè omnia diluuntur, quæ ab aduersarijs adducuntur, vel adduci possunt.

ADMONITIO AD LECTOREM.

NON te fugere debet, Lector beneuole, Joannem Maiorem duos lucubrasse Cōmentarios in Euangelium Matthæi: priorem anno 1518. In quo habetur quæstio hæc de auctoritate Ecclesiæ & Concilij: posteriorem, Anno 1529. quo, commentarios edidit in quatuor Euangelia.



PETRI DE ALLIACO CARDINALIS CAMERACENSIS, DE ECCLESIÆ, ET CARDINALIVM AVCTORITATE, LIBER VNICVS, scriptus in Concilio Constantiensi. M. ID. XVII.

PROOEMIVM.



HRISTI nomine inuocato, cui data est ipso teste, *omnis potestas in cælo & in terra, Matth. vlti.* De Ecclesiastica potestate ab eo deriuata, tractatum hunc breuem aggredior, exordium faciens à verbo Apostoli ad Titum primo: vbi docés qualem oporteat esse episcopum, inter alia admonet, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*: quibus verbis, exprimit duo esse opera Catholici doctoris: Primű scilicet sanam doctrinam prędicare, quod est exhortari in doctrina sana: Secundum falsam doctrinam reprobare, quod est eos qui contradicűt arguere. Et hæc sunt secundum Aristotelem duo sapientis opera; primum non mentiri de quibus nouit; secundum mentientem manifestare posse.

Hac igitur consideratione permotus, ego Petrus de Alliaco, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cameracensis, vulgariter nuncupatus, minimus sacræ Theologiæ Parisiensis professor, considerans, & non sine cordis amaritudine recogitans, nonnullos in grauem huius sacri Concilij Constantiensis, iniuriam, plurimos quandoque in alijs actibus errores seminare, aduersus quos, dum dixisset Apostolus *& eos qui contradicunt arguere*, causam subiunxit. *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & seductores*: proposui ad honorem huius sacri Concilij aliquas veritates Catholicas stabilire, & inde errores plurimos confutare. Et vt hoc salubriter fieri valeat, Christum supplex exoro, vt sua stabilitus gratia, potens sim, iuxta verbum Apostoli, *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* In quo quidem verbo, considerandum nobis est quod dicit notanter Apostolus *in doctrina sana*, quia non sufficit doctorem Theologum exhortari, in qualibet, seu quantumlibet vera doctrina, nisi & ipsa sit doctrina sana, id est ad sanitatem animæ spiritualé, scilicet ad virtuté & salutem ędificatiua. qualis est doctrina scripturæ sacrę in qua super omnem aliam doctinam singulariter consistit vitæ spiritualis virtus, & salutaris sanitas animæ. Propterea dicitur ipsa liber vitæ. Ecclesi. 24. & de doctoribus eius scribitur. *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum. Sapientia. 6.* Vbi diligenter notandum est, quod sicut sanitas corporis; consistit in quadam proportione media inter extremas qualitates contrarias; A sic virtus moralis, quæ magna pars est sanitatis animæ secundum Philosophum 2. Ethicorum, consistit in medio, scilicet inter duo extrema vicia contraria. Et quodam modo proportionaliter doctrina scripturæ sacræ, in qua complementum est totius sanitatis spiritualis, consistit quasi media inter errores plurimos, & sæpe inter errores contrarios. Nam plurimùm contingit, quod volentes vitare errorem aliquem, periculosiùs in errorem contrarium dilabuntur, inter quos duos errores, doctrina sana, in medio consistit. Sic enim in libro de duabus naturis ex B vna persona Christi, ostenditur, quod fides medium tenet inter duos errores contrarios, scilicet Nestorij & Eutichis.

Consimili modo, circa Ecclesiasticam potestatem, medium docet veritas Catholica, inter duos errores: nam error Vualdensium fuit, quod successoribus Apostolorum, scilicet Papæ & personis Ecclesiasticis, repugnat dominium in temporalibus, nec eis licet habere diuitias temporales: Vnde Ecclesiam Dei & successores Apostolorum, & veros Prælatos Ecclesiæ, durasse dicunt tantum vsque ad Siluestrum, C à quo (donatione facta Ecclesiæ per Constantinum imperatorem) dicunt incepisse Romanam Ecclesiam quæ modo est, quæ secundum ipsos, non est Dei Ecclesia, sed Dei Ecclesiam iam defuisse dicunt, nisi quia tantum in ipsis est continuata, vel per ipsos reparata, ad quod inducunt auctoritates Euangelij, quæ suadent Concilium Euangelicæ paupertatis. Ex quibus, quasi de consilio volentes facere præ- D ceptum, dicunt Ecclesiæ Prælatos, Apostolorum successores, non debere in temporalibus diuitijs habere dominium: Et hunc antiquum errorem nouiter suscitare visi sunt duo spurciosi hęretici Iohães Vviclef, & eius discipulus Iohannes Hus de Bohemia, nouissimè in hoc sacro Concilio condemnati. Alius verò error fuit Herodianorum, Herodes enim audiens Christum regem natum, credidit ipsum esse regem terrenum, ex quo deriuari videtur error quorundam, qui in tantum ad oppositum prædicti erroris Vualdensium declinant, vt asserere præsumant, à Papa, inquantum est loco Christi in terris, immediatè habere primariam auctoritatem, dominium, & iuridictionem in

temporalibus bonis, non solùm Ecclesiæ donatis, seu alias iustè acquisitis, sed etiam principibus A secularibus subiectis, licet dicant quod Papa in his non habet executionem immediatam, nisi in quibusdam casibus notatis in extrauagante, qui filij sunt legitimi, per venerabilem.

Inter autem duos errores contrarios, Catholica medium tenet Ecclesia, videlicet quod Papæ & prælatis Ecclesiæ, non repugnat habere dominium in temporalibus, & iurisdictionem; contra primum errorē, nec tamen eis debetur per se, ratione status sui, inquantum sunt vicarij Christi & Apostolorum successores, contra secundum B errorem, sed eis conuenire potest habere talia, si eis ex deuotione collata fuerint, vel aliunde iusto titulo acquisierint.

Sic consimiliter, in hoc sacro Concilio, errores contrarij circa Ecclesiasticā potestatem à nonnullis periculosi seminati sunt, & inter cæteros errores, quidam Papæ & Romanæ Ecclesiæ auctoritatem totaliter abstulerunt, quo potestatem Concilij generalis extollerent: Alij verò contrà, sicut pleniùs inferius apparebit: ideo inter hos aliosq; C errores cōtrarios, mediū veritatis tenere cupiēs, hoc opus aggredi Christo auxiliante decreui.

Diuisio & summa operis.

HVius autē tractatus, tres erunt partes: Prima de primęua origine Ecclesiasticę potestatis: Secunda de iure ministrorū Ecclesiæ, quod habent in Ecclesiasticis bonis: Tertia, de Papalis potestatis plenitudine, & an subsit iudicio Cōcilij generalis.

Prima pars, continebit quattuor capitula, Primum, 12. pręmittit conclusiones fundamentales: D secundum, ad eas inducit humani iuris allegationes: Tertium, circa statum hierarchicū Ecclesiæ, fundat 12. propositiones: Quartum de auctoritate Romanæ Ecclesiæ deducit corollarias conclusiones.

Secunda pars, quæ est de iure ministrorum Ecclesiæ quod habent in Ecclesiasticis bonis, duo continebit capitula. Primum, circa hoc ponit propositiones in iure naturali, diuino, & humano fundatas: Secundum, ex præmissis, infert decem E propositiones corollarias.

Tertia pars, quę est de Papalis potestatis plenitudine, & an subsit iudicio Concilij generalis, habebit quattuor capitula: Primum, de inquisitione, vtrum plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, resideat in solo Romano Pontifice: Secundum, vtrum Papa subiciatur Concilio generali, non obstante prędictæ potestatis plenitudine: Tertium, circa hoc recitabit opinionem contrariam veritatis Catholicæ: Quartum, ponet ver. ndecisionem, & reprobationem opinionis prædictæ. F

De origine Ecclesiasticæ potestatis.

QVia secundum philosophū, scire est rē per causam cognoscere, ideo, quæ qualis & quanta sit potestates Ecclesiastica, facilius apprehendetur, si eius prima & originalis causa precognoscatur: Eapropter, in huius tractatus principio, de origine Ecclesiasticæ potestatis aliquas conclusiones, plurimorum dubiorum exclusiuas, breuiter recolligere dignum duxi. Prima est, quod sex Ecclesiasticæ potestates leguntur in Euangelio, à Christo, suis Apostolis & discipulis (pro ipsis & eorum successoribus ministris Ecclesiasticis) fuisse collatæ. Prima potestas consecrationis, quæ interdum dicitur character vel potestas ordinis, quam contulit dominus, quando dixit, *hoc facite in meam commemoratione*. Lu. 22. Secunda est potestas administrationis sacramentorum, & præcipuè sacramenti pœnitentiæ, quæ est potestas clauium, vel spiritualis iurisdictionis. in foro conscientiæ, & hæc potestas promissa fuit Petro. *tibi dabo claues &c.* Matth. 16. promissa fuit etiam omnibus ibi, *Amen dico vobis quæcumque ligaueritis &c.* Matth. 18. collata verò ibi. *Accip:te spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Ioā. 20. Tertia, est potestas seu auctoritas Apostolatus, seu prædicationis, quam tradidit eis dominus dicens, *Euntes prædicate &c.* Matth. 10. Quarta, est potestas iudiciariæ correctionis in foro exteriori, per quam timore pœnę peccata corriguntur, præcipuè quæ sunt in scandalum Ecclesiæ, & hæc data est eis ibi, *si peccauerit in te frater tuus, &c. si nō audierit, dic Ecclesiæ. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus &c.* & sequitur, *quæcunq; ligaueritis, &c.* Matt. 18. Quinta potestas, est dispositionis ministrorū, quo ad determinationē iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt euitetur confusio, & dissensionis materia in populo, & inter ministros, si ipsi æqualiter, & indistinctè, de omni populo curam haberent: & hæc potestas, collata est Petro & successoribus eius, vbi ei specialiter dictum est. *Pasce oues meas, &c.* Ioan. vltimo. Sexta potestas, est exigendi necessaria vitæ ab his quibus spiritualia ministrabant. & hæc potestas, declarata est, vbi dicitur, *Euntes prædicate &c.* Et subditur, *dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua.* Matth. 10. & Lu. 10. Aliam ergo potestatem, præter sex illas, nō acceperunt discipuli à Christo, nisi miracula faciendi ad confirmationem fidei, in qua non necessariò succedunt eis episcopi & alij presbyteri, quia iam non indiget miraculis confirmari.

Secunda conclusio est, quod sex prædictę potestates, à principio communes fuerunt, & quasi pares omnibus Apostolis, & sine determinatione, vbique & in quemlibet poterat quilibet ea vti, sicut Paulus vbique, sine determinatione, populum hierarchizabat. tamen quia ex hoc confusio sequi poterat, vt dictum est, ideo Dominus hoc prauidens, contulit Petro pro se & suis successoribus, auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, & determinandi iurisdictionem, dicens, *Pasce oues meas.* id est, sis pastor, & prælatus generalis, ad quem pertinet dispositio & regimen generale ouium & ouilis, & sic, quamuis omnes Apostoli eandem habuissent à Christo potestatem, & ęqualē clauium & iurisdictionis, non tamen iurisdictionem, siue materiam subiectam, secundum aliquos, habuit aliquis, nisi Petrus, & cui cōmittere voluit: Et ita, secundum hunc intellectum, in Petro fuit ista plenitudo potestatis, quā tamen postea diuisim aliis dedit, vocans eos in partem sollicitudinis.

Tertia conclusio sequitur ex prędictis, quod sicut Apostoli & discipuli, sic episcopi, & presbyteri Ecclesiæ, ministri à Christo immediatè po-

tè potestatem Ecclesiasticam susceperunt, tanquam ab eo, qui solus est propriè & maximè caput Ecclesiæ, tamē nihilominus Petrus & quilibet eius vicarius Pontifex summus, potuit dici caput Ecclesiæ, inquantum principalis est inter ministros, à quo tamen, tanquam à principali hierarcha & architecto, aliquo modo dependet totus ministrorum Ecclesiasticus ordo. Vnde, licet cæteris Apostolis generaliter dictum sit, *Quæcunque ligaueritis &c.* tamen quia hoc singulariter ei dictū est, ideo specialiter dicitur accepisse claues, propter principalitatem, quam à Christo præ cæteris immediatè suscepit. Pro cuius declaratione, sciendum est, quod quando Petrus Christus constituit Pontificem summū, dicens. *Pasce oues meas*, simul & eisdem verbis, dedit ei potestatem eligēdi sedē vbicumque vellet, & vt ibi esset particularis episcopus: Vnde sicut Ecclesiasticæ tradunt historiæ, & sanctorum patrum decreta testantur, Petrus, quattuor annis tenuit cathedram Ecclesiæ, nullam sibi particularem Ecclesiam eligendo, sed tanquam prælatus, & caput omnium fideliū, sedebat vbicunque volebat: Vnde in Hierusalem, vbi legitur Iacobus statim post ascensionē Domini, à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus (licet ibi omnibus præfuerat) illam tanquam specialem non elegit, Sed postea, quatuor fere annis, Antiochiæ sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriauit: Deinde verò, apparente sibi Christo, & eidem reuelāte, sedem suam Romæ transtulit, & ibi factus est Romanus episcopus. vt ita ex tūc, in Petro & suis successoribus, duo episcopatus concurrerent, videlicet vniuersalis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ.

Ex quibus sequitur quinta cōclusio, quod prius Antiochena, & deinde Romana Ecclesia, supra ceteras Ecclesias obtinuit principatum, & à tempore quo Petrus & sui successores summi Pontifices fuerunt, & erunt episcopi Romani, ipsa Romana Ecclesia, fuit & erit caput omnium Ecclesiarum particularium, ac totius vniuersalis Ecclesiæ, hac videlicet ratione, quia eius particularis episcopus, est caput seu Archiepiscopus earundem, & in hanc sententiam, concordant Ecclesiasticæ historiæ & sanctorum patrum decreta: Vnde ad hunc sensum, negare Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum est hæreticū, sicut negare summum Pontificem esse caput Ecclesiæ.

Sexta conclusio, licet nomina Papatus & Cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorū, non fuerint in vsu Ecclesiæ (sed postea crescente Ecclesia, in titulū honoris, ex deuotione fideliū, hæc nomina, sicut & nomina Patriarcharū, Primatum, Archiepiscoporū, in vsu venerint à sanctis patribus approbato) tamē Ecclesiasticæ potestates dictis nominibus Papatus & Cardinalatus nunc designatę, ex tunc in Apostolis pręfulserūt, videlicet in Petro Papalis dignitas, & in singulis Apostolis Cardinalatus auctoritas: Pro cuius declaratione, sciendū est, quod sicut patet ex decursu historiæ actuum Apostolorum, Ecclesiasticis historiis, ac sanctorū patrū decretis, ante diuisionē Apostolorum, per quā ad diuersas mundi partes dispersi sunt Apostoli, Petro tanquam Papale

A officium gerenti, assistebant, tanquam Cardinalatus ministeriū exercentes, sicut nunc Papæ assistunt Cardinales, tanquam eius principales assessores, & Consiliarij atque cooperatores, in regimen vniuersalis Ecclesiæ. Postquā verò Apostoli, à Petro separati, in opus prædicationis, diuersa mundi loca perlustrantes, speciales sibi diœceses sortiti sunt, ex tunc episcopale officium exercuerūt. Vnde ex hoc potest inferri, quod dicti Apostoli, prius Cardinales quàm episcopi fuerūt, seu quod prius exercuerunt Cardinalatus ministeriū, quā episcopale officium, de quorū Cardinalatu,

B spiritualiter intelligi potest istud propheticū Domini. *Sunt Cardines terræ & posuit super eos orbem.* Ex quo iterum sequitur, quod prius fuerūt Cardinales orbis, quam vrbis: Nā sicut Petrus prius fuit Papa orbis, id est vniuersalis Ecclesię, antequā episcopus Ecclesiæ Romanæ, vt dictum est, sic & Apostoli, prius fuerūt Cardinales orbis, quam alicubi fierent Cardinales Romanæ vrbis. In signū verò huius distinctionis, in inuestitura Papatus, dicitur Papæ, inuestio te de Papatu Romano, vt præsis vrbi & orbi: In vtraque verò, tam

C vrbis quā orbis præsidentia, coassistūt Papæ Cardinales tanquam speciales ipsius coadiutores, vice & nomine tam Romanæ, quàm vniuersalis Ecclesiæ: & ideo, Papa ante suam consecrationem, profiteri debet sanctæ Romanæ Ecclesiæ (Cardinalium consilio, consensu, dilectione, & rememoratione) ministerium suum gerere & præagere, vt patet in professione quam fecit Bonifacius octauus.

D Ex præmissis fundatur illa cōclusio, quod sacro collegio, vel Senatui Apostolorū, succedit in ordine hierarchico, collegium sacrum Cardinaliū, videlicet, quantum ad illum statum, quo Apostoli coassistebant Petro antequam (post eorum diuisionē) fierent particulariū Ecclesiarū episcopi. Statui autem Apostolorum, inquantū fuerunt episcopi, succedit ordo episcoporum, & ita intelliguntur dicta sanctorum, ex quibus sumitur illa glosa. Lu. 10. super verbo. *designauit & alios septuaginta duos &c.* vbi dicitur, quod sicut in Apostolis

E forma episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis, forma est ministrorū secundi ordinis, & omnis potestas sacerdotalis, ad hos duos ordines reducitur. Si verò obiiciatur, quod Cardinales diaconi non succedunt Apostolis, cum omnes Apostoli fuerint præsbyteri. Respondetur, quod licet non succedant ordine pręsbyteratus, tamen succedunt in ordine diaconatus, intelligēdo sicut superius declaratum est. Vnde quantū ad hoc, Cardinales diaconi, non solum iure prædicto, sed ex laudabili & approbali consuetudine

F iam præscripta præcedunt episcopos; licet ordo episcopalis dignior sit ordine diaconatus: sicut verbi gratia, Archidiaconus, licet non sit presbyter, tamen præest pluribus presbyteris suo Archidiaconatui, in ordine hierarchico subiectis. Prædicta autem consuetudo, processit vt verisimiliter videtur, ex traditione Apostolorum & suorum successorum, sicut patet ex approbatis Ecclesiasticis historijs. Nam in historia Damasi, de pluribus summis Pontificibus dicitur, quod fecerunt ordinationes, videlicet tot presbyteros, tot diaconos, tot per diuersa loca

episcopos, vbi patet, quod presbyteri & diaconi Romani præferuntur episcopis.

Secundò patet, quod ad Pontifices Romanos pertinet episcopos ordinare: Ex quibus sequitur octaua conclusio, quod antiquissimo iure, & & præscripta Ecclesiæ consuetudine, quæ pro lege est, ad Romanum Pontificem, de fratrum suorum Cardinalium Concilio, pertinet episcopos ordinare & instituere, sic enim Petrus, de Concilio Apostolorum, Iacobum Hierosolimorum episcopum ordinauit. sic deinceps factum est de aliis episcopis, & per Petrum & alios suos successores Romanos Pontifices. Per hoc tamen non totaliter excluduntur iura electionum, vt patebit ex dicendis.

Nona conclusio, quod ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de iure naturali & diuino, aliquo modo pertinet Romani Pontificis electio: & dixi aliquomodo hoc pertinere ad eos, quia ad eos solos de iure naturali & diuino non pertinet huiusmodi electio: sed quod ad eos totaliter pertineat, hoc est de iure positiuo, in quo ex causa rationabili cadere potest iusta dispēsatio: Pro cuius declaratione, sciendum est, quod quia summus Pontifex non potest sibi successorem, sicut alios episcopos, eligere vel substituere, oportet quod per alios eligatur, & inquirendū est ad quos huiusmodi electio pertineat de iure naturali & diuino. De hoc autē aliqui probabiliter dicunt, quod largè sumendo ius naturale & diuinum, pro omni illo quod ex suppositione, est naturali rationi consonū, & in diuinis scripturis explicitè vel implicitè comprehensum, sic Romani ex iure naturali & diuino hoc largè sumpto habent ius, eligendi sūmum Pontificem. Ex hac namque suppositione, quod aliquibus sit aliquis prælatus vel princeps vel rector præficiendus, naturali ratione euidenter colligitur, quod (nisi per illum vel illos, cuius vel quorum interest, ordinetur contrariū) illi quibus est præficiendus, habent ius eligendi præficiendū eis. Vnde nullus debet eis dari ipsis inuitis, & hæc multis rationibus & exemplis, possunt probari quas dimitto. Cum ergo Romanus Pontifex quodam modo specialiter præferendus est Romanis, quia non habent alium epicopum, sequitur quod ipsi viri, prædicta suppositione facta, scilicet quod debent ipsum habere episcopum, habent ius eligendi ipsum: in quo iure participant Romanæ Ecclesiæ Cardinales, cum ipsi ratione suorum titulorum, sint principaliores in clero Romano, & hoc verum est, nisi per ipsos Romanos vel alium superiorem Romanis, qui habeat in hoc potestatem, contrarium ordinetur vel statuetur. Si verò dicatur quod ex prædicta ratione sequitur, quod cum Romanus episcopus, inquantum summus Pontifex, præficiatur vniuersali Ecclesiæ, videtur quod ius eligendi ipsum ad ad vniuersalem pertineat Ecclesiam, vel ad generale Concilium ipsam repræsentans, potiùs quàm ad Romanos. Ad hoc, secundum prædictam opinionem respondetur, quod licet vniuersa fideliū multitudo, seu generale Conciliū eam repræsantans, haberent ius eligendi summum Pontificem. tamen inquantum est Romanus episcopus, publicæ vtilitati magis videtur expedire, quod vacante sede Romana, ius eligendi pertineat ad Romanos, vel ad alios qui hanc ab eis habeant

A potestatē, quia illa vniuersalis aut generalis multitudo, aliquando non posset in vnum locum conuenire, vel in vnam personam idoneam consentire.

Ex prædictis, sequitur decima conclusio, quod Romani ad euitandum confusionem multitudinis, rationabiliter potuerunt & debuerunt transferre prædictum ius suum eligendi summum Pōtificem, in aliquos paucos ex Romanis, vel in clerum Romanum, aut aliquos ex ipsis, sic enim ab antiquo electiones prælatorum concessæ fuerunt clericis, quia licet omnes clerici & laici

B habuerunt ius eligendi, de consensu tamen laicorum (quia clerici erant sapientiores & sanctiores respectu multitudinis) concessum fuit & ordinatum, quod ipsi soli eligerent.

Ex eadem radice, sequitur vndecima conclusio, quod Romani rationabiliter potuerūt & debuerūt trāsferre ius & potestatem instituendi electores Romani Pontificis in aliquos paucos, vel in vnum solum, vt pote in Pontificem Roma-

C num, sic enim Papa aliquando concessit quibusdam regibus ius eligendi summūm Pontificē, vel aliquando alijs. Sed secundum opinionē prædictam, hoc non fecit, quod solus habuerit potestatem huiusmodi ius concedendi, sed quia Romani, vel in eum solum, vel in eum & alios simul, qui gesserunt vicem Romanorum, prædictum ius transtulerunt. Sic Adrianus Papa, vt habetur in decretis, non solus, sed ipse & synodus celebrata Romæ, in qua plures fuerunt Ro-

D mani, tradiderunt Carolo regi Francorum, ius & potestatem eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Sic etiam Leo Papa, vt in decretis legitur, non solus, sed cum multo clero & populo Romano, ius concessit Ottoni regi Theutonicorum, summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi. Sic denique Nicolaus Papa, non sine consensu Romanorum, in quadam Romana synodo centum & tredecim episcoporum, hanc electionis potestatem Cardinalibus contulit, quæ potestas, pluribus iu-

E ribus & consuetudine præscripta est. Hic tamen notandum est, quod per præmissa non tollitur, quin Papa ex ordinatione Christi & potestate collata sibi à Christo, in aliquo casu habeat potestatem ordinandi, qui debeant eligere successorem suum. Cuius ratio est, quia Christus sufficienter prouidit Ecclesiæ in omnibus necessariis, ideo committendo Ecclesiam suam beato Petro, dedit ei & successoribus suis, plenitudinē potestatis in spiritualibus, quo ad omnia necessa-

F ria Ecclesiæ suæ (*saluo tamen iure aliorum, quando debitè volunt & possunt vti iure suo*) ita vt Papa in in omnibus necessarijs, possit supplere in spiritualibus, defectum illorum qui nolunt vel non possunt vti iure suo: & ideo quia ex iure diuino, Romani habent ius eligendi episcopum suū, Papa non habet potestatem ordinandi de electione eadem, in præiudicium Romanorum, quando ipsi vellent & possent, ad bonum commune, vti iure suo. Si Romani transtulerunt ius suum in Papam, vel etiam si Romani in ordinandis electoribus, summi Pontificis inuenirentur in detrimentum Ecclesiæ negligentes,

tes, & satis probabile est, quod Romani tale ius aliquando transtulerunt in Papam: & ideo, extunc potuit Papa solus, concedere potestatem eligendi summum Pontificem Imperatoribus, vel regibus, vel vicinis Episcopis, vel clero Romano, vel canonicis Ecclesiæ Romanæ, vel alijs, & maximè Cardinalibus, prout visum fuerit vtilitati Ecclesiæ conuenire.

Ex præmissis, secundum opinionem prædictam, infertur duodecima conclusio, quod quia res de facili ad naturam suam reuertitur, si electores Romani summi Pontificis, siue Cardinales aut alij, in quos Romani ius suum transtulerunt, ex culpa sua ius aut potestatem huiusmodi perderent, in hoc casu reuertetur ad Romanos, nisi Papa habens in hoc Romanorū potestatem, aliter ordinaret de electoribus huiusmodi: & ideo, si sede vacante, casus prædictus exigeret, tunc ius eligendi & ordinandi de electoribus huiusmodi, ad Romanos pertineret, secundum opinionem prædictam. Sed tamen probabilius videtur posse dici, quod in casu præmisso, ius prædictum pertineret ad generale Concilium, si faciliter & conuenienter posset congregari, aut si de facto esset sufficienter congregatum, & hoc maximè patet ex illa ratione supra tacta: quia Papa, non solùm est Romanus Episcopus, sed etiam summus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ, quæ in Concilio repræsentari censetur. Ex omnibus præmissis patet manifesta reprobatio cuiusdam falsæ opinionis, quam recitaui in tractatu de informatione Ecclesiæ, videlicet quorumdam, statum Cardinaliū nimis rigorosè deprimētium, ipsumque reprobantium sicut reprobatus est & episcoporum. asserentiumque, quod Cardinalatus non sit gradus Ecclesiasticę hierarchiæ, nec statui Apostolorum, quouis modo succedens, quem errorem, aliquo modo in hoc sacro Concilio suscitare ac renouare visi sunt.

SECVNDVM CAPITVLVM PRIMÆ PARTIS.



AD confirmationē prædictarum conclusionum, nonnullas humani iuris allegationes expedit inducere. Circa primam conclusionem, sciendum est quod prima & secunda potestas, secundum aliquos, sunt vna secundum essentiam, sed differentes secundum diuersos actus, respectu corporis Christi veri, & mystici: imò totam potestatem traditam Apostolis à Christo videntur canones comprehendere, sub potestate ligandi & soluendi, & in hac potestate, iuxta secundam conclusionem, omnes Apostoli cum Petro, pari consortio, honorem acceperūt. vt 21. di. in nouo: vbi etiam fit mentio de potestate prædicandi, de qua 19. di. can. ita dominus, vbi concluditur, quod huiusmodi sacramentū, dominus ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet. Vnde etiam iuxta tertiam conclusionem, in dicto can. in nouo. dicitur quod Episcopi successerunt loco Apostolorum, & ideo licet habeant potestatem ordinis, vel consecrationis parem cum Papa, quo ad plenitudinem exercitij ipsius potestatis, tamen non habent parem administrationē, quia iuxta secundam conclusionem, solùm vocati sunt, in partem sollicitudinis, quo ad suas diœceses, Papa verò in plenitudinem potestatis, quo ad totum mundum. vt. 2. q. 6. can. qui se sic. de vsu pallij ad honorem. Vnde etiam, iuxta secundam conclusionem, Petrus fuit principalis inter Apostolos, quia etiam fuit maior alijs in administratione. 2. q. 7. can. puto, vbi dicit August. quod in Petro fuit Apostolatus principatus. solus enim Petrus inter Apostolos primatum gerebat, 2. q. 1. Vnde Petrus & Cephas, id est caput dictus est, principatum tenens Apostolatus. vt, 22. di. can. sacrosancta. Ad idem de electi. Fundamēta. lib. 6. His itaque atque pluribus iurium concordantijs, tres primæ conclusiones simul probatæ sunt. Circa quartam conclusionem, vide. 7. q. 1. can. mutationes. vbi dicitur, quod Petrus de Antiochia translatus est Romam, vt ibidem potius proficeret. idem 22. di. can. sacrosancta. & hæc translatio, iubente Domino facta est, 24. q. 1. can. rogamus: & idem canon facit pro quinta conclusione, quia ibi dicitur quod Antiochena sedes, quæ olim erat prima, cessit Romanæ sedi, & nulla est sedes quę non eidem Romanæ subiecta: quod autem hæreticus sit qui negat Romanam Ecclesiam esse caput Ecclesiarum, habetur. 22. di. can. omnes. Circa quintam conclusionem nota quod aliquibus videtur quod Syluester fuit primus qui Cardinales vocauit. vt 2. q. 4. can. vocauit præsul. Et fuit illud capitulum conditum in concilio, vt ibi patet. Alijs videtur quod Marcellus Papa, & de hoc per Archidiaconum, de electi. cap. vbi maius. li. 6. & in hoc non refert, quia debetur attendi effectus, & non vocabulum. de signi. intelligentia cum tribus ca. se. Et nota, quod Hosti. & quidem doctores canonici, multa ponunt de auctoritate Cardinalium, tam sede vacāte, quàm plena, vt in capit. ad liberandum, de Iudæis. in ca. cum ex eo. de pœnitentijs & remissionibus. cap. antiqua. de priuilegijs, in. can. nullus. 79. di. in can. ego, de iureiurando, in cap. fundamenta. de elect. in c. 2. de offic. legati. lib. 6. ca. ad Apostolicæ, de re iudicata. e. li. & in extrauaganti execrabilis. Circa septimam cōclusionem, nota quod Cardinales etiam non Episcopi, præcedunt Episcopos, quia comparantur Senatoribus, qui erant primi post Imperatorem, vt dicebantur patres conscripti. & de hoc per Archid. de officio legati. c. 1. li. 6. & 96. di. Constantinus, vbi concedit Constantinus, vt vtantur ornamentis Senatorum, & dato quod nullo iure probaretur, sufficit quod sic est receptum à tempore, de cuius contrario non est memoria. Nam tale tempus habet vim legis. de scrib. ca. 1. li. 6. & hoc facit pro octaua conclusione. Item Cardinales & non Episcopi, habent in suis titulis ius Episcopale, vt notat Ioan. Monachi, de maio. & obe. capite vnico lib. 6. Nec obstat de Cardinalibus diaconis, qui minores sunt in ordine sacramentali: Nam stat quod aliquis sit cum alio par, vel etiam minor in ordine, & tamen maior in administratione, sicut Archidiaconus, Archipresby-

tero, vt 15. di. can. perlectis. Vnde sacer iste senatus Cardinalium, à cardine nomen accepit, vt 13. di. can. sacrosancta, super verbo cardo notauit Archidiaconus. Circa nonam cõclusionem, nota quod electio Papæ pertinet ad Cardinales, non solùm de iure, sed etiam de consuetudine diu obtenta, vt notat Hostien. de elect. licet. & consuetudo secundum philosophum, dicitur altera natura, & habet vim legis, & legem interpretatur & corrigit. vt de consuetudine. cum dilectus. Item, ad Cardinales pertinet hæc electio, tanquam ad clerum Romanum seu principales de clero Romano, argumento 23. di. ca. 1. facit. 79. di. ca. 1. & ca. si quis ex. & ca. si quis pecuniam.

TERTIVM CAPITVLVM PRIMÆ PARTIS.

SED vltra iura præmissa humana & positiua, restat in iure fundare statum hierarchicum Cardinalium, & eorum auctoritatem: Vbi primo supponendum est, quod Christus Ecclesiam suam instituit, statibus, officijs, & gradibus varijs hierarchiæ distinctam, iuxta illud Apostoli Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit, ascendens in altum dedit dona hominibus, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euãgelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia*: & eadem sententia habetur, 1. ad Corinth. 12. ca. Et hæc perfecta & completa statuum distinctio, maximè in die ascensionis instituta est, vt notãt præmissa verba Apostoli, allegantis illud prius. *Ascendens in altum dedit dona, &c.* Ex quo sequitur quod varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia, non principaliter est ex institutione Ecclesiæ, aut cuiuscumque puri hominis auctoritate processit, quare nec eam destituere potest siue destruere. Vlterius supponitur, quod præmissa officiorum varietas, ad sui pulchritudinem & ordinem requirit, quod inter auctoritates Ecclesiæ regitiuas, sit hierarchica subordinatio, & quod vna, scilicet Papalis auctoritas, sit suprema, ex Christi institutione, & non tantùm humana auctoritate, sed diuina, iuxta illud Ioannis 20. *Pasce oues meas, &c.* Vnde licet pluraliter dicat Apostolus, *dedit Apostolos seu Episcopos. &c.* tamen ad inueniendũ id quod dictum est, præmisit, *vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, quasi diceret, vni plus & alteri minùs donatum est, vt vni supremum regimen ecclesiasticum sit cõmissum, & ideo dicit Apostolus idem secũdo ad Corinth. 10. *nos autem, non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quã mensus est nobis Deus*, vbi glosa, vsurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi, aut vicarij sui, vel potestatem commissam vltrà terminos sibi præfixos extendentes, non secundum mensuram regulæ, sed in immensum gloriantur. Ex præmissis infertur, quod sicut status Papę, sic & post eum, status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, ex Christi institutione pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statui Apostolico immediatè succedunt. Pro cuius declaratione sciendum est, quod Apostoli possunt tripliciter considerari; Primò, vt Christo præsentialiter astiterunt ante eius ascensionem; secundò, vt astiterunt Petro tanquam primo pastori, ante diuisionem Apostolorum, & separationem à Petro: tertiò, vt ex præcepto Christi, postea à Petro separati, per mundum se diuiserunt, vt in sexta conclusione tactum est. In primo statu, Apostoli fuerũt pares, nec Petrus eis præerat: In secũdo & tertio statu, præerat eis Petrus: Et quantum ad primum & secundum statum, Cardinales repræsentant Apostolos, in hoc quod assistunt Papæ qui est Christi vicarius, & Petri successor; sed quantum ad tertium statum, Episcopi succedunt Apostolis, vt in dicta sexta conclusione ostensum est: & hoc notauit Apostolus, distinguens status Ecclesiæ, cum distinguit statum pastoralem, cui incumbit cura animarum particulariter à statu Apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiæ generaliter. Et iuxta hanc sententiam, dicit Archid. 22. dist. can. sacrosancta, quod Papa se debet inter Cardinales annumerare, ratione status Apostolici in quo sunt, condiuidendo eum à pastorali statu, licet etiam Apostoli fuerunt pastores: sed status in se sunt diuersi, & prius fuerũt in statu Apostolico per Christum instituti, quàm in pastorali per Petrum, quia ante passionem, omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post passionẽ, institutus est Petrus à Christo omniũ pastor: & tunc status pastoralis ordinatus, cum apostolicus status ante fuisset. Petrus ergo, & sui successores retinuerunt vtrumque statum, sed Cardinales Apostolicum duntaxat, & ista est diuersitas inter nũc vocatos Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, qui in statu Apostolico vario modo succedunt Apostolis. Nota in glosa primæ ad Corinth. 3. super illud dictum fidelibus. *omnia nostra, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas.* Nam vt glosa dicit, Paulus erat Apostolus Corinthiorũ, Apollo erat Archiepiscopus eorum; Cephas, id est Petrus, omnibus maior erat. Vnde vlterius sequitur, quod ad statum Cardinalium, tanquam ad statum Apostolicum, primo pertinet, vna cum Papa, regimen & ordinatio totius Ecclesiæ. Nam sicut perfectio Episcopalis status, in hoc cõsistit, secundũ Thomam, 2. 2. quod quis ex diuina electione, se obligat ad hoc, quod curam proximorum gerat, & saluti eorum insistat, videlicet eorum qui suo Episcopali regimini specialiter sunt commissi: Ita, perfectio status Cardinalatus, in hoc consistit, quod ex charitate se obligat, vt cum capite suo Christi vicario, generaliter sedem & Christianitatem, vsque ad sanguinis effusionem deffendet, in cuius signum, capellum rubeum portare dicuntur. Ex quibus sequitur, quod Cardinales sunt in statu perfectionis altioris, quàm sit generaliter status pastoralis. quia inferiores pastores tenerentur se exponere pro grege particulari, sed Cardinales tenentur se exponere pro vniuersali Ecclesia, quod est perfectius. quia bonum quanto communius, tanto dignius, vt dicit Philosophus. Ex eodem fundamento patet, quod ad sedem Apostolicam, id est ad Papam, & Cardinales, præ cæteris sedibus pertinet, declaratio veritatum

veritatum necessariarum aut vtilium ad salutem, siue quantum ad fidem, siue quantum ad vtile regimen Ecclesiæ militantis: quia in hoc succedunt Petro & cæteris Apostolis, quantum ad statum Apostolicum primitiuũ, de quo dictum est prius. *Euntes docete omnes gentes*. Ex quo vlterius sequitur, quod vbi necessitas aut vtilitas emineret, pro cõseruanda fide, vel bono regimine Ecclesiæ, ad Papam, vel in eius defectu, ad Cardinales pertinet generale Concilium conuocare, & hoc eis conuenit, non tam humana quam diuina institutione, vice & nomine totius vniuersalis Ecclesiæ, quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministerio generali verbi Dei, & deputati ex statu suo ad instruendum generaliter fideles, de his quæ pertinent ad salutem, licet in hoc officio sint instituti à Papa, vice tamen Christi, veritates necessarias orbi dicere tenentur, & in illa paritate, in qua à sanctis doctoribus Paulus dicitur fuisse par Petro prædicationis officio, scilicet legis euangelicæ, succedunt Paulo. & exemplo ipsius ad Gal. 2. successori Petri, manifestè in præiudicium religionis Christianæ oberranti, possunt resistere: quia licet sit vicarius generalis Christi, & officio & auctoritate prælationis maximus, tamen in ministerio prædicationis & doctrinæ Christianæ, connumerare se debet alijs Apostolis. vt notat Archid. vbi suprà. Ex prædictis omnibus, patet, quod si attendatur ad conditionem status, in quo Cardinales ex Christi ordinatione instituti sunt, valde magna congruentia est, vt ad eos pertineat electio Papæ Christi vicarij: quia videlicet in hoc succedunt Apostolis Christi, hoc tamen ius, principaliter & originaliter pertinet ad vniuersalem Ecclesiam, seu generale Concilium ipsum repræsentans, sicut tactum est in fine duodecimæ conclusionis. Pro cuius materiæ declaratione, sciendum est, quod licet Papale officium sit ex Christi institutione, tamen modus ipsum per electionem obtinendi, Christus non docuit explicitè & expresse: licet autem Christus leges obtinendi Ecclesiastica officia seu dignitates non expresse docuerit, tamen videtur quod eas suo vicario instituendas reliquerit, vel immediatè per seipsum, vel mediatè per alios, iuxta Ecclesiasticas sanctiones subordinatos.

Sed de Papatu, qualiter & quomodo debeat quis subrogari, est specialis difficultas. circa hoc verò est multiplex opinio: Vna est, quod quando Christus præfecit beatum Petrum omnibus Christianis, dans sibi potestatem, vt vbi vellet sedere, eligeret, ita vt esset quodammodo proprius illorum Episcopus: non priuauit illos iure illo naturali, largè sumpto, quod omnibus competit, quibus est aliqua præficienda potestas, siue secularis siue Ecclesiastica, videlicet eligendo sibi rectorem, nisi per illos quibus est præficienda huiusmodi potestas, vel per eorum superiorem, contrarium ordinatur: ergo, cum beatus Petrus elegerit sedem Romæ, sequitur quod Romani habent ius eligendi successorem beati Petri, qui eis præficiendus est in spiritualibus, & habent Romani ex iure naturali largè sumpto, vt supra tactum est, & per consequens, ex iure diuino, extendendo ius diuinum, ad quodcumque ius naturale, ex eo scilicet, quia tale ius est à Deo conditore naturæ.

Alia opinio est, quod pari vel maiori ratione, sicut ad vniuersitatem Romanorum pertinet de iure naturali vel diuino electio Papæ, tanquam Romani põtificis, sic ad vniuersitatem fidelium, simili iure naturali & diuino, pertineret electio Papæ, tanquam summi pontificis vniuersalis Ecclesiæ, vel ad generale Concilium ipsam repræsentans: quia Ecclesia vniuersalis, vel congregatio eam repræsentans originaliter & principaliter, habet ius eligendi sibi caput seu rectorem, cuius tamen capitis auctoritas seu potestas, non ab Ecclesia dependet, sed à Christo immediatè: & hæc opinio verior reputatur: ex qua sequitur, quod si vniuersitas Romanorum naturali aut diuino iure habeat potestatem in electione summi pontificis, hoc est vice & nomine vniuersalis Ecclesiæ, cuius summus pontifex est particularis Romanæ Ecclesiæ Episcopus. & quia vniuersitas Romanorum, vel aliqui eius auctoritate faciliùs & commodiùs possunt congregari, quam tota Ecclesia vel Concilium generale, pro quo facit, 65. di. can. si fortè. & ibi ca. 1. de tem. ordi. si Archiepiscopus. & 23. di. can. in nomine Domini. & 79. di. ca. 1. & ca. si quis &c. Vnde vlteriùs sequitur, quod Papa illam potestatem, quam habet super ordinatione & electione sui successoris, habet vice & nomine vniuersalis Ecclesiæ, cuius ipse est caput, & eam aliquomodo repræsentat: & ideo modus instituendi Papam, non est datus per auctoritatem Ecclesiæ, exclusa sed inclusa auctoritate Papali, in Concilijs scilicet generalibus: quare nec per auctoritatem Papalem, sine auctoritate Ecclesiæ potest destitui, quia cuius est instituere, eius est destituere, & in eius rei signum, decreta seu iura quæ sunt de modo eligendi Papam, fuerunt per summos Pontifices in Concilijs generalibus ordinata, vt ca. in nomine Domini. 23. di. & ca. si quis. 89. di. & capit. licet, de elect. in antiquis. & ca. vbi maius. li. 6. & ca. ne Romani. li. 6. cum suis concordantijs. Ex quibus infertur, quod sede vacante, si ad electionem summi pontificis fuerit procedendum, illa electio non erit facienda, exclusis Cardinalibus: quia vt ex præmissis patet, ad eos multipliciter pertinet electio summi pontificis, nec istud ius sufficienter abolitum est, aut aboleri potest, vt quidam dicunt, sine superiori auctoritate Papæ, qui caput est Ecclesię; alioquin possent sine eo talia fieri sine necessaria & euidenti causa; eadem ratione, posset Ecclesia seu generale Concilium, in omnia quæ sunt Papalis officij, quod secundum aliquos est absurdum: sed hæc gratia breuitatis omitto, de his remittens ad ea quæ notauit Petrus Bertrandi, in cap. vbi maius, de elect. li. 6. Hic tamen pro speciali huius materiæ declaratione, dico quod licet ad solos Cardinales pertineat regulariter Papæ electio, tamen hæc regula in certo casu, & ex rationabili causa, exceptionem seu dispensationem habere potest, vt tactum est in nona conclusione principali primi capituli: & hoc specialiter locum habere videtur in casu præsentis schismatis, super quo sunt aliqua consideranda.

Primò cuidam non videtur expediens, stante hoc sacro Concilio, solùm sacrum collegium Cardinalium, futurum summum pontificem eligere, nam atteta conditione schismatis præsentis,

& considerato præsenti statu Ecclesiæ, apparet conueniés, quod in hac electione, huius Concilij A concurrat auctoritas, & ad hoc speciales rationes possent induci.

Secundò, non videtur expediens per hoc sacrum Concilium, dictum conciliũ Cardinalium ab hac electione totaliter excludere, quia hoc esset verisimiliter dare occasionem nouo schismati, quia non est clarum, quomodo possent hoc iure priuari, vt statim tactum est. Et supposito quod in aliquo casu Cardinales essent priuati iure eligendi, remaneret dubium, ad quos deuolue- B retur ius, siue potestas huiusmodi, cum aliqui magni doctores teneant, ꝙ rediret ad Romanos, quæ opinio, licet non esset vera, nec tenenda, tamen posset verisimiliter esse occasio generandi nouum schisma, de qua opinione tactum est supra in nona conclusione primi capituli, & sequentibus, & in nona, & decima propositionibus, in hoc capitulo præmissis.

Tertiò, non videtur expediens quod Concilium (non consentiente dicto Cardinalium collegio) statuat vel discernat noua iura, contra iura C antiqua de electione Papæ, condita in generalibus Concilijs, presidente Papa, & in pace & vnitate Ecclesiæ congregatis, & hoc clarè patet ex supradictis: nam circa electionem summi pontificis, noua iura condere, nouo schismati posset occasionem verisimiliter præbere.

Quartò, ex præmissis concluditur, quod omnino expediens est in ista materia, sacrum Concilium, cum sacrorum dominorum collegio vnanimiter concordare, ad obuiandum omnibus D dubijs, & imminentibus inde periculis & scandalis, vt omnia in pace fiant, & excludantur viæ malignandi turbatoribus vnionis: quod vtique fiet, auisando aliquos modos rationabiles & iuridicos, & antiquis iuribus non contrarios, & ex illis eligendo, concordent modum conuenientiorem in futura electione conseruandum, & ad hoc consentiẽdum, tenetur dictum sacrum Concilium de iure naturali & diuino; attenta conditione præsentis schismatis, non obstantibus, quibuscumque iuribus positiuis, si quæ videntur in E contrarium militare: sed de hac materia particularius dicere, non est præsentis operis.

QVARTVM CAPITVLVM PRIMÆ PARTIS.

De Romanæ Ecclesiæ priuilegijs, quatenus Collegium Cardinalium complectitur.

EX his quæ præcedentibus capitulis dicta sunt, restat ostendere, quod licet F auctoritas Concilij generalis meritò extollenda sit & magnificanda, adeò quod Romana Ecclesia particularis Ecclesia, eius iudicio subest in capite & in membris, dictæ tamen Ecclesiæ Romanæ auctoritas & præeminentia, non est in hoc sacro Concilio depriméda atque paruipendenda: ad quod declarandum, ponuntur decem cõclusiones infrà scriptæ, multorum & magnorum prælatorum atque doctorum examine correctæ & approbatæ.

Prima conclusio est, Romana Ecclesia, secundum canonicas sanctiones Christi traditioni cõformes, omnium Ecclesiarum mater est & magistra, sic quod earum caput meritò dici potest. & oppositum dicere est hæresis implicita. Romana Ecclesia, sicut omnium Ecclesiarum magistra, sic earum etiam caput meritò dici potest. Romana Ecclesia, sicut ratione sui Pontificis summi, omnium Ecclesiarum caput dicitur, sic secundum aliquos, potest dici caput Concilij generalis, imò vniuersalis Ecclesiæ, quæ ex omnibus particularibus Ecclesijs integratur. Romana Ecclesia, præmissam capitis & auctoritatis præeminẽtiam obtinet, non tam humana traditione, quam diuina, & hoc ratione Petri Apostoli Christi vicarij, & cuiuslibet sui legitimi successoris, qui ex Christi institutione, sub eo, tanquam sub principali capite, tam Romanæ, quàm vniuersalis Ecclesiæ caput fuisse vel esse dignoscitur. Vnde ex hoc patet, quod auctoritas Papæ seu Romanæ Ecclesiæ & Concilij generalis, immediatè est à Deo principaliter, licet sit ab homine, seu dependeat ab humana potestate ministerialiter: Nam Papa fit per Cardinalium electionem, & Cardinales per Papæ auctoritatem. & generale Concilium, per Papæ aut alterius legitimæ potestatis conuocationem. Romana Ecclesiã, quæ in Papa & Cardinalibus principaliter repræsentatur, pars principalis, siue membrum est Concilij generalis, in quo Papa vel suus vicarius, ipso absente, præsidere debet, nisi causa manifesta, & in iure diuino fundata obsisteret. Romana Ecclesia, vniuersalem Ecclesiã repræsentat, quod nulli alteri Ecclesiæ particulari nisi vniuersali Concilio competit. Romana Ecclesia, Papa absente, in generali Concilio, per Cardinales ibidem præsentes, repræsentari censetur, maximè si Apostolica auctoritate ad hoc vocati sint. Romana Ecclesia, tantæ auctoritatis est, quod secundum aliquos, sine ea vel eam repręsentãtibus in generali Concilio nihil decerni aut diffiniri debeat, nisi causa rationabilis obsisteret: vnde patet, quod in decernendis in Concilio, Papæ & Cardinalium consensus, vbi haberi potest, omnino requiri aut reuerenter suscipi debet. Romana Ecclesia, tantam auctoritatem habet, quod in eius & aliarũ Ecclesiarum reformatione, non est à generali Concilio repellenda, sed reuerenter audienda, quando agetur de reformatione totius corporis in capite & in membris. Romana Ecclesia, totumq; generale Concilium, ad vniuersalem membrorum Ecclesiæ reformationem, debet vnanimiter concurrere, & vnicuique statui, in eius reformatione, audientiam dare, & de seipsa diffinitiuum communicare iudicium. vt impleatur illud Apostoli. *Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.*

Vnde patet, quod variæ voces non sunt in hoc Concilio audiendæ; quorumdam pluraliter loquentium, atq; dicentium, nos vocabimus Cardinales quando nobis videbitur: sed non quando de eorum reformatione agetur, cum tamen ad Cardinales non minus pertineat illos vocare & reformare, quàm è contra. & in cuiuslibet status reformatione, singuli audiendi sint. nec à iudicio Concilij repellẽdi, sed magis ad mutuam charitatiuam correctionem inducendi.

Ad

Ad fundandum autem prędictas conclusiones, & inde sequentia, vltra rationes & allegationes iuris in prædictis capitulis positas, specialiter pro prima & secunda conclusione. facit, 22. di. per totum, vbi pro prima, quod Romana Ecclesia habet de omnibus alijs ordinare, cum sit mater omnium aliarum Ecclesiarum, & cum secundum superioritatem & inferioritatem sint adinuicem ordinatè inter eas, tenet Romana Ecclesia primum gradum. Item, quod Romana Ecclesia caput sit omnium Ecclesiarum, sicut Petrus omnium Apostolorum, probatur 3. q. 6. can. dudum: & hoc specialiter facit pro tertia & quarta conclusionibus: facit etiam pro quinta conclusione, quo ad præsidentiam Papæ: Et pro eadem facit, caput. significasti. de elect. cum suis concor. Ex quibus fundantur sexta & septima conclusiones sequentes: pro octaua & nona conclusionibus, facit quod Romana Ecclesia habet aliā in partem sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. vt 2. qu. 7. decreto: facit etiam ad idem quod Romana Ecclesia potest de omnibus alijs iudicare, vt 9. q. 3. can. patet. facit etiā pro prædictis quod Romanæ Ecclesiæ consuetudo, circa institutiones Ecclesiasticas, de omnibus est seruanda. vt. 11. di. ca. qui nesciat. & qui eius priuilegia violat hæreticus habendus est. vt. 22. di. can. omnes.

Vtrum expediat Concilia generalia distribui in certas nationes.

SED occasione prædictarum conclusionum, hic occurrunt aliqua dubia, circa ordinem huius sacri Concilij, quæ apud nonnullos magnam perplexitatē inducunt. Primum dubium, an quatuor nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ, videlicet Italica, Gallicana, Germanica, & Anglicana, excluso dicto Cardinalium collegio, faciant generale Concilium, cum sint plura concilia particularia, valde inæqualiter & improportionabiliter diuisa, & ad partem deliberantia: quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti collegij, & non facta in cōmuni sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij generalis conciliariter facta. Secundum dubium, an dictæ nationes, quæ sunt noua collegia particularia, quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licet ex rationabili causa, & sub debitis circunstantijs ita institui potuerint, habuerint à iure diuino vel humano, auctoritatem priuandi Romanam Ecclesiam, & sacrum collegium ipsam repræsentans (quod est antiquum collegium, & in antiquo iure, & in sacris generalibus Concilijs, & sanctorum Patrum decretis fundatum) priuandi inquam iure suo, habendi videlicet vocem in sacro Concilio, & summum pontificem eligendi. Tertium dubium, supposito quod dictæ nationes possent noua iura circa electionem Papæ, contra antiqua iura vt præmittitur, statuere, ita quod eis absolutè liceret, an pro nunc expediret; cum secundum doctrinam Apostoli, *multa liceant, quæ minimè expediunt.* Vnde attento præsenti statu Ecclesiæ, & consideratis prædictis dubijs, non videtur expediens, aliqua noua iura condere, quæ schismati nouo possent verisimiliter occasionem præbere.

A Quartum dubium, occasione primi dubij oritur, circa modū distinctionis huiusmodi nationum. Nàm Benedictus duodecimus, in extrauagante vas electionis, distinguit obedientiā Papalem, in in quatuor generales partes siue nationes. Et in secunda parte, sub Germanica natione, ponit Alemaniam, Angliam, Vngariam, & plura alia regna: ex quo iure patet, quod si hoc generale Concilium Constantien. rationabiliter debeat diuidi per nationes, conuenientius diuiditur per

B quatuor, quàm per plures: quia talis diuisio seu distinctio, est iuri ac rationi conformior, ideò multis videtur quod adueniente natione Hispanica ad hoc generale Cōcilium, natio Anglicana debeat reduci ad nationem Alemaniæ, cuius ipsa est pars, & est ei immediatè coniuncta, vt patet ex iure prædicto. Vnde, quod hæc natio Angliæ hucusq; diuisa fuit à natione Alemaniæ, præmissum fuit vt essent in isto Concilio quatuor nationes, & hoc ex speciali & certa causa, quæ maximè cessabit, adueniente dicta natione Hispanica, qua

C adueniente, sic dicta natio Anglicana remaneret quinta, eadē & potiori ratione, aliæ tres nationes prædictæ debebunt proportionaliter distingui in plures nationes dictæ Anglicanæ nationi æquales: ideo, quia adueniente dicta natione Hispanica, iuxta vnum ex capitulis tractatis in Narbona, statim fiet vnio ipsius ad nos, pro faciendo vnum vniuersale Concilium, & per consequens, hoc facto, sicut illud erit quasi nouum Concilium, & nouiter ex ipsa vel nobis integratum: sic

D ad illius nationis honorem, debebit fieri nouus ordo, seu ordinari nouus procedendi modus: imò verius renouari mos antiquus, in distinctione nationum obseruatus, & vt præmittitur iuri & rationi conformis. Ad confirmationem præmissorum, fit quod idem Benedictus duodecimus, terras & prouincias subditas obedientiæ Romani Pontificis (pro capitulis monachorum nigrorum prouincialibus celebrandis, est prima rubrica sui operis, in fine eiusdem) distinxit præfatas terras & regna, in triginta sex prouincias, &

E inter alias, in regno Angliæ, ponit Cantuatiēsem & Eboracensem pro vna prouincia. Ex quibus, multis videtur, quod nec iuri nec rationi consonum est, æquare seu æquiparare regnum Angliæ, regno Franciæ in generali, vel nationem Gallicanam generaliter sumptam, nationi Anglicanæ, & multominùs Italicam nationem, Germanicam, vel Hispanicam, quasi omnino absurdum esset, dictam Anglicanam nationem fieri quintam partem, seu nationem huius sacri Con-

F cilij; cum ipsa secundum iuris dispositionem, sit 36. pars vel prouincia totius obedientiæ Romani Pontificis: ideò videtur, quod adueniente dicta natione Hispanica, cessare debet natio Anglicana, & fieri pars nationis Germanicæ vt præmittitur: vel si non, consequens videtur, quod dictæ aliæ nationes, distinguantur singulæ in plures nationes particulares, dictæ nationi Anglicanæ proportionales, iuxta iuris dispositionem: vel ad euitandum talem multiplicitatem nationum, & plures aliàs difficultates, expediens videtur redire ad ius commune, & ad antiquum modum procedendi & concludendi in Conci-

lijs generalibus, in quibus non legitur facta fuisse talis nationum distinctio.

De ijs qui vocem habent deliberatiuam in Concilijs generalibus.

QVINTVM dubium, occasione præmissorum oritur, videlicet quinam habere debent vocem in Concilio generali: Nam quibusdam videtur quod auctoritas iudicandi, statuendi, & diffiniendi, pertinet ad Episcopos seu maiores prælatos, quod probant ex diffinitione Concilij generalis, per quam differt à Concilijs particularibus siue prouincialibus, quam ponit Hugucius, & post eum Bartholomæus Brixien. 17. di. ca. 1. *vniuersale Concilium est, inquit, quod à Papa vel eius legato, cùm omnibus Episcopis statuitur.* Alij verò dicunt, quod quantum ad illa quæ pertinent ad exterminationem præsentis schismatis, debent habere etiã vocem conclusiuam, omnes illi qui ad præsens Concilium fuerunt Apostolica auctoritate vocati, imò secundum aliquos, omnes qui ad effectum vnius Ecclesiæ vellent huic Concilio interesse. Pro quo inducunt, quod sicut à tempore nascentis Ecclesiæ, circa electionem summi Pontificis, varij fuerunt modi obseruati, sicut patet per iura & antiquas historias, sic in modo congregationis & deliberationis Conciliorum generalium. Nam sicut patet in actibus Apostolorum & historia Eusebij, quæ actibus Apostolorum immediatè subnectitur, quandoq; in Concilijs, congregabatur tota communitas Christianorum quãdoque Episcopi, Presbyteri, & Diaconi; quandoque soli Episcopi sine Abbatibus; quandoque cum Episcopis Abbates; quandoque Imperator vocabat & congregabat Concilium, & præsens erat, etiam absente Papa, de cuius causa agebatur, sicut hæc varietas potest probari ex historijs suprà dictis, tam quatuor Conciliorum in Actibus Apostolorum celebratorum, quàm ex dicta historia Eusebij, lib. 6. ca. 33. lib. 7. ca. 25. & ca. 27. & 28. & li. 10. ca. 5. vbi multa ad propositum præsentis materiæ vtilia recitantur. Sextum dubium, consequens ad præmissa est circa modum concludendi ex deliberatione nationum, nam licet attenta conditione præsentis schismatis, ad eius radicem excludendam (quæ in diuersis nationibus & regnis variæ iudicabatur) expediens iudicatum fuerit procedere per deliberationes nationum, in quibus vota singulorum particularium, non minùs benè & liberè poterant scrutari, quam in generali turba, seu publica sessione, tamen multis videtur iuri esse consonum, quod in tali deliberatione nationum, non solùm attendendum est ad particularium deliberantium numerum, sed & ideò referendo deliberationem vnius nationis, notandæ sunt personæ, & eorum status, vt, quot sunt maiores prælati, quot Abbates, quot Doctores, quot Ambasiatores, quot Procuratores. etsi aliqui contradicunt, notandi sunt, quot & cuius status, nec repellẽdi sunt qui in publica sessione possunt sua vota seu rationes allegare, vt doceantur vel doceant. quia non sufficit vnius nationis, aut plurium referre deliberationem, sed omnino in arduis expedit allegare rationem, vt non sint vota quasi voluntaria, sed ratione vallata, & hoc maximè, quando non esset plena omnium nationum concordia: facit ad hoc, quod quandoque in Concilijs generalibus, vnius personæ deliberatio, fuit causa reducendi plurimos ab errore, ideò ex libro Isidori, edito de mandato Damasi Papæ, in Concilijs debet legi præfatio, in qua dicitur, quod si forsan aliquis aliter quam dicta fuerint senserit, sine aliquo scrupulo contentionis, ea de quibus dubitauerit conferenda, reducat, vt Deo auxiliante, aut doceri possit, aut doceat: Hæc autem dubia, ad robur huius Concilij proposui, eo quod iacula præuisa minùs feriunt; vt scilicet super his taliter deliberetur, & præuideatur, quod in futurum acta non possint ab æmulis reprobari.

SECVNDA PARS OPERIS.

Papa & Episcopi, dispensatores bonorum Ecclesiasticorum non domini sunt; quia bona illa communitati, non personis singularibus data sunt.

AD confirmandum ea quæ de origine & ordine Ecclesiasticæ potestatis prædicta sunt, aliqua conuenit subiungere, de origine iuris, quod habent clerici, qui Ecclesiastici dicuntur in bonis, quæ Ecclesiastica nominantur. Vbi primo supponendum est, quod bona Ecclesiastica, vt Ecclesiastica sunt, fuerunt collata communitatibus, & non solùm personæ singulari. Vnde fundatores Ecclesiarum intenderunt dominium & proprietatem bonorum, quæ dabant, transferre primò & directè in communitatem collegij, scilicet talis Ecclesiæ, ad vsum Deo seruientium, & non in aliquam personam singularem, vt 12. qu. 3. can. pontifices. & ita intelliguntur esse oblata Christo, id est communitati fidelium, quæ est corpus Christi. vt 12. qu. 2. can. nulli. Ex quo sequitur manifestè, quod *communitas ipsa sola, habet immediatum & verum dominium in huiusmodi bonis, & non prælatus aliquis, aut quæuis persona singularis.* verbi gratia, Ecclesia Constantien. vel alia huiusmodi particularis, habet dominium vel proprietatem in ipsis bonis sibi collatis, vt sibi sunt propria; persona autem singularis, non vt singularis, sed vt pars & membrum huius communitatis, habet in ipsis ius vtendi ad suam sustentationem, secundum exigentiam & decentiam personæ, & sui status: sed inter membra communitatis est differentia, quia est aliquod membrum simplex & minùs principale, vt simplex canonicus, & istud habet simplex ius quod dictum est; & est aliud membrum, quod est principale & caput communitatis, vt Episcopus, aliàs non esset congregatio vna, nec ordinata nisi esset vnum caput & principale membrum. & istud non solùm habet vsum in bonis communitatis, secundum exigentiam sui status modo prædicto, sed habet administrationem & dispensationem generalem omnium bonorum communitatis, approprians cuilibet quod ei debetur, secundum debitam iustitiæ portionem; dispensans etiam pro communi bono collegij bona fide, vt sibi videtur expedire,

dire, & ita est episcopus in qualibet Ecclesia Cathedrali de communi iure primitiuo: & sic, secundum Hostiensem. *dicuntur episcopi procuratores huiusmodi bonorum, & non domini seu proprietarij.* vt de dona. cap. 2. & de præbend. cap. 3. Quia verò non solùm quælibet congregatio Ecclesiasticorum est vna speciali vnitate, imò Ecclesiasticę congregationes habent quandam generalem vnitatem, in quantum sunt vna Ecclesia, sub vno capite, videlicet Papa, cui incumbit cura Ecclesiæ generalis, ideo ipse est vniuersalis dispensator, tanquam supremum membrum Ecclesiæ omnium Ecclesiasticorum bonorũ spiritualium & temporalium: non quidem quod sit eorum dominus, sed sola communitas Ecclesiæ vniuersalis domina est, & proprietaria illorũ bonorum generaliter; & singulæ communitates, & Ecclesiæ, dominium habent in bonis sibi correspondentibus: personæ autem singulares, non habent ius dominij, sed vtendi, aut ius dispensandi, vt dictũ est. Hæc notauit Innoc. & facit. 12. q. cã. videntes. & can. ex his. & can. episcopus. & cã. præcipimus.

Ex his apparet error eorum qui dicunt, quod solus Papa habet ius vel dominium Ecclesiæ, & non solum est administrator vel dispensator Ecclesiæ vniuersalis, sed bonorum eius verus dominus & proprietarius. Cęteri verò pręlati, & alij non habent in his dominiũ, sed solùm sũt talium bonorum procuratores atque dispensatores: hoc enim apparet falsum, non solùm ex præmissis, sed etiam ex verbis Apostoli primæ ad Corinth. vbi non excludens Petrum vel Papam dicit, *sic vos existimet homo vt ministros Dei, & dispensatores, &c.* & ipsemet Petrus ait. *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis, &c.* facit de præbend. cap. 2. vbi dicitur, quod Papa habet plenariam dispensationem omnium bonorum & beneficiorum, & non dominium. Ex quo sequiquitur vlterius, quod Papa non potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum, ita quod quicquid ordinet de ipsis teneat, hoc enim haberet si esset dominus: sed cum sit minister & dispensator bonorum communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet collatam sibi potestatem super bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel communem Ecclesiæ vtilitatem: ideo in. 2. ad Corinthios 10. dicitur, quod *potestatẽ dedit Deus ad ædificationẽ nõ ad destructionẽ, &c.* Vnde vlterius concluditur, quod si Papa pro libito detrahat bona Ecclesiæ & non dispensat bona fide, de iure non tenet: & non solùm tenetur ad pœnitentiam de peccato, quasi propter abusum rei, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur; si aliunde haberet, cum sit defraudator rei alienæ. secus si esset dominus, quia in re sua, quilibet est vltimus moderator & arbiter. vt de sepultur. de his. & in glossa. Ex quibus videtur posse concludi, quod sicut monachus potest agere ad depositionem Abbatis; vel particularis Ecclesia, ad depositionem episcopi, si constaret quod dissiparet bona monasterij vel Ecclesiæ, & quod infideliter, non pro bono communi, sed priuato ea detraheret; sic & de Papa, si admonitus non corrigeretur: Nam 40. di. can. si Papa. vbi dicitur cunctos iudicaturus à nemine iudicandus. ibi dicit glossa, quod si deprehendatur in quocunque alio vitio & admonitus non corrigatur, & scandalizat Ecclesiam, idem posset fieri, licet fortè secundum aliquos per solum Concilium generale, argu. di. 21. can. nunc autem. & in hoc facto Constantiensi Concilio conclusum atque practicatum est.

Ex prædictis patet, quod si Papa non habet dominium in bonis Ecclesiasticis clericorum, multominus habet dominium in bonis temporalibus laicorum, imò nec in illis est dispensator, sicut in bonis Ecclesiasticis; nisi fortè in vltima necessitate Ecclesiæ: in qua etiam necessitate, non est propriè dispensator, sed magis potest dici declarator. Pro quo considerandum, quod exteriora *bona laicorum, non sunt collata communitati, sicut bona Ecclesiastica, sed sunt acquisita singulis personis, arte, vel labore, vel industria propria,* & ideo personæ singulares vt singulares sunt, habẽt in ipsis ius & potestatẽ ac verum dominiũ. & potest quilibet de suo ordinare, disponere, dispensare, retinere, alienare pro libito, sine alterius iniuria, cum sit dominus, suprà de sepult. de his. Vnde sequitur, quod nec princeps, nec Papa, habet propriè dominium vel dispensationem in talibus: quia talia bona, non habent ordinem & connexionem inter se, nec ad vnum commune caput, quod habeat dispensare, cum quilibet rei suę sit ordinator pro libito. Quia verò propter talia bona exteriora, contigit interdum pacem, hominemq; turbari, dum aliquis quod est alterius vsurpat, quia etiam interdum homines quæ sua sunt nimis amantes, ea non communicant, prout necessitati vel vtilitati publicæ conuenit, ideo positus est princeps cum populo, qui talibus præest, vt iudex discernens iustum & iniustum, vt iudex iniuriarum, & vt mensura iustitiæ in accipiendo bona à singulis, secundum iustam proportionem, pro necessitate vel vtilitatis causa.

Ex quo sequitur, quod Papa, qui est quasi supremum caput, non solum clericorum, sed generaliter omnium fidelium (vt fideles sunt, iuxta illud. *pasce oues meas,* quod de omnibus generaliter dictum est) tanquam generalis omnium pastor, & informator Dei ac morum. in casu summæ necessitatis Ecclesiæ (in quo casu, omniũ fidelium bona communia sunt, & pro communi vtilitate communicanda) habet iure diuino bona exteriora omnium fidelium dispensare, & vt exponenda sunt discernere, prout expedit communi necessitati fidei; vt pote, quia aliàs subuerteretur fides propter impugnationem infidelium vel aliquid huiusmodi. Et posset tanta & tam euidens esse necessitas, quod posset exigere decimas vel determinatas portiones à singulis fidelibus, secundum tamen debitam proportionem, ne aliqui sine ratione plus grauarentur quam alij: & posset rebelles & contradictores per censuram Ecclesiasticam compellere ad succurendum communi necessitati Ecclesiæ, & talis ordinatio Papæ non esset nisi iuris declaratio. Vnde extra huiusmodi causam necessitatis, pro communi bono spirituali, non habet Papa dispositionem aliquorum bonorum temporalium, nec compulsionem in eos: licet in casibus vtilitatis spiritualis potest eos

exhortari & spiritualiter inducere, vt potè in conferendo indulgentias, vel alia spiritualia beneficia pro adiutorio conferendo. Posset tamen Papa ex causa & in certo casu, bona confiscare laicorum, & de hæretic. secundum lib. 6. de pœnis, cap. 5.

Quo iure, vacantia, annata, aut minuta seruitia debeantur Pontifici maximo.

POST præmissa concluditur, quod cum in casu, Papa habeat iure diuino disponere & ordinare circa bona & temporalia laicorum, vt dictum est. multò magis & in pluribus casibus habet ius & potestatem circa bona, & iura Ecclesiastica clericorum: & ideò non solùm in casu necessitatis, sed etiam in casu vtilitatis & honestatis publicæ, non solùm vniuersalis Ecclesiæ, sed etiam pro conuenienti statu personæ suæ (inquantum est persona publica repræsentans Ecclesiam, & generalis pastor, ac vniuersalis administrator bonorum Ecclesiasticorum) rationabiliter potest sibi facere fructus suos, ex bonis communibus pinguiores, secundum exigentiam sui status, tam prælati inferiores quàm qui in partem sollicitudinis vocati sunt. huius rei exemplum præcessit in veteri testamento, quia cum Leuitę pro sua sustentatione receperunt decimas, summus sacerdos decimam decimæ è Leuitis debebat recipere. vt patet Numer. 18. Vnde simili iure videtur, quod Papa possit recipere ab Episcopis promotis *communia seruitia*, quæ vocantur *vacantia*. & in minoribus beneficijs, primos fructus, seu alia huiusmodi subsidia, ex quibus ipse, & sibi in Ecclesiæ seruitio assistentes possunt conuenienter sustentari. Et ista non sibi conueniunt iure prædicto, sed etiam iure præscriptionis, quo etiam aliqui infideles in similibus vti consueuerunt, vt in pluribus regionibus manifestum est, de decim. ca. 1. & ca. 11. in glossa, & dicunt doctores, quod loco dictarum decimarum, succedunt decimæ quæ dantur Papæ.

Vnde vlterius sequitur, quod Papa iure potuit ordinationes maiorum & electiuarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum, sibi & sedi Apostolicæ reseruare, quia hæc antiquissimo iure sibi competebant, vt in conclusione suprà dictum est. Hæc etiam, non solùm iure vniuersali administrationis Papalis, potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiæ subiectæ: vtpotè, quia inferiores in suis electionibus, & ordinarij collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, & per potentiam laicalem, sæpe iure suo non liberè vti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione. Pro his facit, quod notatur de elect. quamquam, lib. 6. in glossa & 22. di. ca. 1. Ex quo subinfertur, quod cum sedes Apostolica in præmissis præscripserit, supposito quod summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis huiusmodi ius tollendum, sed abusus pellendum, & excessus restringendi sunt: & hoc fieri potest per rationabiles constitutiones sacri Concilij generalis. Pro hoc facit, quod ex statuto Papæ fundatæ sunt electiones. vt 16. qu. vult congregatio. de elect. ca. 1. & can. Ecclesia.

A *Concilium generale, nihil habet iuris in dignitatem Pontificiam, qua iuris est diuini, sed in abusum dignitatis Pontificia: & iccirco, status Monarchicus Ecclesia, regimine Aristocratico & democratico temperatur.*

PRO cuius declaratione, vlteriùs dicendum est, quod licet Papalis dignitas à Deo sit, vnde ab homine nec maior nec minor fieri potest; tamen, vsus plenitudinis potestatis, ad excludendum abusum, potest Concilij generalis
B auctoritate restringi: ideo antiquo iure institutum est, quod Papa professionem faceret, vt patet ex lib. diuino. facit 16. di. can. sancta octo. extra de iureiurando ego. N. 25. qu. 1. can. satagendum. 63. di. can. ego Ludouicus: & huiusmodi professio per lapsum temporis ampliata est, vt patet ex professione Bonifacij VIII. quæ incipit. ego Benedictus Caietanus, &c. Similiter quoque professio, iuxta rerum exigentiam, in sacro Constantiensi Concilio rationabiliter poterit ampliari.

Sed ad regulandum vsum plenitudinis pote-
C statis, & excludendum abusum eiusdem, considerare conuenit, quod non expedit Ecclesiæ (quæ habere dicitur regale sacerdotium) quod ipsa regatur regimine regio puro, sed commixto Aristocratia generaliter, pro principatu populi, & non strictè, prout contrariatur politiæ quæ est species quædam regiminis vel principatus secundum virtutem, vt capit Aristoteles in politicis. Pro cuius declaratione, sciendum est, quod licet regimen regium, in quo vnus singu-
D lariter principatur multitudini, secundum virtutem sit melius quolibet alio regimine simplici, vt ostendit philosophus 3. politicorum, tamen si fiat mixtum cum Aristocratia, in qua plures dominantur secundum virtutem, & cum Democratia, in qua populus principatur, tale regimen meliùs est, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in principatu: & etiam quia licet regimen regale sit optimum in se, si non corrumpatur, tamen propter magnam potestatem, quæ regi conceditur, de facili regimen de-
E generat in tyrannidem, nisi sit in rege perfecta virtus, quæ rarò & in paucis reperitur: in cuius rei signum, in populo Israël, cui succedit populus Christianus, Deus instituit quodammodo regem, licet non cum plena potestate, vt patet in Moise, & Iosue & eorum successoribus, qui toti illi populo præerant, vt patet Numeri 27. & Iudicum 2. licet autem in eis esset regimen regale, inquantum vnus principaliter præerat omnibus, erat tamen aliquid de Aristocratia, in quantum
F sub illo vno, septuaginta duo seniores eligebantur. vt patet Deuteron. 1. Erat etiam aliquid de Democratia, in quantum septuaginta duo eligebantur de consensu populi, & ab omni populo, vt ibidem dicitur: sic etiam manifestè videtur, quod esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub vno Papa eligerentur plures de omni & ab omni prouincia, & tales deberent esse Cardinales, qui cum Papa & sub eo Ecclesiam regerent, & vsum plenitudinis potestatis temperarent, & hoc notari videtur in ca. per venerabilem. extra qui filij sunt legitimi, in 6. sunt autem sacerdotes grauis, & cæt. Ad idem facit

facit quod Cardinales sunt pars corporis Papæ & eius coadiutores. vt de. ner. ego. 2. de electione cap. fundamenta, li. 6. Ex quo clarè patet, quod status Cardinalium est in Ecclesia valde vtilis & necessarius, si debito suo fungantur officio, ad quod generale Concilium debet summopere laborare, atque prouidere, quod de communibus Ecclesiæ bonis, pro cuius generali vtilitate laborare tenentur, eis decenter conuenientérque subueniatur, non minùs quàm inferioribus prælatis. Et pro hoc facit sexta potestas euangelica, de qua suprà in prima conclusione dictum est, cui concordat sententia Apostoli, primæ ad Corinth. 9. ex qua sumitur, quod *qui altari seruit de altari debet viuere.* vt extra, de præbend. cum serui. 12. q. 2. can. quicumque. de sepult. cap. 1. cum suis similibus. Vnde quod Papa & Cardinales iure diuino & naturali (cui euangelica doctrina concordat) ab inferioribus Ecclesiasticis debitam sustentationem recipere debeant, ostendit sanctus Thomas in 2. 2. qu. 87. argum. 8. vbi dicit, quod in veteri lege, primitiæ dabantur sacerdotibus, decimæ Leuitis, & quia sub sacerdotibus erant Leuitæ, dominus mandauit vt ipsi loco primitiarum soluerent summo sacerdoti decimam decimæ: patet Numeri 18. vnde nunc eadem ratione tenentur clerici summo Pontifici dare decimam partem decimæ si exigeret. Naturalis enim ratio dictat, vt illi qui habet curam de communi statu multitudinis, prouideatur vnde possit exequi ea quæ pertinent ad communem salutem, & idem Thomas in 4. de regimine principum, ex auctoritate philosophi in polit. dicit etiam quod gentiles in suis politijs, vnam partem possessionum applicabant illis, qui ministrabant in sacris, & ideò ministris Ecclesiæ in cultu Dei ista debentur, non tam iure positiuo, quam iure diuino & naturali.

Quo iure annata debeantur Cardinalibus & Curiæ Romanæ.

EX præmissis, tam iure naturali & diuino, quàm etiam humano stabilitis, corollariè sequuntur 10. propositiones à nonnullis doctoribus examinatæ & probatæ; ex quibus manifestè patet compendiosa responsio ad dispendiosissimam & iniuriosissimam scripturam, per aliquos factam, contra appellationem procuratoris fiscalis, pro tuitione iurium Romanæ & Cameræ Apostolicæ. Prima propositio est, quod status summi Pontificis & sacri collegij dominorum Cardinalium sibi collateralium, fundatus est in Ecclesiastica hierarchia sub cœlesti, immediatè à Christo, nec humana institutione seu præsumptione potest destitui: cui statui, qui pertinaciter derogat, censendus est, iuxta sacros canones hæreticus atque sacrilegus.

Status prædictus dotandus est & fouendus, per debitam & honestam sustentationem temporalium, sine quibus, in hac misera vita, spiritualia diu non subsistunt, quemadmodum alter status quicumque Ecclesiasticus inferior, seu subditus dotatus est, vel dotandus, iuxta sui qualitatem.

Prædictus status, non ideò perdit iura sibi

A conuenientia (quæ posuit propositio duplex præcedens) si forsan fuerint abusus aliqui personales, olim vel nunc inuenti; alioquin, sic argueretur aduersus omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem, quod dissipandus est, deserendus & perdendus, quoniam *in multis offendimus omnes.*

Status prædictus, potest & potuit vti subuentionibus, sicut prælati & curati inferiores, respectu subuentionis factæ per subditos in oblationibus, decimis, & similibus etiam, vbi status præ-
B dictus aliunde dotatus esset patrimonialibus bonis, vel alijs, quemadmodum in prælatis & curatis dicimus.

Status prædictus, dum recipit & quærit subuentiones consuetas in oblationibus, decimis, vel annatis, & similibus, non debet eo ipso de simoniaca prauitate notari, nisi fortè vitium aliud in exactionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet; non obinde status minui, destrui, culpari, vel iuribus aliunde defraudari, sicut ab infirmo morbus tollendus est; non subiectum vel corpus destruendum. Oppositum
C verò pertinaciter imponere, notando generaliter de simoniaca prauitate totum statum istum, temerarius error est, nec esset ferendus.

Status prædictus, potest & debet rationabiliter resistere per viam appellationis aut aliàs, si aduersus prædicta voluerint aliqui de facto procedere, præsertim dum personæ de illo statu subijciunt se, & statum suum debitæ regulationi sanctæ matris Ecclesiæ, si forsitan aliqua fuerint
D in eis reformanda, & hæc agendo, nec dum scandalizant actiuè, vel peccant, sed merentur tanquam defensores iurium, non solùm suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed vniuersalis Ecclesiæ, & ad vtilitatem honestatémque totius reipublicæ Christianæ, quæ consistit in suo decore membrorum, maximè principalium. Deinde, oportet sic fieri, quod subuentio nunc existens, & à priorum deuotorum Ecclesiasticorum introducta, de primis Annatis & similibus permaneat, quousque priùs, aut
E simul saltem, fuerit alia fortè prouisio salubrior vel sanctior rationabilius adinuenta, & effectu aliter practicata, & ex ordinatione Papæ & Concilij generalis. Postremò, facientes contrà præmissa, non conformant se, sed manifestè obuiant institutionibus regis Franciæ, Ecclesiæ Gallicanæ, & vniuersitatis Parisiensis. sicut patet eas intuentibus. Ex quibus sequitur, quod erronea & scandalosa & periculosa est vna conclusio, quam in materia simoniæ posuit quidam prælatus &
F doctor, videlicet, quod solutio vacantiarum, siue pactionata, siue non, siue ante, siue post, siue ante traditionem bullarum, siue post, quocumque modo acta, est purè simoniaca.

Vnde pro declaratione huius materiæ, notanda est doctoralis distinctio quadrifaria, de intuitu vel respectu commodi temporalis pro spirituali. Primò, potest intuitus ferri ad temporale commodum, quasi ad precium spiritualis, quasi sit adæquatio valoris vnius rei ad alteram, sicut est in emptione & venditione cuiuslibet rei; Secundò, potest ferri intuitus ad commodum temporale, quasi ad motiuum principale, dandi

ſpiritualia, vel ad finem vltimum, in quo ſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis: Tertiò, poteſt ferri A intuitus commodi temporalis, tanquam ad motiuum minùs principale, vel ad finem ſubordinatum ſub vltimo fine: Quartò, poteſt ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad rem debitam iure diuino, pro ſuſtentatione illius qui ſpiritualia ſubminiſtrat, iuxta doctrinam Chriſti & Apoſtoli. *Dignus eſt mercenarius mercede ſua.* Tunc ad propoſitum dicimus pro reſponſione ſuccincta & ſolida, quod primus intuitus & ſecundus, ſunt verè ſimoniaci de iure diuino & humano: B etſi concurrat error intellectus, ſcilicet quod talia poſſint fieri, ſicut in primo, dicitur vel quod licitè fiant ſicut ponitur in vtroque modo, tunc incurritur hæreſis propriè dicta, & habendi ſunt ſimoniaci tales hæretici propriè dicti, ſi ſint pertinaces. Dicimus conſequenter, quod ſi feratur intuitus tertio & quarto modis, ille poteſt eſſe licitus, imò laudabilis & meritorius ac debitus: hoc tamen attento, quod obſeruetur illud Apoſtoli. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, hoc eſt, quod adminiſtratio ſpiritualium facta ab altero C tali intuitu, non appareat fieri ex modo ſuo primo vel ſecundo, &c.

TERTIA PARS.

Capvt I.

Vtrum plenitudo poteſtatis, in Papa, vel in Eccleſia, aut Concilio reſideat.



IN tertia huius tractatus parte, in primis breuiter tangetur quæſtio, quam aliàs ad quorumdam egregiorum doctorum inſtantiam, diſputare propoſui, vtrum videlicet plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ reſideat in ſolo Romano Pontifice.

Ad partem negatiuam arguitur ex triplici radice. prima, quia huiuſmodi plenitudo reſideat in Eccleſia vniuerſali: ſecundò, quia hæc plenitudo reſidet in Romana Eccleſia particulari: tertiò, quia ipſa etiam reſidet in Concilio generali. E ergo non reſidet in ſolo Romano Pontifice: conſequentia de ſe patet, & antecedens tripartitum probatur vnica ratione, pro qua ſupponitur, quod Romanus Pontifex eſt caput triplicis Eccleſiæ. primò & principaliter Eccleſiæ vniuerſalis, reſpectu cuius dicitur ſummus Pontifex, ſiue paſtor iuxta illud. *paſce oues meas, & paſce agnos meos*, & quod non de his vel illis particulariter, ſed de omnibus dictum eſt generaliter. Secundo eſt caput ratione Eccleſiæ particularis, reſpectu F cuius dicitur Pōtifex ſummus Romanus, & in vtroq; Epiſcopatu, tam vniuerſalis, quàm Eccleſiæ Romanæ, ſuccedit Petro, qui primus habuit primum Epiſcopatum quàm ſecundum. Tertiò eſt caput Concilij generalis, quod videlicet Eccleſiam repræſentat, reſpectu cuius tamen ipſum eſt quædam particularis Eccleſia, ſumens vnitatem ab auctoritate ſummi Pontificis, in eo actualiter vel virtualiter præſidentis, vt patet ex c. ſignific. de elect. cum ſuis concor. ex qua ſuppoſitione patet hanc triplicem Eccleſiam, eſſe triplex corpus myſticum, cuius Papa eſt caput immediatum, ſed conſtat quod non eſt minor poteſtas in toto corpore, quàm in eius parte, ſcilicet in capite, imò videtur maior eſſe: quia omne totum eſt maius ſua parte, & per conſequens, ſi plenitudo poteſtatis eſt in ſummo Pontifice, eadem vel maior plenitudo poteſtatis erit in quolibet corpore, cuius ipſe eſt caput, &c. facit ad hoc illud Hieronymi. Si auctoritas quæritur, orbis maior eſt vrbe. 94. di. can. legimus, vbi dicit gloſſa, quod hîc ſumitur argumētum, quod ſtatutum Concilij præiudicat ſtatuto Papæ. Confirmatur iſta ratio, quia aliqua poteſtas vel auctoritas eſt in Eccleſia quæ non eſt in Papa, igitur in eo non eſt poteſtatis plenitudo: conſequentia tenet, & antecedens probatur; quia confirmatio in fide de qua dicitur quod Eccleſia non poteſt errare iuxta illud. *Petre rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* illa non eſt in Papa: quia hoc non eſt dictum de fide perſonali Petri, cum ipſe errauerit, ſed de fide Eccleſiæ, de qua dicitur. *Et porta inferi non præualebunt aduerſus eam*, ſcilicet Eccleſiam. Non enim dictum eſt *aduerſus te* ſcilicet Petrum. igitur ſpeciale priuilegium eſt, & ſingularis Eccleſiæ auctoritas, quod non poteſt errare in fide. quod priuilegium aliqui extendunt ad Romanam Eccleſiam, aliqui ad Concilium generale, aliqui verò ſolùm reſtringunt ad auctoritatem vniuerſalis Eccleſiæ, ſed non poteſt extendi ad Papam vt dictum eſt, &c.

Ad partem affirmatiuam quæſtionis, arguitur quod canonica iura clamant Papam habere plenitudinem poteſtatis, cæteros autem vocatos in partem ſollicitudinis. nec reperitur ius canoni- D cum quod dicat hanc plenitudinem eſſe in aliquo alio ſingulari ſuppoſito, vel particulari collegio. Confirmatur iſta ratio, quia quælibet particularis poteſtas Eccleſiaſtica, eſt vel eſſe poteſt in Papa, quæ non eſt, nec eſſe poteſt in vniuerſali aut quacumque Eccleſia particulari ſeu collegio: igitur in Papa ſolo, reſidet poteſtatis Eccleſiæ plenitudo: conſequentia tenet, & antecedens probatur, quia Papa poteſt quamlibet Eccleſiaſticam poteſtatem exercere, quod non poteſt vniuerſalis Eccleſia, ſeu quodcumque collegium particulare, & vt de exercitio cæterarum Eccleſiarum poteſtatum taceamus, ſufficiat exemplum dare de poteſtate conſecrandi corpus Chriſti, vel altera poteſtate ſacramentali. quia conſtat quod talis non poteſt exerceri, niſi à perſona ſingulari, & per conſequens nec ab Eccleſia vniuerſali, nec à Romana Eccleſia particulari, nec à Concilio generali. quare &c. Ad hanc concluſionem ſe ſua humilitate reſponſurum exhibuerat venerabilis & egregius ſacræ ſcripturæ doctor magiſter Mauricius de Praga, & poſuit tres concluſiones: Prima eſt, quod plenitudo poteſtatis Eccleſiæ, ſeparabiliter reſidet in Romano Pontifice. Secunda, quod plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ, inſeparabiliter reſidet in Romano Pontifice & vniuerſitate Eccleſiæ Catholicæ. Tertia, quod plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ repræſentatiuè reſidet in generali Concilio. Ex ijs infertur corollarium, quod quæſtio vt proponitur eſt falſa, vt patet à negatione vnius exponentis ad ſuam expoſitam. Ad præmiſſas autem rationes, ſufficiens erat dictus magiſter reſpondere, & ſuper.

& super his suam intentionem vtiliter declarare: sed quidam veritatis aduersarij, timentes ne per ipsum, & deinde per quosdam alios sacræ theologiæ doctores, in disputationibus aut determinationibus, impugnarentur aliqui errores in hoc sacro Concilio delati, conspirauerunt & procurauerunt dictam disputationem impediri. contra quos publico verbo & scripto, ob reuerentiam, protestatus sum, quod doctoribus sacræ Theologiæ maximè in Concilio generali, vbi agitur de erroribus extirpandis, non debet inhiberi disputatio, aut scholastica determinatio, pro declaratione veritatis Catholicæ, & reprobatione contrariorum errorum. alioquin, qui de facto secus facerent, redderent se suspectos de fautoria hæreticæ prauitatis, quia ergo dictus magister sic impeditus fuit ab hac responsione, Ego huius conclusionis nodum breuiter explicabo.

Primò dico, quod iura quæ loquuntur de plenitudine potestatis, intelliguntur de plenitudine iurisdictionis, & non de potestate ordinis sacramentalis: quia hæc fuit æqualis in omnibus Apostolis, vt suprà tactum est, vbi super illo verbo, *pasce oues meas*, dictum est, quod ibi data est Petro potestatis plenitudo scilicet iurisdictionis.

Secundò, dico quod hæc plenitudo iurisdictionis propriè loquendo, solùm residet in Romano seu summo Pontifice Petro succedenti: quia propriè, aliqua potestas plenè dicitur esse in aliquo, quia illam potest generaliter exercere, & ministerialiter in omnes dispensare, hæc autem est in solo Papa, & non propriè in aliqua communitate, quia secundum philosophum, actiones sunt suppositorum.

Tertiò, dico quod huiusmodi plenitudo potestatis, tropicè & alio modo equiuocè, est in vniuersali Ecclesia, & in Concilio generali ipsam repræsentante. Pro cuius declaratione sciendum est, quod quantum ad propositum pertinet, aliquid dicitur tripliciter esse in alio: Primò tanquam in subiecto, sicut virtus est in anima, & accidens in substantia subiectiuè:. Secundo modo tanquam in obiecto, sicut aliquis effectus dicitur esse in sua causa, vel in suo fine, quia in illum tendit tanquam in suum obiectum finale: Tertiò modo, tanquam in exemplo, vt res visa dicitur esse in speculo, vel aliqua doctrina in libro, quia ibi est repræsentatiuè. Primò ergo, plenitudo potestatis est in Papa tanquam in subiecto ipsam recipiente, & ministerialiter exercente. Secundò est in vniuersali Ecclesia, tanquam in obiecto ipsam causaliter & finaliter continente: Tertiò est in generali Concilio tanquam in exemplo, ipsam repræsentante, & regulariter dirigente. Primum patet ex immediatè dictis, quod Papa propriè loquendo est minister, hanc potestatem subiectiuè recipiens, & administratiuè dispensans, iuxta illud Matthæi 22. qui præcessor est in vobis fiat sicut ministrator. Secundum patet, quia plenitudo potestatis non est causaliter propter Papam, sed Papa & eius potestas propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur sicut ad finem, id est, ad eius ædificationem: quia secundum

A sententiam Apostoli, secundæ ad Corinth. 10. & penult. hanc potestatem *dedit Dominus in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem*. Tertium patet ex eodem verbo Apostoli, quia si Papa vteretur hac potestate ad destructionem Ecclesiæ, generale Concilium est exemplum, vel speculum, dictam vniuersalem Ecclesiam repræsentans, & eius vice & nomine, abusus huiusmodi plenitudinis potestatis coercens, regulans, & dirigens: & hæc omnia plenius patebunt ex dicendis in vltimo capitulo huius præsentis operis: & se-

B cundum præmissa & inferiùs dicenda, rationes hinc inde factæ superiùs, faciliùs soluuntur. Ex præmissis patet quod sicut plenitudo potestatis est in generali Concilio repræsentatiue, ita aliquo modo licet non æqualiter, est in Romana Ecclesia, quia ipsam vniuersalem Ecclesiã repræsentat, & in condendis Ecclesiasticis iuribus seu canonibus, ipsius vices gerit, & hoc sibi competit, ratione sui capitis, scilicet Papæ. qui huic Ecclesiæ specialiter præest, vt tactum est in prima ratione quæstionis. Et ideò Romana Ecclesia, dicitur

C sedes Apostolica, quia in ea sedet Apostolicus, id est præsidet Apostoli Petri successor.

SECVNDVM CAPITVLVM TERTIÆ PARTIS.

RESTAT videre, vtrum Papa subijciatur iudicio Concilij generalis, non obstante suæ potestatis plenitudine. Ad quam quæstionem breuiter re-

D spondeo affirmatiuè, nec ei solùm subijcitur in casu quo accusaretur de crimine hæresis propriè dictæ, sed etiam in quibusdam alijs casibus, qui possent quodam modo reduci ad hæresim, largè sumptam, vt ratione obstinationis & incorrigibilitatis in crimine: Hæc autem conclusio in condemnatione & depositione Ioãnis Papæ 23. practicata est, per hoc Concilium generale, cuius determinationi contradicere non licet: pro qua facit istud quod prædictum est in octaua pro-

E positione primi capituli secundę partis, sed magis declarabitur hæc materia in vltimo capitulo huius operis.

Quia verò nonnulli aduersarij veritatis & erroris defensores, hanc mihi imposuerunt infamiam, quod disputare volebam de plenitudine potestatis Romani Pontificis, vt eius ac Romanæ Ecclesiæ potestatem extollerem, & deprimerem auctoritatem Concilij generalis: Ideò ad hanc maculam expurgandam, declarabo qualiter

F non solùm nunc, sed iamdudum Concilium generale stabilire nisus sum, & specialiter in huius Concilij initio. Vnde tunc graue & periculosum dicti Ioannis Papæ odium incurri. Tum propter aliquas conclusiones, quas posui ad hunc finem, ne præsens Concilium dissolueretur, donec & quousque in ipso plenè congregato, esset tractatum de perfecta & integra Ecclesiæ vnione, & eius debita reformatione in capite & in membris: & quod oppositum dicere aut facere saperet fautoriam schismatis & hæreticæ prauitatis. Tunc etiam, quia quidam

eius fautores, & impugnatores dictarum conclusionum, aduersus me quasdam accusationes A conscripserunt, & ibidem scripserunt sub hac forma.

Casus super quo reuerendissimus dominus Cardinalis Cameracens. consilium habuit cum sacræ Theologiæ magistris regularibus, & secularibus diuersorum studiorum, est iste, si 45. errores Ioannis Vviclef contra fidem, damnari debent per summum Pontificem, sub hac consueta forma, aliàs in Concilijs obseruata, videlicet, *Nos hoc sacro approbante Concilio*, vbi absque B expressione summi Pontificis, sacrosanctum Concilium damnat & reprobat, & cæt. & ibi per eum allegatur, quod per Concilium, & non per Papam, quia Concilium est maius Papa, cum sit totum, & Papa sit pars eiusdem: & ita ex actibus Apostolorum, & quibusdam decretis sanctorum, magis consonum videbatur scripturæ sacræ: vnde & magis Theologica facta est contentio, inter supradictos magistros, quorum de numero, quinquaginta duo, fuerunt suæ opinionis; Cæteri verò, viriliter ei restiterunt C in faciem, dicentes Concilium per se, nullam auctoritatem habere, nisi ex capite, & per consequens, non debere sententiare, neque diffinire tanquam principale, sed caput Concilio consentiente: inde deuentum est, verbis verba trahentibus, quod ipse dominus Cardinalis asseruit, quod Concilium est suprà Papam, & potest eum deponere, alijs paucis exceptis in faciem verisimiliter contradicentibus, vnde remansit in suo proposito, cum intentione illa proponendi Concilio. D

Ad dictam verò schedulam, rescripsi dicto domino Ioanni, offerens me responsurum coram dominis Cardinalibus, omnibus magistris in Theologia conuocatis, & tunc paratus fui respondere, ponendo sex propositiones in forma quæ sequitur. Pro responsione ad dictam schedulam. Dico primò, quod quærere an errores contra fidem in hoc sacro Concilio damnandi, debeant per summum Pontificem damnari sub hac forma, *Nos hoc sacro Concilio approbante damnamus, &c.* aut damnari debeat sub ista forma, *sacrosanctum Concilium damnat, &c.* non est quæstio E inutilis, aut superuacua, nec ad materiam fidei, quæ tractatur, est impertinens, patet, quia vtraque forma in decretis generalium Conciliorum reperitur: Nam sicut tunc fuit allegatum, secunda forma condemnandi, habetur in multis libris Conciliorum, & etiam decreti, & decretalium, vbi sic dicitur. *Placuit sacro Concilio*, vel *Concilium diffinit, vel statuit sanctum Concilium:* Papa etiam F quando dicit. *Sacri auctoritate Concilij & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est:* & primò habetur in multis constitutionibus synodalibus, & maximè in iuribus nouis.

Secundò dico, quod Theologi dicentes primam formam esse conuenientiorem quam secundam, & Theologiæ magis consonam vel conformem, non inconuenienter aut improbabiliter loquuntur: nec per hoc reprobant, sed approbant primam formam esse conuenientem: sed quod alia sit Theologiæ conformior, patet, quia in actibus Apostolorum, auctoritas diffiniendi attribuitur Concilio, & non specialiter Petro, vbi dicitur. *placuit nobis collectis in vnum, & cæt.* & beatus Gregor. 15. di. can. sicut, vbi, dicit, se quatuor Concilia, sicut sancti Euangelij quatuor libros venerari, subdit causam, *quia vniuersali consensu constituta sunt:* vnde videtur sequi, quod auctoritas diffiniendi, maximè in materia fidei, pertineat ad Concilium generale: & idem dicunt aliqui, quando agitur de facto Papæ, quod patet in concilijs Symachi, vbi dicunt Episcopi, decernimus, & synodali auctoritate roboramus, vt synodalis ordinatio vrgeat. & in superscriptionibus Episcoporum, dicitur his constitutis synodalibus à nobis probatis atque firmatis, & multa alia huiusmodi.

Tertiò dico, quod ex præmissis sequitur, quod dicta schedula est erronea, & in se est destructiua auctoritatis Concilij Pisani, & per consequens domini nostri Papæ, & præsentis Concilij, quæ ex illo depēdet: patet, quia dicta schedula, ponit & approbat, Cōciliū nullam per se auctoritatem habere, nisi ex capite, videlicet Papa; & per consequens, non debere sententiare neque diffinire, tanquam principale, sed capite Concilio consentiente. Nam constat, quod Concilium Pisanum, non habuit auctoritatem sententiandi & diffiniendi à Papa, tanquam ex capite, quia auctoritate Papæ non fuit congregatum, sed magis ipso contradicente, cum ibi duo contendentes fuerint condemnati, quorum alter erat Papa, sicut communiter tenebat Ecclesia Christiana.

Quartò, dico circa prædictam schedulā, quod etiam ex præmissis sequitur, quod sicut concilium Pisanum, ita & aliud concilium in aliquo casu, esse potest suprà Papam, & potest eum deponere: patet, quia non apparet maior ratio de vno quàm de alio.

Quintò dico, quod Concilium præsente Papa, à quo ipsum Concilium vocatum est, est velut vnum corpus mysticum, cuius Papa est caput, & alij sunt membra: & ideò secundum aliquos, non solùm falsum, sed fatuum esset dicere, quod maior sit auctoritas partis quam totius corporis.

Sextò, ex præmissis sequi videtur secundum aliquos, quod falsa est quorumdam iuristarum opinio, dicentium quod in Concilio generali, Papa dumtaxat iudicat & diffinit, & si eo non præsente ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuit, sed suadet, & cōsulit; nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem Concilij, sed quod standum videretur sententiæ Papæ si contradiceret Ecclesiæ vel Concilio patet, quia vniuersalis Ecclesia, à Christo & non Papa hoc priuilegium auctoritatis habet, quod in fide errare non potest: & hanc etiam auctoritatem, secundum aliquos, habet Concilium, vniuersalem Ecclesiam repræsentans: sed talem auctoritatem, non habet Papa, cum errare possit in fide: ergo in hoc maior est auctoritas Concilij vel Ecclesiæ, quàm Papæ: vnde oppositum dicere, multis esset hæreticum, & ex iuribus malè intellectis erroneè conclusum.

TERTIVM

TERTIVM CAPITVLVM TERTIÆ PARTIS HVIVS TRACTATVS.



ED adhuc restat circa præmissa, recitare opinionem cuiusdam magni prælati & doctoris, quam in finali capitulo, probo esse contrariam Catholicæ veritati: hæc autem eius opinio per quandam schedulam scriptam manu propria, & suo nomine suscriptam, & dicto Ioanni Papæ directam, postea innotuit: cuius tenor schedulæ sequitur, & duas continet quæstiones.

Prima quæstio, vtrum Papa Catholicus, subijciatur Concilio generali, ad quod, sub determinatione sanctissimi domini nostri Papæ dico, quod non, rationibus sequentibus. Et primò quia potestas Ecclesiæ ita fuit data per Christum corpori mystico Ecclesiæ militantis, & sic eam voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet teste beato Leone Papa, in canone ita dominus, 19. di. cui concordant communiter Alexander de Hales & alij doctores sacræ Theologiæ: sed non reperitur testimonio autentico, quod beatus Petrus Apostolus, vel alius eius in sede Apostolica successor, aliquam potestatem dederit præfato Concilio generali suprà Papam: igitur præfatum Concilium, nullam in Papam, habet potestatem, & per consequens, Papa illi non subicijtur: & si impugnaretur dictus canon ita dominus, quasi fidem non faciens, constat impugnationem huiusmodi, efficacia carere testimonio sacrorum eloquiorum, de quibus habetur in canone sācta Romana. 15. di. & in can. nulli. 25 q. 1. & in can. violatores, & ca. omnia, & ca. hac consona, eadem causa & quæstione. in quibus Hilarius, Damasus, & Gregorius Romani Pontifices, impugnationem huiusmodi damnant, & impugnatores decernunt: quibus concordant cap. 1. de institutionibus. & cap. si quis omnem. 1. q. si Romani. 19. di. quinimmo cauere debēt impugnatores dicti capituli (ita dominus. seu aliorum canonum à Romanis Pontificibus editorum) à sententia Ecclesiæ per Nicolaum Papam, in canone omnes. 22. di. prolata: per quam, amantes auferre priuilegium Ecclesiæ ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, in hæresim labi decernuntur. Secundò quia nō ab Apostolis, & sic nec à corpore Ecclesiæ seu Cōcilio generali, sed ab ipso domino Iesu Christo, Romana Ecclesia primatum accepit, inquit Anacletus Papa, sed seruus Christi Iesu in canone sacrosancta Rō. Tertiò, quia Papa habet plenitudinē potestatis 2. q. 6. cā. decreto de vsu pallij, ergo alij etiam simul congregati, illi subijciuntur, & nō ipse eis. Quartò, quia Concilia recipiunt potestatem à Papa, & non Papa à Concilijs, ca. significasti, de elect. 27. di. per totum. Quintò, quia ipse omnes iudicat & nullus ipsum. 22. di. omnes. Sextò, quia Apostolicæ sedis iudicium, cuius auctoritate maius non est, à nemine est retractandum, in canone, patet, 9. q. 3.

A Sptimò, quia aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis Apostolicæ, suo sine quæstione reseruauit arbitrio, vt in canone aliorum, eadem causa & quæstione, & cōcordantijs, can. facta, & can. cuncta per mundum. eadem causa & quæstione. Octauò, quia etiamsi Papa cateruatim ad inferos deduceret, nullus nisi Deus hanc culpam in hoc mundo redarguere potest; quia cunctos ipse iudicaturus à nemine iudicandus est, nisi deprehēdatur à fide deuius, vt in cā. si Papa 40. di. concordāt notanter per Hostien. & eius sequaces, ca. proposuit, de

B concel. præben. Io. Andream, in ca. ad Apostolicæ, de re iudi. li. 6. in prima glosa. Nonò, quia etiam quando agitur contra Papam, Concilium non potest illum iudicare sine eius auctoritate, in ca. nunc autem. 21. di. & in ca. huic etiam. 17. di. quia Papa Catholicus, caput est Ecclesiæ & Christi vicarius, vt patet in dicto canone, ita dominus. & concor. notanter per Io. Andr. in Cle. ad. nostram. in glossa magna, de hæresi: Igitur per corpus separatum ab eo (quod sine capite virtutē

C non habet, ca. cum non liceat. de præscriptione) iudicari non potest, sicut nec episcopus à suo capitulo, cuius inferior est de ma. & obedi. Nec obstant rationes quas quidam in contrarium persuadere nituntur, vt patet ex sequentibus. & primò, ad primum dum dicitur quod quando Petrus claues accepit Ecclesiā sanctam significauit, vt in cap. quodcumque, 24. q. igitur: Respondetur, illud intelligendum fore secundum doctrinam dicti canonis ita dominus. 19. di. Ad secun-

D dum dicitur quod Papa subijcitur Concilijs. vt in c. sicut sancti. 15. di. respondetur, illud verū esse quo ad obseruantiam articulorum fidei, & ibi nota. per glo. & ad cā. quæ ad perpetuam. & can. sunt quidam, & ad alia similia. 25. di. 1. dicitur, quod vel loquuntur de honestate, vel referri debent ad obseruantiam articulorum fidei: & ista respōsio corroboratur per notata per glossam in dicto ca. sunt quidam. Vnde nota, quod Papa quandoque dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, & etiam contra Apostolum, quod

E intelligo quando sic dispensatio non offendit articulos fidei, sicut dicitur per glosator. in dicto cap. sicut sancti. nec ob nō. per glosato. in can. si duo contra fas. 79. di. vbi dum dicitur quod in contentione papatus, Concilium potest esse iudex, & idem videtur sentire Huguitius & Io. in ca. de renunci. li. 6. in nouella: quoniam dicta opinio repugnat iuribus, siue in prima quæstione deductis, nisi prætenderetur contra prætendētes schisma importans hæresim, sicut factum fuit contra Petrum de Luna & errorum; nec obstāt

F per glosator. adducta in dicto ca. si Papa, quia iura allegata per eum, non probant intentum glosatoris, extra hæresim propriè sumptam.

Secundò, quæritur si diffinitiones & statuta fienda in hoc sacro Concilio generali, sub nomine Papæ vel Concilij vel vtriusque fieri debeant: at quod sub nomine Papæ debent, quia à Papa procedit virtus & auctoritas Concilij, vt patet per iam dicta, scilicet in prima quæstione: poterit tamen addi, sacro approbante Concilio, patet in ca. damnamus ca. nos autem, de summa Trini. in antiquis. & in ca. vnico. c. 2.

li. 6. & in cap. vbi maius. de elect. & cã. ad Apostolicę de re iudi. ca. 2. & ca. vno. de sũma Trini. in Cle. & ca. ad naturam. de hæreticis. & ca. de vsuris in Cle. Item, quod talia fieri debeant sub nomine Papæ secundum tempora antiqua, patet in ca. Adrianus. 63. di. & in can. in nomine Domini 23. di. Nec obstant scripta, in quibus dicitur Concilium diffinit sic, &c. quoniam vel locum tenent cum Papa deprehenditur à fide deuius pertinaciter: nec obstat can. nunc autem, 21. di. vel si sit Catholicus, cum in Concilio Papa non erat, sed alias illis auctoritatem præstabat; vel si erat, quoniam sic fieri sui humilitate permittebat, & ad hoc auctoritatem præstabat. sicut factum fuit in Concilio congregato contra Symachum Papam, de quo habetur in dicto. can. hinc etiam 17. di. Etsi dicatur, quod cum de reformatione capitis Ecclesiæ agitur, non videtur honestũ quod Papa sit præsidẽs & iudex. Respõdetur, quod alius quã ipse, hoc casu, non potest esse iudex, iuxta iam dicta in prima. quæstione, nisi ex sui humilitate (quod facere non tenetur de necessitate) alijs hoc commiteret, & ad hoc autoritatem præstaret. Cessat quod hoc casu illius tituli. ca. ne quis in sua causa, &c. quoniam in Papa nõ habet locũ, vt patet in dicto ca. si Papa. & alijs iuribus ad hoc supra allegatis. Et hæc sint dicta sub correctione & determinatione vestræ sanctitatis. *Joannes Patriarcha Antiochenus deuotus orator vester.*

Ex prædicta schedula sic subscripta, patet quod sicut latet anguis in herba; sic iste inter fautores & prefatos adulatores dicti Ioannis Papę latitabat: qui eum lacte erroris nutrientes, ad exterminium deduxerunt, contra illud Psalmi. *Corripiet me iustus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

CAPITVLVM QVARTVM TERTIÆ PARTIS.

Jure naturali, diuino, & canonico, summus Pontifex subijcitur Concilio.

PRemissam verò opinionem erroneam esse; & politiæ Christianæ periculosissimam, satis patet ex actis in hoc sacro Concilio. Verum est tamen quod post publicationem præcedentis capituli, præfatus reuerendus pater, dominus Patriarcha, in pręsentia sacri collegij se excusauit, quod illam schedulam non scripserat determinatiuè, sed solùm arguitiuè. Nihilominus ad robur & firmationẽ Concilij, probare intendo iure naturali, diuino, & humano, quod Papa subest in multis casibus iudicio Concilij generalis: & hæc declarabo ex his quæ scripsi in tractatu, quem dudum compilaui de Concilio generali, parte secunda circa finem: vbi allegaui, quod de causa Papæ non liceat subdito diffinire, vel eius facta iudicare. 9. q. 3. can. nemo, & canonib. sequentibus. cuius canonis occasione, quia ibi de Papa dicitur, *nec ab omni clero iudex iudicabitur*, videtur aliquibus quod Papa non possit etiam per Concilium generale iudicari. vt extra de elect. significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negocio contra Papam, videtur quod sententiæ Papæ standũ esset, vt 24. q. 1. cã. hæc est fides. Sed est argumentum contra, quia orbis est maior vrbe. vt 89. di. cã. legimus. Licet autẽ glosa non soluat, nec concordet hîc ista contraria, tamen in eodem ca. remittit ad ca. si Papa 41. di. vbi de hoc determinauit: ibi autem dicit textus, si Papa suæ & fraternæ saluti negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis, &c. Et sequitur, tamen huiusmodi culpas redarguere pręsumit hic nullus mortalium, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi à fide deprehendatur deuius, &c. & ibi super verbo *deuius à fide*, dicit glosa, quod hoc intelligit Hugutius, cum Papa non vult corrigi. si enim esset paratus corrigi, non posset accusari, vt 24. q. 1. apte cum suis similibus. Sed quærit glosa prædicta, quæ est, Papa non potest accusari de alio crimine quàm de hæresi: ponamus enim quod notorium sit crimen eius vel per confessionem, vel facti euidentiam, quare non accusatur vel de crimine simoniæ vel adulterij & cum admonetur incorrigibilis est, & scandalisatur Ecclesia per causam eius seu crimen: Et ad hoc respondendo, dicit glossa, certè credo quod si notoriũ est eius quodcunque crimen, & inde scandalisetur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari. *nam contumacia dicitur. hæresis*, vt 81. di. si qui presbyteri. & contumax dicitur infidelis: nulla tamẽ hic fit mentio specialiter de hæresi, ideoque & si occulta esset hæresis, de illa tamen posset accusari, sed de alio occulto crimine non posset: & intelliguntur hîc crimina occulta, idest, quæ non sic sunt scandalosa, vt ex eis tota turbetur Ecclesia, iuxta modum loquendi glossæ pędictæ. & similiter intelligendus est ca. nemo, cum suis similibus. Vel potest dici, quod ibi illud verbum *nec ab omni clero iudex iudicabitur*, non capitur collectiuè pro toto clero vniuersali, seu Concilio generali, sed capitur distributiuè; vt sit sensus, quod à nullo clero, id est à nulla parte seu à nullo collegio cleri particulari, Papa iudicandus est: vel capitur ibi *omnis clerus*, pro collegio Cardinalium, seu toto clero Romano, vel Romanæ diœcesis. Ex quibus omnibus concluditur, quod Papa potest in certis casibus per generale Concilium iudicari.

Sed contra hoc obijciunt aliqui, quod maior non iudicatur à minori, nec superior ab inferiori, vt. 22. di. qui ergo; sed Papa est maior & superior Concilio, ergo non iudicatur ab eo: imò vltrà dicunt, quod in Concilio generali Papa duntaxat iudicat, & si eo non præsente, ibi aliqua statuantur, Concilium nihil statuit, sed suadet & consulit, vt de baptismo cap. vbi dicit Papa, sacro Concilio suadente districtè præcipimus. & in ca. ad Apostolicæ, de re iudica. li. 6. dicitur de Cõsilio Concilij: & circa finem, Nos namque cum fratribus nostris, & sacro Consilio nostro deliberatione pręhabita, &c. & aliqua similia habentur in iure, ex quibus notant aliqui doctores canonistæ, quod Papa nõ habet necesse sequi deliberationem seu suasionem Concilij, quare multominus potest ab eo iudicari: vnde Io. Andr. in nouella. in ca. significasti, de elect. dicit super verbo *robur*, ergo videtur standum sententiæ Papæ, si

pæ, si contradicat Ecclesiæ seu Concilio.

A Ad hanc autem rationem, respondetur primò, quod maior rationis licet regulariter sit vera, tamen quandoque fallit: Nam rex Franciæ qui est maior & superior in toto regno, sæpe in aliquibus casibus iudicatur, & contra eum fertur sententia in suo Parlamento; similiter Papa in foro conscientiæ, à simplici sacerdote iudicatur, etiam in foro exteriori, potest iudicari ab inferiori suo, si se & sponte subijciat. vt. 2. q. 7. can. nos si incompetenter aliquid egimus, etiam vbi Leo Papa loquens Imperatori, dicit. vestro cuncta volumus emendari iudicio. B Secundò ad prædictam obiectioné dicitur, quod minor rationis non est vera, scilicet quod Papa est maior & superior in Concilio, cum sit caput omnium membrorum: & ad hoc probandum, videtur esse ratio euidens, quia omne totum sua parte maius est, loquendo de toto respectu suarum partium integralium: sed Papa est pars Concilij, sicut caput pars corporis, ergo totum Concilium maius est Papa, & per cõsequens auctoritas totius Concilij maior auctoritate Papæ. C Vnde dicit Hieronymus. Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe, vbi dicit. ergo in can. legim⁹ suprà allegato, quia hinc sumitur argumentum, quod statutum Concilij præiudicat statuto Papæ. & 19. di. cã. Anastasius, dicitur quod multi clerici, se à communione ipsius abegerant, eo quod sine Concilio episcoporum communicasset cum Photino hæretico. vbi dicit glosa, quod Papa tenetur requirere concilium episcoporum, vbi de fide agitur: & tunc synodus maior est Papa. vt. 15. di. sicut. & 24. q. 1. can. D Achatius super verbo quicunque in hæresim dãnatam labitur, dicit glossa, hic est casus in quo Papa in canoné latæ sententiæ incidit, nec obuiat regula, quia par parem soluere aut ligare non potest: quia si Papa hæreticus est, in hoc, minor est quolibet Catholico. 12. q. 1. scimus, multo magis: ergo, minor & inferior generali Concilio. Tertiò ex his sequitur quod illud falsũ est, quod in vltimo, in illa ratione assumitur, scilicet quod in Concilio generali, solus Papa iudicat & diffinit, E quia licet in Cõcilijs generalibus communiter proferat sententiam, tamen id fit auctoritate & Concilij consensu. Nec bene concludunt illi doctores, qui arguunt Concilium consulit & deliberat, ergo non definit vel iudicat: Nam cõtrarium expressè legitur in multis locis libri Conciliorum, & etiam decreti, & decretalium, vt suprà allegatũ est in capite 2. tertiæ partis. Quartò dicitur ad confirmationem prædictæ solutionis, quod illi qui vt præmissum est, sic exprimunt auctoritatem summorum Pontificum, nõ F solum docent cõtra iura humana præallegata, sed etiam contra diuinum. nam in primo Concilio celebrato Hierosolymis, de quo habetur actuũ 15. Iacobus qui erat Episcopus Hierosolymitanus, etiam præsente Petro protulit sententiam: Vnde ibi dicit, *propter quod ego iudico non inquietari eos, &c.* & ibidem scripta est epistola, cuius initium est, *Apostoli & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, &c.* sequitur *Visum est spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere, &c.* Ex quibus ominibus patet, quod auctoritas diffiniendi seu determinandi in Concilio, non ibi attribuitur Petro, quamuis esset caput Ecclesiæ, sed toti Concilio Apostolorum, & seniorum, quorum consensu lata est & publicata sententia. Quintò ex his concluditur, quod auctoritas & determinatio Concilij attribuenda est determinationi spiritus sancti, quia ibi dicitur, *visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* cui concordat quod dicitur, 25. q. 2. cã. igitur, vbi dicit Leo Papa. sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos: Et hinc trahitur secundum aliquos, quod Concilium generale nõ potest errare in his quæ sunt fidei: quod etiam probatur ex illo verbo Christi, *Petre rogaui pro te vt non deficiat fides tua*, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cum ipse errauerit, sed de fide vniuersalis Ecclesiæ, quæ repræsentatur in Concilio generali: de qua Ecclesia, etiam ibi dictum est, *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, scilicet Ecclesiam: Non enim dicit aduersus te, scilicet Petrum: ex quibus patet, quod Concilij iudicium præferendum est iudicio Papæ, cum ipse in his quæ fidei sunt possit errare, sicut & Petrus, sicut dicit Paulus ad Gala. ca. 2. *quod ei restitit in faciem, quia reprehensibilis erat, non rectè ambulans ad veritatem Euangelij*: tamen secundum aliquos, hoc est speciale priuilegium vniuersalis Ecclesiæ, quæ non potest errare in fide; licet hoc idem piè credatur de Concilio generali, videlicet quando innititur diuinæ scripturæ vel auctoritati quæ à spiritu sancto inspirata, aliàs sæpe errasse legitur. Ex his sextò infertur, quod quamuis Papa concedatur esse caput Ecclesiæ, tamen hoc est sub principali & essentiali capite Christo, & ideo subordinatio corporis Ecclesiæ ad Papam, est solùm accidentalis, sed essentialis ad Christum, à quo immediatè habet auctoritatem, & illud priuilegium non habet à Papa: & ideo, licet auctoritas Papæ in illis quibus non errat, sit à iure diuino immediatè, iuxta verbum Christi, *& ego dico tibi, quia Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* tamen ex hoc non sequitur, sicut aliqui volunt concludere, quod reliqua auctoritas, & tota potestas Ecclesiæ, sit à Papa immediatè. Nam hoc potest multiplicem pati calumniam: Primò, quia auctoritas sacerdotalis, quæ quantum ad potestatem ordinis sacramentalis, maior est in Ecclesia, non immediatè deriuatur à Papa; constet aliquem esse Papam & non sacerdotem, & per consequens tunc non posset conferre ordinem sacerdotalem. Secundò & magis ad propositum, quia in illo etiam existente Papa, habet etiã multiplicem potestatem tam ordinis, quàm iurisdictionis, quæ tunc non dependet nec deriuatur à Papa. Tertiò hanc auctoritatem habet vniuersalis Ecclesia, vt dictum est, quod in fide errare non potest, & hoc nec mediatè nec immediatè à Papa dependet, quia id non habet. Ex quibus omnibus sequitur, quod potestas seu auctoritas Ecclesiæ immediatè est à Christo, & non à Petro, & hoc nota in verbo Christi, quia non dixit, *tu es Petrus & super hanc petram ædificabis Ecclesiam*, sed *ædificabo*. nec dixit *Ecclesiam tuam*, sed *Ecclesiam meam*. Item ad hoc facit, quod Augu. ait li. de agone Christiano ca. 22. vbi dicit, quod claues regni cælorum, omnibus datæ sunt, cum Petro datæ sunt, & quod ei dicitur, ad omnes

dicitur. Septimò ex hoc verbo & alijs infertur, quod Ecclesia debet obedire Petro, & eius vicario, tanquam capiti suo, in his quæ pertinent ad Ecclesię ædificationem, & non ad ipsius destructionem: quod etiam expressè probat Apostolus ad Corinth. ca. 10. vbi ait, *Nam si amplius glorificatus fuero de potestate nostra, quàm nobis dedit dominus in ædificationem, & non in destructionem*: & ibidem ca. vltimo, *vt non ad præsens durius agam secundum potestatem quam dominus dedit mihi in ædificationem & non in destructionem*: & ideo vbi Papa vtitur potestate sua in ędificationem Ecclesiæ, multa spiritualia priuilegia habet quæ sibi soli competunt, quæ in cap. cū ex generali priuilegio de trāslatione episcoporum notat glos. sed hæc priuilegia non habet Papa in destructionem Ecclesiæ vt 25. q. 2. cā. si ea destruerem. Octauò ex omnibus pręmissis concluditur, quod tam de iure humano quàm diuino concedendum est, Papam posse ab vniuersali Ecclesia, vel à generali Concilio eam repræsentante, in multis casibus iudicari, & condemnari, & ab eo ad Concilium in multis casibus posse appellari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus. & hoc vniuersaliter ex præmissis probatur, & ratione. quia aliter sequeretur, ipsum Christum, verum & supremum caput Ecclesiæ & institutorem eius sapientissimum, eam non perfecte & sufficienter ordinasse, quod est hæreticum & contra illud Deuteronomij 32. *Dei perfecta sunt opera*, patet per contrarium, quia illa communitas non est sufficienter ordinata, quæ perditioni suæ & demolitioni publicæ nō potest occurrere: sic esset de Ecclesiastica politia in casu quo Papa per hæresim manifestam, & tyrannidem apertam, aut aliud notorium crimen, conaretur eam subuertere, & nemo ei dicere posset *cur ita facis*? per viam iuris eidem resistendo, id est ab eo appellando, eum accusando, & per Concilium iudicando: hoc esset Papæ concedere potestatem non in ædificationem, sed in destructionem, quod est contra pręmissam sententiam Apostoli, quam non solo verbo docuit, sed exemplo firmauit, quando scilicet *Petro restitit in faciem*, vt dictū est: Vbi considerandum, quod licet Petrus à Paulo fuerit reprehensus, & rationabiliter reprehensibilis, quia scilicet *non rectè ambulabat ad veritatem Euangelij*: tamen nec ex textu nec glossa apparet, quod Petrus fuerit hæreticus, nec errauerit errore hæresis: quare simpliciter Papa in aliquibus vbi non est hæresis potest reprehendi & corripi. Nec oppositum sufficienter probant aliqui ex illis capitulis suprà allegatis, scilicet ex cā. oues. & cā. si Papa, imò magis sequitur propositum ex illis verbis, nisi à recta fide exorbitauerit, & nisi deprehendatur à fide deuius: quia tunc semper Papa à recta fide exorbitat & deuiat, quandocunque non rectè ambulat ad veritatem Euangelij, cum veritas Euangelij sit recta fides. Sed hoc potest contingere in multis casibus alijs, quàm in casu hæresis, sicut in illis in quibus scandalosè turbaret & manifestè destrueret Ecclesiam, & consequēs in illis posset corrigi, accusari, & iudicari.

A Et si quæratur, si Papa in his casibus recuset iudicari, Concilium quid faciat? Respondetur, quod in hoc casu, si hoc recuset sufficienter requisitus, faciendū esset sicut si sede vacante similis occurreret necessitas: Et ad hoc est euidens ratio, quia vbi vacante sede, vel etiam renunciante, Cōciliū celebrari non posset, nec per Ecclesiam remedium adhiberi, sequeretur quod Ecclesia nō haberet sufficientem fœcunditatē & fœcundam virtutē, ad se conseruandum & continuandum, & sic posset penitus deficere politia Christiana, quod est contra dictum Christi, *Ego vobiscum sum* B *vsque ad consummationē sæculi*. Et tamen patet cōsequentia, quia si nullo existente Papa, Cardinales obstinati essent nec vellēt eligere, vel in Ecclesia seditionem facere vellent, & eam hostiliter perturbare: vel si à noua electione essent à principibus tyrannis impediti, aut carceraliter detenti, vel omnes mortui: vel si Papa & Cardinales fierent hæretici manifesti, constat quod si in talibus vel similibus casibus residuum Christianitatis (quod tunc esset Ecclesia) non posset Concilium facere, & nouum Papam & alium clerum eligere, & contra casus prædictos, aut similes salubriter prouidere, necesse esset perire & deficere C Ecclesiasticam politiam. Quapropter, consequēs est, vt ad obuiandum tanto discrimini, quod concedatur vniuersalem Ecclesiam posse auctoritate Christi generale Concilium in prædictis casibus congregare, cui concordat illud dictum Christi, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum*, in qua auctoritate considerandum est, & super omnem auctoritatem iuris humani ponderandū, quod ait Christus *in meo nomi-* D *ne*: non ait in nomine Petri, vel nomine seu auctoritate Papę, sed *in nomine meo*, quod est nomen Iesu id est saluatoris & salutis, iuxta aliud eius simile dictū, *Quodcūque petieritis patrē in nomine meo*, id est quicquid petieritis pertinens ad salutem: ex quo datur intelligi, ad salutē Ecclesiæ, posse congregationem ad salutē fideliū fieri, si illi ad quos regulariter pertinet, non possint aut velint hoc exequi. Sed quod in dicto cap. significasti dicitur, quod Ecclesiæ Romanæ nulla Concilia legē præfixerunt, & quod in eis & eorum statutis Romani Pontificis excipitur auctoritas: respōdetur, quod E hoc cum suis similibus regulariter, & in pluribus verū est, sed tamen in aliquibus fallit, quæ particulariter declarare nō est pręsentis operis: in casibus autē pręmissis, manifesta ęst instantia, sicut ratione, & diuina auctoritate probatū est. Prędicta autem omnia, quæ breuiter in hoc capitulo dicta sunt, in præallegato tractatu plenius declarantur.

Hæc igitur, ad decem capitula in prologo huius operis proposita, mihi pro respōsione videntur sufficere, quæ tamen non deffinitiuè determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt: nam huius rei definitionem, sacri Concilij determinationi submitto. Offerens nihilominus ad veritatis elucidationem, me illis, qui contra præmissa opponere voluerint, responsurum.

Explicit quidam tractatus Petri de Alliaco, de potestate Papæ, & auctoritate Cardinalium, factus per eum in Concilio Constantiensi, post depositionem Ioannis Papæ XXIII.

